Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/summasanctithoma07bill

F. C.-R. BILLUART.

SUMMA SANCTI THOMÆ

TOMUS VII.

F. C.-R. BILLUART

SUMMA SANCTI THOMÆ

HODIERNIS ACADEMIARUM MORIBUS ACCOMMODATA.

EDITIO NOVA.

OPTIMÆ AUCTORIS SIMILLIMA
A MENDIS VERO VINDICATA NOTISQUE ILLUSTRATA CUM INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS
RERUM SCILICET ET SCRIPTURÆ SACRÆ

Sub Augusto Nobilissimoque Patrocinio Illust. ac RR. DD.

J.-B.-J. LEQUETTE

Episcopi Atrebatensis, Boloniensis et Audomarensis.

TOMUS SEPTIMUS

PARISIIS

Apud VICTOREM PALMÉ, Bibliopolam, 25, via dicta Grenelle-S.-Germain.

ROMÆ
LIBRARIA S. CONGREG. DE PROP. FIDE
Equ. MELANDRI, Soc.

BRUXELLIS
Apud J. ALBANEL, Bibliopolam
5, FORO LOVANIENSI, 5.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

NOV 24 1931

1357

SUMMA SANCTI THOMÆ

HODIERNIS ACADEMIARUM MORIBUS ACCOMMODATA.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

D. Th. a q. 84 usque ad 25 supp.

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE PŒNITENTIA

EX CONCILIIS FLORENTINO ET TRIDENTINO.

Decretum concilii Florentini pro instructione Armenorum. [1]

« Quartum sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio : ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio : ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium sacerdotis : quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium et eleemosynam. Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cum dicit : Ego te absolvo, etc. Minister hujus sacramenti est sacerdos, habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris. Effectus hujus sacramenti est absolutio a peccatis. »

[1] Sub Eugenio IV anno 1439. S. Thom. Opusc. 5.

Canones concilii Tridentini de Pœnitentia.

« Si quis dixerit [2] in catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino institutum, anathema sit. »

II. « Si quis, sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit. »

III. « Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris : *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum*

[2] Sess. 14 25 Novembris 1551, sub Julio III.

retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit. »

IV. « Si quis negaverit ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, Contritionem, Confessionem et Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata, anathema sit. »

V. « Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, et magis peccatorem; demum illum esse dolorem coactum et non liberum ac voluntarium, anathema sit. »

VI. « Si quis negaverit confessionom sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit. »

VII. « Si quis dixerit in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant, sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum pœnitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit eos qui omnia peccata confiteri student nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia, anathema sit. »

VIII. « Si quis dixerit confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem et traditionem humanam, a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus ut non confiteantur tempore quadragesimæ, anathema sit. »

IX. « Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum; aut sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit, anathema sit. »

X. « Si quis dixerit sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere, aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum : *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo; et quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt :* quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem, anathema sit. »

XI. « Si quis dixerit episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit. »

XII. « Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit. »

XIII. « Si quis dixerit pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit. »

XIV. « Si quis dixerit satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum De cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, anathema sit. »

XV. « Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi, et fictionem esse quod virtute clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat, anathema sit. »

DISSERTATIO I.

De Pœnitentia secundum quod est sacramentum.

D. Th. q. 84.

Pœnitere, si nominis etymologia spectetur, est quasi pœnam tenere, seu teneri pœna ejus quod commissum est; secundum vero nominis impositionem, sumitur, vel pro virtute inclinante hominem ad reparandam injuriam Deo factam per peccatum, aut pro hujus virtutis actibus, vel pro sacramento novæ legis, quo remittuntur peccata post Baptismum commissa. Et quamvis ordine generationis prior sit Pœnitentia ut virtus quam Pœnitentia ut sacramentum, cum actus interior exteriorem præcedat, et Pœnitentia virtus esset necessaria, etiamsi non esset sacramentum; quia tamen actus hujus virtutis sunt pars sacramenti, imo non sit virtus pro hoc statu novæ legis, nisi includat votum sacramenti, ideo cum Auctore hunc tractatum incipimus a Pœnitentia ut est sacramentum.

Variis nominibus insignitur: [1] Dicitur a S. Hieronymo, in cap. 13 Isa., et a Tridentino sess. 6, can. 29 et sess. 14, cap. 2, secunda post naufragium tabula, respectu Baptismi, qui habetur ut integra navis, quatenus per eum omnia peccata quoad culpam et pœnam simpliciter et integre remittuntur. Dicitur manuum impositio, a quadam exteriori cæremonia quæ olim observabatur, et quæ nunc etiam aliquatenus observatur, dum sacerdos proferens absolutionem, manum elevatam et extensam habet versus pœnitentem. Dicitur baptismus laboriosus, propter dolorem et rigorem satisfactionis; mysterium reconciliationis, propter remissionem peccatorum quam confert. Apud Græcos dicitur Εξομολογησις, id est, latine confessio, et Μεταυοια, id est, latine resipiscentia, scilicet secundum etymologiam nominis; secundum enim nominis impositionem assumuntur hæ voces a Græcis non ad significandum solam confessionem, aut solam resipiscentiam, ut volunt hæretici, sed ad significandum id totum quod importat sacramentum.

[1] Hic q. 84, a. 6, q.

ARTICULUS I.

UTRUM PŒNITENTIA SIT SACRAMENTUM?

§ I.

Errores circa existentiam sacramenti Pœnitentiæ.

Montanistas, seu cataphryges dictos a Phrygia, Montani patria, seu pepusianos a vico quem habitabat, circa annum 173, et novatianos sic dictos a Novato, presbytero Carthaginensi, et Novatiano antipapa circa annum 254, negasse sacramentum Pœnitentiæ tradunt plerumque scholastici cum Bellarmino. 1° Ex. S. Hieronymo epist. 27 *ad Marcellam*, ubi de Montano et Novato scribit: «Ab iis errantibus manum non porrigi, præcipitari jacentes in barathrum ne leventur, ad omne pœne delictum obserari fores Ecclesiæ.» 2° Ex Philastrio, *Hæres.* 28, et ex S. Epiphan., *Hæresi* 59, ubi scribit Novatum affirmasse eum qui « post Baptismum delinqueret », nullam posse consequi veniam. 3° Ex S. Ambrosio, lib. 1 *de Pœnit.*, c. 1, ubi ait

novatianos, « stoïcorum quodam more omnia peccata paribus æstimasse mensuris, et æque cum qui gallum, ut aiunt, gallinaceum, atque illum qui patrem suffocaverit, in perpetuum cœlestibus abdicandum mysteriis. » 4° Ex concilio Trid., sess. 14, cap. 1, dicente, nulla facta distinctione, aut exceptione, «novatianos remittendi potestatem olim negantes magna ratione Ecclesia catholica tanquam hæreticos explosit, atque condemnavit »

Gaspar Juenin, cum quibusdam recentioribus, contendit econtra, neque montanistas, neque novatianos unquam absolute negasse sacramentum Pœnitentiæ, sed in hoc tantum errasse quod dicerent peccata, non quidem omnia, sed quædam graviora per Ecclesiæ potestatem non posse remitti. Id autem de montanistis probat 1° ex Tertulliano qui lib. de Pudicitia, quem scripsit post suam ad montanistas defectionem, cap. 2, distinguens peccata contra proximum et contra Deum, dicit: «Mundentur delicta quæ quis in fratrem, non in Deum admiserit. » Et ibid., iterum distinguens inter peccata contra Deum ; « Hæc, inquit, dividimus in duos exitus ; alia erunt remissibilia, alia irremissibilia. » Et cap. 9, assignans peccata irremissibilia: « Sunt, inquit, graviora et exitiosa quæ veniam non capiunt, homicidium, idololatriæ, fraus, negatio, blasphemia, utique mœchia et fornicatio, et si qua alia violatio templi Dei. » Peccata autem remissibilia vocat ibidem « quotidianæ incursionis, ut irasci inique, manum mittere, maledicere, temere jurare, fidem pacti destruere, verecundia aut necessitate mentiri » ; et addit : « Si nulla sit venia istorum, nemini salus competit. » De novatianis probat ex S. Ambrosio, lib. I. *de Pœnitentia*, c. 2, dicente: «Sed aiunt (novatiani) se, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. » 2° Ex Socrate, lib. 4, cap. 23.

Hæc secunda sententia quantum ad montanistas posset admitti propter expressa Tertulliani testimonia, neque contradicit Patribus laudatis pro prima sententia; neque enim Philastrius, neque S. Epiphanius, neque concilium Tridentinum loquuntur de montanistis, sed de solis novatianis: S. Hieronymus autem non dicit montanistas « ad omne delictum », sed « ad omne pene delictum obserare fores Ecclesiæ » , per quod innuit ipsos agnoscere aliqua per Ecclesiam remissibilia. Posset tamen etiam dici Tertullianum temperasse errorem Montani, ut jam dicam de novatianis.

Quantum ad novatianos, non putamus fas nobis dicere cum Juenin, laudatos Patres « novatianorum mentem et systema nequaquam esse assecutos », sed ad conciliandum utramque sententiam, dicimus primos novatianismi auctores denegasse Ecclesiæ potestatem remittendi ullum peccatum, eorum vero discipulos hoc durius dogma emollivisse, et agnovisse in Ecclesia potestatem remittendi leviora peccata, non tamen graviora. Ita in terminis docet S. Ambrosius, lib. 1 citato *de Pœnit.*, cap. 2, ubi de novatianis dicit: « Sed aiunt se, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus : non hoc quidem auctor vestri erroris Novatianus ait, qui nemini dandam Pœnitentiam putavit... In eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia, qui distinctionem peccatorum facitis quæ solvenda a vobis putatis, et quæ sine remedio esse arbitremini. »

Observandum vero tam montanistas quam novatianos, negantes Ecclesiam posse remittere, sive omnia, sive graviora peccata, admisisse omnia posse a Deo remitti pœnitentiam agentibus. Constat de montanistis ex Tertull., l. cit. de Pudic., c. 3 et 19 *de novatianis*, ex S. Ambrosio, lib. 1 cit. *de Pœnit*, c. 2, et ex Socrate, lib. 4 *Hist.*, c. 18.

Valdenses, Wicleffistas et Hussitas Pœnitentiam non expunxisse ex albo sacramentorum, sed tantum errasse in hoc quod improbis sacerdotibus potestatem absolvendi, et alia sacramenta administrandi denegarent, conveniunt modo eruditi cum doctissimo Bossuetio, l. 2 *Variat.*, n. 104 et 165.

Calvinistæ omnes cum Calvino rejiciunt sacramentum Pœnitentiæ, voluntque nullum aliud esse in Ecclesia remedium peccatorum post Baptismum commissorum, quam ipsum Baptismum in memoriam revocatum cum certa fide seu fiducia remissionis peccatorum. Ita etiam plures lutherani: qui vero profitentur Confessionem Augustanam, videntur admittere sacramentum Pœnitentiæ distinctum a Baptismo ; legitur enim in ejus *Apologia :* « Vere igitur sunt sacramenta, Baptismus, cœna Domini, absolutio quæ est sacramentum Pœnitentiæ » : at illud labefactant dum dicunt, art. II dictæ Confessionis, non esse necessariam peccatorum enumerationem. Idem dicendum de iis qui utuntur parvo Catechismo Lutheri, in quo etiam videtur admitti sacramentum Pœnitentiæ. Vide Bossuetium, *Hist. Variat.*, l. 3, n. 47 et 48.

Quantum ad Lutherum ipsum, varius et inconstans hac in re fuit ; sed quidquid dixerit, aut dicant modo lutherani, quamdiu hærebunt capitali suo dogmati de justificatione

ex fide per justitiam Christi imputatam, non possunt agnoscere Pœnitentiam pro vero sacramento collativo gratiæ, neque habere absolutionem pro actu judiciali remittente peccata, sed tantum pro aliqua declaratione extrinseca excitante ad fidem remissionis peccatorum, qua sola contendunt peccatorem justificari per imputationem justitiæ Christi, ut diximus de Justificatione.

Itaque contra hos omnes heterodoxos, tria sunt nobis præstanda. Primum esse in Ecclesia potestatem remittendi omnia peccata post Baptismum commissa. Secundum Pœnitentiam, quæ in Ecclesia agitur, esse verum et proprie dictum sacramentum. Tertium esse sacramentum distinctum a Baptismo ejusve memoria. Unde sit

§ II.

Dogmata catholica de existentia sacramenti Pœnitentiæ asseruntur.

Dico 1° : Est in Ecclesia potestas remittendi omnia peccata post Baptismum commissa etiam graviora, ita ut nullum sit in hac vita irremissibile.

Prob. 1° disertissimis Christi verbis. Matth. 16, dicit Petro : *Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis ; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Matth. 18, dicit omnibus Apostolis : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Et adhuc apertius, Joan. 20 : *Sicut,* inquit Apostolis, *misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit et dixit eis : Accipite Spiritum Sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Hic nulla distinctio inter peccata gravia et levia, nulla exceptio apponitur : *Quæcumque solveritis : quorum remiseritis peccata.* « Deus, inquit S. Ambrosius, lib. I *de Pœnit.,* cap. 2, distinctionem non facit qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit. »

Neque dici potest Christum hanc potestatem dedisse Apostolis tantum et non aliis ; alioquin dicendum foret etiam potestatem baptizandi dedisse tantum Apostolis et non aliis. Ita arguebat S. Pacianus, epist. I *contra Novatian.* Quia ergo Christus Ecclesiam suam instituit, non ad solum tempus Apostolorum, sed ad finem usque sæculorum duraturam, quæ concessit Apostolis pro illius regimine et administratione, censetur concessisse eorum successoribus.

Neque etiam dici potest hæc verba intelligenda esse de peccatis per Baptismum remittendis : 1° quia jam diu antea Christus contulerat Apostolis potestatem baptizandi, et ipsi quoque jam pluries baptizaverant : aliud ergo promittitur ipsis Matth. 16 et 18, et confertur Joan. 20. 2° Si hæc verba restringantur ad Baptismum, cum iterari non possit, sola peccata præcedentia Baptismum erunt remissibilia ; quæ autem sequuntur, nulla, sive graviora, sive etiam leviora, erunt per Ecclesiam remissibilia : quod plane evertit systema montanistarum et novatianorum. 3° Ut arguit S. Ambrosius, lib. I *de Pœnit.,* cap. 7, Ecclesia relaxat per Baptismum omnia peccata quæ præcesserunt : quidni relaxat omnia peccata quæ secuta sunt ? « Unum in utroque est ministerium, in utroque operatur mysteriorum gratia et Dei nomen. »

Merito itaque Tridentinum, sess. 14, cap. 1, de verbis Christi. Joan. 20 dicit : « Quo insigni facto, et verbis tam perspicuis potestatem remittendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam universorum Patrum consensus semper intellexit. »

Prob. 2° traditione. 1° Apostolus usus est potestate a Christo concessa remittendi peccata etiam graviora in incestuoso Corinthio, dicens se illi post peractam pœnitentiam condonasse in nomine et persona Christi : *Nam et ego,* inquit, *quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi :* 2 Cor. 2.

2° Statim ac montanistæ errorem suum propalarunt, contra eos insurrexerunt omnes per orbem Ecclesiæ, ut refert Eusebius, l. 5 *Hist.,* c. 16, 17, 18 et 19. Similiter nascentes novatianos statim proscripserunt Romæ sexaginta episcopi, quorum decreto acquieverunt omnes per orbem episcopi, ex eodem Euseb., l. 6, cap. 44, ex epistola synodica inter Cyprianicas 54, et ex aliis : eos ex professo scriptis impugnarunt S. Ambrosius, S. Pacianus et alii.

3° Traditionem hanc asserit unanimis Patrum consensus, ut dicit Tridentinum citatum, quos enumerare longum foret, sed quorum plures laudabuntur in sequentibus. Unus nunc audiatur S. Augustinus, l. *de Agone Christiano,* cap. 31, dicens de novatianis : « Nec eos audia-

mus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri, dum in Petro petram non intelligunt et nolunt credere datas Ecclesiæ claves regni cælorum, ipsi eas de manibus amiserunt. »

Dico 2° : Pœnitentia[1], quæ in Ecclesia agitur, est verum et proprie dictum sacramentum. Est de fide decisa in concil. Trid., sess. 14, canon. 1. Require in capite tractatus.

Prob. 1° ratione theologica[2] : Sacramentum est signum sensibile à Christo permanenter institutum significativum et effectivum gratiæ : atqui talis est Pœnitentia quæ in Ecclesia agitur : ergo. Prob. min. 1° Est signum sensibile, tam ex parte pœnitentis confessionem dolorosam exhibentis, quam ex parte sacerdotis exterius sententiam proferentis ; sicut enim judex non posset proferre sententiam, nisi pœnitens accusaret sua peccata : sic pœnitens non posset scire se esse ligatum aut solutum, si sacerdos id exterius non significaret. 2° Est signum a Christo institutum, Matth. 16, 18, et Joan. 20, ut patet ex prima conclusione. 3° Permanenter institutum ; patet iterum ex prima conclusione. 4° Significativum et collativum gratiæ, quia remissio peccatorum non fit sine collatione gratiæ : ergo.

Prob. traditione : Omnes ecclesiæ tam Orientales, quam Occidentales, semper agnoverunt et agnoscunt Pœnitentiam, quæ in Ecclesia agitur, esse verum et proprie dictum sacramentum. Patet ex omnibus ritualibus novis et antiquis, et ex unanimi consensione utriusque ecclesiæ Græcæ et Latinæ, nec potest assignari primus qui hoc sacramentum in Ecclesiam invexerit : ergo certo tenendum est esse verum sacramentum a Christo per Apostolos ad nos derivatum.

Confir. Lutherus ipse, l. *de Civit. Babylonica*, et in parvo Catechismo, recenset Pœnitentiam inter sacramenta, et in Confessione Augustana, art. 2, legitur quod « absolutio privata in Ecclesia retinenda sit. » Item in ejusdem Confessionis Apologia.

Dico 3° : Pœnitentia est sacramentum distinctum a Baptismo ejusve memoria. Ita definit Tridentinum, sess. 14, can. 2. Require in capite tractatus.

Prob. 1° ex Patribus qui Pœnitentiam et Baptismum, ut duo sacramenta omnino distincta, agnoscunt. S. Chrysostomus, lib. 3 *de Sacerdotio* : « Non solum, inquit, sacerdotes regenerant, sed etiam condonandorum peccatorum obtinent potestatem. » S. Ambrosius, l. 1 *de Pœnit.*, c. 7 : « Quid interest utrum per Pœnitentiam, an per lavacrum hoc, jus (remittendi peccata) sibi datum vindicent sacerdotes? Unum in utroque ministerium est, in utroque operatur mysteriorum virtus et Dei nomen. » S. Cyrillus Alexandr., l. 12 in Joan., cap. 56.: « Duobus modis Dei spiritu pleni vel afflati homines peccata remittunt ac retinent, vel cum dignos admittunt ad Baptismum, ac indignos excludunt, vel cum filios Ecclesiæ peccantes corripiunt ac pœnitentibus ignoscunt. » S. Augustinus, epist. 23, *ad Bonif.*, docet parvulum regenerari per Baptismum : si vero adultus gratiam mittat, « Tunc, inquit, propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, sed alia sanatione curentur. » Epist. 108, ad Selucianum : « Agunt homines ante Baptismum pœnitentiam ita tamen ut etiam baptizentur... agunt etiam pœnitentiam, si post Baptismum ita peccaverunt, ut excommunicari, et postea reconciliari mereantur. » Insuper, juxta S. Augustinum, l. 1 *de Baptis.*, c. 16, minister Baptismi est omnis homo etiam laïcus et paganus ; et juxta eumdem l. 2 *de Civit.*, c. 9, peccata solvunt ii « per quos » Ecclesia gubernatur, et quibus « judicium datum est », de quo legitur : *Quæ ligaveritis in terra*, etc. Denique S. Augustinus passim contra donatistas docet Baptismum non esse repetendum : Pœnitentiam vero baptizatis esse iterandam docet, epist. cit. *ad Selucianum*, et epist. 54, *ad Macedonium*, ex qua depromptum est caput *In tantum* de Pœnit., d. 3. Alios Patres lege apud Bellarm., l. 1 *de Pœnit.*, c. 13.

Prob. 2° cum concilio Trid., sess. 14, cap. 2. Subjectum, minister, materia, forma et effectus Pœnitentiæ sunt distincta a subjecto, ministro, materia, forma et effectu Baptismi : ergo sunt distincta sacramenta. Prob. ant. Subjectum Baptismi est quilibet homo, Pœnitentiæ solus homo baptizatus ; minister Baptismi quilibet homo : Pœnitentiæ solus sacerdos ut judex : materia Baptismi est aqua, et forma « Ego te baptizo » : materia Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis ; forma verba absolutionis quæ profert sacerdos ; Baptismus delet omnia peccata, tam originale quam actualia, tam quoad culpam, quam quoad omnem pœnam : Pœnitentia delet solum actualia post Baptismum commissa quoad culpam, et non quoad totam pœnam : Baptismus confert gratiam regenerativam ; Pœnitentia resuscitativam, seu reconciliativam, sicque distinctam, si non materialiter, saltem formaliter : ergo.

[1] Hic q. 84. a. 1. o. [2] Ibid.

Prob. 3° Non debuit minus provideri [1] de remedio pro peccatis baptizatorum, ne in desperationem inciderent, quam pro peccatis infidelium : unde Act. 8, Petrus dicit Simoni baptizato : *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua* : atqui pro peccatis infidelium institutum est in remedium sacramentum Baptismi; ergo debuit etiam institui sacramentum pro peccatis baptizatorum. Subsumo : Atqui istud sacramentum est necessario distinctum a Baptismo : ergo. Prob. subsumptum : Peccata baptizatorum non possunt remitti per iterationem Baptismi, quia non est iterabile, ut fatentur ipsi hæretici; neque per memoriam Baptismi, 1° quia memoria Baptismi non est quid externum et sensibile, nec consequenter sacramentum ; 2° quia nullibi in S. Scripturis assignatur memoria Baptismi pro remedio peccatorum; aut dicant ubi hæretici, qui tantopere in S. Scripturis gloriantur et in iis solis fundantur ? ergo.

Prob. 4° ab inconvenientibus. Si Pœnitentia non distingueretur a Baptismo ejusve memoria, sequeretur 1° sacerdotes non habere potestatem retinendi peccata saltem post Baptismum commissa, contra expressa Christi verba ; non est enim in potestate sacerdotis efficere quod baptizati non sint baptizati, aut Baptismi suscepti non recordentur. Sequeretur 2° lapsos post Baptismum facilius obtinere veniam peccatorum quam lapsos ante Baptismum; facilius est enim reminisci Baptismi, quam illum suscipere : absurdum est autem Deum facilius condonare iis qui post agnitam veritatem ipsum offendunt, quam iis qui sæpe ex ignorantia peccaverunt.

§ III.

Solvuntur objectiones montanistarum et novatianorum contra primam conclusionem.

Ante solutionem objectionum observandum est quod jam indicavi, montanistas et novatianos, denegantes Ecclesiæ potestatem remittendi graviora peccata, non negasse ea esse a Deo remissibilia. Ex qua observatione patebit pleraque eorum argumenta nimium probare, et contra ipsos posse retorqueri. Desumunt autem sua argumenta ex veteri et novo Testamento, et ex Patribus.

Obj. 1° ex veteri Testamento : 1° Ecclesiasticus, cap. 21, dicit : *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.* 2° Amos, cap. 1, Deus dicit : *Super tribus sceleribus, et super quatuor non convertam eum.* 3° 1 Reg. 2, Heli increpans filios suos ait : *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Dominus ; si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo ?* 4° 2 Machab. 9, de Antiocho legitur : *Orabat autem hic scelestus Dominum a quo non erat misericordiam consecuturus.* Et de Esau dicit Apostolus, Heb. 2 : *Non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam* : ergo.

Resp. 1° in his omnibus textibus non agi de Ecclesia, sed de Deo, sicque iis probari Deo deesse potestatem et voluntatem dimittendi quædam crimina, quod non admittunt objicientes.

Resp. 2° ad singula. Ad primum : Sensus est peccatum mortale non posse sanari viribus humanis, bene tamen auxiliante Dei gratia : unde paulo superius dixerat : *De pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.*

Ad secundum : Quartum peccatum, secundum S. Hieronymum, est impœnitentia finalis: secundum alios, sensus est quod multiplicata peccata compellant Deum ad vindictam.

Ad tertium : 1° Sensus litteralis est : Si vos sacerdotes qui pro aliis Deum per sacrificia placatis, ipsum Deum offenditis polluendo vestra rapacitate et incontinentia sacrificia, et ab eis homines retrahendo, quis pro vobis orabit, et offeret sacrificia ? 2° Respondet S. Ambrosius, l. 1 *de Pœnitentia*, c. 8, his verbis: Quis orabit pro eo ? quæri, non excludi qui in hac causa orare possit; sicut cum dicitur Psal. 14 : *Quis habitabit in tabernaculo tuo* ? et Psal. 25 : *Quis ascendet in montem Domini* ? Quia quo majora sunt peccata, majora quærenda sunt suffragia, et difficilius est placare judicem, quando ipsemet injuria afficitur, quam si alicui alteri esset illata. Denique S. Scriptura refert tantum verba Heli, quibus fidei pondus tribuere non est necesse.

Ad quartum : Neque Antiochi, neque Esau vera fuit pœnitentia [1] ; dolebat enim Antiochus de culpa præterita, non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem quam patiebatur, ut patet ex textu. Similiter Esau non dolebat de culpa, sed de amissa primogenitura, neque deponebat odium in fratrem : dicebat enim : *Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum.* Alium insuper sensum patiuntur verba Apostoli, scilicet

[1] Ibid. in a. s. c.

[1] Hic. q. 86, a. 1. ad. 1.

pœnitentiam referri ad Isaac, et non ad Esau, ita ut sensus sit, Esau non potuisse invenire in Isaac pœnitentiam, id est, retractationem benedictionis quam dederat Jacob ; sic enim habet Apostolus : *Postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est; non enim invenit locum pœnitentiæ*, etc.

Obj. 2° ex novo Testamento : 1° Matth. 12 ; dicitur : *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia, non remittetur ; et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei ; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* 2° I Joan. 5. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* 3° Heb. 6 : *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimet ipsis Filium Dei.* 4° Ibid. c. 10 : *Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia :* Ergo.

Resp. 1° ut ante, his omnibus testimoniis probari, si quid probent, esse quædam peccata, non solum apud Ecclesiam, sed etiam apud Deum irremissibilia, quod negant hæretici.

Resp. 2° ad singula. Ad primum : 1° Militat contra montanistas et novatianos ; si enim omne peccatum sit remissibile, cur isti aliqua excipiunt ? Item si peccatum in Filium sit remissibile, cum æque sit Deus ac Spiritus Sanctus, aliunde quam ex gravitate, peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremissibile. [1] 2° Directe : Blasphemia in Spiritum Sanctum, quæ nunquam remittitur juxta S. Augustinum, serm. 71, *de Verbis Evangelii Matth.* est « peccatum impœnitentiæ », non qualiscumque, ut intelligit Tournely post Bellarminum, ideo improbans hanc S. Augustini interpretationem, eo quod impœnitentia peccati contra Filium, sit etiam irremissibilis ; sed « impœnitentiæ contra donum.... reconciliationis quæ fit in Ecclesia in Spiritu Sancto », id est, ut se explicat S. Augustinus ibid., et epist. 50, *ad Bonifac.*, « Qua homo recusat in unitate corporis Christi, quod vivificat Spiritus Sanctus, remissionem accipere peccatorum. » Ita ut, juxta S. Augustinum, blasphemia in Spiritum Sanctum quæ nunquam remittitur, est cum quis quærit remissionem peccatorum extra Ecclesiam quam solam vivificat Spiritus Sanctus. Si autem qui est blasphemus in Filium, quærat veniam et Spiritum Sanctum in Ecclesia, peccatum ei remittetur [1]. 3° Communior sententia intelligit blasphemiam in Spiritum Sanctum, peccatum ex certa malitia, quale erat peccatum Pharisæorum, qui veritatem agnitam impugnabant, et aperta miracula Christi diabolo tribuebant ; de quo loquitur Christus loco citato ; et hoc peccatum ex malitia dicitur contra Spiritum Sanctum, cui tribuitur bonitas, sicut peccatum ex ignorantia dicitur contra Filium cui tribuitur sapientia, et peccatum ex infirmitate dicitur contra Patrem, cui tribuitur potentia. Hoc autem peccatum ex malitia dicitur non remitti, non quia est absolute irremissibile, sed quia difficile remittitur, quatenus non possunt pro illo adferri causæ excusationis, scilicet ignorantia vel infirmitas, sicut pro aliis peccatis. Et iste modus loquendi frequens est in lingua Hebraica, ad ostendendum in comparatione duorum, unum esse altero difficilius : sic Isa. 54 : *Montes commovebuntur et colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet a te ;* Matth. 24 : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt :* non est sensus quod montes absolute commovebuntur, neque quod cœlum et terra transibunt, sed quod facilius ista fierent, quam quod misericordia Dei recedat, aut verba Christi prætereant. Finaliter igitur peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremissibile, non absolute, sed comparate ad alia peccata quæ facilius remittuntur, et quia quod est valde difficile, dicitur moraliter impossibile.

Ad secundum : Juxta S. Hieronymum, in cap. 14 Jerem., et S. Aug., l. 1 *Retract.*, cap. 19, et *de Correpl. et Grat.*, c. 12, peccatum ad mortem est id in quo quis impœnitens moritur. Secundum alios, est peccatum, cujus affectus non deponitur, et de quo pœnitentia non agitur, quamdiu est tale ; idque conformiter concilio Nicæno II, can. 5, ubi dicitur : « Peccatum ad mortem est quando quidam peccantes incorrepti persistunt. » Juxta quam intelligentiam peccatum non ad mortem, erit quidem peccatum mortale, sed cujus affectus deponitur et pœnitentia agitur, quod licet mortem animæ intulerit, ista mors tamen non est ad mortem, quia per pœnitentiam quærit et recuperabit vitam ; sicut infirmitas Lazari, quamvis mortui, non erat ad mortem, quia

[1] Ibid. ad 3.

[1] Ibid.

erat resuscitandus. Igitur pro peccato ad mortem sic intellecto, Apostolus ait: *Non dico, ut quis oret,* per quod non excluditur precator, sed quæritur, ut supra dicebam ex S. Ambrosio; quia licet quilibet vulgaris possit et debeat orare pro illo, sicut pro aliis omnibus, cum ad id lege charitatis teneatur, non tamen cum ea impetrationis fiducia, qualem possent concipere eximii sancti; quo enim graviora et difficiliora sunt peccata, eo potentior et sanctior precator adhibendus est, ut jam diximus.

Ad tertium: Juxta S. Ambrosium [1], lib. 2, *de Pœnitent.*, cap. 2, S. Damascenum, l. 4 *de Fide*, c. 10, S. Chrysostomum, Theodoretum et alios in hunc textum, Apostolus loquitur de Baptismo, non de Pœnitentia; sicut enim erant apud Judæos, quos illic alloquitur S. Paulus, quædam lavacra in quibus pluries ab immunditiis se purgabant, sic aliqui credebant, aut saltem credere poterant, quod per lavacrum Baptismi pariter possent pluries purificari; ut ergo Apostolus eos contra hunc errorem muniret, et ad gratiam baptismalem conservandam sollicitos redderet, dicit quod qui semel sunt illuminati, id est, baptizati (Baptismus enim dicitur sacramentum fidei et illuminationis), si gratiam baptismalem amiserint, impossibile sit rursus per alium Baptismum renovari et eamdem gratiam recuperare. Et hunc esse germanum Apostoli sensum indicant insuper ipsa ejus verba. 1° Utitur verbo *renovari*, quod importat Baptismum, qui dicitur *lavacrum regenerationis et renovationis*, ad Tit. 3. 2° Dicit *semel illuminatos, non posse rursus renovari;* το *semel*, et το *rursus* significant ipsum excludere alteram illuminationem et renovationem, hoc est, alium Baptismum, qui, ut jam dixi, dicitur sacramentum illuminationis et renovationis. 3° Cum addit: *Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei*, assignat rationem cur non possint renovari, quia scilicet homo per Baptismum commoritur Christo : non potest ergo per alium Baptismum iterum mori.

Ad quartum. Eadem solutio adhiberi potest, scilicet quod voluntarie peccantibus, post acceptam notitiam veritatis, non relinquatur amplius hostia pro peccatis, id est, alia Christi mors quæ per Baptismum repræsentetur et iterum applicetur ad integram remissionem culpæ et pœnæ. In hoc enim cap. 10, nomine *hostiæ*, intelligitur mors et passio Christi cui configuramur in Baptismo. Vel dicendum cum aliis Apostolum ibi loqui de apostatis a fide, quibus, quamdiu sunt in hoc statu, non relinquitur hostia: non illa quæ fuit in cruce oblata, quia illam rejiciunt ; neque hostiæ quæ prius offerebantur in lege veteri, quia sunt abolitæ.

Obj. 3° ex Patribus : Hermas, Pauli discipulus, Pastor dictus, l. 3, Similitudine 8, de iis qui Deum abnegarunt dicit : « His igitur non est locus pœnitentiæ; et auctor Constit. Apost., lib. 2, cap. 23: « Si quis, inquit, instructa veluti acie rebellis delinquat, tentans Deum, quasi malos non insectantem, hujusmodi venia carebit » : ergo.

Resp. utrumque loqui de iis qui nec peccare desinunt, nec pœnitere volunt; dicit enim Hermas in eadem Similitudine : « Qui si cito pœnitentiam egerint, in turri sedem habebunt; si vero tardius egerint, in muris habitabunt ; si autem non egerint, mortem sibi acquirent. Et auctor Constit. Apostol. initio citati capitis: « Gravius delictum idololatria non reperitur, est enim in Deum impietas; nihilominus tamen et illud per sinceram pœnitentiam condonatum est. »

Inst. 1°: Tertullianus, antequam fieret montanista, lib. *de Pœnitentia,* c. 7 : « Collocavit, inquit, Deus in vestibulo pœnitentiam secundam quæ pulsantibus patefaciat; sed jam semel, quia secundo, sed amplius nunquam, quia proxime frustra » : ergo.

Resp. hoc unum velle Tertullianum. Pœnitentiam non esse institutam ut inde pateret aditus peccandi ; præmittit enim : « Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur. » Deinde subjungit : « Verum non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione, si secundæ pœnitentiæ quis debitor fuerit ; pigeat sane peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat; pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat : iteratæ valetudinis iteranda medicina est. »

Inst. 2° : Origenes et Theognostus, apud S. Athanasium, epist. *ad Serapionem*, docent omnia baptizatorum peccata esse irremissibilia, eamque sententiam approbat S. Athanasius si restringatur ad blasphemiam contra Spiritum Sanctum : ergo.

Resp. verba Origenis et Theognosti esse subobscura et ambigua, fatente ipso S. Athanasio citato : « Ego, inquit, ex his quæ didici, arbitror utriusque sententiam mediocri quadam inquisitione et observatione indigere, ne forte profundior quædam in ipsis illorum dictis mens lateat. » Et quia trahi poterant in

[1] Hic. q. 84. a. 10, ad 1.

malum sensum, scilicet omnia baptizatorum peccata esse irremissibilia, merito illum impugnat S. Athanasius, ne alicui sit offensioni, non affirmans tamen esse hunc illorum sensum. Et revera Origenem contrarium docuisse, et voluisse tantum omnia peccata baptizatorum esse irremissibilia, non absolute sed comparate ad peccata infidelium, hoc est, illa difficilius remitti quam ista, constat ex lib. 3 contra Celsum ubi ait : « Qui peccata sua damnant toto pectore, seque ipsos deflent.... eis demum propter mutatam in melius voluntatem Deus condonat errata præterita. » Similia verisimiliter legeremus in Theognosto, si ejus opera adhuc extarent ; sed et idipsum innuit apud S. Athanasium : « Imperfectis, inquit, datur venia, iis vero qui gustaverunt cœleste donum et initiati sunt, nulla veniæ relinquitur excusatio et deprecatio, » quasi diceret : Ethnici possunt aliquam excusationis causam obtendere, quam non possunt baptizati.

Quantum ad S. Athanasium, nunquam censuit blasphemiam in Spiritum Sanctum esse irremissibilem, nisi in iis qui in ea obstinate et absque ulla pœnitentia persistunt. Patet ex ipsa epistola *ad Serap.*, in qua arianos assimilat pharisæis, utrisque adscribit blasphemiam in Spiritum Sanctum, et de utrisque vult dictum esse : *Qui vero dixerit adversus Spiritum Sanctum, non remittetur ei.* Et tamen in synodo Alexandrina, anno 362, decrevit cum aliis arianos, modo hæresim ejurarent et fidem Nicænam amplecterentur, esse recipiendos ; sed clarissimis et expressis terminis, lib. *de Communi Essentia* Patris, Filii et Spiritus Sancti : « Sunt alii, inquit, qui in Spiritum Sanctum impingunt, qui scilicet in Christi deitatem blasphemiam dicunt, aiuntque *in Beelzebud principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* De istis intelligendum est quod ait : *Non remittetur, neque in præsenti sæculo, neque in futuro.* Quin et hoc observandum est primo non dixisse Christum blasphemanti et pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse; sed blasphemanti, id est, in blasphemia perseveranti. Quandoquidem nullum est peccatum irremissibile apud Deum, illis, qui vere ex animo, et ut par est, pœnitentiam agunt. »

Inst. 3° : Commune est omni peccato mortali esse irremissibile, quamdiu in eo perseveratur : atqui S. Athanasius tribuit irremissibilitatem blasphemiæ in Spiritum Sanctum præ cæteris peccatis et aliquo speciali titulo : ergo.

Resp. S. Athanasium tribuere irremissibilitatem blasphemiæ in Spiritum Sanctum non absolute, sed comparate ad alia peccata, quia difficilius quam ista remittitur duplici titulo speciali : 1° quia difficilius de ea pœnitentia agitur ; qui enim sciens et volens Christum agnitum rejicit, et opera divinitatis in eo dæmoni tribuit, difficile a tam prava dispositione recedit ; 2° quia blasphemia in Spiritum Sanctum quæ est peccatum ex malitia, non potest pro excusatione obtendere ignorantiam aut infirmitatem, sicut peccata in Patrem, in Filium, ut jam dictum est. Ita seipsum explicat S. Athanasius in laudata epistola *ad Serap.*

Inst. 4° S. Pacianus, epist. 3, *ad Sympronianum* et S. Ambrosius, l. 2, *de Pœnit.*, c. 4, probant contra novatianos non omnia peccata baptizatorum esse blasphemiam in Spiritum Sanctum, adeoque non omnia esse irremissibilia; id autem fatentur de vera blasphemia in Spiritum Sanctum, quale erat peccatum pharizæorum, qui ex malitia Christum rejiciebant et ejus miracula diabolo adscribebant : ergo.

Resp. S. Pacianum et S. Ambrosium id non absolute fateri, sed uti figura concessionis, quasi dicerent : Dato veram et proprie dictam blasphemiam in Spiritum Sanctum esse irremissibilem, non ideo sequitur omnia baptizatorum peccata esse irremissibilia. At vero neque ipsam veram blasphemiam in Spiritum Sanctum esse absolute irremissibilem, sed respective tantum ad alia peccata, id est, difficilius quam ista remissibilem, agnoscunt ibidem laudati Patres : Pacianus, epistola citata ait : « Cum enim Christus dixit: *Quæcumque solveritis, erunt soluta,* nihil excipit, non magna, non modica peccata. » Et S. Ambrosius, eodem capite 4, alloquens novatianos : « Revertimini, inquit, ad Ecclesiam, si qui vos separatis impie ; omnibus enim conversis pollicetur veniam, quia scriptum est : *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit ;* denique etiam Judæorum populus, qui dicebat de Domino Jesu, *Dæmonium habet,* qui dicebat *in Beelzebud, principe dæmoniorum, ejicit dæmonia* (en blasphemia in Spiritum Sanctum), qui crucifixit Dominum Jesum, Petri prædicatione vocatur ad Baptismum ut sceleris tanti merita deponat. Et l. 1, c. 1, iterum de novatianis : « Si unum, inquit, tantum crimen exciperent (cui veniam negarent), dure quidem, sed tamen divinis tantum redargui viderentur sententiis, assertionibus tamen suis convenirent ; Dominus enim nullum crimen excepit, qui peccata donavit omnia. »

Inst. 5° : S. Ambros. lib. *de lapsu Virginis,*

c. 8 : « Inhære, inquit, pœnitentiæ usque ad extremum vitæ, nec tibi præsumas ab humana die veniam dari, quia decepit te, qui hoc tibi polliceri voluerit. Quæ enim proprie in Dominum peccasti, ab ipso solo te convenit in die judicii expectare remedium » : ergo.

Resp. S. Ambrosium his verbis nihil aliud velle quam quod hæc virgo Deo consecrata, stupri et infanticidii rea cum plurimorum scandalo, deberet pœnitentiam agere usque ad extremum vitæ pro more hujus temporis, nec de propitiato tanto peccato securitatem absolutam habere. Jubet tamen ibidem sperare veniam : « Sed tu, inquit, quæ jam ingressa es agonem pœnitentiæ, insiste misera fortiter, inhære tanquam naufragans tabula, sperans per ipsam de te profundo criminum liberari.» Et hanc veniam a Deo et ab Ecclesia sperandam docet contra novatianos in libris *de Pœnitentia.*

Inst. 6° : S. Hieronymus, epist. 149, *ad Marcellam,* postquam probavit peccatum illorum qui in tormentis negant Christum, non esse blasphemiam irremissibilem in Spiritum Sanctum, admittit veram esse blasphemiam irremissibilem illorum qui, cum viderent opera Christi, ex invidia ea Beelzebud principi dæmoniorum tribuebant : « Doceat igitur, inquit, Novatianus, aliquem negatorem Beelzebud vocasse Christum, et ultro referam gradum, negatorem non posse veniam consequi post ruinam. » Idem docet in cap. 12 Matth.

Resp. S. Hieronymum non negare blasphemiam in Spiritum Sanctum esse absolute irremissibilem, sed tantum in hypothesi quod qui hujus criminis sunt rei in eo perseverent, ut plerumque contingit in iis, qui non ex ignorantia aut infirmitate, sed ex mera malitia peccant, ut supra explicuimus. Insuper S. Hieronymus, in laudata epistola *ad Marcellam,* utitur, ut jam dixi de S. Paciano et S. Ambrosio, figura concessionis ; idque unum intendit quod, et si blasphemia in Spiritum Sanctum sit irremissibilis, non sequatur quod peccatum negantium Christum in tormentis sit irremissibile ; de hoc enim tantum interrogatus fuerat a Marcella. Quo autem sensu blasphemia in Spiritum Sanctum sit irremissibilis, de quo non interrogatus fuerat, omittit discutere, rationemque omissionis reddit : « Fuerat, inquit, prolixius disserendum, sed quoniam amicis et qui ad nostrum hospitiolum convenerunt, præsentiam nostram negare non possumus, et tibi non statim respondere visum est arrogantis, latam disputationem brevi sermone comprehendimus. »

Inst. 7° : Plures ecclesiæ olim certis criminibus absolutionem denegabant ; ergo.

Resp. id factum fuisse, si factum fuerit, non errore novatianorum, quasi non esset in Ecclesia potestas ea remittendi, sed rigore disciplinæ de quo infra.

Finaliter revocandum est quod initio § observavimus omnes ferme auctoritates objectas probare, si quid probent, esse aliqua peccata irremissibilia, non solum apud Ecclesiam sed etiam Deum, consequenter militare contra ipsos montanistas et novatianos.

Habes etiam ex his refutatam opinionem Morini qui, lib. 9 *de Pœnitentia,* c. 18, scribit antiquos Patres existimasse blasphemiam in Spiritum Sanctum, neque a Deo, neque ab Ecclesia, veniam posse obtinere.

Obj. 4° : Solius Dei est remittere peccata, ut scribit Firmilianus, epist. ad S. Cyprianum, inter Cyprianicas 75. Item facilitas veniæ est incentivum peccandi : ergo.

Resp. ad primum, solius Dei esse remittere peccata principaliter et auctoritate propria ; sacerdotum autem ministerialiter et virtute sibi a Christo concessa ; alioquin nec per Baptismum peccata remitterent.

Ad secundum, dist. Facilitas veniæ indiscreta est incentivum peccandi, conc.; prudens et discreta, neg. E contra, « Si clauderetur aditus pœnitentiæ, inquit S. August., hom. 27 inter 50, nonne ille peccator tanto magis adderet peccata peccatis, quanto magis desperaret sibi ignosci ; diceret enim.... : Damnatus sum, quare jam non vivo ut volo ? »

§ IV.

Solvuntur objectiones recentiorum hæreticorum contra secundam et tertiam conclusionem.

Obj. 1° contra secundam conclusionem : Hæc Christi verba Matth. 18 : *Quæcumque solveritis,* etc., in quibus fundamus nostram conclusionem, intelliguntur de injuriis invicem condonandis ; referuntur enim ad præcedentia verba : *Si peccaverit in te frater tuus,* etc. Et ita interpretatur S. Aug., serm. 16 de Verbis Domini : ergo.

Resp. 1° conclusionem nostram non in his solis verbis fundari, sed et in verbis Christi Matth. 16 et Joan. 20 maxime, quæ intelligi non possunt de injuriis invicem condonandis. 2° Neg. ant. Verba enim immediate præcedentia

tia, ad quæ referuntur ea de quibus in objectione, sunt hæc : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus*, id est, excommunicatus ; ut enim Christus ostenderet quantam Ecclesiæ pastores potestatem habeant, ne quis repugnare audeat, subjungit : *Amen dico vobis, quæcumque ligaveritis*, etc.

Ad S. Augustinum : S. Doctor, tract. 22 et 49 in Joan., serm. 98, lib. 20 *de Civit.*, c. 9, et alibi, agnoscit hæc verba spectare potestatem absolvendi in sacerdotibus ; loco vero objecto, vult tantum extensione quadam ea pertinere ad singulos, quatenus Deus ratam habet condonationem quam faciunt injuriarum propriarum.

Inst. : Si ex his Christi verbis : *Quæcumque solveritis*, etc., colligitur potestatem absolvendi esse sacramentum : ergo ex his : *Quæcumque ligaveritis*, etc., colligitur pariter potestatem ligandi esse sacramentum : absurdum consequens : ergo et ant.

Resp. neg. sequelam, quia cætera non sunt paria : potestas solvendi confert gratiam, non potestas ligandi ; et ideo hæc, quamvis posset dici sacramentalis quatenus ordinatur ad sacramentum, non tamen potest dici aut esse sacramentum.

Obj. 2° contra eamdem : In antiqua lege non fuit sacramentum Pœnitentiæ : ergo nec est in nova lege.

Resp. neg. conseq. Quia, in antiqua lege, non est dictum : *Quorum remiseritis*, etc., sicut est in nova lege, et ita congruebat legi gratiæ, ut haberet sacramentum quo facilius remitterentur peccata quam in lege timoris ; sufficit enim nunc attritio cum sacramento, quæ olim non sufficiebat ad deletionem peccati.

Obj. 3° contra eamdem : In omni sacramento est aliquid quod est sacramentum tantum, aliquid quod est res et sacramentum, et aliquid quod est res tantum : atqui hæc non reperiuntur in Pœnitentia : ergo non est sacramentum.

Resp. 1° dogma fidei non pendere ab hac quæstione scholastica, circa quam Ecclesia nihil unquam definivit : unde licet hæc tria non haberentur in Pœnitentia, remaneret nihilominus sacramentum.

Resp. 2° neg. min. Etenim actus exteriores,[1] scilicet confessio et absolutio, sunt sacramentum tantum, pœnitentia interior est res et sacramentum, et remissio peccati res tantum.

[1] Hic q. 84, a. 1, ad 3.

Inst. : Quod est res et sacramentum causatur ab eo quod est sacramentum tantum, et causat seu saltem significat quod est res tantum : atqui pœnitentia interior non causatur ab exteriori, sed potius illam causat et præcedit, neque causat aut significat gratiam : ergo.

Resp. dist. min. Pœnitentia interior in ratione virtutis non causatur ab exteriori, sed potius illam causat, conc.; ut sacramentalis, seu quatenus ex sacramento et tanquam pars illius habet vim causativam gratiæ, neg. Ex confessione enim exteriori et absolutione sacerdotis, elevatur pœnitentia interior ad esse sacramentale, et qua talis concurrit suo modo ad effectum sacramenti; totum namque sacramentum, quod constat ex actibus externis et internis pœnitentis et absolutione sacerdotis, est causa effectiva gratiæ, cujus tamen collatio non tribuitur pœnitenti, sed soli sacerdoti, quia ille solus est minister sacramenti.

Obj. 4° contra tertiam conclusionem : In his Christi verbis Joan. 20 : *Quorum remiseritis*, etc., quæ sunt præcipuum conclusionis nostræ fundamentum, nihil aliud intelligitur quam præceptum Apostolis datum, remittendi peccata per Evangelii prædicationem et Baptismum, ita ut sit idem sensus illorum ac istorum : *Euntes ergo docete omnes gentes*, etc. Et ita intelligit S. Cyrillus, l. 12 in Joan., c. 56 : ergo.

Resp. neg. ant. Textus enim sunt omnino diversi, et diversus omnino sensus, posterior spectat duntaxat infideles, prior baptizatos. Quantum ad S. Cyrillum, non de solo Baptismo, sed etiam de Pœnitentia verba Joannis interpretatur ; « duobus modis », inquit. Require textum integrum tertia conclusione probatione prima. Et quamvis Christus hæc verba de sola remissione peccatorum per Pœnitentiam dixerit, voluit tamen S. Cyrillus enumerare omnes modos quibus Apostolis concessum est remittere peccata.

Inst. 1° : Omnis Ecclesiæ mundatio tribuitur Baptismo, Ephes. 5 : *Mundans eam lavacro aquæ :* item Matth. 16 : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit :* ergo.

Resp. hos et similes textus spectare primam mundationem et justificationem quæ fit dum infideles per Baptismum aggregantur Ecclesiæ, non secundam quæ per sacramentum Pœnitentiæ impertitur lapsis post Baptismum.

Inst. 2° : S. Fulgentius, lib. *de Fide* c. 30, vocat Baptismum sacramentum fidei et pœnitentiæ. Et de baptismo Joannis dicitur Luc. 3 :

venit prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum : ergo.

Resp. ad primum, ideo Baptismum vocari a S. Fulgentio sacramentum fidei et pœnitentiæ, quia in adultis, qui ante Baptismum peccaverunt, requiritur aliquis actus virtutis pœnitentiæ ad ejus susceptionem : unde S. Petrus, Act. 2 : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Ad secundum : Baptismus Joannis dicitur baptismus pœnitentiæ, quia non conferebat vi propria gratiam ut Baptismus Christi, sed tota vis ejus erat in pœnitentia ad quam hortabatur Joannes.

Inst. 3° : S. Aug., l. 1 *de Nuptiis et Concup.*, c. 33, dicit quod « lavacro regenerationis, non tantum peccata præterita, sed etiam posterius admissa remittantur » : ergo.

Resp. S. Augustinum intelligere per Baptismum remitti peccata sequentia, non formaliter et immediate, sed radicaliter, mediate et dispositive, quatenus est janua aliorum sacramentorum, et per illum reddimur capaces sacramenti Pœnitentiæ; ita seipsum explicat S. Doctor ibid. subjungens : « Quid enim prodesset, vel ante Baptismum pœnitentia, nisi Baptismus postea sequeretur, vel postea, nisi præcederet ? » S. Augustinum vero aperte distinxisse inter Baptismum et Pœnitentiam constat ex variis ejus textibus relatis in prima probatione tertiæ conclusionis.

Obj. 5° contra eamdem : Episcopatus differt in materia, forma et effectu, a presbyteratu; et tamen, secundum plurium sententiam, non est sacramentum distinctum a presbyteratu ; sed tantum quædam ejus extensio ad certa munia : ergo idem dicendum est de Pœnitentia respectu Baptismi. Item diversa est materia et forma in consecratione panis et vini, et tamen unum sacramentum : ergo idem quod prius.

Resp. ad primum, neg conseq. Disparitas est quod episcopatus in laudata plurium sententia non dicat specialem habitudinem ad Eucharistiam, unde petitur distinctio ordinum, sed eam supponit completam in sacerdote. Vide dicenda infra de episcopatu in tract. de Ordine. Ad secundum, neg. pariter consequentiam. Disparitas est quod utraque species in consecratione referatur ad eamdem refectionem spiritualem, eamdemque gratiam producat. Unde quamvis sit sacramentum materialiter duplex, est tamen formaliter unum ; at Baptismus et Pœnitentia referuntur ad diversos effectus : Baptismus ad regenerationem, Pœnitentia ad resuscitationem, seu ad regeneratorum reconciliationem. Insuper hæc et similia argumenta nihil ad rem faciunt, neque favent systemati hæreticorum ; numquid enim memoria presbyteratus in episcopatu, aut memoria consecrationis panis in consecratione vini causat gratiam, sicut dicunt memoriam Baptismi remittere peccata ?

ARTICULUS II.

DE MATERIA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

Duplex in sacramentis distinguitur materia : alia remota, alia proxima. Item alia circa quam versatur sacramentum, alia ex qua constituitur. Patebit ex dicendis.

Quæstio est itaque : 1° an peccata sint materia remota sacramenti Pœnitentiæ ? 2° quæ sit materia proxima ? 3° an materia proxima, quam dicimus esse actus pœnitentis, sit pars intrinseca sacramenti partim essentialis, partim integralis ?

Circa primum, non est difficultas. Circa secundum, lutherani comminiscuntur terrores conscientiæ incussos ex agnito peccato, et minis Evangelii, quos contritionem vocant, et fidem seu fiduciam conceptam ex Evangelio vel absolutione, qua quis credit peccata sibi per Christum esse remissa, esse materiam et partes hujus sacramenti. Calvinus, l. *Instit.*, c. 3, assignat duas Pœnitentiæ partes pro ejus materia, scilicet mortificationem, seu refrenationem vitiorum et vivificationem seu studium bene vivendi.

Circa tertium, scotistæ post suum ducem negant actus pœnitentis esse proprie materiam et partes intrinsece constituentes sacramentum, cujus totam essentiam in sola absolutione reponunt, eosque volunt esse duntaxat dispositiones insupplebiliter requisitas ad dignes acramentum suscipiendum, in quo omninodifferunt ab hæreticis. Pro harum difficultatum resolutione,

Dico 1° : Peccata post Baptismum commissa[1], ut detestanda et destruenda, sunt materia remota sacramenti Pœnitentiæ : mortalia, materia necessaria ; venialia, materia libera.

Probatur prima pars : Materia remota sacramenti [2] ea est circa quam versatur materia proxima : sic in Baptismo aqua est materia remota, quia circa eam versatur ablutio quæ est materia proxima : atqui materia proxima sacramenti Pœnitentiæ, scilicet actus pœnitentis, ut mox dicam, versatur circa peccata, de eis

[1] Hic. q. 84, a. 2, 0. [2] Ibid.

dolendo, ea detestando et destruendo : ergo.

Dixi 1°: Peccata post Baptismum commissa[1]: 1° ut excludatur peccatum originale, quia pœnitentia proprie non est nisi de his quæ nostra voluntate commisimus, quale non est peccatum originale ; si tamen pœnitentia latiori sensu sumatur, pro quacumque rei malæ præteritæ displicentia, potest dici pœnitentia de peccato originali; 2° ut excludantur peccata actualia Baptismum præcedentia, tum quia hæc per ipsum Baptismum delentur, tum quia potestas clavium non extenditur nisi ad eos qui Ecclesiæ per Baptismum subjiciuntur : unde Trid., sess. 14, cap. 1, declarat hoc sacramentum fuisse institutum « ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos. »

Dixi 2° : Peccata ut detestanda et destruenda ; quia peccata non sunt materia ex qua, sed circa, seu contra quam, sicut morbus est materia medicinæ. Et hoc sensu possent dici materia proxima, quia Pœnitentia immediate in ea agit ; attamen respectu partium, ex quibus integratur, sunt materia remota.

Secundam et tertiam partem definivit Trident., sess. 14, cap. 5 et can. 7, sed de hoc infra.

Dico 2° : Terrores conscientiæ incussi, quos lutherani contritionem vocant, et fides seu fiducia remissionis factæ peccatorum, non sunt materia, seu partes materiales sacramenti Pœnitentiæ.

Est de fide decisa in concil. Trid., sess. 14, c. 3, ubi damnat eos qui hos terrores et hanc fidem esse Pœnitentiæ partes contendunt ; et can. 4, his verbis : « Si quis dixerit duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata, anathema sit. »

Prob. 1° : Partes pœnitentiæ sunt actus pœnitentiæ : atqui isti terrores non sunt actus pœnitentiæ, sed motus naturales pueris et bestiis communes. Similiter fiducia remissionis factæ peccatorum non est actus pœnitentiæ, sed eam supponit, supponit namque remissionem factam, quæ non fit nisi per pœnitentiam. Insuper hæc fides seu fiducia est chimærica, ut late probavimus, dum de Justificatione. 2° Terrores et fides, si intelligatur de fide catholica, præcedunt pœnitentiam, et ad eam movent ; ex eo enim quod quis timet pœnas peccato debitas, movetur ad pœnitendum, et non timet pœnas, nisi quia habet fidem Dei vindicis. 3° Possunt esse terrores sine pœnitentia, ut in peccatoribus qui nec pœnitentiam agunt, nec agere incipiunt[1] ; et potest esse pœnitentia sine terroribus, ut in iis qui ex solo Dei et justitiæ amore convertuntur : ergo.

[1] Ib. a. 3.

Dico 3° : Mortificatio, seu refrænatio vitiosarum passionum, et vivificatio, seu studium bene vivendi in sensu calvinistarum, non sunt partes materiales pœnitentiæ. 1° Quia sequuntur pœnitentiam ; juxta illos enim sunt fructus fidei quam dicunt justificantem. 2° Pœnitentia est peccatorum duntaxat et pro peccatis : refrænatio autem passionum et studium bene vivendi sunt etiam justorum. Verum cum calvinistæ non agnoscant sacramentum Pœnitentiæ a Baptismate distinctum, non est quod iis immoremur.

Dico 4° : Manus impositio[1] non est materia proxima sacramenti Pœnitentiæ.

Prob. Quia neque ex S. Scriptura, neque ex traditione, erui potest manus impositionem esse materiam hujus sacramenti. Non ex S. Scriptura ; quia in locis ubi agitur de hoc sacramento, scilicet Matth. 16 et 18, et Joan. 20, nullatenus innuitur manus impositio pro materia. Non ex traditione ; quia licet olim fuerit adhibita et nunc a quibusdam aliquo saltem modo adhuc adhibeatur, tenendo manum elevatam versus pœnitentem, nunquam tamen reputata fuit materia hujus sacramenti, sed mera cæremonia ; quod patet, partim quia pluries fiebat in decursu ejusdem Pœnitentiæ, ut probat Morinus, lib. 6. *de Pœnit.*, c. 8 ; partim quia non solum episcopi et presbyteri, sed etiam inferiores clerici pœnitentibus manus imponebant, teste S. Cypriano, epist. 10 ; partim quia etiam post Eucharistiæ susceptionem imponebantur manus, ex concilio Carthag. 4, cap. 78. Unde Trid., post accuratum examen partium Pœnitentiæ, de manus impositione omnino silet.

Dico 5° : Actus pœnitentis, contritio, confessio et satisfactio, sunt proprie materia proxima sacramenti Pœnitentiæ, seu partes materiales ex quibus intrinsece componitur. Est communis contra scholam Scoti.

Prob. 1° ex conciliis : Florentinum in decreto Unionis : « Hæc omnia sacramenta, inquit, tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. » Et specialiter de sacramento Pœnitentiæ ibid. : « Quartum

[1] Q. 84. a 4. o.

sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est cordis contritio...., secunda est oris confessio..... tertia, satisfactio pro peccato. »

Concilium Trid., sess. 14, c. 3, ait : « Sunt quasi materia hujus sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio, qui, quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes Pœnitentiæ dicuntur. » Et in fine capitis sic concludit : « Hæc de partibus.... hujus sacramenti sancta synodus. » Eadem sessione, can. 4 : « Si quis, inquit, negaverit ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur...., anathema sit. » Vim facimus in his vocibus « materia et pars » : materia est essentialis et intrinseca composito, partes intrinsecæ toti quod componunt.

In omne latus se vertunt scotistæ, ut horum decretorum vim, si possint, infringant.

Dicunt 1° laudata concilia non definire actus pœnitentis esse simpliciter et proprie materiam, sed « quasi materiam. »

Resp. cum Catechismo Romano de Pœnitentia, num. 17, quod « hi actus quasi materia a S. synodo appellantur, non quia veræ materiæ rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sit quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, chrisma in Confirmatione. » Eodem modo loquitur S. Th., *Opusc.* 5, ex quo concilium Florent. suum decretum deprompsit, et tamen nemo negat S. Thomam habere actus pœnitentis pro vera et essentiali materia sacramenti.

Dicunt 2° concilia intelligenda esse de materia extrinseca. Ita Henno q. 3 in resp. ad object. 2.

Resp. 1° concilia loqui de materia hujus sacramenti, sicut loquuntur de materia aliorum sacramentorum : in aliis autem sacramentis, id quod habet rationem materiæ non est materia extrinseca circa quam versatur ritus sacramentalis, sed ejus pars. 2° Si actus pœnitentis non sit materia intrinseca hujus sacramenti, nulla ergo erit materia intrinseca; sine autem materia intrinseca quid fiet de forma quam adstruunt concilia? Neque dici potest cum Maldonato, subscribente hac in parte scotistis, quod absolutio prout exterius profertur, sit materia, et prout habet vim significandi, sit forma ; in sacramentis enim tam forma quam materia debet esse sensibilis, hæc autem significatio non est sensibilis. 3° Concilium decretorie definit hos pœnitentis actus esse partes pertinentes ad integritatem sacramenti, et, quod miraberis, id ipse Henno admiserat in præcedenti solutione ; materia autem extrinseca non est pars ad integritatem sacramenti requisita, sed quasi objectum illius.

Dicunt 5° hos actus vocari a concilio partes materiales sacramenti; quia sunt dispositiones prævie et insupplebiliter requisitæ, non ad integritatem substantialem sacramenti, sed ad integritatem effectus.

Resp. 1° : Si vera sit ista solutio, pari jure fides, spes, attritio erunt partes Baptismi, quæ etiam prævie et insupplebiliter requiruntur ad illius effectum. 2° Quando concilium agit de dispositionibus requisitis ad digne suscipienda alia sacramenta, non vocat illas materiam aut partes pertinentes ad eorum integritatem. 3° Concilium appellat hos actus partes materiales Pœnitentiæ, sicut verba absolutionis appellat formam; verba autem sunt vera forma hujus sacramenti : ergo et præfati actus veræ partes et non solum dispositiones prærequisitæ.

Dicunt 4° hos actus esse partes Pœnitentiæ, ut est totum integrale heterogeneum, sicut pes, caput, etc., sunt partes hominis; non ut est totum essentiale. Ita iterum Henno loco citato in resp. ad obj. 1.

Resp. 1° : Laudatus theologus videtur pugnantia loqui intra paucas lineas; dicit enim responsione sequenti, ut jam observavi, hos actus esse materiam extrinsecam. Si sint materia extrinseca, quomodo ergo sunt partes integrantes sacramenti, sicut pes et caput sunt partes hominis ? Cæterum gratulor doctissimo et ingenuo viro, qui veritati illucescenti oculos non claudit, hac sua responsione proxime ad nostram et communem sententiam accedit; licet, ut nobis videtur, longius a sententia Scoti recedat. Dicit doctor Subtilis in 4 d. 16, q. 1 : « De sacramento Pœnitentiæ dico quod ista tria (contritio, confessio et satisfactio) nullo modo sint partes ejus. » Item dicit hos actus requiri duntaxat ut hoc sacramentum « digne recipiatur » : atqui partes integrantes, ut ponit Henno, sunt « aliquo modo» partes et quidem intrinsecæ, et non meræ dispositiones ad dignam susceptionem sacramenti, sicut pes et numas, ut sistamus in exemplo, sunt « aliquo

modo » partes et quidam intrinsecæ, et non meræ dispositiones ad compositum humanum. Vim ergo apertam facit textui sui magistri theologus Franciscanus, quando dicit eadem q., conc. 2, ipsum non negare hos actus esse partes, sed esse partes essentiales. Enimvero pars integrans, etsi non essentialis, « aliquo modo » pars, sicut pes et manus sunt « aliquo modo » partes hominis; dicit autem formalissime Scotus: « Nullo modo est pars. » Item quod est pars integrans sacramenti non est mera dispositio ad sacramentum digne suscipiendum; dicit autem Scotus hos actus requiri duntaxat ut digne recipiatur sacramentum: et velim, si sic censuisset Scotus, quomodo aliter se explicuisset?

2° Fatemur sæpe dictos actus esse partes integrantes unam materiam totalem, quæ sit pars essentialis totius compositi: sic balsamum et oleum in Confirmatione, quæ est etiam totum heterogeneum, sunt partes integrantes unam materiam totalem quæ est essentialis sacramento: sicut, hæreamus exemplo adversarii, omnes partes corporis humani integrant unam materiam quæ est essentialis homini physice considerato; et sicut in corpore humano sunt quædam partes minus principales, sine quibus subsistit materia essentialis corporis humani, ut pes, manus, etc., aliæ magis principales, ut cor, caput, etc., sine quibus materia essentialis non subsistit ita in casu: satisfactio est pars minus principalis sine qua stat materia essentialis sacramenti; contritio autem et confessio partes magis principales, sine quibus non stat materia essentialis sacramenti, nec consequenter sacramentum.

Dicunt 5° Pallavicinium, l. 12 *Histor. Concil. Trid.*, c. 10, testari concilium ex industria dixisse actus pœnitentis esse « quasi materiam» hujus sacramenti, ut sententiam Scoti intactam relinqueret.

Resp. aliter censuisse Catechismi Romani auctores qui concilio adfuerant. Cæterum non asserimus sententiam Scoti esse in concilio damnatam; sed duntaxat arguendo probare contendinus eam minus cohærere cum mente, decretis et modo loquendi concilii: an id evincamus? Judicet lector.

Prob. 2° conclusio ratione thelogica: Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum actus et processus judicialis, ut patet ex locis citatis, Matth. 16, 18 et Joan. 20: atqui processus judicialis constat ex accusatione, defensione et satisfactione rei, tanquam ex materia, et sententia judicis tanquam ex forma complente et perficiente processum judicialem: ergo sacramentum Pœnitentiæ constat dolore, confessione et satisfactione pœnitentis tanquam ex materia, et absolutione seu sententia sacerdotis tanquam ex forma, sua expressiori significatione complente et perficiente ritum sacramentalem.

Confir. Pœnitentia non est recompensatio offensæ[1] præcise secundum arbitrium judicis, ut in justitia simpliciter vindicativa, sed secundum voluntatem offendentis et offensi, quia in Pœnitentia non tam requiritur redintegratio æqualitatis justitiæ, ut in justitia vindicativa, quam reconciliatio amicitiæ; est autem inter utramque discrimen, quod in prima satis sit reum pati pœnam a judice latam, sive spontanee, sive coacte, sive offensus sit ea pœna contentus, sive non: in secunda autem requiritur quod offendens ultronee recompenset secundum voluntatem ejus quem offendit: atqui ad hujusmodi recompensationem spontaneam ex parte offendentis, secundum arbitrium Dei offensi, concurrunt intrinsece tres actus assignati. 1° Concurrit voluntas compensandi in offendente, quod fit per contritionem. 2° Necesse est quod se subjiciat sacerdoti loco Dei offensi, quod fit per confessionem; 3° quod recompenset secundum arbitrium ministri Dei offensi, quod fit per satisfactionem: ergo.

Observandum inter has partes materiales sacramenti hoc esse discrimen, ut jam innui, quod contritio et confessio utique magis principales et formæ, nempe absolutioni præsuppositæ, sint essentiales; satisfactio vero in re, ut pars minus principalis et sacramentum essentialiter constitutum supponens, sit pars integralis illius tantum. Si tamen sumatur satisfactio in proposito, et ut connotata, est etiam pars essentialis sicut contritio; quia non potest esse contritio vera, quæ non includit propositum satisfaciendi.

Solvuntur objectiones contra quintam conclusionem.

Obj. 1° cum Henno: Florentinum et Tridentinum eodem modo loquuntur de satisfactione ac de contritione et confessione: atqui satisfactio non est pars essentialis: ergo.

Resp. 1° retorquendo argumentum: Atqui satisfactio est pars integralis, fatente objiciente: ergo etiam contritio et confessio: ergo iterum non sunt materia extrinseca, ut prætendit.

2° Verba conciliorum sunt intelligenda se-

[1] Hic. q. 90, a. 1, o.

cundum subjectam materiam, ita quod hi tres actus sint partes materiales Pœnitentiæ, eo modo quo esse possunt : certum est autem satisfactionem in re, quæ supponit sacramentum essentialiter constitutum, non posse esse partem ejus essentialem, secus contritio et confessio quæ formam sacramenti præcedunt.

Inst. Trid., sess. 14, cap. 4, docet contritionem esse dispositionem ad sacramentum cum fructu suscipiendum : ergo non est pars intrinseca illius.

Resp. dist. ant. Est dispositio ad sacramentum inadæquate sumptum pro absolutione, conc.; ad hanc enim cum fructu suscipiendam disponit; ad sacramentum adæquate sumptum pro composito ex materia et forma, neg.: sacramenti enim sic sumpti est pars intrinseca et essentialis. Est itaque dispositio et pars ejusdem diverso modo sumpti.

Obj. 2° cum eodem : Minister hujus sacramenti est sacerdos : atqui sacerdos ponit solam absolutionem : ergo tota hujus sacramenti essentia est sola absolutio, alias non esset minister sacramenti, sed tantum partis illius.

Resp. 1° retorquendo argumentum: Ergo tota sacramenti integritas est absolutio, alias non esset minister integri sacramenti, sed tantum partis illius. Illatio autem est contra objicientem qui admittit actus pœnitentiæ esse partes integrantes hujus sacramenti.

2° Neg. conseq. Quia is dicitur minister, causa, auctor alicujus compositi, non solum qui totum compositum producit, sed qui vel materiam, vel formam, vel utriusque unionem efficit tantum : sic ignis dicitur generare ignem, licet materiam non producat; sic homo dicitur generare hominem, licet formam, animam scilicet, non efficiat; sic latomus dicitur efficere album, licet nec parietem nec albedinem efficiat, sed utrumque tantum conjungat; sacerdos autem formam efficit qua materia perficitur et determinatur ad esse sacramentale, eamque materiæ applicat et unit; et hac ratione dicitur sacramenti minister.

Obj. 3° cum eodem : Illud est totum sacramentum quod ponit totum effectum sacramenti : atqui id facit absolutio : ergo. Prob. min. Sacramenta id causant quod significant : atqui absolutio significat peccatorum remissionem, quæ est effectus sacramenti : ergo.

Resp. dist. min. Id facit absolutio sola, neg.; absolutio cum aliis partibus, conc. Ad probat. similiter dist. min. Sola absolutio significat remissionem peccatorum, neg.; absolutio et actus pœnitentis, conc. Quamvis ergo clarius significetur remissio peccatorum per absolutionem, et ideo est forma, eam tamen etiam suo modo significant actus pœnitentis : contritio exterius expressa significat cor immutatum; confessio, peccata manifestando, significat ea excludi; denique satisfactio significat pœnæ remissionem, sicque totum aggregatum ex his actibus et absolutione significat ex institutione Christi effectum sacramenti.

Inferes cum eodem : Ergo pœnitens potest dici sibi gratiam conferre, sibi peccata remittere, et seipsum absolvere, quod non est actus rei, sed judicis.

Rep. neg. illationem : Quia actus pœnitentis non causant gratiam, ut sunt a pœnitente, sed ut elevantur a Deo ad rationem sacramenti : unde dici non potest quod pœnitens sibi conferat gratiam, sibi peccata remittat, se justificet, nisi valde improprie, et ad modum cujusdam instrumenti, non vero ut minister sacramenti. Sit paritas in sacramento Ordinis : contactus instrumentorum ab ordinando est pars essentialis hujus sacramenti, ut nunc suppono, non tamen ideo dicitur ordinandus proprie sibi conferre gratiam sacramenti : nullo autem sensu dici potest quod pœnitens seipsum absolvat, quia absolvere non est cooperari productioni gratiæ per modum instrumenti, sed per modum judicis, quod convenit sacerdoti respectu pœnitentis, non pœnitenti respectu sui.

Inst. : in aliis sacramentis productio gratiæ tribuitur, non solum formæ, sed etiam materiæ, ut in Baptismo, aquæ; in Confirmatione, chrismationi : ergo si pœnitens ponat sacramenti materiam, dici potest sibi conferre gratiam.

Resp. dist. conseq. ut ante : Potest dici sibi conferre gratiam improprie, et per modum instrumenti a Deo elevati, conc.; ut minister sacramenti, et ad modum judicis, neg.

Obj. 4° cum eodem : Hoc sacramentum est institutum per modum judicii : atqui judicium tantum importat principaliter sententiam judicis absolventis, reliqua autem tantum connotat, ut prærequisita ad justam sententiam : ergo. Prob. major. ex Trid., sess. 14, cap. 6, ubi declarat absolutionem sacerdotis esse « ad instar actus judicialis, quo ab ipso velut a judice sententia pronuntiatur. » Ex quo paulo infra infert objiciens hoc sacramentum, licet præsupponat in pœnitente dolorem et declarationem peccatorum, illam tamen non magis importare quam peccata.

Resp. 1° hunc theologum hoc argumento Tridentino et sibi aperte contradicere : Tridentino quod expresse declarat hos actus esse partes sacramenti ; sibi, qui, ut vidimus supra, fatetur esse etiam illius partes, saltem integrantes : quod sane dici non potest de simpliciter præsuppositis, nec a fortiori de peccatis. Insuper, ut dixi in confirmatione conclusionis, compensatio offensæ, quæ fit in hoc sacramento, non est præcise ad arbitrium judicis, ut in judicio forensi, sed secundum voluntatem offendentis et offensi : quod necessario importat actus pœnitentis, ut partes, prout probatum est.

2° Neg. majorem. Est enim hoc sacramentum, si adæquate sumatur pro materia et forma, institutum non per modum judicii, seu sententiæ judicialis, sed per modum processus judicialis, quod importat accusationem, defensionem et satisfactionem rei tanquam materiam, et sententiam judicis tanquam formam. Quæ autem profert objiciens ex Tridentino non probant contrarium ; quia concilium non loquitur de sacramento adæquate sumpto, sed de sola absolutione seu sententia sacerdotis, ut liquet ex textu.

Obj. 5° cum eodem : Trid., sess. 14, cap. 3, docet vim hujus sacramenti præcipue sitam esse in forma quam reponit in verbiss acerdotis, quod non dicit de aliis sacramentis : ergo sola forma est de ejus essentia.

Resp. neg. conseq. Imo contrarium sequitur ex antecedente : Si enim in hoc sacramento sit forma, est utique materia; non est enim forma sine materia : materia autem est essentialis composito. Item, si vis posita est præcipue in forma : ergo minus præcipue in materia. Et quamvis id non dicat concilium de aliis sacramentis, ita est tamen, ut mox dicam, neque ex argumento negativo aliquid probatur.

Instat : Si actus pœnitentis essent essentiales, in illis æque principaliter sita esset vis hujus sacramenti : ergo. Prob. ant. Efficacia habetur ab essentialibus : atqui nulla pars est magis essentialis altera : ergo.

Resp. neg. ant. Ad prob. dist. ant. Efficacia habetur ab essentialibus æque principaliter, neg.: plus vel minus principaliter, conc. Certum est enim in omnibus compositis vim esse magis principaliter sitam in forma tanquam in parte nobilior et totius perfectiva.

Obj. 6° : Sacramentum est signum sensibile : atqui contritio non est sensibilis : ergo.

Resp. dist. min. Contritio non est sensibilis per se, conc.; per accidens, neg. Est enim sensibilis per confessionem et alia signa exteriora pœnitentiæ quæ profert pœnitens.

Inferes : Ergo contritio est tantum pars sacramenti per accidens. Prob. illatio : Eo modo aliquid est pars sacramenti sensibilis, quo est sensibile : atqui contritio est tantum sensibilis per accidens : ergo.

Resp. neg. illationem. Ad probat. dist ant. Eo modo aliquid est pars sacramenti quo est sensibile per se vel per accidens, conc.; quo est sensibile per se tantum, neg. Sic consensus in Matrimonio est tantum sensibilis per accidens, et tamen est per se pars Matrimonii ; sic homo est aliquod totum sensibile, licet aliqua ejus pars, scilicet anima, sit tantum sensibilis per accidens.

Inst. : Contritio non minus requiritur ad Baptismum in adultis quam ad Pœnitentiam : atqui non est ideo pars Baptismi : ergo.

Resp. dist. maj. Contritio non minus requiritur ad Baptismum quam ad Pœnitentiam et eodem modo, neg; et diverso modo, conc. In Baptismo requiritur ut dispositio; in Pœnitentia ut pars : hoc autem discrimen petitur ex ipsa voluntate Christi qui in quibusdam sacramentis, ut in Baptismo, Confirmatione, etc., pro materia constituit aliquam substantiam corporalem ; in aliis, ut in Pœnitentia et Matrimonio, actus humanos : cujus rationem congruam adfert Auctor [1], quod in illis sacramentis, in quibus confertur excellens gratia, quæ superabundat omnem facultatem actus humani, adhibetur aliqua corporalis materia exterius ; sicut in Baptismo, ubi fit plena remissio peccatorum et quantum ad culpam et quantum ad pœnam, et in Confirmatione ubi datur plenitudo Spiritus Sancti, et in Extrema-Unctione, ubi confertur perfecta sanitas spiritualis. Unde si qui actus humani sint in talibus sacramentis, non sunt de essentia sacramentorum, sed dispositive se habent ad illa. Id illis autem sacramentis, quæ habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sunt loco materiæ, ut accidit in Pœnitentia et Matrimonio : sicut etiam in medicinis corporalibus, quædam sunt res exterius adhibitæ, sicut emplastra et electuaria ; quædam vero sunt actus humani, puta exercitationes quædam.

Obj. 7° : Potest administrari sacramentum Pœnitentiæ absque confessione, ut moribundo subito obmutescenti et sensibus destituto : ergo.

[1] Hic q. 84, a. 1, ad 1.

Resp. 1° hoc argumentum esse pariter solvendum scotistis qui dicunt confessionem esse insupplebiliter requisitam. 2° Dist. ant. Potest administrari sacramentum Pœnitentiæ sine confessione formali et explicita, conc.; sine confessione virtuali et implicita, neg. Debet enim dolor internus per aliqua signa exteriora seu nutus manifestari, ut habeatur materia sensibilis; hæc autem signa exteriora subeunt vicem verborum, suntque virtualis petitio sacramenti et aliqualis peccatorum confessio. Quæ autem signa requirantur et sufficiant? dicemus dum de confessione.

Obj. 8°: Materia præsupponitur formæ: atqui satisfactio non præsupponitur formæ, scilicet absolutionis, sed eam sequitur : ergo.

Resp. dist. maj. Materia quæ est pars essentialis præsupponitur formæ, conc.; quæ est pars integralis tantum, neg. Videmus enim in ipsis naturalibus, v. g., in nutritione, partes integrantes, ut dentes, cornua, etc., accrescere et informari eadem anima quæ illis præsupponitur. Satisfactio autem est materia Pœnitentiæ per modum partis integrantis tantum, suoque modo informatur ab absolutione, quatenus ex ea recipit vim remittendi pœnas ex opere operato.

Obj. 9° : Omnes partes totius constitutivæ debent esse simul : atqui contritio aliquando præcedit confessionem, confessio absolutionem et satisfactio aliquando diu post adimpletur : ergo.

Resp. dist. maj. In toto permanente et physico, conc.; in toto morali et successivo, quale est in nostro casu, neg. Talis enim simultas partium ad illud requiritur qualis intercedere solet, v. g., inter accusationem rei, ejus defensionem, sententiam judicis et sententiæ executionem, ex quibus integratur unus actus seu processus judicialis ; hæc autem simultas est moralis, sicut totum est morale. De his tribus partibus dicemus seorsim infra.

Ex dictis, et supponendo quod articulo sequenti dicam, verba absolutionis esse formam hujus sacramenti, colliges ipsum supponere pro aggregato ex actibus pœnitentis et absolutione sacerdotis. Item recte definiri physice : Confessio dolorosa peccatorum post Baptismum commissorum, facta legitimo ministro, absolvente sub præscripta verborum forma; metaphysice autem seu logice : Sacramentum a Christo institutum significativum et collativum gratiæ, peccatorum post Baptismum commissorum remissivæ.

ARTICULUS III.

DE FORMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

Tria hic quærimus totidem §§. Primum quæ sit forma hujus sacramenti ? Secundum, quis sit ejus sensus? Tertium, an forma deprecatoria sit valida?

§ I.

Quæ sit forma hujus sacramenti?

Dico 1° : Forma conveniens et legitima sacramenti Pœnitentiæ [1] est hæc : *Ego absolvo te a peccatis tuis in nomine Patris, etc.*

1° Hanc formam tradunt concilium Florentinum et Tridentinum ; Florentinum in decreto Unionis his verbis : « Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert cum dicit : Ego te absolvo, etc. » Trid., sess. 14, cap. 3 : « Docet præterea s. synodus sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo, etc. »

2° Fundatur in S. Scriptura [2]. Sicut enim Dominus dixit discipulis Matth. ultimo : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, etc.* : ita dixit eisdem Matth. 18 : *Quodcumque solveritis, etc.* : atqui sacerdos vi priorum Christi verborum dicit : Ego te baptizo : ergo vi posteriorum debet dicere : Ego te absolvo.

3° Ratione probatur [3]. Forma sacramenti debet significare id quod in sacramento agitur proportionaliter ad materiam sacramenti, significant enim sacramenta novæ legis quod efficiunt : atqui hæc forma : Absolvo te, significat id quod peragitur in hoc sacramento proportionaliter ad materiam : ergo. Prob. min. In hoc sacramento removentur peccata quæ sunt illius materia et quædam vincula, juxta illud Proverb. 5 : *Impius funibus peccatorum suorum constringitur* : atqui id significant hæc verba : Absolvo te a peccatis tuis : ergo.

Dices : Sacerdos ad ligandum non dicit : Te ligo, licet Christus pariter dixerit : *Quodcumque ligaveritis, etc.* : ergo neque ad solvendum debet dicere : Te absolvo.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod, cum ligare non sit gratiæ collativum, non fiat per confectionem sacramenti, sed per denegationem absolutionis ; secus solvere.

Inst. Ad absolvendum ab excommunicatione, non requiruntur hæc verba : Absolvo te,

[1] Hic q. 84, a. 3, o. [2] Ibid. in a. s. c. [3] Ibid. o.

sed quæcumque alia sufficiunt : atqui tamen potestas absolvendi ab excommunicatione est ex iisdem Christi verbis : *Quodcumque solveritis, etc.* : ergo nec requiruntur ad absolvendum a peccatis.

Resp. neg. iterum conseq. Disparitas[1] est quod absolutio a censuris non sit sacramentalis, ideoque permissa arbitratui hominum, ita ut ad illam sufficiant quæcumque verba intentionem absolventis exprimentia, imo nutus, vel etiam familiaris conversatio cum excommunicato : at absolutio a peccatis est sacramentalis, ac proinde non hominum arbitratui permissa, sed juxta Christi institutionem per Ecclesiam ejus sponsam ad nos transmissam observanda.

Dico 2° : Hæc duo sola verba : *Absolvo te*, sunt essentialia formæ hujus sacramenti. Est communior.

Imprimis certum est pronomen *Ego* non esse essentiale formæ hujus sacramenti, sicut nec in forma Baptismi, sufficienter enim exprimitur in το *Absolvo*. Conveniunt etiam communiter theologi hæc verba : *In nomine Patris, etc.*, non esse essentialia ; quia id neque ex S. Scriptura, neque ex traditione et sensu communi Ecclesiæ eruitur. Est autem difficultas circa hæc verba *a peccatis tuis*. Itaque

Probatur : Hæc sola verba : *Absolvo te*, omissis : *A peccatis*, significant principalem effectum sacramenti, scilicet absolutionem a peccatis : ergo hæc sola sunt essentialia formæ. Prob. ant. Licet hæc forma: *Absolvo te*, sit secundum se indifferens ad significandam absolutionem a peccatis vel a censuris, hoc ipso tamen quo profertur super pœnitentem qui peccata sua confessus est, et subjecit jurisdictioni sacerdotis, per hanc circumstantiam determinatur ad significandam absolutionem a peccatis; sententia enim, quæ supponit cognitionem hujus causæ et non alterius, cadit determinate super hanc causam cognitam, et non super alteram, et ita determinate significat absolutionem a vinculis in judicio probatis : sic etiam in judicio humano sufficit, si judex, audita et cognita causa rei, proferat in eum sententiam absolutionis, aut condemnationis, non expresso crimine, licet moris sit ut singula exprimantur ad majorem horrorem et detestationem : ergo.

Tandem hæc duo : Absolvo te, esse essentialia patet, quia omissa voce : Absolvo, non exprimitur actus judicialis seu sententia judicis, omisso te, non exprimitur persona circa quam exercetur judicium, nec intelligitur absolutio a peccatis, quia non intelligitur *a peccatis*, nisi in quantum absolvitur is qui peccata sua confessus est.

Dices 1° : Christus, Joan. 20, expressit peccata : *Quorum remiseritis peccata* : ergo.

Resp. neg. conseq. Quia το *absolvo* in usu hujus sacramenti determinatur per confessionem peccatorum, ut dictum est, non in ejus institutione. Aliunde Christus non expressit peccata quando dixit Matth. 16 et 18 : *Quodcumque solveritis*.

Dices 2° : Concilium Florentinum et Tridentinum, quando definiunt formam absolutionis sitam esse in his verbis, addunt, etc.: ergo censent aliqua saltem ex sequentibus esse essentialia.

Resp. neg. conseq. Ideo enim hanc particulam, etc., addiderunt, vel ut abstraherent a controversia theologorum circa particulas *a peccatis*, vel ut significarent eas, licet non essentiales, non debere tamen omitti ; si enim has pauculas voces essentiales censuissent, dubio procul expressissent in decreto, sicut in formis aliorum sacramentorum, omnia etsi plura et longiora exprimunt. Cætera argumenta circa particulas *a peccatis* præoccupata sunt in probatione conclusionis.

Dices 3° : In Baptismo et Confirmatione essentialis est expressio Trinitatis : ergo et in Pœnitentia.

Resp. neg. conseq. Disparitas petitur ex voluntate Christi quæ nobis per Ecclesiæ traditionem et communem sensum innotescit. Ratio congrua vero est quod Baptismus sit professio fidei, cujus præcipuum objectum est Trinitas, et Confirmatio est corroboratio ad eamdem fidem confitendam, neutrum Pœnitentia.

CONSECTARIA.

Ex dictis colliges : 1° Quamvis probabilius sit validam esse absolutionem sub his solis verbis : *Absolvo te*, esse tamen illicitam, et graviter peccare qui omitteret *a peccatis*, quia non est certum ista verba non requiri; ita ut, istis omissis, repetenda foret absolutio sub conditione. Omittere autem expressionem Trinitatis, multi volunt esse peccatum veniale; dicit tamen S. Th. hic ad 3 id « relinqui arbitrio sacerdotis », quod non diceret, si existimaret ejus omissionem esse peccatum veniale. Similiter quidam volunt esse peccatum veniale omittere quæ præcedunt et sequuntur, sci-

[1] Opuscul. 22, c. 2.

licet : « Misereatur, Dominus noster, Passio », etc., alii nullum esse peccatum. Arbitramur ea omittere nulla prorsus subsistente causa esse peccatum veniale : nullum vero si aliqua causa, etsi non gravis, adsit : unde in Rituali Romano Pauli V legitur quod in concessionibus frequentioribus et brevioribus possit omitti *Misereatur,* et satis sit dicere : *Dominus noster,* etc., usque ad *Passio*, etc.

Colliges 2° absolutionem prolatam sub forma æquivalenti esse validam, illicitam tamen : hinc valeret si diceretur : *Remitto, condono tibi peccata, absolvatur talis a peccatis,* etc., quia remanet idem sensus, sicque est tantum mutatio accidentalis. Observat Cajetanus absolutionem datam in plurali honoris causa, esse etiam validam, sed illicitam.

Colliges 3° formam absolutionis debere necessario verbis exprimi, nec sufficere nutus aut alia signa, 1° quia hanc esse voluntatem Christi probat communis et unanimis sensus Ecclesiæ ; 2° quia in omnibus aliis sacramentis forma debet verbis exprimi ; excipitur solum Matrimonium, quod cum sit contractus, nutus ad illud sufficiunt ; 3° quia Florentinum reponit formam in verbis quæ « profert » minister, et Tridentinum in ministri « verbis », quæ aperte indicant formam esse necessario verbis exprimendam.

Nec obstat in judicio forensi sententiam posse ferri scripto ; non enim judicium sacramentale convenit in omnibus cum forensi : sic in sacramentali idem est reus, accusator, testis et defensor ; non sic in forensi ; in sacramentali, pœnitenti pro se et contra se dicenti creditur ; non in forensi.

§ II

Quis sit sensus horum verborum : Absolvo te.

Dico 1° : Sensus horum verborum : Absolvo te, non est : remitto pœnas peccatis debitas.

Prob. 1° : Christus dixit : *Quorum remiseritis peccata ;* et in forma Pœnitentiæ dicitur : *Absolvo te a peccatis* : atqui pœna distinguitur a peccato et ad illud sequitur : ergo. 2° Juxta Tridentinum, sess. 6, cap. 15 : « Pœna æterna..... una cum culpa remittitur » : si ergo sacerdos non remittat culpam, nec remittit pœnam æternam. 3° Juxta idem concilium, sess. 14, cap. 1, sacerdotes habent potestatem « ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos » ; reconciliatio autem fit per remissionem culpæ, et non solius pœnæ.

Confirm. ex sequentibus propositionibus damnatis in Baïo : « In sacramento Baptismi, aut sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati duntaxat tollitur et ministerium sacerdotum solum liberat a reatu » : est 57. Idem 58. Per reatum vero ipsum solam pœnam intelligere patet ex 56 propositione etiam damnata, in qua dicitur : « In peccato duo sunt actus et reatus ; transacto autem actu, nihil remanet, nisi reatus, sive obligatio ad pœnam. »

Dico 2° : Sacerdos per verba absolutionis [1] non solum declarat seu ostendit peccata esse remissa, sed ea vere remittit. Est contra Magistrum sententiarum, et quosdam antiquos, necnon contra novos hæreticos, quamvis diverso sensu locuti fuerint.

Prob. 1° ex concilio Trid., sess. 14, can. 9, sic definiente : « Si quis dixerit absolutionem sacramentalem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti....., anathema sit » ; et cap. 3 : « Res et effectus hujus sacramenti, quantum ad ejus vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo. »

Prob. 2° ex S. Chrysostomo, l. 3 *de Sacerdotio,* c, 6 : « Corporis, inquit, lepram purgare, vel, ut verius dicam, ne purgare quidem, sed purgatum ostendere, Judæorum sacerdotibus licebat ; at vero nostris sacerdotibus, non corporis lepram, sed animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. »

Prob. 3° : Sacramenta [2] novæ legis non solum significant, sed efficiunt quod significant ; hæc enim est præcipua differentia quam Florentinum statuit inter sacramenta novæ et antiquæ legis, quod hæc significent tantum, prima autem significent et efficiant : atqui hæc sacramenti Pœnitentiæ forma : Absolvo te, significat remissionem peccatorum : ergo illam efficit. Confirm. Hæc Baptismi forma : Ego te baptizo, non solum significat hominem interius ablutum, sed illum abluit : ergo hæc : Absolvo te, non solum declarat hominem absolutum, sed vere absolvit.

Prob. 4° : Potestas clavium, seu ligandi et solvendi, data est ministris Ecclesiæ, ut jam dixi et dicam : atqui si declarent duntaxat peccatores absolutos et non solvant, frustranea est ista potestas, æque enim, imo melius, id declarare poterit quilibet prudens et doctus, cui perspecta erit conscientia pœnitentis, quam plures Ecclesiæ ministri : ergo.

Itaque sensus naturalis horum verborum :

[1] Hic. q.4, a. 84, ad 5, et Opuscul. 22, c. 1, 2, 3. [2] Ib.

Absolvo te a peccatis, attenta significatione quam habent ex institutione hominum est hic: Remitto seu condono tibi peccata; [3] sensus autem sacramentalis seu significatio quam habent ex institutione Christi a quo omnia sacramenta habent, quod sint significativa et collativa gratiæ, est hic: Sacramentum absolutionis tibi impendo, hoc est, confero tibi sacramentum, quantum est ex se absolutivum a peccatis, et collativum gratiæ; seu, ut alii volunt, et in idem redit: Confero tibi, quantum est ex parte mea et sacramenti, gratiam peccati remissivam. Quapropter verificatur forma, etiamsi defectu subjecti gratia de facto non conferatur; item si feratur super peccata jam confessa et remissa, præsertim cum eo in casu amplior detur gratia.

Dices 1°: Quando Christus, Luc. 7, dixit mulieri peccatrici: *Remittuntur tibi peccata*, declaravit tantum esse remissa; fuerant enim prius remissa per hæc verba: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: ergo similiter in casu.

Resp. 1° neg. conseq. Non est enim necesse quod, si verbum remittendi in uno loco sumatur significative tantum, ita et in alio, et eo maxime quod in loco citato per verba priora supponerentur peccata remissa, non sic in nostro casu. 2° Dici potest quod hic sermo, secundo prolatus, sit confirmatio prioris remissionis; quasi dixisset: Remissa sunt; vel quod: per priora verba insinuarentur peccata mox remittenda, per sequentia vero, reipsa remitti.

Dices 2°: S. Hieronymus super illud Matth. 16: *Tibi dabo claves*, etc., hæc habet: « Hunc locum quidam non intelligentes aliquid servant de supercilio pharisæorum, ut damnare innoxios, vel solvere se putent noxios; cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed eorum vita quæratur. In Levitico se ostendere sacerdotibus jubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos vel mundos, sed discernunt qui mundi vel immundi sint »: ergo.

Resp. S. Hieronymum comparare sacerdotes evangelicos legalibus, non in hoc quod sicut legales non mundabant a lepra, sed ostendebant tantum et discernebant mundatos, ita evangelici non absolvunt, sed ostendunt tantum absolutos; sed in hoc comparat quod sicut sacerdotes legales non poterant pro suo arbitrio discernere inter lepram et non lepram, sed juxta causæ merita; ita sacerdotes novæ legis non possunt pro suo arbitrio quos voluerint absolvere vel ligare, sed debent expendere merita et dispositionem cujusque, et dispositos absolvere, indispositos non absolvere; alioquin nihil efficiunt, cum sacramenta operentur suos effectus in subjectis dispositis.

Dices 3°: Lazarus peccatori comparatur: atqui Lazarus fuit a Christo prius suscitatus quam discipulis solvendus traderetur: ergo.

Resp. comparationem illam Lazari cum peccatore[1] esse moralem, non litteralem, ideoque ex illa firmum argumentum desumi non posse. Non igitur in hoc stat comparatio quod sicut Christus Lazarum resuscitavit, et viventem tradidit Apostolis solvendum, ita resuscitat peccatorem, et ipsum jam viventem absolvit sacerdos; sed in hoc quod sicut Lazarum magna voce e sepulcro vocavit, et vocatus fuit a discipulis solutus: ita nos per gratiam actualem prævenientem magna voce clamando vocat e tumulo peccatorum, inquit S. Aug., tract. 10, in Joan., adhuc reos tamen, sed solvendos a sacerdotibus.

Quando igitur idem S. Aug. alibi et alii Patres dicunt peccatores prius a Deo vivificari quam a sacerdotibus solvantur, sacerdotes posse curare viventes, non excitare mortuos et similia, non loquuntur de vita seu vivificatione perfecta per gratiam justificantem, sed de vita imperfecta per gratiam excitantem, quæ inchoat vitam animæ per aliquem actum supernaturalem ad quem movet peccatorem; hanc enim duplicem vivificationem admittendam esse constat ex propositione sexagesima damnata inter Baianas.

§ III.

Utrum absolutionis forma deprecatoria possit esse valida?

Adhibendam esse formam deprecatoriam in sacramento Pœnitentiæ tenuit olim antiquus scriptor quem impugnat S. Th. *Opus*. 22. Hujus opinionem penitus antiquatam sæculo præcedenti suscitavit Joannes Morinus, presbyter Oratorii, l. 8 *de Penit.*, quem avide secuti sunt quidam recentiores Juenin, Vitasse, Vanroy, Tournely, Piette, etc. Fatentur equidem nunc in ecclesia Latina, post concilii Florentini et Tridentini definitiones, necessario adhibendam esse formam indicativam seu absolutam, et deprecatoriam non sufficere; at contendunt duodecim prioribus sæculis valuisse; apud Græcos vero semper valuisse et etiamnum valere. Fundantur præsertim in antiquis

[1] Hic 15.

[1] Opusc. 22, 6. 2.

monumentis, quæ, ut putant, nonnisi formam deprecatoriam referunt; contra quos pro sententia D. Th. et communiori

Dico : Probabilius et formam simpliciter deprecatoriam in sacramento Pœnitentiæ [1] non posse esse validam.

Prob. 1° ex S. Scriptura et verbis Auctoris[2]: « Christus non dixit: Quæcumque petieris esse solvenda, erunt soluta, sed ; Quæcumque solveris : si ergo illa tantum dicuntur esse soluta, quæ habens claves solverit, qui autem petit aliquid esse solvendum non solvit; miror qua temeritate aliquis asserat esse solutum, quem habens claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum. »

Prob. 2° : Concilium Florentinum in decreto Unionis, et Trid., sess. 14, cap. 3, definiunt formam hujus sacramenti sitam esse in his verbis sacerdotis : Ego absolvo te. Addit Trid. ibid: « De Ecclesiæ more quasdam preces laudabiliter adjungi, ad ipsius tamen formæ essentiam non pertinere, neque ad ipsius sacramenti admistrationem esse necessarias » : ergo.

Respondet Tournely, equidem post has definitiones, preces non amplius pertinere ad essentiam formæ, pertinuisse tamen olim antequam Ecclesia formam absolutam adoptaret; quia, ut prætendit iste theologus, Christus non determinavit formam hujus sacramenti, an deberet esse absoluta vel deprecatoria, sed id determinandum reliquit Ecclesiæ; et sic ea est forma essentialis quam Ecclesia pro tempore elegit : sicut, inquit, contigit in Matrimonio, quod, ante Tridentinum clandestine contractum, erat validum, nunc est nullum.

Sed contra 1° : forma sacramenti, quæ aperte colligitur ex ejus institutione, una est ubique invariabilis, saltem quoad sensum, nec determinationi Ecclesiæ relicta, ut patet in forma Baptismi et Eucharistiæ : atqui hæc forma : Absolvo te, aperte colligitur ex verbis institutionis : *Quodcumque solveritis*, etc., non minus quam ista forma Baptismi : Baptizo te, ex his verbis : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, etc. : ergo sicut ista est una ubique et invariabilis, saltem quoad sensum, nec relicta determinationi Ecclesiæ, ita nec prima.

2° Hæc doctoris Parisiensis responsio non cohæret cum ejus et assectarum doctrina ; dicunt enim formam deprecatoriam, non obstantibus his definitionibus, etiam nunc valere in ecclesia Græca : atqui tamen laudata concilia definierunt tanquam fidei dogma formam esse absolutam, non pro ecclesia Latina tantum, sed pro Græca : definitiones enim fidei spectant totam Ecclesiam, et præsertim decretum Florentinum, quod specialiter pro Græcis fuit editum : ergo, si consequenter loquantur, debent reputare invalidam formam deprecatoriam apud Græcos, quod tamen negant; sicque responsio Tournely videtur illusoria.

Exemplum Matrimonii quod affert non est ad rem : 1° Quia Ecclesia, irritando Matrimonium clandestinum, non mutavit formaliter materiam Matrimonii determinatam a Christo, quæ semper fuit et adhuc est nunc contractus validus; hunc solum enim Christus elevavit ad rationem sacramenti ; sed effecit tantum quod contractus, qui antea erat validus, non esset amplius validus, quod non est mutare materiam Matrimonii formaliter, sed materialiter tantum; sicut si quis verteret vinum in acetum, non mutaret formaliter materiam sacrificii, sed materialiter tantum, quatenus faceret quod res, quæ erat materia sacrificii, non sit amplius res quæ sit materia sacrificii. Et hinc 2° lex irritans Matrimonium clandestinum est lex disciplinæ tantum, quæ non obligat nisi ubi est promulgata et recepta, et ideo Matrimonium clandestinum adhuc est validum in locis in quibus non est promulgatum aut receptum Tridentinum ; at definitiones fidei, quales sunt quæ spectant formas sacramentorum in S. Scriptura fundatas, vim habent in tota qua late patet Ecclesia.

Prob. 3° : Juxta S. Scripturam et Trid., sess. 14, c. 6 et can. 9. absolutio sacramentalis est actus judicialis quem exercet sacerdos, et quo ab ipso velut a judice sententia pronuntiatur : atqui sententia judicialis nec est nec esse potest deprecatoria ; etenim judicare seu sententiam ferre est actus habentis et exercentis auctoritatem ; deprecari autem actus supplicantis, adeo ut implicet eumdem actum esse judicialem et deprecatorium simul et sub eadem ratione : ergo.

Multa excogitat Tournely ut ab hoc argumento se expediat. Admittit majorem, sed ad min. dicit 1° quod cum sacerdos, non propria, nec suprema, sed precaria et ministeriali auctoritate judicium exerceat, tacitam saltem orationem fundat ; 2° quod in pronuntianda excommunicatione actus judicii pariter exerceatur, quæ tamen aliis quam indicativis verbis potest pronuntiari. 3° Ex eo quod Christus dederit Apostolis potestatem absol-

[1] Opusc. 22, c. 1, 2 et 3. [2] Ibid. c. 2.

vendi a peccatis, non sequitur hanc potestatem debere exerceri verbis indicativis, siquidem potestatem, quam pariter Apostoli acceperant sanandi infirmos, fere semper exercuerint deprecatorie.

Sed contra : Ad primum : Formæ omnium aliorum sacramentorum, excepta Extrema-Unctione, sunt dicto sensu oratio tacita; in iis enim, sicut in Pœnitentia, sacerdotes non agunt propria et suprema auctoritate, sed precaria et ministeriali tantum, et tamen nemo ideo unquam dixit has formas esse deprecatorias.

Ad secundum : Neque pronuntiatio excommunicationis, neque absolutio ab excommunicatione, cum sint actus judiciales, possunt esse deprecatoriæ, nisi apparenter, et quoad syllabas, quæ nihil operantur, quia in negotio censurarum non requiritur aliqua forma, sed totum pendet ab intentione superioris. Unde quibuscumque verbis, signis aut nutibus suam intentionem manifestet, hæc semper manet actus judicialis, et non deprecatorius; et quem, amabo, deprecabitur prælatus ferens excommunicationem, aut ab excommunicatione absolvens ? At in absolutione a peccatis, non solum intentio, sed forma debet esse judicialis, sacramentalis et operativa ex institutione Christi, sicque ea, quam Christus instituit, et quam ex illo Ecclesia definivit, servanda est.

Ad tertium : 1° Neg. paritatem. Disparitas est quod sanatio infirmorum non sit actus judicialis, sicut absolutio sacramentalis a peccatis. 2° Respondet Auctor, quod Apostolis non est data potestas[1] ut ipsi sanarent infirmos, sed ut ad eorum orationem infirmi sanarentur; est autem eis collata potestas operandi instrumentaliter, sive ministerialiter in sacramentis. Et ideo magis possunt in formis sacramentalibus exprimere actum suum, quam in sanationibus infirmitatum in quibus tamen non semper modo deprecativo utebantur, sed quandoque modo indicativo et imperativo, sicut Act. 3 legitur, quod Petrus dixit claudo : *Quod habeo hoc tibi do : In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula.*

Favent etiam huic conclusioni quæ dixi § præcedenti.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° ex Patribus : S. Ambrosius, lib. 3 *de Spiritu Sancto,* cap. 8 : « Homines, inquit, in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent.... isti rogant, divinitas donat. » S. Aug.; lib. 2 *de Bapt.*, cap. 6 : « Manus impositio (quæ supra pœnitentes fieri solebat) non sicut in Baptismo repeti non potest; quid enim aliud est nisi oratio super hominem ? » S. Leo. epist. 82, alias 92 : « Indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequit obtineri ». Idem S. Hieron. in Psal. 28 : ergo.

Resp. 1° ad S. Ambrosium, homines non exercere jus potestatis alicujus scilicet supremæ, sed ministerialis et delegatæ. 2° Idem S. Ambros. et alii Patres quandoque vocant absolutionem sacramentalem orationem seu supplicationem, quia cum sacerdotes non absolvant virtute suprema et propria, sed ministeriali et precaria, eorum ministerium est quædam tacita supplicatio, ut Deus ratum habeat quod faciunt, ut ipse Tournely dicebat supra, et ita in aliis sacramentis ; ex quo tamen non sequitur formas sacramentorum esse deprecatorias. 3° Quandoque etiam SS. Patres vocant absolutionem sacramentalem, orationem et supplicationem ratione precum quæ illam comitantur : sicque ipsimet adversarii Juenin, Tournely, etc., explicant Patres, dum dicunt consecrationem fieri supplicationibus sacerdotum, id est, concomitanter et dispositive, in quantum sine precibus non peraguntur divina mysteria, non vero formaliter.

Obj. 2° quosdam scholasticos antiquos, qui labente sæculo XII et ineunte XIII floruerunt, imprimis scriptorem quem impugnat S. Th. *Opusc.* 22, et alios quos citat ipse scriptor, Guillelmum Altissiodorensem, Guillelmum Parisiensem et Hugonem cardinalem, adde Petrum Cantorem, circa annum 1200, et Franciscum Mayronis, circa annum 1300, qui refert formam deprecatoriam suo tempore in usu fuisse in provincia Provinciæ : ergo.

Resp. 1° verbis S. Th. :[1] « De his quod ita senserint non constat; sed etsi sic senserunt, numquid eorum opinio præjudicare poterit verbis Domini dicentis Petro : *Quodcumque solveris,* etc. ? Numquid etiam, si nunc viverent, præjudicare possent communi sententiæ magistrorum Parisiis regentium, qui contrarium sentiunt, decernentes absque his verbis: Ego te absolvo, absolutionem non esse per solam deprecativam orationem ? »

2° Isti doctores possunt intelligi, quod sacerdotes non auctoritate suprema et propria, sed precaria tantum et ministeriali absolvant,

[1] Hic q. 34, a. 3, ad 4.

[1] Opusc. 22, c. 2.

ideoque absolutioni orationem præmittant. Hunc sensum patiuntur verba Guillelmi Parisiensis quæ sola refert Tournely.

3° Observandum est plures scholasticos tunc temporis in ea opinione fuisse quod homo per contritionem Deo reconciliaretur et justificaretur, per absolutionem vero reconciliaretur Ecclesiæ, pœna liberaretur, et gratia augeretur : unde dum dicunt formam absolutionis esse deprecatoriam, intelligunt respectu remissionis peccatorum, et gratiæ justificantis. Ita innuit S. Bonaventura in 4 d. 18, p. 1, art. 2, q. 1. De Francisco Mayronis mox dicam.

Inst. Scriptor, quem oppugnat S. Th. Opusc. 22, dicit : « Vix anni triginta elapsi sunt cum omnes sola forma deprecativa uterentur » : ergo.

Resp. quod sicut S. Doctor illi fidem non adhibet, nec nos adhibemus, et merito ; nam Alexander Alensis scholasticis, quos citat iste scriptor, coætaneus aut suppar, in Summa p. 4, q. 21, tradit formam indicativam, ut perpetuo Ecclesiæ usu firmatam : formam deprecativam circa id tempus damnaverant communi sententia magistri Parisienses, ut refert S. Th., et ejus usum seu potius abusum, qui irrepserat apud quosdam sacerdotes in provincia Provinciæ improbarunt episcopi, ut refert Franciscus Mayronis prius laudatus. Porro si forma deprecatoria fuisset usurpata in Ecclesia usque ad sæculum decimum tertium jam inchoatum, ut fingit iste anonymus, neque episcopi, neque doctores illius temporis usum tot sæculis in Ecclesia consecratum improbassent et damnassent. Denique quam falsum sit et temerarium illius assertum, mox patebit apertius in secunda responsione ad sequens argumentum.

Obj. 3° ritualia pœnitentialia, sacramentalia et pontificalia ante annum millesimum scripta, quæ solam formam deprecativam exhibent : inter quæ recensentur Pontificale Egberti, episcopi Eboracensis, Anglicanum, Rhemense, sacramentarium S. Gregorii, Ordo Romanus, etc.: ergo.

Resp. 1° formulas illas deprecatorias, quæ in illis antiquis ritualibus, sacramentariis et pontificalibus referuntur, non spectare absolutionem Sacramentalem, sed canonicam : quod patet, partim quia plurima ex illis hunc proferunt titulum : « *Orationes ad reconciliandos peccatores feria quinta in Cœna Domini ;* partim quia ritus, qui in illis describuntur, sunt valde prolixi et pluribus orationibus constantes, et quod præcipuum est, orationes illæ frequenter repetuntur, cum forma sacramentalis sit brevis et nunquam, nisi repetita materia, repetatur.

2° Objicientes non sat attente legerunt hæc antiqua monumenta quæ opponunt, cum etiam in eis legatur forma sacramentalis absoluta. In Pontificali Egberti sub finem legitur : « Absolvimus vos vice B. Petri, Apostolorum principis, cui Dominus potestatem ligandi atque solvendi dedit », etc. In Anglicano : « Ego immeritus et peccator episcopus hanc absolutionem, manu, ore, corde confirmans, omnipotentis Dei clementiam imploro. » Ubi το *confirmans* vim habet formæ indicativæ. In Ordine Romano : « Nos etiam secundum auctoritatem nobis indignis a Deo concessam, absolvimus vos ab omni vinculo delictorum vestrorum. » In Sacramentario Gregoriano asservato in Bibliotheca Victoriana Parisiensi : « Absolvimus te vice B. Petri, Apostolorum principis, cui Dominus potestatem ligandi atque solvendi dedit. » In Rhemensi MSS., teste Menardo : « Ego divinitus vos absolvo a vinculo peccatorum vestrorum. » Nec te moveat, quod dicatur in plurali : Absolvimus et vos, hic enim usus tunc temporis frequens erat honoris causa. Hucusque de ecclesia Latina ; nunc de Græca.

Obj. 4° : Omnia euchologia seu ritualia Græcorum non referunt, nisi formam deprecativam , ut hanc apud Arcudium natione Græcum, cap. 4 *Concord.* : « Domine Jesu Christe qui dedisti nobis potestatem, absolve hunc a peccatis suis »; et istam in Eucologio edito a nostro P. Goar in partibus Orientalibus missionario : « Dominus Jesus Christus remittat tibi omnia quæ coram mea tenuitate confessus es » ; et similes. Ita objiciunt juniores ex Morino, qui etiam testatur se interrogasse sacerdotem Græcum de forma absolutionis, sibique ab eo responsum fuisse hanc esse communem apud Græcos : « Ipse, Domine, remitte, dimitte, condona peccata hujus N., quia est tua potentia, et tuum regnum Patris», etc.

Confirm. maxime ex instructione Clementis VIII anno 1595 super ritibus Græcorum, ubi hæc leguntur : « Utantur forma absolutionis in generali concilio præscripta, et postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam quam pro forma absolutionis dicere tantum consueverunt » : ergo ante hanc instructionem nunquam obtinuerat forma absoluta apud Græcos.

Resp. 1° Ut argumentum ex eucologiis Græcorum petitum vim aliquam haberet, de-

beret probari imprimis hæc eucologia mansisse incorrupta, quod non est verisimile inter tot turbines, scissiones et schismata Græcorum : item in illis agi de absolutione sacramentali, et non de canonica, quod neque probabile est, cum istæ precationes in quibus objicientes reponunt formam sacramentalem sæpius repetantur, quod dici non potest de absolutione sacramentali.

2° Fatetur equidem Arcudius in Eucologio Græcorum formam deprecativam haberi, sed addit peritiores Græcos ea non uti, sed hac : Humilitas mea condonatum habet filium suum in omnibus. Item plures alias formas Græcorum absolutas refert, ut hanc : Ego quoque pater tuus spiritualis potestate mihi a Deo, et a superioribus meis concessa te absolvo ab omnibus peccatis tuis; et istas : Habeo te venia donatum, habeo te absolutum. Idem testatur Menardus in Sacramentario Gregoriano : hæ autem voces : *Donatum, absolutum,* in istis formulis non sumuntur pro præterito, sed pro præsenti, ut cum dicimus : *Habeo te excusatum,* id est, te excuso. Insuper probat Arcudius Russos, Ruthenos, Chiovienses et alios Græcorum uti forma absoluta, additque eos qui utuntur deprecatoria recedere ab institutis majorum et non absolvere.

Quantum ad Eucologium P. Goar, illud caligantibus oculis legerunt objicientes ; in eo enim post precationes habetur, pag. 678 : « Insuper ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis, quæcumque confessus es coram Deo, et coram indignitate mea » : et paulo infra eadem pagina : « Ego vero condono tibi omnia peccata tua. »

3° Probat Arcudius formas Græcorum, quæ videntur deprecativæ, non esse mere deprecativas, sed habere sensum absolutum, et æquivalere formæ indicativæ Latinorum ; quia attentis circumstantiis tribunalis et personæ a qua et in quam profertur absolutio, item attento quod potestatis sibi concessæ mentionem prius faciant per hæc verba : *Quæcumque solveritis,* etc., vel per ista : Domine Jesu Christe qui dedisti nobis potestatem, absolve hunc; his, inquam, attentis, dum dicunt : Absolve hunc, intendunt applicare virtutem et actionem principalis agentis, et sensus est : Absolve hunc per me, vel per ministerium meum, sive : Absolve, Domine, principaliter, quem, potestate a te mihi concessa, absolvo ministerialiter ; ita ut forma illorum practice et in actu exercito sit absoluta. Et certe cum nulla unquam extiterit controversia inter Græcos et Latinos circa formam hujus sacramenti, non est verisimile eam esse ullibi diversam, aut mutatam, ac proinde consequens est, ut utrinque usurpata sibi correspondeat, vel formaliter, vel æquivalenter. Atque hoc sensu intelligi potest responsum sacerdotis Græci factum Morino ; sin minus, dicendum quod testis unus sit testis nullus, cui opponimus et Arcudium etiam natione Græcum, et P. Goar in ritibus Græcis peritissimum.

Ad confirmat. resp. cum Delugo, Henno et novissime Berti, ideo Clementem VIII Græcis, quos instruebat, præscripsisse formam concilii Florent., quia deprecatoria, qua utebantur, erat invalida ; si enim censuisset validam summus Pontifex, ut quid absolutam jussisset, et postea deprecatoriam adjungi tantum permisisset? Unde ipso suo telo confodiuntur arguentes. Ex hoc vero quod Græci quos instruebat Clemens VIII uterentur forma deprecatoria, non sequitur quod omnes Græci ea uterentur; sicut ex eo quod quidam Græci contenderent consecrationem fieri precibus, non sequitur omnes Græcos in ea opinione fuisse, ut alibi diximus ; idque evidens est in nostro casu ex testimoniis Arcudii, et P. Goar variisque Græcorum formulis, quas supra retulimus.

Obj. 5° : Forma Extremæ-Unctionis, in qua etiam peccata remittuntur, est deprecativa : ergo similiter forma Pœnitentiæ.

Resp. neg. conseq. 1° Quia forma deprecativa Extremæ-Unctionis exprimitur in S. Scriptura Jacobi 5 : *Oratio fidei salvabit infirmum.* E contra forma indicativa Pœnitentiæ exprimitur : *Quodcumque solveris,* etc. 2° Pœnitentia est ad instar actus judicialis, non Extrema-Unctio. 3° In Extrema-Unctione expectatur salus corporis, quæ non certo confertur, et ideo petitur ; in Pœnitentia vero expectatur salus animæ, quæ certo confertur, quantum est ex parte sacramenti.

Si demum objicias Deum potuisse remittere peccata per formam deprecativam, resp. potuisse, sed noluisse. Vel dist. ant. : Potuit simpliciter et absolute, conc.; judicialiter, neg.

ARTICULUS IV.

DE INSTITUTIONE, NECESSITATE, ET ITERATIONE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

§ I.

Quandonam fuerit institutum hoc sacramentum.

Dico : Christus sacramentum Pœnitentiæ[1]

[1] Sup. q. 8, a. 1. ad. 1.

tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt,* Joan. 20. Sunt verba conc. Trid., sess. 14, c. 1.

Prob. insuper: Tunc Christus instituit sacramentum Pœnitentiæ [1], quando contulit Apostolis potestatem judiciariam absolvendi, vel condemnandi juxta merita delinquentis; est enim hoc sacramentum spirituale tribunal ad judicialiter condemnandum vel absolvendum, consequenter cum cognitione causæ quæ habetur per confessionem rei: atqui hanc potestatem contulit Joan. 20, ut patet ex terminis: ergo. Quæ contra confessionem apponunt hæretici, diluuntur infra.

Dixi in conclusione cum Trid.: *Præcipue*, quia Matth. 16 et 18 promissa fuit hæc potestas his verbis: *Quodcumque solveritis*, etc., non tamen concessa, quia tunc Apostoli nondum erant sacerdotes.

Dices: Ecclesia in ordinatione sacerdotum confert illis potestatem dimittendi peccata: atqui Apostoli ordinati sunt sacerdotes in ultima cœna: ergo.

Resp. neg. conseq. Quod enim Ecclesia simul confert, Christus potuit separatim conferre; sacerdotium namque præcise, quantum ex se, confert tantum potestatem in corpus Christi verum et naturale; ut autem habeatur in corpus Christi mysticum, requiritur quædam hujus potestatis extensio, quam confert Ecclesia in ordinatione presbyterorum.

§ II.

Utrum hoc sacramentum sit necessarium ad salutem?

Dico: Sacramentum Pœnitentiæ in re [2] vel in voto saltem implicito, est necessarium ad salutem necessitate medii lapsis post Baptismum.

Prob. 1° ex Trident., sess. 14, cap. 2, ubi sic legitur: « Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum, ad salutem est necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus »: atqui Baptismus est nondum regeneratis necessarius necessitate medii, ut ante dictum est: ergo.

Prob. 2°: Salus haberi non potest sine peccatorum remissione [3], peccata autem non possunt remitti nisi medio per Christum instituto, ipse enim principaliter peccata dimittit: atqui sacramentum Pœnitentiæ est unicum medium a Christo institutum remissionis peccatorum post Baptismum commissorum: ergo. Prob. min. Quamvis per alia sacramenta possent deleri peccata post Baptismum commissa, ad id tamen neque per se concurrunt, sed per accidens, neque primario sunt instituta sed secundario tantum; per se enim, et primario instituta sunt ad causandam secundam gratiam, sicque per se supponunt remissionem peccatorum, ut dictum est de sacramentis in genere: ergo.

Confirm. Datæ sunt ministris Ecclesiæ claves regni cœlorum, hoc est, potestas remittendi, vel retinendi peccata in hoc sacramento, ut patet ex § præced. et ex art. 1 hujus dissert., patebitque ex alibi dicendis: atqui frustranea esset hæc potestas, si peccatores possent alia via reserare sibi fores regni cœlorum, et obtinere remissionem peccatorum; quis enim tunc ad hoc sacramentum accederet? Imo nec possent in eo retineri peccata, cum ibi retenta possent alia via remitti. Unde S. Aug., serm. 49, inter 50, nunc 392: « Agite, inquit, pœnitentiam, qualis in Ecclesia agitur, ut oret pro vobis Ecclesia; nemo dicat: Occulte ago, apud Deum ago: ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ, frustramus Evangelium, frustramus verba Christi, promittimus vobis, quod ille negat. »

Dixi 1°: In re vel in voto; quia contritio perfecta extra sacramentum, cum sit ultima dispositio ad gratiam, semper importat justificationem, non tamen sine voto sacramenti in ea incluso: unde Trid., sess. 14, cap. 4, docet « reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. » Et ideo quamvis sit remissum peccatum per contritionem, remanet adhuc onus confessionis.

Dixi 2°: In voto saltem implicito, prout scilicet includitur in contritione perfecta, vel etiam aliquando in attritione, ut in casu martyrii; istud namque sufficere videtur, cum possit contingere, quod quis eliciat actum perfectæ contritionis, quo justificabitur, absque eo quod cogitet de confessione sive ex inadvertentia, aut oblivione naturali, sive ex ignorantia invincibili.

Si dicas: Votum implicitum aliorum sacramentorum et præceptorum includitur etiam in contritione et tamen ista non dicuntur necessaria necessitate medii in voto, sed præcepti tantum: ergo.

[1] Ibid. [2] Hic q. 84, a. 5, 0. [3] Ibid.

Resp. dist. ant. Votum implicitum aliorum præceptorum includitur etiam in contritione, et eodem modo, neg.; diverso modo, conc. Disparitas est ergo, quod cum sacramentum Pœnitentiæ sit specialiter institutum, ut medium ad remissionem peccatorum post Baptismum commissorum, contritio, seu alter actus justificans, dicit intrinsecum ordinem ad illud, et dependentiam ab illo, estque ejus vicarius, non sic de aliis sacramentis et præceptis propter oppositam rationem. Confer quæ dixi de necessitate Baptismi, dissert. 3, art. 1, obj. 5.

Dices contra conclusionem : Ex necessitate hujus sacramenti aggravatur jugum Christi, et fit gravius quam in veteri lege, in qua sine illo contritio sufficiebat. Item fuisset utilius fidelibus, et animarum saluti magis consultum, si pro libitu ad istud sacramentum accederent, qnam si necessitentur : ergo.

Resp. ad primum, neg. ant. Es tenim longe gratius et suavius posse cum sola attritione in hoc sacramento justificari, quam sine illo cum perfecta contritione, quippe quæ multo difficilius habetur quam attritio.

Ad secundum: Hoc sacramentum non solum animarum salutem respicit, sed etiam honorem Dei in illo vindicandum. Insuper si arbitrio fidelium esset commissum, vix aut ne vix illud frequentarent, ut jam observatum est. Denique fuit conveniens, ut per aliquod signum exterius religionis peccata post Baptimum commissa remitterentur; sicut ante commissa per ipsum Baptismum remittuntur, et in veteri lege peccatum originale per circumcisionem.

§ III.

Utrum hoc sacramentum sit pluries iterabile ?

Vidimus art. 1 hujus dissert. [1] novatianos docuisse post primam pœnitentiam quæ agitur in Baptismo, peccatum non posse per pœnitentiam iterato restitui. Alii vero fuerunt hæretici de quibus S. Aug., lib. *de Pœnit.*, c. 5, qui dicebant post Baptismum esse quidem utilem pœnitentiam, sed semel tantum. Contra quos

Dico : Sacramentum Pœnitentiæ est pluries iterabile [2].

Ita docet Trid., sess. 14, cap. 2, dicens : « Ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, ut per sacerdotum sententiam, non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possint liberari. »

Prob. 1° : Homo inducitur ad misericordiam exemplo divinæ misericordiæ [1], secundum illud Luc. 6 : *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est:* atqui Dominus hanc jubet misericordiam discipulis, ut sæpius remittant fratribus contra se peccantibus. Unde, Matth. 18, quærenti Petro : *Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei, usque septies ? Dicit illi Jesus : Non dico tibi usque septies, sed usque septuagesies septies* : ergo etiam Deus sæpius per Pœnitentiam veniam peccantibus præbet, præsertim cum doceat nos petere : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

Prob. 2° evertendo fundamentum hæreticorum [2]: Ideo hæretici, de quibus antea, negabant Pœnitentiam posse iterari, quia putabant adeo esse grave peccatum, quod admittit aliquis post veniam impetratam, quod non sit possibile ipsum remitti : atqui in hoc errabant dupliciter, et ex parte peccati, et ex parte infinitæ misericordiæ Dei : ex parte peccati, quia licet peccatum relapsis ratione ingratitudinis ingravescat, potest tamen ante impetratam veniam alia ratione esse gravius ; ex parte infinitæ Dei misericordiæ quæ superat omnem numerum et magnitudinem peccatorum, secundum illud Psal. 50 : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam,* quod refertur ad gravitatem peccati ; *Et secundum multitudinem miserationum tuarum,* quod spectat numerum peccatorum, *dele iniquitatem meam.* Unde reprobatur verbum Cain dicentis, Genes. 4 : *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* : igitur misericordia Dei peccantibus per Pœnitentiam veniam præbet sine termino.

Hanc fidei veritatem multis testimoniis S. Scripturæ et rationibus probat Soto in 4 q. 1, a. 10. Vide si lubet.

Obj. 1°: Apost., Heb. 6, dicit : *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati... rursus renovari ad pœnitentiam* : ergo.

Resp. ibi sermonem esse de Baptismo non iterando [3]. Vide ampliorem explicationem art. 1 hujus dissertat., obj. 2.

Obj. 2°; S. Ambros., l. 2 *de Pœnit.*, c. 2 : « Reperiuntur, inquit, qui sæpius agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Christo : nam si vere in Christo pœnitentiam agerent, iterandam postea non putarent, quia

[1] Ibidem a 10, o. [2] Ibid.

[3] Ibid. in a. s. c. [4] Ibid. a. [5] Ibidem ad 1.

sicut unum est Baptisma, ita et unica est Pœnitentia » : ergo.

Resp. S. Ambrosium loqui de pœnitentia publica[1], et solemni quæ non iterabatur, sive ad terrorem incutiendum, sive ad scandalum vitandum.

Obj. 3° : Sanationes corporales, quas fecit Christus, significant sanationes spirituales : atqui non legitur bis eumdem resuscitasse, aut sanasse : ergo.

Respondet S. Aug., lib. *de Pœnit.*, c. 5, quod ideo non scribitur aliquem [2] nisi semel sanasse, ut quilibet timeat jungi peccato ; multos tamen et cœcos, et claudos, et leprosos, et debiles diversis temporibus sanavit, ut significaret eidem peccata sæpe posse dimitti : « Medicum se vocat, et non sanis, sed male habentibus opportunum ; sed qualis sit hic medicus qui malum iteratum nesciret curare ? Medicorum est infirmum centies curare, qui cæteris minor esset, si aliis possibilia ignoraret. »

Obj. 4° : S. Greg., hom. 34 in Evang. : « Pœnitentia, inquit, est ante acta peccata deflere, et flenda iterum non committere. » Et S. Isidorus, l. 2 *de Summo Bono* : « Irrisor est et non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet : » ergo qui vere pœnitet, non iterum peccat, atque ideo Pœnitentia non est iterabilis.

Resp. dist. conseq. Ergo qui vere pœnitet [3] non iterum peccat, dum actu pœnitet, conc. conseq. ; postquam pœnituit, neg. conseq. Igitur, ut dicit S. Greg., pœnitentia est ante acta peccata deflere, et tunc dum flet, neque actu peccare, neque propositum habere peccandi ; ille enim esset irrisor et non pœnitens, ut dicit S. Isidorus, qui dum actu conteritur, id agit quod pœnitet, aut se facturum proponit quod gessit et cujus pœnitere videtur, aut aliud peccatum ; sed quod etiam semel, postquam pœnituit, relabatur, non excludit quin pœnitentia præterita fuerit vera ; veritas enim prioris actus per subsequentem contrarium non excluditur ; sicut enim vere cucurrit qui postea sedet, ita potest vere pœnituisse, qui postea peccat.

At quamvis hæc verissima sint, attamen forsan illi Patres, ut observat Soto, voluerunt præterea docere genus quoddam irrisionis esse quotidie pœnitere, et quotidie ad volutabrum reverti ; frequens enim relapsus indicium quoddam est propositum non fuisse legitimum et firmum.

Obj. 5° : Sicut Baptismus habet efficaciam a passione Christi, ita Pœnitentia : atqui Baptismus, quia fuit unica mors Christi et passio, non iteratur : ergo nec Pœnitentia.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod Baptismus habeat virtutem a passione Christi, sicut quædam generatio spiritualis, quia illic commorimur Christo : unde sicut statutum est hominibus semel mori, ita et semel nasci ; sed Pœnitentia habet virtutem ex passione Christi, ut quædam medicatio spiritualis, quæ frequenter iterari potest.

Obj. 6° : Facilitas veniæ præbet incentivum peccandi. Responsum est supra art. 1 id verum esse de facilitate indiscreta, non discreta et prudenti. Addo ex S. Aug., cap. 3, Hom. 27, inter 50 : « Ne desperando augeamus peccata, propositus est Pœnitentiæ portus ; rursus ne sperando augeamus, datus est dies mortis incertus. »

DISSERTATIO II.

De Pœnitentia secundum quod est virtus.

D. Th. q. 85.

ARTICULUS I.

UTRUM PŒNITENTIA SIT VIRTUS SPECIALIS ET QUÆ ?

Suppono contra novatores virtutem pœnitentiæ non solum importare resipiscentiam, seu propositum novæ vitæ, sed etiam odium, detestationem, dolorem et expiationem præteritæ.

Ita declarat Trid., sess. 14, cap. 4, constatque ex S. Scripturis et Patribus, Joel. 2 : *Convertimini ad me*, inquit Deus, *in toto corde vestro, in jejunio et in fletu et in planctu, et*

[1] Ibidem ad 2. [2] Ibidem ad 5. [3] Ib. ad 4.

scindite corda vestra. Isaïæ 38 : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Idem probant pœnitentia Davidis et Ninivitarum, lacrymæ Petri et mulieris peccatricis. Idem SS. Patres : Aug. epist. 54 *ad Macedon.* : « Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id quod mali fecit, impunitum esse non sinat. » Greg. Hom. 34 : « Pœnitentiam agere est ante acta mala plangere et plangenda non perpetrare. »

Neque juvat hæreticos quod Pœnitentia græce dicatur μετανοια quæ latine redditur *resipiscentia;* id quidem verum est secundum etymologiam nominis, non secundum ejus significationem : usurpatur namque a Græcis ad significandum non solum resipiscentiam sed etiam odium, dolorem et expiationem peccati : sic Lactantius, lib. *Divin. Instit.*, cap. 24 : « Resipiscit, inquit, et mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ, confirmatque subinde ad rectius vivendum. » Et S. Basilius, Orat. 3 *de Siccitate*, pœnitentiam Ninivitarum quæ fuit in jejunio, sacco et cinere, vocat μετανοιαν.

Hæc nunc sufficiant de ista quæstione, redibit enim et explicatius elucidabitur infra, dum probabimus, dimissa culpa peccati, remanere pœnam temporalem luendam : idem dum dicemus de necessitate satisfactionis. Jam ad quæstionem propositam

Dico 1° : Pœnitentia est virtus.[1]

Prob. 1° : Dantur præcepta de actibus virtutum :[2] atqui datur præceptum de Pœnitentia, Matth. 3 : *Pœnitentiam agite :* ergo.

2° Virtus est habitus electivus[3] secundum rationem in mediocritate consistens : atqui talis est pœnitentia; ergo. Prob. min. pœnitentia assumit dolorem moderatum de peccatis cum intentione ea removendi; quod omnino rationi consentaneum est; si enim esset immoderatus dolor, induceret in desperationem, sicut pœnitentia Cain et Judæ : ergo. Intellige dolorem, non qui est in appetitu sensitivo, nec ad rationem pertinet, et ideo non est virtus, sed passio; sed qui est in voluntate, quique est cum electione, et ideo pertinet ad rationem.

Dico 2° : Pœnitentia est virtus specialis.[4]

Prob. 1° : Quia de ea datur præceptum speciale,[5] ut dictum est. 2° Quia ubi occurrit specialis actus laudabilis et difficilis, ibi necesse est ponere specialem virtutem; quia habitus sunt propter actus et distinguuntur per illos : atqui in pœnitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis et difficilis, scilicet operari ad destructionem peccati in quantum est offensa Dei, eamque digna satisfactione reparare : ergo.

Confirm. Virtus cujus objectum est speciale distinctum ab objectis aliarum virtutum, est virtus specialis, quia habitus virtutum specificantur ab actibus et objectis : atqui objectum pœnitentiæ est tale : ergo. Prob. min. Objectum pœnitentiæ est offensa Dei expiabilis, seu jus divinum reparabile per satisfactionem, quæ non sit ad æqualitatem perfectam : atqui tale objectum est speciale distinctum ab objecto cujusvis alterius virtutis, ut per singula discurrenti patebit : ergo.

Porro ad majorem hujus conclusionis et totius præsentis materiæ intelligentiam pluriumque instantiarum solutionem, sedulo observandum est plures rationes in peccato mortali distingui.

1° Peccatum mortale est malum morale bono honesto ut sic repugnans; et quia ab eodem principio procedunt amor boni et odium mali oppositi, ideo dolor et odium peccati sub ratione mali moralis a sola voluntate procedat, supposita Auctoris sententia, quod voluntas sine habitu addito sibi sufficiat ad prosecutionem boni ut sic. De quo alibi dixi.

2° Peccatum est malum divinum, seu divinæ bonitati contrarium, divinam amicitiam dissolvens, et sub hac ratione peccatum odit charitas.

3° Peccatum est malum ipsius hominis quem bono rationis nudat, jure ad beatitudinem omnibusque virtutibus et donis spoliat; et sic peccatum odio habet vel voluntas in amorem sui satis sua sponte propensa, ut jam dixi, vel charitas proximi quæ bene ordinata incipit a seipsa; vel potius spes quæ cum bonum divinum et æternam beatitudinem amore concupiscentiæ amet, æternam proinde miseriam et hujus miseriæ causam, peccatum scilicet, detestatur.

4° Peccatum est aliquod speciale malum alicujus specialis virtutis honestati repugnans : v. g., ebrietas honestatem temperantiæ, adulteriam honestatem castitatis, furtum honestatem justitiæ extinguit; et sub hac ratione singulari spectatum peccatum quælibet virtus ipsi opposita odit et fugit, sive præsens, sive futurum, sive præteritum.

5° Denique peccatum est injuria et offensa Dei, non quatenus est summum bonum, sed quatenus est supremus Dominus habens jus

[1] Hic q. 8°, a. 1, o. [2] Ibid in a. S. c. [3] Ibid. o. [4] Ibid. in arg. s. c. et o. [5] Ibid. a. 2, o.

non jurisdictionis duntaxat, sed proprietatis in omnes hominum actiones, ut ad eum tanquam ad ultimum finem referantur, quæ injuria seu offensa sit ab homine expianda et reparanda ; et sub hac ratione peccatum immediate respicit pœnitentia, quæ tamen ab aliis virtutibus et maxime a charitate omnium regina imperari potest; sed illos actus elicere quibus Deo supremo legislatori et Domino offenso satisfacit, atque occurrentes difficultates vincere, ad specialem virtutem pœnitentiæ pertinet, quæ proinde specialis virtus censenda est, quantumvis ad objecta omnium aliarum virtutum se extendat, quia illa respicit sub motivo proprio, adeo diversa formaliter in ratione objecti.

Ex his attente perpensis et cum probationibus conclusionis collatis, habes refutatas omnes alias opiniones et difficiliores objectiones solutas. Hinc namque

Colliges 1° pœnitentiam non esse conditionem generalem omnium virtutum, neque, ut voluit Alensis, esse virtutem generalem aggregatione multarum virtutum ; quia licet pœnitentia detestetur omnia peccata opposita omnibus virtutibus, non tamen ut sunt illis contraria, sed sub aliqua ratione speciali, scilicet ut sunt offensæ divini juris expiabiles per inæqualem satisfactionem.

Colliges 2° pœnitentiam distingui a charitate [1], quia licet utraque respiciat et odio habeat peccatum, sub diversa tamen ratione formali; charitas detestatur peccatum ut oppositum divino bono et malum Dei præcise : pœnitentia vero detestatur illud ut offensionem divini juris emendabilem et reparabilem per satisfactionem, adeoque licet sit idem objectum materiale, est diversum formale.

Dices 1° : Charitas etiam operatur ad destructionem peccati ; habitus enim intendens bonum operatur ad destructionem mali oppositi : ergo nulla differentia.

Resp. dist. ant. Charitas etiam operatur ad destructionem peccati ut oppositi bono divino quod unice amat, conc. ant. ; ut opposito divino juri compensabili per satisfactionem, neg. ant.

Repones : Qui eliceret actum charitatis perfectæ, vel haberet perfectum dolorem de peccato ut est malum Dei præcise, omnino et absolute destrueret peccatum : ergo superfluit pœnitentia ut distincta virtus.

Resp. neg. conseq. Quia iste perfectus actus charitatis virtualiter et eminentialiter includeret actum pœnitentiæ, in quantum charitas odit

[1] Ib. ad. 1.

peccatum ex altiori et perfectiori motivo, qui tamen actus pœnitentiæ formalis et proprius deberet esse, si præceptum urgeret et facultas adesset ; sicut enim licet charitas virtualiter adimpleat totam legem, non tamen superfluunt aliæ virtutes morales, quæ specialia præcepta adimplent ex specialibus motivis.

Dices 2° : Actus contritionis est præcipuus pœnitentiæ actus : atqui est a charitate : ergo.

Resp. dist. min. Est a charitate imperative[1], conc. ; elicitive, neg.

Repones : Contritio est dolor de peccato propter Deum in se summe bonum et dilectum : atqui talis actus est a charitate elicitive : ergo. Prob. min. Amor boni propter Deum, ut summe bonum et summe dilectum, est amor charitatis : ergo e contrario dolor mali, etc.

Resp. dist. maj. Contritio est dolor de peccato propter Deum summe bonum et summe dilectum ; ita ut τo *propter* dicat motivum imperans et accidentaliter intrinsecum, conc. maj. ; ita ut dicat motivum specificans et essentiale, neg. Originatur ergo contritio et imperatur a charitate, et hoc sensu dicitur propter Deum summe bonum et summe dilectum, formaliter autem et essentialiter est de peccato propter jus divinum læsum reparabile per satisfactionem.

Replicabis : τo *propter* dicit motivum specificans et essentiale : ergo. Prob. ant. Contritio differt specie essentiali ab attritione : atqui non per hoc quod contritio sit propter jus divinum læsum reparabile, cum id ipsum habeat attritio, sed per hoc quod contritio sit propter Deum, ut summum bonum et summe dilectum ; attritio autem propter turpitudinem peccati, seu metum pœnarum : ergo.

Resp. huic argumento varias a variis adhiberi solutiones : 1° quidam negant contritionem differre essentialiter ab attritione, sed accidentaliter tantum, et ex principio extrinseco : ita Contenson l. 11, p. 3, dissert. unica, spec. 2, § *Divisio contritionis*. 2° Alii concessa maj. distinguunt min. sic : contritio differt ab attritione per hoc quod contritio sit propter Deum summe dilectum præcise secundum se, neg. ; prout τo *bonitas et dilectio* modificatur per expiabilitatem et satisfactionem peccati, conc. Sic, v. g., adulterium distinguitur essentialiter a simplici fornicatione in genere luxuriæ, non præcise quia est ad non suam, quia sic esset extra materiam luxuriæ, sed quatenus τo *non sua* modificat materiam luxuriæ, et ex

[1] Ib. ad. 1.

lidibine sic effrenatur, ut non curet injustitiam committere. Ita Joannes a S. Th., hic a. 1. 3° Alii denique sic distinguunt minorem : ita ut divina bonitas sit conditio sine qua non objecti contritionis, conc.; ita ut sit ejus objectum formale, neg. Hæc solutio affinis est præcedenti. Verum hoc argumentum redibit et accuratius discutietur infra de contritione.

Dices 3° : Solæ virtutes theologicæ non consistunt in medio, nec patiuntur excessum: atqui pœnitentia non patitur etiam excessum; non potest enim nimis detestari peccatum : ergo est virtus theologica: atqui non fides, nec spes: ergo charitas.

Resp. dist. min. Non potest nimis detestari peccatum, ut oppositum divino bono, et amicitiæ Dei, conc.; ut est offensa Dei satisfactione pœnitentis resarcienda, neg. min. Talis enim potest esse dolor qui inducat in desperationem, qualis fuit pœnitentia Cain et Judæ.

Repones id oriri ex parte subjecti, non ex parte objecti, ut in virtutibus theologicis : ergo.

Resp. neg. ant. Iste enim excessus oriri potest ex parte objecti; nam pœnitentiæ objectum non est Deus, sed satisfactio inæqualis, et quidem ex meritis objecti remoti, scilicet peccati ut reparandi, pensanda juxta regulas prudentiæ humanæ saltem infusæ, ita ut locus, modus et tempus satisfaciendi constituatur pro numero et gravitate criminum; virtutes autem theologicæ, in quantum est ex parte objecti, nullis prudentiæ humanæ regulis subjacent.

Porro pœnitentiam non esse virtutem theologicam, inde patet quod virtus theologica respiciat directe Deum, seu aliquid divinum, tanquam objectum, quod attingit, et materiam circa quam versatur : sic charitas attingit directe, et ut quod Deum ut bonum in se, fides ut veracem, spes ut nobis bonum et auxiliantem. Pœnitentia vero solum respicit Deum, ut objectum cui reddat debitum juris violati; pro materia autem, seu objecto quod, respicit actus humanos, v. g., confessionem, contritionem, etc., quibus hoc debitum Deo reddit; sicut religio respicit pro materia debitum cultum, Deum autem pro objecto cui illum reddit.

Colliges 3° contra Cajetanum, pœnitentiam distingui a religione, quia habent distincta objecta formalia ; religio enim respicit pro objecto cultum divinum, ut reddendum Deo, tanquam supremo principio et benefactori propter hanc ejus excellentiam; pœnitentia vero respicit id quod est reddendum Deo ut offenso. Ita D. Th. in 4, dist. 14, q. 1, art. 1, quæstiunc. 5. Imo istæ virtutes habent conditiones contrarias; Deus enim ut benefactor, qualis respicitur a religione, supponitur et respicitur ut placatus, quia ut benefactor : pœnitentia vero respicit ipsum, ut placandum, quia ut offensum, et sic offert illi, non cultum, ut benefactori et Domino, sed placationem et recompensationem, ut offenso, per modum punitionis et vindictæ de scelere commisso.

Colliges 4° contra Contensonum pœnitentiam distingui a timore filiali ; quia objectum timoris etiam filialis est Deus, ut potens infligere malum, scilicet privationem sui, seu saltem culpa imminens propter Dei reverentiam evitanda : adeoque timor non fertur in suum objectum accedendo, sed fugiendo et resiliendo in propriam parvitatem ; objectum autem pœnitentiæ est jus divinum læsum per culpam præteritam emendabile et compensabile : quæ objecta multum differunt.

Nec refert quod D. Th., art. 5 sequenti, dicat quod « actus pœnitentiæ sit a timore filiali, sicut ab immediato et proximo principio » ; quia S. Th. ibi non agit de principio elicitivo actus pœnitentiæ, sed imperativo ; ex hoc enim quod quis revereatur Deum ut patrem, et timeat ipsum offendere, movetur ut pro peccatis commissis ipsi offerat aliquam satisfactionem.

Dico 3° : Pœnitentia est pars potentialis [1], seu species imperfecta justitiæ.

Prob. prima pars, scilicet quod sit species justitiæ : Justitia est ad alterum [2], cum quadam commutatione : atqui sic est pœnitentia ; est enim dolor de offensa Dei expiabili per satisfactionem quæ est quædam commutatio : ergo.

Prob. secunda pars, scilicet quod sit pars potentialis seu species imperfecta justitiæ [3]. Pars potentialis, seu species imperfecta justitiæ dicitur, quæ cum ejus rationem participet, deficit tamen ab aliqua ejus conditione seu perfectione : atqui pœnitentia deficit in aliquo a perfecta ratione justitiæ : ergo. Prob. min. Perfecta justitia dicit perfectum æquale, seu justum simpliciter inter duos æquales : atqui pœnitentia non dicit justum simpliciter inter duos æquales, sed justum secundum quid, quale est inter illos quorum unus est sub potestate alterius cui non potest reddere æquale, ut filius ad patrem, servus ad dominum ergo.

[1] Hic. q. 85, a. 3, o. [2] Ibid. [3] Ibid.

Si dicas quod pœnitentia reddat Deo totum, quod illi abstulit peccatum, scilicet conversionem ad ultimum finem, resp. quod id non præstet per actum quo Deus tantum honoretur, quantum inhonoratus fuit per peccatum; pœnitentia namque subjicit tantum creaturam finitam Deo infinito : peccatum vero subjicit Deum infinitum vili et finitæ creaturæ, ac longe magis inhonoratur Deus ex eo quod subjiciatur vili creaturæ, quam honoretur ex eo quod vilis creatura ipsi subjiciatur, ut dictum est de peccatis. Adde quod totum quod reddit peccator Deo, sit ex bonis ipsius Dei offensi, et insuper pluribus aliis titulis ipsi debitum.

Dico 4° : Pœnitentia reducitur [1] ad justitiam commutativam; quia, ut dictum est, fit secundum commutationem quamdam, quatenus scilicet pro offensa exhibetur emendatio et satisfactio, ratione cujus Deus remittit offensam, ex gratia tamen, quia satisfactio est imperfecta.

Ex hucusque dictis colliges objectum formale virtutis pœnitentiæ esse reparationem ad inæqualitatem juris divini læsi, seu quod idem est, ipsum jus divinum, proprietatis scilicet, læsum, reparabile per aliquam compensationem. Objectum materiale proximum, actus pœnitentis quibus hæc reparatio exhibetur; materiale remotum, ipsum peccatum; tandem pœnitentiam recte sic definiri : Habitus inclinans pœnitentem ad reparandam injuriam Deo illatam per peccatum.

ARTICULUS II.

DE SUBJECTO ET PRINCIPIO PŒNITENTIÆ.

Dico 1°: Voluntas est subjectum proximum pœnitentiæ virtutis [2]; quia, ut modo dicebam, pœnitentia est species justitiæ, subjectum autem proximum justitiæ est voluntas.

Dices : Appetitus sensitivus experitur difficultatem in operibus pœnitentiæ : ergo ibi est ponenda virtus pœnitentiæ.

Resp. hanc difficultatem vinci per virtutes alias morales, fortitudinem, temperantiam, etc., in appetitu sensitivo residentes.

Hinc colliges dolorem qui in pœnitente requiritur, debere esse rationalem, seu appetitus rationalis, non necessario sensitivi ; et quamvis ille quandoque conjungatur priori, et bonus sit, non tamen est ipsa pœnitentia, sicut dolor qui est in voluntate, sed ejus comes ac signum, quod difficile aliquando habetur in iis qui sunt duri sensus aut temperamenti hilaris.

[1] Ibidem ad 3. [2] Ibid. a. 4, o.

Dico 2° : Subjectum remotum pœnitentiæ est quilibet homo peccati reus seu capax.

Prob. Pœnitentia est virtus [1], seu habitus quo homo promptus redditur ad dolendum de peccato commisso, in quantum est offensa Dei : atqui non solum is qui peccatum commisit, sed etiam qui potest committere, potest esse promptus ad dolendum de peccato, casu quo committat illud : ergo.

Hinc inferes 1° pœnitentiam quoad habitum fuisse in Adamo etiam antequam peccaret; 2° esse in parvulis baptizatis, quia infunditur simul cum gratia ; 3° remanere in beatis, non solum quoad ornatum, sed etiam quoad actum, non quidem doloris, sed displicentiæ, et gratiarum actionis pro misericordia præstita et gaudii de satisfactione alias peracta.

Inferes 2° non esse in Christo, quia absolute fuit impeccabilis ; non datur autem virtus cujus actus est absolute et ex omni parte impossibilis. Neque etiam fuit aut est in angelis, quia angeli immobili et inflexibili libertatis arbitrio post deliberatam electionem gaudent, ut docetur in tract. de Angelis. Unde pœnitere non possunt, qui priorem voluntatem mutare non possunt.

Utrum autem fuerit in Beata Virgine dubium est. Quidam affirmant, quia licet ex privilegio non potuerit peccare, potuit tamen attenta ratione status viatoris, et conditione creatæ libertatis. Quidam negant, quia, inquiunt, non datur habitus ad actus absolute impossibiles, undecumque illa impossibilitas oriatur.

Dico 3° : Communius et ordinarie, principium pœnitentiæ [2], quantum ex parte voluntatis, est timor: ita quod timor servilis sit principium remotum, timor filialis proximum.

Conclusio intelligenda est, non de habitu pœnitentiæ qui a Deo infunditur simul cum gratia in justificatione, sed de actibus quibus Deo operanti in pœnitentia cooperamur.

Prob. Actuum pœnitentiæ primum principium [3] est Dei operatio convertentis cor, secundum illud Thren. ultimo : *Converte nos, Domine ad te, et convertemur*. Secundus actus est motus fidei, juxta illud ad Heb. 11 : *Accedentem ad Deum oportet credere quia est*, etc. Tertius est metus servilis quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur, juxta illud Isaiæ 26 : *Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus*, scilicet per pœnitentiam.

[1] Suppl. q. 16, a. 1, 2. 3. [2] Hic q. 85, a. 5, o. [3] Ibid.

Quartus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi, juxta illud Eccli. 1 : *Timor Domini expellit peccatum;* unde fiducia veniæ; et quia fides est *sperandarum substantia rerum*, ut dicitur Rom. 8, etiam fides gignit spem. Quintus actus est motus charitatis quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, et non jam propter supplicia, juxta illud Petri : *Charitas operit multitudinem peccatorum* (intellige de charitate initiali, ut loquitur Trid. supra citatum). Sextus actus est motus timoris filialis quo, propter reverentiam Dei, aliquis emendam Deo voluntarius offert, juxta illud filii prodigi : *Jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum ex mercenariis tuis :* ergo principium pœnitentiæ, quantum est ex parte affectus nostri, est ex timore, remotum ex timore servili, proximum ex timore filiali.

Dixi : Communius et ordinarie, quia non semper ita accidit, interdum enim aliquis movetur ad conversionem intuitu æternæ mercedis, alter consideratione bonitatis Dei, etc., sed quia Deus qui suaviter omnia disponit, homines vocat convenienter eorum naturæ et dispositioni, peccatores autem delectationibus corporalibus assueti, ut plurimum trahuntur metu pœnarum. Hinc est quod communiorem modum perveniendi ad perfectam pœnitentiam ponat D. Th. eum qui ducit initium a timore.

Cæterum licet hi gradus non semper interveniant expresse, et eo ordine, semper tamen saltem virtute habentur, ita ut nulla sit vera pœnitentia quæ non habeat saltem virtualiter fidem, timorem, spem, dilectionem Dei super omnia. Hos gradus a D. Th. mutuatos expressit Trid , sess. 6, cap. 6. Quæ opponi solent contra timorem servilem discutientur infra.

DIGRESSIO HISTORICA

DE PŒNITENTIA SALOMONIS.

AD DISSERT. PRÆCED.

Utrum Salomon egerit pœnitentiam?

Dico : Incertum est Salomonem egisse pœnitentiam.

Prob. Ex. S. Scriptura eruuntur probabilia argumenta pro et contra pœnitentiam Salomonis : et inter SS. Patres, alii negant, alii asserunt ipsum pœnitentiam egisse : ergo.

Momenta ex S. Scriptura pro adstruenda pœnitentia Salomonis cum responsis negantium.

Primum momentum petitur ex promissione, quam Deus, 2 Reg. 7, fecit David in favorem Salomonis, his verbis : *Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium. Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum; misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saül, quem amovi a facie mea :* ergo.

Respondent patroni adversæ sententiæ hanc promissionem intelligendam esse de misericordia temporali et regno terreno, non de misericordia spirituali, et gloria æterna; ita ut sensus sit, quod si Salomon inique se gesserit, Deus illum puniet aliis pœnis quam privatione regni, sicut punierat Saülem. Hunc sensum aperte indicant ultima verba : *Misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saül,* eamque confirmant ea quæ dicuntur 1 Paralip. 17, ubi post repetitam eamdem promissionem immediate subjungitur : *Et statuam eum in domo mea, et in regno meo usque in sempiternum, et thronus eius erit firmissimus in perpetuum.*

Secundum momentum. Salomon scripsit librum Ecclesiastes, et librum Proverbiorum sub finem vitæ: atqui primum Ecclesiastes dicit: *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas,* quæ verba indicant ejus pœnitentiam. Proverb. 24, secundum versionem Septuaginta interpretum, dicit: *Novissime ego egi pœnitentiam, respexi ut eligerem disciplinam;* et cap 30 : *Stultissimus sum virorum, et sapientia hominum non est mecum,* etc. : ergo.

Verum negant alii majorem argumenti, scilicet hos libros scripsisse Salomonem sub finem vitæ. 1° Quia Salomon ipse, Eccles. cap. 2, dicit : *Sapientia quoque perseveravit mecum,* quod sane dici non potest de Salomone in libidinem effuso, et in idololatriam lapso. 2° Quia Jesus, filius Sirach, auctor Ecclesiastici, cap. 47., de Salomone dicit : *Quemadmodum eruditus es in juventute tua.... in cantilenis et comparationibus, et interpretationibus miratæ sunt terræ... et inclinasti femora tua in mulieribus : potestatem habuisti in corpore tuo , dedisti maculam in gloria tua :* ergo libros suos composuerat Salomon, priusquam amore mulierum inquinaretur.

Quod ergo in Proverbiis, juxta versionem Septuaginta interpretum, dixit : *Novissime egi pœnitentiam,* non dixit in propria persona, sed

in persona, vel peccatorum, vel pœnitentium, vel justorum, quod frequentissimum est, tum in libris Salomonis, tum in aliis S. Scripturis. Adde quod neque paraphrasis Chaldaïca, neque versia Cyriaca, neque nostra Vulgata ullam facit mentionem pœnitentiæ, sed in Vulgata legitur : *Quod cum vidissem, posui in corde meo, exemplo didici disciplinam.* Quantum ad hæc verba capitis 30: *Stultissimus sum virorum,* quidam arbitrantur non esse verba Salomonis, sed alicujus alterius divino Spiritu afflati, quia initium capitis sic habet : *Verba congregantis filii vomentis.* Sed esto sint Salomonis, vult tantum iis significare miseram naturæ corruptæ conditionem et ignorantiam, nisi illuminetur a Deo. Patet ex toto contextu.

Tertium momentum eruitur ex 3 Reg. 43, ubi dicitur : *Dormivit Salomon cum patribus suis, et sepultus est in civitate David.* De regibus autem impiis in impietate morientibus non dicitur quod dormierint cum patribus suis, et quod fuerint sepulti inter reges, ut constat de Joram filio Josaphat, de Ochosias, Joas et Achas: ergo.

Respondent alii negando assumptum ; quia etiam de impiis regibus in sua impietate morientibus dicitur, quod dormierint cum patribus suis, et fuerint sepulti inter reges, ut de Roboam, filio Salomonis, 3 Reg. 14, de Abia, filio Roboam, ibid., cap. 15, de Amasa, 2 Parap. 25.

Momenta ex S. Scriptura contra pœnitentiam Salomonis, cum responsis eam adstruentium.

Primum momentum. Si Salomon egisset pœnitentiam, abstulisset occasiones peccandi quas dederat: atqui id non fecit ; idola enim et idolorum templa quæ erexerat non evertit, sed hæc manserunt usque ad tempora regis Josiæ qui illa destruxit, ut legitur 4 Reg. 23 : *Excelsa quoque..... quæ ædificaverat Salomon, rex Israël, Astaroth, idolo Sidoniorum, et Chamos offensioni Moab et Melchom abominationi filiorum Amon, polluit rex* (Josias) *et contrivit statuas, et succidit lucos, replevitque loca eorum ossibus mortuorum* : ergo.

Respondent patroni pœnitentiæ Salomonis 1° vel Salomonem revera evertisse hæc idola et fana, sed postea ab aliquibus regibus impiis instaurata fuisse in iisdem fundamentis; unde nomen excelsorum Salomonis retinuerunt. 2° Etiamsi ea non destruxerit, inde non potest peti certum argumentum ejus impœnitentiæ, potuit enim habere causas legitimas non destruendi, puta, vel illa clauserat, vel in alios usus converterat. Sicut licet Manasses non destruxerit altaria idolorum quæ erexerat in duobus atriis templi Domini, et ea manserint usque ad Josiam qui illa destruxit ; constat ex 2 Paralip. 33, ipsum egisse pœnitentiam, et pie obiisse. Sic, inquam, respondent : veritas tamen est quod Manasses, licet non destruxerit ista duo altaria, attamen *abstulit Deos alienos, et simulacrum de domo Domini, et in Jerusalem, et projecit omnia extra urbem,* ut legitur loco citato Paralip., in quo dedit signum pœnitentiæ; nihil autem tale legitur de Salomone. Unde istud exemplum non videtur evacuare vim argumenti.

Secundum momentum. Solet S. Scriptura post recensita hominum peccata, eorum etiam pœnitentiam, si egerint, commemorare, ut patet de Davide, 2 Reg. 11, Eccli. 47 et alibi, et de Manasse loco proxime citato Paralip. : atqui S. Scriptura peccata Salomonis refert, sed de ejus pœnitentia silet : ergo.

Huic argumento multipliciter occurrunt pœnitentiæ Salomonis vindices : 1° Non concedunt absolute minorem, ut patet ex momentis pro prima sententia propositis. 2° Dicunt singularem librum Salomonis, in quo sua gesta conscripserat, periisse, ut innuitur 3 Reg. 11; item periisse libros aliorum, scilicet Nathan prophetæ, Ahiæ Silonitis, et Addo videntis, in quibus pariter erant conscripta gesta Salomonis, ut indicatur 2 Paralip. 9. In his autem, inquiunt, verisimile est accuratius descriptam fuisse Salomonis pœnitentiam. 3° Dicunt S. Scripturam multorum referre peccata, ut Adæ, Lothi, Samsonis, quorum tamen non refert pœnitentiam, licet eam egerint : unde negant consequentiam argumenti.

Quantum ad SS. Patres.

Patrocinantur pœnitentiæ Salomonis S. Cyrillus, *Catechesi* 2 illuminatorum. S. Epiphanius, *Hæresi* 42. S. Hier., ep. 9 *ad Salvinam,* in cap. 43 Ezech. et in cap. 2 Eccli., et alii.

Adversantur pœnitentiæ Salomonis S. Cyprianus, epist 6 *ad Rogatianum.* S. Aug., lib. 22 *contra Faustum,* cap. 81 et 88, lib. *de Doctrina Christiana,* cap. 21, lib. 17 *de Civit.,* cap. 20. S. Greg. Magnus, lib. 2 *Moral.,* cap. 2. Beda, q. 29 in lib. *Regum.* S. Chrysostomus vero modo in unam partem, modo in alteram propendet.

Ex quibus omnibus legitime concludimus incertum esse num Salomon egerit pœnitentiam.

DISSERTATIO III.

De effectibus Pœnitentiæ.

D. Th. qq. 86, 87, 88, 89.

ARTICULUS I.

DE EFFECTU PRINCIPALI PŒNITENTIÆ, SCILICET DE REMISSIONE PECCATORUM MORTALIUM.

Quatuor potissimum quærit in hac q. 86 S. Thomas : primum, utrum omnia peccata mortalia deleri possint per Pœnitentiam. Secundum, utrum deleri possint sine Pœnitentia. Tertium, utrum unum peccatum mortale possit remitti sine altero. Quartum, utrum dimissa culpa remaneat reatus pœnæ.

§ I.

Utrum omnia peccata mortalia deleri possint per Pœnitentiam, et sine illa?

Quantum ad primum, responsio affirmativa probata manet ex art. 1 dissert. 1, idque evincit ratio Auctoris. Si aliquod peccatum non posset per Pœnitentiam[1] tolli in hac vita, ideo esset, vel quia aliquis de peccato pœnitere non posset, vel quia Pœnitentia non haberet vim delendi peccata : non primum, quia hoc esset tollere libertatem arbitrii, cujus proprium est esse in hac vita flexibile in bonum et malum, et derogare virtuti gratiæ per quam moveri potest cor cujusvis hominis ad pœnitendum; non secundum, quia hoc repugnat divinæ misericordiæ de qua dicitur, Joel 2, quod *benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia.* Vinceretur etiam quodam modo Deus ab homine, si homo vellet peccatum deleri, quod Deus delere non vellet : item derogat virtuti passionis Christi, per quem pœnitentia operatur. Alia plura require loco citato.

Quantum ad secundum, illud negavimus, et expendimus in tract. de Gratia, dissert. 7, art. 2, § 2, conclus. 1, ubi probavimus justificationem impii non posse fieri per solum favorem Dei extrinsecum, sine mutatione intrinseca peccatoris quæ est pœnitentia; tum quia peccata remitti non possunt nisi ex gratia, benevolentia speciali, ac dilectione Dei; hæc autem cum sit effectiva, et non solum affectiva, reddit hominem gratum justum, et ex averso a Deo ad illum conversum; tum quia ex eo quod Deus incipiat diligere peccatorem quem prius odio habebat, intervenit aliqua mutatio, non ex parte Dei qui est immutabilis; ergo ex parte peccatoris. Hæc et alia require loco citato. Addo nunc pro ulteriori probatione : quod Deus dicatur offensus, est denominatio extrinseca proveniens non ex voluntate Dei, sed ex voluntate aversa peccatoris : atqui denominatio extrinseca tolli non potest, nisi ablato actu, vel forma a qua provenit: sic, v. g., quia paries denominatur extrinsece visus ab actu videntis, non potest tolli ista denominatio, nisi cessante visione a qua procedit : ergo.

Petes de qua potentia id sit intelligendum ?

Resp. intelligendum esse non solum de potentia ordinaria, sed etiam absoluta, cum hoc discrimine, quod loquendo de potentia ordinaria, necessaria sit per se pœnitentia formalis; loquendo vero de potentia absoluta, sufficiat et requiratur pœnitentia eminentialis seu radicalis, eadem persona manente.

Prob. prima pars : 1° Quia aliter non possunt

[1] Hic. q. 86, a. 2, o.

commode explicari S. Scripturæ præcipientes pœnitentiam, ut illud : *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*, et similia; neque verba Tridentini, sess. 14, cap. 4, dum dicit : « Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum is contritionis motus necessarius. » item cum definit ibid. contra Lutherum : « Pœnitentiam necessariam non solum continere cessationem a peccatis, sed etiam eorum detestationem..... nec solum novæ vitæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium. » Si intelligeret de odio peccati implicito, nihil definiret contra Lutherum, is enim negarenon poterat, nec negabat odium vitæ præteritæ implicite contineri in proposito novæ contrariæ. Ratio etiam suadet, quia ordinata rerum dispositio exigit ut voluntas quæ, in sua aversione a Deo, facta est illi impia et injusta, ad eum redeat per modum vindictæ et expiationis.

Dixi : Per se, quia per accidens sufficere potest implicita et virtualis pœnitentia, qualis continetur in actu perfectæ dilectionis Dei. Casus est : si quis post diligentem inquisitionem aut ex naturali oblivione non recordetur peccatorum, sufficit ad remissionem illorum si eliciat actum perfectæ charitatis; alter casus est : si subito raptus ad martyrium ex nimia contentione ad actum charitatis vel fortitudinis impediatur ab actu formalis contritionis vel attritionis; tertium casum probabilem reputat Gonet : si quis memor suorum peccatorum eliciat actum perfectæ charitatis et non contritionis explicitæ, eo tempore quo non obligat contritionis præceptum. Verum videtur implicare, quod quis memor suorum peccatorum eliciat actum perfectæ dilectionis Dei non detestando offensas contra ipsum commissas. Nec refert quod præceptum contritionis non obliget pro semper, ubi enim agitur de remissione peccatorum, necesse est quod adimpleatur, quia est medium ad id ordinatum, et sine ejus adimpletione peccatum remitti non potest.

Prob. secunda pars : Quamvis, juxta communem rerum ordinem et potentiam Dei ordinariam, connaturale sit omni formæ supponere subjectum dispositum, consequenter gratia non recipiatur connaturaliter in adultis sine præviis eorum dispositionibus et eorum consensu : non implicat tamen quod Deus infundat peccatori dormienti gratiam, aut ipsum elevet ad gloriam, quo casu omne peccatum illi remittitur, utpote incompossibile cum gratia vel gloria, idque sine pœnitentia formali, ut patet; non tamen sine eminentiali et radicali, quia gratia est radix bonæ voluntatis in ordine supernaturali, et intellectu rectificato per visionem beatificam, censetur rectificata habitualiter et radicaliter ipsa voluntas cujus intellectus est radix. Idem dicendum si Deus uniret sibi hypostatice peccatorem.

Dices 1° : Deus potest annihilare peccatorem et eumdem numero reproducere : atqui in illo casu homo reproductus non haberet amplius peccatum, Deus enim non reproduceret illud, neque ipsa hominis voluntas, cum nihil ageret in sui reproductione, et tamen nulla foret pœnitentia etiam radicalis. 2° Si Deus reduceret peccatorem ad statum naturæ puræ, redderetque illi rectitudinem naturalem sine supernaturali, iste homo nihil haberet pœnitentiæ quæ est virtus supernaturalis, neque haberet peccatum, quia est incompossibile cum rectitudine naturali : ergo.

Resp. ad primum, quod quamvis in hoc casu remaneat eadem persona entitative, non manet tamen eadem continuative, quia annihilatur et reproducitur, et in illa annihilatione perit omnino et persona et peccatum, quod, ut probat bene argumentum, non potest reproduci cum persona. Dixi autem in responsione, « manente eadem persona ». Nec mirum si hunc casum excipiamus; peccatum enim non denominat naturam, nisi cum ordine ad personam peccantem, quia natura non peccat ut quod, sed suppositum; unde destructa persona quæ peccavit, non restat peccatum. Hæc etiam ratio currit pro casu quo Deus uniret sibi hypostatice peccatorem.

Ad secundum : Talis homo qui haberet rectitudinem naturalem, haberet etiam naturalem immutationem voluntatis convenientem illi statui; neque peccatum in hoc casu censeretur remissum nisi inadæquate in ordine ad rectitudinem naturalem, non in ordine ad statum supernaturalem quem Deus destruxisset.

§ II.

Utrum unum peccatum mortale possit dimitti sine alio?

Dico : Non potest per Pœnitentiam unum peccatum mortale remitti sine alio [1].

Prob. 1° ex l. de *Vera et Falsa Pœnit.*, c. 9, apud S. Aug. : [2] « Sunt plures, inquit, quos pœnitet peccasse, sed non omnino, reservantes

[1] Q. 86 a. 3, o. [2] Ibid. in a. s. c.

sibi quædam in quibus delectentur, non animadvertentes Dominum simul mutum et surdum a dæmonio liberasse, per hoc docens nos nunquam nisi de omnibus sanari. »

Prob. 2° : Nullum potest remitti peccatum mortale [1] sine infusione gratiæ, ut patet ex § præced. et præsertim ex loco illic citato de Gratia, concl. 2: atqui quodcumque peccatum mortale est incompossibile cum gratia, ut late probavimus eodem loco citato, de Gratia, art. 3: ergo.

3° Peccatum mortale non potest remitti sine vera pœnitentia [2] : atqui non potest esse vera pœnitentia de uno peccato, nisi sit de omnibus : ergo. Prob. min. Quia ad veram pœnitentiam pertinet detestari peccatum sub ratione communi omnibus peccatis, scilicet quatenus sunt contra Deum : ergo non potest esse de uno quin sit de omnibus.

4° Quamvis omnia peccata mortalia non sint inter se connexa, secundum conversionem ad bonum commutabile, non enim qui facit furtum, statim reus est omnium peccatorum, sunt tamen inter se connexa secundum aversionem a Deo; quodlibet enim dissolvit amicitiam cum Deo : atqui is cui dimittitur peccatum, recipitur in amicitiam Dei : ergo non potest unum tolli sine alio.

Dices 1° : Deus potest diligere hominem quantum ad unum peccatum remittendum, et remanere illi offensus quantum ad aliud : ergo. Prob. ant. Deus peccatorem diligit quantum ad naturam, et odit quantum ad culpam : ergo similiter.

Resp. neg. ant. Ad prob. neg. conseq. Disparitas [3] est quod dilectio qua Deus diligit naturam non ordinatur ad bonum gloriæ, sed ad esse naturæ tantum, cui non repugnat peccatum ; sed dilectio gratiæ per quam fit remissio peccati mortalis, ordinat hominem ad vitam æternam, juxta illud Rom. 6 : *Gratia Dei vita æterna.* Hæc autem ordinatio fieri nequit nisi omnium peccatorum mortalium fiat remissio. Adde quod Deus non possit diligere hominem quantum ad remissionem peccati sine pœnitentia ex parte hominis, quæ debet esse de omnibus peccatis, ut dictum est.

Dices 2° : Peccata sunt quædam debita quæ nobis relaxari petimus : atqui unum debitum potest dimitti sine alio : ergo.

Resp. dist. maj. Sunt debita exterioris rei [4], neg.; sunt debita culpæ, conc. Est autem disparitas quod debita exterioris rei non contrariantur amicitiæ, debita vero culpæ contrariantur amicitiæ ex qua remittuntur. Adde quod gratia et Pœnitentia, per quas talia debita remittuntur a Deo, nullum compatiantur peccatum, ut dictum est.

Dices 3° : Unum peccatum veniale potest remitti sine altero : ergo et mortale.

Resp. neg. conseq. Disparitas est, 1° quod gratia compatiatur peccatum veniale, non mortale; 2° quod peccata venialia non sint inter se connexa ex parte aversionis a Deo sicut mortalia.

[1] Q. 86 o. [2] Ibid. [3] Ibidem ad 5. [4] Ibidem ad 4.

§ III.

Utrum remissa culpa per Pœnitentiam remaneat reatus pœnæ?

Negant lutherani et calvinistæ, et inde inferunt non esse Purgatorium, nulla opera satisfactoria, nullas indulgentias. Contra quos

Dico : Remissa culpa per Pœnitentiam tollitur reatus pœnæ æternæ [1]; at potest remanere et sæpe remanet reatus pœnæ temporalis.

De prima parte non est difficultas; eam definivit concil. Trid., sess. 6, cap. 14. Et ratione patet, quia, ut dicitur ibid., cap. 7, homo per remissionem peccatorum fit ex inimico amicus et hæres vitæ æternæ; implicat autem quod habeat jus ad vitam æternam, et sit simul dignus damnatione æterna.

Secunda pars quam negant obstinate sectarii, eo quod ex ea evertantur plura eorum dogmata , imprimis est de fide definita in concil. Trid., sess. 6, can. 30, his verbis : « Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti et reatum pœnæ æternæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ; vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit, anathema sit». Et sess. 14, cap. 8, dicit hunc errorem pluribus S. Scripturæ exemplis et traditione revinci. Et ideo

Prob. variis Scripturarum exemplis. 1° l. 2 Reg. 12, postquam David agnovit peccatum suum et inde Nathan dixit ei : *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris:* subjungit propheta : *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* Dixerat prius : *Quamobrem non recedet gladius de domo tua, eo quod despexeris me, et tuleris uxorem Uriæ.* Quibus verbis aperte significatur pœnam temporalem inflictam esse Davidi,

[1] Ibidem a. 4, o.

remissa culpa, non solum in ejus emendationem, aut in aliorum terrorem, ut fingunt hæretici, sed in pœnam perpetrati criminis. Reponit Dallæus equidem crimen Davidis fuisse occasionem, sed non causam harum pœnarum; veram dicat velim morosus cavillator, quibus expressioribus terminis quam his : *Quoniam blasphemare fecisti, eo quod contempseris me,* potuisset uti S. Scriptura ad significandam veram causam?

2° Num. 12, soror Moysis ad illius orationem a peccato murmuris absolvitur, et tamen in pœnam separari jubetur septem diebus extra castra.

3° Num. 20, Moyses ipse terram promissionis ingredi prohibetur propter aliquam diffidentiam, quæ illi remissa fuerat.

4° Exod. 32, Deus iratus contra populum ob adorationem vituli aurei, et oratione Moysis placatus, ut dicitur v. 14, dicit tamen v. 34: *Ego in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum.*

5° Genes. 3, Adam dicitur mortem subiisse in pœnam inobedientiæ, quamvis fuerit *e delicto suo eductus,* ut dicitur Sap. 10.

6° Denique mors statuitur ut pœna peccati originalis, Genes. 2, ut etiam declarat Apost., Rom. 3 et 1 Cor. 15; imo omnes ærumnæ ac miseriæ hujus vitæ sunt illius peccati pœnæ : atqui tamen et mortem et illas ærumnas patiuntur ii quibus peccatum originale dimissum est per Baptismum; neque dici potest quod istæ pœnæ sint monitiones paternæ aut exercitationes virtutis, hæc enim locum non habent in infantibus baptizatis. Et quamvis tales sint in adultis, non tamen ideo desinunt esse pœnæ et vindictæ peccati : « Mors quæ est pœna nascentis (inquit S. Aug., lib. 13, *de Civit.*, c. 6), si pro pietate justitiaque pendatur, fit gloria renascentis, neque aufert vocabulum pœnæ, quod auget meritum patientiæ. »

Prob. ex Patribus. S. Aug. in Psal. 50 : « Aliquando Deus, inquit, cui ignoscit in futuro sæculo, corripit eum de peccato in isto sæculo; nam et ipsi David cui dictum jam fuerat per prophetam : Dimissum est peccatum tuum, evenerunt quædam, quæ minatus erat Deus propter ipsum peccatum. » Ibid. : « Impunita peccata etiam eorum quibus ignoscis non reliquisti..... sic prærogasti misericordiam ut servares et veritatem; ignoscis confitenti, sed seipsum punienti : servatur misericordia et veritas. » Idem tract. 224 in Joan., in Psal. 98 et alibi.

S. Ambros., l. 7 in Luc. : « Compensatione charitatis actuumque reliquorum, vel satisfactione quacumque, peccati pœna dissolvitur. » Et *ad Virginem lapsam,* cap. 8 : « Grande scelus, grandem necessariam habet satisfactionem. »

S. Greg. l. 9 *Moral.*, c. 34, alias 17 : « Delinquenti Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine ultione non deserit; aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit... sic David post confessionem audire meruit: Dominus transtulit peccatum tuum, et tamen multis post cruciatibus afflictus et fugiens, reatum culpæ, quam perpetraverat, exsolvit. Sic nos salutis unda a culpa primi parentis absolvimur, sed tamen reatum ejusdem culpæ diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus. » Similiter alii Patres quos magno numero secundum seriem sæculorum habes citatos apud Bellarm. lib. 4 *de Pœnit.*, cap. 9.

Prob. variis congruentiis. Quamvis Deus possit absolute remittere totam pœnam cum culpa, multis tamen titulis id non convenit : 1° Quia Deus non solum est privatus amicus et Pater misericors, sed etiam est justus judex et publicus legislator : ergo licet ut amicus et Pater misericors remittat gratis cum offensa pœnam æternam, quæ stare non potest cum ejus amicitia, convenienter tamen exigit ut justus judex et publicus legislator aliquam pœnam temporalem in ultionem commissi sceleris, tum ut salventur jura justitiæ, tum ut provideatur bono communi. 2° Id convenit ut inde gravitas peccati magis appareat. 3° Ut refrænetur licentia peccandi. 4° Ut per pœnam temporalem tollantur reliquiæ peccatorum et mali habitus. 5° Quia id exigit major ingratitudo peccantis post Baptismum et fidem Christo datam. 6° Ut sit quædam conformitas inter Christum et nos. Has rationes expendit Trid., sess. 14, cap. 8.

Dixi in conclusione : *Potest remanere et sæpe remanet reatus pœnæ temporalis ;* quia non semper remanet, sed quandoque per excellentem contritionem, qualis fuit in Paulo et muliere peccatrice, tota pœna etiam temporaliter tollitur ; cum enim sit finita, potest a perfectissima satisfactione, qualis est contritio aut charitas in excellenti gradu, adæquari.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° : Ezech. 18 dicitur : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis..*

vita vivet, omnium iniquitatum ejus non recordabor. Et alibi dicitur quod Deus peccata nostra projiciat in profundum, post tergum, quod illa tegat et non imputet. Et Apost., Rom. 8, dicit quod *nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu* : atqui hæc verificari non possunt, si, remissa culpa, remaneat reatus pœnæ temporalis : ergo.

Resp. neg. min. Hoc ipso enim quod Deus remittit culpam et pœnam æternam, vere dicitur non recordari peccatorum, illa projicere in profundum, post tergum, illa tegere, non imputare, etiamsi pœnam temporalem reposcat ; quia hæc comparative ad pœnam æternam vix aut ne vix aliquid reputatur. Ad Apostolum : Per damnationem intelligit æternam, cujus nihil remanet in justificatis.

Inst. In Oratione Dominica petimus ut Deus dimittat nobis debita nostra sicut dimittimus debitoribus nostris : atqui nos debemus dimittere debitoribus nostris, nulla pœna reservata : ergo.

Resp. neg. conseq. Ex hoc enim argumento sequitur tantum Deum posse et quandoque dimittere nobis totam pœnam, et hanc plenam remissionem nobis proponere ferventioribus actibus charitatis erga Deum et proximum consequendam ; non vero quod semper ita remittat.

Inferes : Ergo Deus nec perfecte nec gratis dimittit nobis debita nostra.

Resp. neg. utramque illationem, ille enim censetur perfecte et gratis remittere debita qui culpam et pœnam æternam gratuito remittit, reservata tamen pœna temporali, quæ nihil computatur respectu æternæ, quique gratis confert nobis unde possumus satisfacere pro ista pœna temporali.

Obj. 2° ex Patribus : S. Ambrosius, lib. 10 in Luc., ait : « Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego. » S. Aug., l. 2 *de Peccat. merit.*, cap. 34, dicit « hujus vitæ miserias ante remissionem esse quidem supplicia peccatorum, post remissionem autem certamina et exercitationes justorum. » Similiter S. Chrysostomus, hom. *de Pœnitent. et Confess.* : « Propter hoc, inquit, imponit Deus nobis pœnam, non de peccatis supplicium sumens, sed ad futura nos corrigens » : ergo.

Resp. ad S. Ambrosium, per satisfactionem intelligere excusationem seu defensionem peccati, subdit enim immediate : « Quod defendi non potest, ablui potest. »

Ad S. Aug. : Sensus est quod post remissionem peccatorum, miseriæ hujus vitæ non solum sunt supplicia peccati, sed etiam juvent ad exercitationes virtutum, quod non negamus ; S. Augustinum enim agnoscere remissis peccatis remanere pœnas temporales satisfactione expiabiles, evidens est ex probationibus conclusionis.

Ad S. Chrysostomum, idem est sensus ; agnoscit enim ibidem S. Doct. pœnas, quas Deus post remissam culpam reposcit, esse et supplicium seu ultionem peccatorum præteritorum et remedium contra futura ; prius namque dixerat : « Ne peccantes et inulti manentes nos efficeremus deteriores, non remisit nobis supplicium ; sed vidit hoc manifeste quod peccatis ipsis non minus damnosum sit non puniri ; propter hoc imponit pœnam. » Quando ergo subdit : « Non exigens supplicium, sed ad futura nos corrigens, » non intelligit pœnas quas, Deus infligit, nullo modo esse supplicia peccatorum, ut verba significare videntur, alioquin intra paucas lineas aperte contradictoria loqueretur, sed vult tantum Deum in iis pœnis magis intendere utilitatem nostram quam peccati ultionem. Lege insuper S. Chrysostomum, hom. 10 in hæc verba Matth. : *Facite fructus dignos pœnitentiæ* ; hom. 4 in 2 Cor., sub finem et alibi, ubi aperte docet necessitatem satisfactionum pro peccatis præteritis.

Obj. 3° : Remota causa removetur effectus : atqui per pœnitentiam removetur causa totius pœnæ, scilicet culpa : ergo.

Resp. dist. maj. Remota causa a qua effectus dependet in fieri et conservari, removetur effectus, conc.; sic remoto sole removetur lux ; remota causa a qua effectus dependet tantum in fieri, et non in esse, removetur effectus neg. Sic remoto patre non removetur filius, remoto artifice non removetur ædificium, culpa autem est causa pœnæ in fieri tantum et non in esse.

Obj. 4° : Donum Dei est efficacius quam peccatum, Rom. 5 : atqui homo per peccatum simul incurrit culpam, et totius pœnæ reatum : ergo per donum gratiæ simul remittitur culpa, et totius pœnæ reatus.

Resp. dist. conseq. Ergo per donum gratiæ remittitur culpa et tota pœna, si attendatur solius gratiæ efficacia, conc.; si attendatur ordinatio divina, et disposito pœnitentium, neg. Quod ergo non tollatur totius pœnæ reatus, non provenit ex defectu efficaciæ in gratia, quæ quantum est ex se posset omnem pœnam tollere ; sed partim ex ordinatione divina, ut diximus supra cum Trident., partim ex pœnitentium dispositione quæ nec semper, nec ple-

rumque tanta est; ut sint idonei ad consequendam totius pœnæ remissionem, ut enim satisfaciat homo, et pœnæ remissionem obtineat, debet cooperari gratiæ. Unde Auctor dicit [1] quod remissio culpæ et pœnæ æternæ sit effectus gratiæ operantis, remissio autem pœnæ temporalis effectus gratiæ cooperantis.

Obj. 5° : Passio Christi est sufficienter satisfactoria pro omnibus peccatis, etiam quoad totam pœnam : atqui remissio peccatorum fit in Pœnitentia per virtutem passionis Christi : ergo.

Resp. dist. min. Remissio peccatorum fit in Pœnitentia per virtutem passionis Christi secundum totam ejus sufficientiam, neg.; secundum motum applicationis ejus, conc. Licet ergo passio Christi suo valore sit sufficientissima pro remissione omnium culparum et pœnarum, de facto tamen non remittit, nisi iis quibus applicatur, et pro modo quo applicatur. In Baptismo applicatur tanquam recens natis in Christo, et recenter ejus familiæ adscriptis, sicque totaliter quoad culpam et pœnas debitas peccatis actualibus. In Pœnitentia vero applicatur, ut ingratis post gratiam baptismalem lapsis, adeoque secundum divinæ justitiæ ordinem cum minori liberalitate, ut scilicet, nisi per opera pœnalia satisfaciant, totam pœnam non remittat. Redibit ista quæstio dum de satisfactione.

ARTICULUS II.

DE REMISSIONE PECCATORUM VENIALIUM.

§ I.

Utrum peccatum veniale possit remitti sine ulla pœnitentia?

Peccatum veniale actuale est conversio inordinata ad bonum creatum sine aversione tamen a bono increato. Ex hac conversione actuali relinquitur in anima, seu voluntate, aliqua determinatio, seu modificatio circa bonum creatum, sicut ex intentione finis manet voluntas modificata circa ipsum et media ; per hanc autem modificationem, seu determinationem inordinatam voluntatis circa bonum creatum, impeditur, seu retardatur affectus, ne prompte feratur in Deum ; et hoc dicitur privatio fervoris charitatis, in qua reponi solet macula peccati venialis, seu peccatum veniale habituale, de quo hic est quæstio.

[1] Q. 86 ad 2. [2] Ib. ad 3.

Quidam itaque volunt ad illius remissionem nullam requiri pœnitentiam, sed sufficere quemcumque actum bonum, qui magis placeat Deo, quam displiceat peccatum veniale, etsi ad illius remissionem non ordinetur. Tribuitur Scoto, sed negat Henno. Durandus e contra asserit necessariam esse pœnitentiam formalem : media via incedens cum Auctore et communi sententia.

Dico : Nullum peccatum veniale remittitur sine aliqua pœnitentia [1] : non sufficit habitualis, non requiritur formalis, sed requiritur et sufficit virtualis.

Prob. prima pars 1° ex S. Aug. Hom. 27 et 50, inter 50, dicit esse quamdam pœnitentiam quæ quotidie agitur in Ecclesia pro peccatis venialibus [2] ; frustra autem esset ista pœnitentia, si sine illa peccata venialia remitti possent. Et epist. 48 , *ad Vincent.*, refertur d. 1 *de Pœnit.* c. 43 : « Nequaquam putes, inquit, ab errore ad veritatem , vel a quocumque seu magno, seu parvo peccato, ad correctionem sine pœnitentia posse transire. »

Prob. 2°: Peccatum veniale [3], ut dictum est, consistit in determinatione, seu modificatione inordinata voluntatis circa bonum creatum, causata per actualem conversionem ad illud, ex qua inordinata determinatione voluntatis affectus impeditur, seu retardatur ne prompte feratur in Deum, quod dicitur privatio fervoris charitatis : atqui ista deordinatio voluntatis tolli non potest sine aliqua pœnitentia : ergo. Prob. min. Talis deordinatio voluntatis tolli non potest, nisi per dispositionem contrariam, dispositio contraria causari non potest, nisi per actum contrarium ; causarum enim oppositarum oppositi sunt effectus : atqui in actu contrario includitur quædam pœnitentia seu displicentia et retractatio peccati venialis : ergo.

Confir. 1° : Ordinata rerum dispositio exigit, ut qui a Deo per actum voluntarium aliqualiter recessit, seu deviavit, ad eum per actum contrarium redeat : ergo.

Confir. 2°: Si peccatum veniale per quodlibet opus bonum quod magis placet Deo quam displiceat ipsum peccatum veniale sine ullo respectu ad illud, tolleretur, non esset ratio, cur unum potius tolleretur quam aliud, præsertim ubi essent æqualis gravitatis : unde vel nullum, vel omnia remitterentur, quod videtur inconveniens : ergo.

Prob. secunda pars [4] : Si habitualis pœnitentia sufficeret ad remissionem peccati ve-

[1] Hic l. 87, a. 1. o. [2] Ib. ib. 4. s. c. [3] Ib. o. [4] Ib.

nialis, nunquam esset peccatum veniale cum charitate, quia charitas includit habitualem displicentiam omnium peccatorum : falsum consequens : ergo et ant.

Prob. tertia pars [1], ex differentia peccati mortalis a veniali. Peccatum mortale absolute separat hominem a Deo, redditque mentem ejus omnino aversam a Deo ; veniale vero retardat affectum hominis, ne prompte in Deum feratur, non tamen absolute separat, aut avertit hominem a Deo, cum non charitati, sed tantum ejus fervori et perfectioni opponatur ; ergo ad remissionem peccati mortalis perfectior requiritur pœnitentia, quam ad remissionem venialis. Subsumo : Atqui formalis per se requiritur ad remissionem peccati mortalis, ut dictum est : ergo non requiritur ad remissionem peccati venialis.

Restat ergo requiri [2], et sufficere pœnitentiam virtualem, quod est quarta pars conclusionis, et patet ex ipsa notione pœnitentiæ virtualis, prout intelligit Auctor. Pœnitentia virtualis est cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, ut quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se hæc commisisse, etiamsi actu de illo non cogitet : atqui per hoc tollitur modificatio, seu determinatio inordinata voluntatis in bonum creatum impediens seu retardans, ne prompte feratur in Deum, quod est peccatum veniale, ut dictum est : ergo.

Non itaque omnis affectus in Deum, aut res divinas, est virtualis pœnitentia respectu omnis peccati venialis, sed tantum respectu illius quod displiceret si occurreret, sicque non quodlibet peccatum veniale tollitur, per quemlibet affectum in Deum, sed illud solum cujus dictus affectus est virtualis displicentia modo dicto.

Dices 1° : Non datur vera pœnitentia sine proposito cavendi de futuro peccatum : atqui non potest homo habere propositum cavendi peccata venialia, sine quibus non ducitur vita præsens : ergo.

Resp. dist. min. Non potest homo habere propositum cavendi peccata venialia omnia collective [3], conc. ; omnia distributive, neg. Occurrunt autem vitanda distributive, non collective.

Dices 2° : Qui dormiens cum peccatis venialibus occideretur propter Christum, esset martyr, et statim evolaret in cœlum : ergo sine pœnitentia dimitterentur ei peccata venialia.

[1] Q. 87 [2] Ibid. [3] Ibidem ad 1

Resp. non fore martyrem in hoc casu, nisi præcessisset aliqua volitio martyrii, ut diximus in 2 2 de Fortitudine, in qua volitione potuit includi pœnitentia virtualis peccatorum venialium. Si secus, dicendum quod martyr in instanti separationis animæ vel paulo ante, vel paulo post, erumpit in ferventissimum actum charitatis qui erit pœnitentia virtualis, et quo a culpa et pœna omnium venialium liberabitur, non per modum meriti, si post separationem, sed per modum contrariæ dispositionis : sicut pariter dicendum est de justo, qui cum affectu peccati venialis dormiens aut subito moreretur.

Si dicas in futuro sæculo non dari pœnitentiæ locum, neque voluntatem post hanc vitam mutari, resp. in futuro sæculo equidem non dari pœnitentiæ locum qua status mutetur essentialiter, bene tamen qua mutetur accidentaliter ; pariter voluntatem non mutari essentialiter, quantum ad finem et charitatem, posse tamen mutari accidentaliter quantum ad remotionem impedimenti. Itaque pro peccato mortali non datur in altero sæculo pœnitentiæ locus ; quia qui decedunt cum peccato mortali, sunt simpliciter in termino. Datur vero pro peccato veniali, quia qui cum solis venialibus moriuntur, non sunt simpliciter in termino, sed secundum quid, et adhuc in via ad terminum simpliciter. Adde quod habeant in se principium pœnitentiæ et veniæ, scilicet gratiam et charitatem : et hæc est sententia Auctoris q. 7, *de Malo*, a. 11, S. Greg., lib. 4 *Dialog.*, c. 39, S. Aug., lib. 21 *de Civit.*, cap. 24, S. Bernardi, serm. 66, *in Cantica*, S. Isidori, Bedæ, etc., sicque loqui tenentur adversarii de justo, qui cum affectu peccati venialis dormiens, aut subito moreretur sine actu meritorio. Ista tamen pœnitentia alterius vitæ non esset, ut jam dixi, per modum meriti, sed per modum contrariæ dispositionis removentis prohibens, vel solutionis debiti, quam Deus ab amicis dignatur acceptare.

Inst. S. Th., hic ad 2, nihil aliud requirit in martyre ad deletionem venialium, quam quod passio pro Christo « non inveniat actualiter voluntatem peccato inhærentem » : ergo.

Resp. sensum S. Th. esse quod non inveniat voluntatem peccato inhærentem, sed retractatam per pœnitentiam. Id supponere S. Thomam evidens est, partim ex corpore articuli, ubi formalissime requirit pœnitentiam pro remissione venialium; partim ex eadem responsione ad 2, in qua eadem verba usurpat de remissione mortalium et venialium per Ba-

ptismum et martyrium; nemo enim dicit Baptismum, aut martyrium remittere mortalia, sine aliqua pœnitentia; partim tandem quia censetur voluntas peccatoris tamdiu inhærere peccato, quamdiu per actum contrarium non revocatur.

Dices : Omnis actus charitatis est meritorius gloriæ : ergo a fortiori remissionis venialium; qui enim meretur majus, meretur et minus.

Resp. neg. conseq. Ad probat. Verum est axioma, quando majus et minus sunt ejusdem ordinis; non sunt autem ejusdem ordinis remissio venialium et meritum gloriæ.

Inst. Peccatum veniale est impedimentum gloriæ : atqui qui meretur finem, meretur tolli impedimentum ad finem : ergo.

Resp. dist. maj. Peccatum veniale est impedimentum gloriæ absolutum et essentiale, neg.; secundum quid et accidentale, conc.; non enim absolute tollit gloriam, sed retardat tantum, sicut pœna luenda pro peccatis dimissis. Sicut autem ista pœna non tollitur, quando quis meretur gloriam, ita nec peccatum veniale. Unde distincta min. ad sensum maj. neg. conseq.

§ II.

Utrum peccatum veniale possit remitti sine gratia?

Quæstio procedit de gratia, tam actuali, quam habituali. Dupliciter gratia habitualis potest censeri necessaria ad remissionem peccati venialis : 1° antecedenter, sic, ut homo debeat esse in statu gratiæ; 2° concomitanter, sic, ut non remittatur peccatum veniale, nisi gratia de novo infundatur, sive ut forma expellens peccatum, sive ut effectus actus remissivi.

Dico 1° : Sine gratia actuali[1] per actum solis naturæ viribus elicitum non potest remitti peccatum veniale.

Prob. 1° ex can. 13 concil. Araus. 2, in quo dicitur : « Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur. » Et 1 Joan. 1 : *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato.* Insuper justi petunt in Oratione Dominica sibi remitti peccata venialia : ergo hæc remissio est opus gratiæ.

Prob. 2° : Peccatum veniale in hoc statu elevationis est quoddam malum pertinens ad ordinem gratiæ, cum retardet affectum, ne prompte feratur in Deum, ut finem supernaturalem, et causet aliquam deordinationem circa media ad hunc finem : atqui malum pertinens ad ordinem gratiæ non potest tolli nisi per gratiam, seu ex auxilio gratiæ; unumquodque enim tollitur per suum contrarium : ergo.

Dico 2° : Peccatum veniale[1] non potest remitti sine gratia habituali antecedenter, sive nisi homo sit in statu gratiæ, ita ut veniale conjunctum mortali non possit remitti sine mortali.

Prob. Remissio culpæ etiam venialis[2] fieri non potest nisi per opus satisfactorium Deo gratum et acceptum in ordine supernaturali; omnis enim nostra satisfactio ad Deum est amicabilis, nec fundatur in justitia, sed in sola acceptatione divina: atqui nullum peccatoris opus est Deo gratum, et acceptum in ordine supernaturali, cum sit opus inimici in isto ordine : ergo. Confir. 1° : Peccatum veniale importat veram maculam, scilicet privationem fervoris gratiæ : atqui hæc macula tolli non potest, nisi supponatur gratia, cujus fervor restituatur : ergo. Confir. 2° : Remissio peccati venialis est redintegratio in familiaritatem Dei : ergo supponit ejus amicitiam, adeoque gratiam.

Unde quando simul tempore veniale cum mortali remittitur, prius natura intelligitur remissum mortale, quam veniale; quia prius est restitui in amicitiam Dei, quam in ejus familiaritatem; prius est esse gratiam habitualem, per quam tollitur peccatum mortale, quam eam prorumpere in actum, per quem tollitur veniale.

Dico 3° : Ad remissionem peccati venialis,[3] non est necessaria novæ gratiæ habitualis infusio, neque ut forma expellens, neque ut effectus actus remissivi, sed sufficit motus gratiæ vel charitatis qui sit ejus pœnitentia virtualis, modo prius explicato.

Prob. prima pars : Peccatum veniale[4] non consistit in privatione gratiæ, sed in privatione ejus fervoris, seu in impedimento ejus nitoris : ergo ad ejus remissionem non est necessaria nova gratiæ habitualis infusio, privatio enim tollitur per formam oppositam. Rem aptissimo exemplo illustrat S. Doctor.[5] Sicut, inquit, in corpore contingit esse maculam dupliciter, uno modo per privationem ejus quod requiritur ad decorem, puta, debiti coloris, aut debitæ proportionis membrorum; alio modo per superinductionem alicujus impedientis

[1] Ibid. a. 2, ad 1.

[1] Ib. a. 4, o. [2] Ib. [3] Ib. a. 2, o. [4] Ib. [5] Ib. ad 3.

decorem, puta, luti aut pulveris : ita etiam animæ inducitur macula; uno modo per privationem decoris gratiæ per peccatum mortale; alio modo per inclinationem affectus ad aliquid temporale, per quam impeditur gratia, ne prompte et habiliter feratur in Deum, sicque ne exterius elucescat, et hoc facit peccatum veniale : et ideo ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infusio gratiæ, sed ad tollendam maculam peccati venialis requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quem removeatur inordinata adhæsio ad rem temporalem. Hucusque S. Doctor paucis additis.

Prob. secunda pars : Si adesset semper infusio gratiæ, ut effectus secutus ad actum remissivum peccati venialis, ideo esset quia talis actus est meritorius novi gradus gloriæ, adeoque et augmenti gratiæ, quæ est semen gloriæ : atqui hæc ratio nulla est. Major est fundamentum adversariorum. Prob. min. Non semper eo ipso quo ponitur actus meritorius augmenti gratiæ, augetur gratia in esse habitus et qualitatis, sed tantum augetur in esse gratiæ, in quantum tunc subjectum acceptatur ad majorem gratiam, conferendam duntaxat suo tempore, scilicet vel quando producetur actus habitu intensior, qui sit dispositio sufficiens ad augmentum gratiæ in esse qualitatis, vel in ingressu gloriæ, de quo in tract. de Charitate.

Observat tamen Auctor in fine corporis, quod quia habentibus usum liberi arbitrii, in quibus solis possunt esse venialia peccata, non contingit esse infusionem gratiæ, sine actuali motu liberi arbitrii in Deum, et in peccatum (intellige qui vel adsit, vel præcesserit, et virtualiter remaneat, vel quem nata est excitare gratia); ideo quandocumque de novo infunditur gratia, peccata venialia remittuntur : intellige iterum, si tamen iste motus liberi arbitrii sit virtualis pœnitentia peccatorum remittendorum, sensu quem § præcedenti explicuimus.

§ III.

Utrum et quomodo peccata venialia remittantur per sacramenta et sacramentalia?

Quid sit intelligendum per sacramentalia, et quot soleant numerari, dixi a. ultimo de Sacramentis in genere. Require.

Suppono[1] ante omnia neque sacramenta neque sacramentalia remittere peccata venialia immediate, sed mediante tantum actu virtualis pœnitentiæ ad quem per auxilia specialia excitant, ut docet D. Th., hic art. 3, tum in o, tum ad 1, dicens ea causare remissionem peccatorum venialium, in quantum inclinant animam ad motum pœnitentiæ, qui est detestatio peccatorum vel implicite vel explicite. Item ad 3. Et ratio est quia cum venialia consistant in privatione non gratiæ et charitatis, sed ejus fervoris et habilitatis, sacramenta et sacramentalia non possunt ea aliter tollere quam causando seu obtinendo auxilia supernaturalia quibus homo applicetur ad eliciendos actus ferventes charitatis vel pœnitentiæ, per quos peccata vel formaliter vel virtualiter retractantur; nulla enim privatio potest tolli nisi per positionem formæ oppositæ.

Ex quo patet differentia inter peccatum mortale et veniale, et cur illud potest remitti immediate per sacramenta et non istud ; quia nimirum peccatum mortale consistit in privatione gratiæ quam immediate causant sacramenta, non autem actualem charitatis fervorem, in cujus privatione consistit peccatum veniale. Hoc supposito,

Dico 1° : Peccata venialia remittuntur per sacramenta et sacramentalia [1].

Prob. Ad remissionem peccati venialis [2] non requiritur novæ gratiæ infusio, sed requiritur et sufficit aliquis actus procedens ex gratia quo aliquis detestetur peccatum veniale, vel explicite, vel implicite, ut dictum est : atqui per sacramenta et sacramentalia habetur talis actus : ergo. Prob. min. de sacramentis : Per sacramenta infunditur gratia vel prima vel secunda : atqui in habentibus usum liberi arbitrii non contingit esse infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum, ut jam dixi § præced. Et patet, tum quia ipsa gratia infusa, in quantum est ex se, ordinatur ad talem motum, etsi forte sit quandoque impedimentum ex parte subjecti ; tum quia per sacramenta non tantum gratiæ habitus infunditur, sed etiam quædam auxilia specialia ad certos virtutum actus, ut diximus de gratia sacramentali ; tum tandem quia ipsa voluntaria ac devota sacramenti susceptio est virtualis saltem motus in Deum et in peccatum : ergo. Prob. min. de sacramentalibus. Sacramentalia sunt duplicis generis : quædam sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum, ut confessio generalis,

[1] Q.87 a. 3, o. et ad 1.

[1] Ibid. o. [2] Ibid.

tunsio pectoris, Oratio Dominica ; quædam sunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum et res divinas, et consequenter cum virtuali displicentia eorum quorum Deus offenditur, ut recipere benedictionem ab episcopo, aspergi aqua benedicta, orare in ecclesia consecrata, etc.: ergo.

Dices : Quodlibet istorum eamdem relationem habet ad unum peccatum veniale et ad omnia : ergo si per aliquod istorum remittitur aliquod peccatum veniale, remittuntur omnia ; et ita per unam tunsionem pectoris, per unam aspersionem aquæ benedictæ, homo redderetur immunis ab omnibus peccatis venialibus : atqui consequens est absurdum : ergo.

Resp. dist. conseq. Ergo si per aliquod istorum remittitur aliquod peccatum veniale [1], remittuntur omnia, quantum est ex se, conc. conseq.; quantum est ex parte subjecti, neg. Itaque omnia ista, quantum est de se, operantur ad remissionem omnium peccatorum venialium, quia quantum est de se inclinant animam ad motum pœnitentiæ circa omnia ; potest tamen homo non habere talem pœnitentiæ motum circa aliqua, unde impeditur remissio quoad illa, quibus nunc actualiter inhæret; sicut licet Baptismus, quantum est ex se, operetur remissionem omnium peccatorum, potest tamen per fictionem illius effectus impediri.

Si petas utrum sicut culpa venialis per prædicta remittitur, ita et pœna ipsi debita ? resp. quod [2] non semper tota remittatur, sed quandoque minus quandoque magis, juxta modum fervoris in Deum qui per prædicta excitatur.

Dico 2° : Sacramenta novæ legis habent vim remittendi peccata venialia *ex opere operato.*

Prob. In tantum sacramenta dicuntur remittere peccata venialia, in quantum causant gratiam qua excitetur motus detestationis peccatorum implicitæ vel explicitæ, ut dictum est : atqui sacramenta *ex opere operato* causant gratiam sacramentalem, quæ complectitur non solum gratiam habitualem, quæ per se inclinat ad actus virtuosos, sed etiam specialia auxilia ad certos virtutum actus, ut patet ex dictis de sacramentis in communi : ergo.

Confir. Omnia sacramenta novæ legis remittunt peccata mortalia ex opere operato, alia per se vi primariæ institutionis, ut sacramenta mortuorum ; alia vi secundariæ institutionis, ut sacramenta vivorum, ut diximus alibi : ergo a fortiori etiam peccata venialia. Patet conseq., quia peccata venialia facilius remittuntur quam mortalia.

Porro hæc semper intellige in quantum est ex se, seu attenta institutione sacramentorum et vi gratiæ quam causant, quæ in quantum est ex se in sua infusione nata est excitare fervorem charitatis, licet per accidens, defectu subjecti, aliquando de facto non excitetur.

Dices : Qui confitetur aliquod peccatum veniale et alia ex intentione reticet, nullam tamen habens circa ea complacentiam, eorum retentorum veniam non consequitur ; alias impertinens foret aliqua confiteri : ergo per alia sacramenta nulla fit peccatorum venialium remissio. Prob. conseq. Sic se habent alia sacramenta respectu omnium venialium, sicut sacramentum Pœnitentiæ respectu non confessorum : ergo.

Respondet Gonet, dato ant. negando conseq. et probationem seu paritatem; confessio enim peccatorum sive mortalium, sive venialium, est pars sacramenti Pœnitentiæ, et solum peccata confessa explicite vel implicite sunt ejus materia, non sic in aliis sacramentis : unde licet in sacramento Pœnitentiæ non remitterentur peccata venialia quæ voluntarie reticentur, in aliis tamen sacramentis potest obtineri eorum remissio quamvis in talium sacramentorum susceptione nulla de illis peccatis mentio fiat.

Recte dicit Gonet : dato ant. Existimamus enim quod qui accusato aliquo veniali alia voluntarie reticeret, sine tamen ulla in eis complacentia, posset in sacramenti hujus susceptione consequi eorum remissionem. Quid enim obstat quin vi gratiæ sacramentalis excitentur motus ferventes qui sint virtualis displicentia eorum peccatorum non confessorum? Neque tamen erit impertinens ea confiteri ad eorum remissionem; quia motus displicentiæ facilius et primario sunt circa confessa, quatenus sunt propria materia sacramenti et magis memoriæ præsentia : circa non confessa autem non sunt primario, et per se, quia non sunt propria materia hujus sacramenti; sed indirecte tantum et per accidens, in quantum tales motus seu actus ita sunt effectus sacramenti Pœnitentiæ, ut simul sint actus ferventes et virtuosi, ex qua parte includere possunt virtualem displicentiam tam confessorum quam non confessorum, plurium vel paucorum secundum modum fervoris sui.

[1] Q. 87 ad 2. [2] Ibidem ad 3.

Dico 3° : Sacramentalia non habent proprie vim remittendi peccata venialia *ex opere operato*, sed tantum *ex opere operantis*, scilicet ipsius qui eis utitur et Ecclesiæ.

Prob. prima pars : In tantum sacramentalia possunt dici remittere peccata venialia *ex opere operato*, in quantum *ex opere operato* causant gratiam qua excitetur fervor charitatis, seu motus pœnitentiæ formalis vel virtualis circa illa peccata, ut constat ex dictis : atqui sacramentalia talem gratiam non causant *ex opere operato*, sed tantum *ex opere operantis* Ecclesiæ et illius qui eis utitur : ergo. Prob. min. Gratiam causari *ex opere operato* est eam causari virtute operis, non quatenus procedit laudabiliter ab operante, sed quatenus est institutum ad gratiam causandam, habens ex sua institutione hanc vim : atqui sacramentalia non habent ex sua institutione præcise vim causandi gratiam : ergo. Prob. min. 1° Quia alias sacramentalia forent sacramenta, utpote signa visibilia practica invisibilis gratiæ. 2° Sacramentalia sunt ex institutione Ecclesiæ; Ecclesia autem non habet potestatem instituendi quædam signa visibilia quæ vi præcise suæ institutionis gratiam conferant; tum quia, ut jam dicebam, alias haberet potestatem instituendi sacramenta; tum quia nullibi habetur sive in S. Scriptura, sive in traditione, hanc potestatem Christum contulisse Ecclesiæ, ideoque sine sufficienti fundamento id asseretur, quod fieri non debet in re tanti momenti: ergo.

Neque refert quod Ecclesia habeat potestatem applicandi merita Christi ad remissionem pœnæ per indulgentias. Præterquam quod enim usus indulgentiarum sit fundatus in verbo Dei, traditione et decretis conciliorum quod dici nequit de sacramentalibus quoad vim remittendi peccata *ex opere operato:* altera disparitas est quod ad remissionem pœnæ restantis post culpam dimissam non requiratur gratiæ infusio aut operatio in anima, sed sufficit exterior pœnæ condonatio quam Ecclesia nomine Christi facit; remissio vero culpæ, quæ est macula in anima, requirit gratiæ infusionem vel operationem.

Prob. et explicatur secunda pars : Sacramentalia, ut jam dixi, alia sunt quæ ex genere suo et modo quo fiunt, habent adjunctum aliquem dolorem de peccatis, ut confessio generalis, tunsio pectoris, Oratio Dominica; alia sunt quæ ultra motum reverentiæ erga res divinas, qui in eorum usu reperitur, habent insuper specialem ab Ecclesia benedictionem et consecrationem, ut aqua benedicta, benedictio episcopi, oratio in ecclesia benedicta vel consecrata, etc. Hæc omnia si laudabiliter et virtuose fiant, patet quod operentur ad remissionem peccatorum venialium, sive per modum pœnitentiæ virtualis, sive impetrando gratiam qua talis pœnitentia excitetur, non secus ac cætera opera virtutum. Et quæ sunt secundi generis, præter hanc virtutem ex parte utentis, habent insuper benedictionem, consecrationem et preces Ecclesiæ quæ tunc nobis applicantur, cum eis sacramentalibus utimur, et quæ per modum impetrationis et intercessionis habent vim obtinendi nobis gratiam remissivam peccati venialis; solet enim Deus Ecclesiæ suæ sponsæ preces benignius exaudire.

Unde colliges non idem valere uti aqua quæ ex falsa persuasione crederetur benedicta, ac si esset benedicta; licet enim utens devotionis fructum non perderet, Ecclesiæ tamen intercessionem non applicaret.

Item non parem vim ad remittenda venialia tribuendam esse sacræ concioni, lectioni, imaginibus, etc., quam quæ tribuitur sacramentalibus ; prima enim excitant tantum devotionis motum objective, sed sacramentalia et objective simul et impetratorie propter preces et benedictiones Ecclesiæ quæ per illa applicantur.

Et forte nihil aliud intelligunt adversarii per opus operatum, quam eam vim impetrandi quam inesse sacramentalibus quibusdam fatemur, sed proprie loquendo hoc non est causare *ex opere operato,* cum talis vis causandi habeatur ex opere Ecclesiæ prout laudabiliter ab ipsa procedit, adeoque meritorie et per modum impetrationis, non autem precise vi suæ institutionis.

Confert art. ultimum de sacramentis in genere.

ARTICULUS III.

UTRUM PECCATA PER PŒNITENTIAM DIMISSA REDEANT PER SEQUENS PECCATUM ?

Hæc quæstio potest multipliciter intelligi. 1° An peccata dimissa redeant quoad actum numero eumdem : et hoc sensu certum est non redire, quod enim semel desiit, idem numero redire non potest, saltem de lege Dei ordinaria, ut docetur in philosophia ; et licet forte possit secundum potentiam Dei extraordinariam redire secundum esse physicum

et quoad entitatem, non potest tamen redire secundum esse morale, seu quoad malitiam; Deus enim nullo modo potest esse auctor malitiæ peccati qualis foret in hoc casu reproductionis, quia homo foret tantum instrumentum. 2° Intelligi potest an redeant secundum aversionem et conversionem relictam ex actu et moraliter remanentem, ideoque secundum maculam et reatum pœnæ. Pro cujus intelligentia,

Præmitto præclaram Auctoris[1] doctrinam. In peccato mortali, inquit, duo sunt, scilicet aversio a Deo et conversio ad bonum creatum; ex parte conversionis, peccata mortalia sunt diversa et interdum contraria: unde manifestum est quod ex parte conversionis peccatum mortale sequens non facit redire peccata mortalia prius abolita; alioquin sequeretur quod homo per peccatum prodigalitatis reduceretur in habitum vel dispositionem avaritiæ prius abolitæ; et sic contrarium esset causa sui contrarii, quod est impossibile. Quidquid autem est ex parte aversionis in peccato mortali, seu quidquid illi convenit ratione aversionis secundum se consideratum, est commune omnibus peccatis mortalibus, quia per quodlibet peccatum mortale homo avertitur a Deo, adeoque macula quæ est per privationem gratiæ, et reatus pœnæ respondens aversioni, communia sunt omnibus peccatis mortalibus et secundum hoc intelligitur id quod dicitur Jacobi 2: *Qui offendit in uno factus est omnium reus.* Igitur considerando in peccatis mortalibus id quod est ex parte aversionis absolutæ, per peccatum mortale subsequens redit illud quod fuerat in prioribus peccatis ante dimissionem, in quantum per peccatum mortale sequens homo privatur gratia et fit reus pœnæ æternæ, sicut prius erat.

Verum quia aversio in peccato mortali ex conversione quodam modo causatur, fit ut ea quæ sunt ex parte aversionis diversitatem quamdam recipiant per comparationem ad diversas conversiones sicut ad diversas causas, ita ut sit alia aversio et alia macula et alius reatus, prout ex alio et alio actu peccati mortalis consurgit: et hoc sensu, prosequitur Auctor, in quæstionem vertitur utrum macula et reatus pœnæ æternæ, secundum quod causabantur ex actibus peccatorum prius dimissorum, redeant per peccatum mortale sequens, ita ut peccatum sequens pœnitentiam non solum inducat maculam propriam et reatum proprium, sed etiam reducat antiquum, perinde ac si semper perseverasset, nec unquam fuisset remissus, ut propterea talis peccator sit Deo exosus et damnandus, non solum ob peccata nunc admissa, sed etiam propter illa priora; et hoc S. Doctor vocat peccata redire simpliciter. Redire autem secundum quid est peccatum sequens propter præcedentia seu præcedentium remissionem fieri gravius, ejusque maculam turpiorem, ad reatum majorem. Potest etiam intelligi redire secundum quid, in quantum peccatum sequens inducit privationem gratiæ et reatum pœnæ æternæ, sicut præcedens, ut prius dicebam: unde

Dico: Peccata semel per Pœnitentiam remissa[1] non redeunt simpliciter per peccatum sequens, sed secundum quid tantum.

Prob. prima pars ex S. Scriptura et SS. Patribus[2]: Rom. 2 dicit Apostolus: *Sine pœnitentia sunt dona Dei;* sed peccata pœnitentis sunt dimissa per donum Dei: ergo per peccatum sequens non redeunt, quasi Deum de dono remissionis pœniteat. Ezech. 18, v. 30: *Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis iniquitas:* esset autem in ruinam si per peccatum sequens redeat.

S. August., l. *Respons. Prosperi* ad 2 object. Gallorum, refertur *de Pœnitent.*, d. 4, cap. 14: « Qui recedit a Christo et alienus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? sed non in id quod remissum est recedit. » Gelasius Papa, 16 de Pœnit., cap. ultimo: « Divina clementia peccata in ultionem ulterius redire non patitur » : ergo.

Prob. rationibus[3]: 1° Remissio peccatorum est opus Dei, peccatum opus hominis: atqui opus hominis non potest destruere opus Dei: ergo.

Si dicas gratiam esse opus Dei, quod tamen evacuatur per peccatum, resp. disparitatem esse quod gratia concedatur conditionate, si homo peccando mortaliter eam non abdicet. Remissio autem peccatorum conceditur absolute, ut patet ex auctoritatibus citatis et patebit ex ratione sequenti. Et ratio hujus disparitatis est quod gratia sit quid positivum, indigens ad sui conservationem influxu Dei continuo, quem Deus non confert iis qui peccant mortaliter. At remissio seu destructio peccati non indiget influxu Dei ut permaneat: res enim destructa semper manet destructa, nisi reproducatur, quod non potest contingere in peccato ut jam dixi et dicam.

[1] Hic q. 88, a. 1. o.

[1] Ibid. [2] Ibid. in a. s. c. [3] Ibid, o.

2° Deus remittit peccata absolute[1] et non sub conditione de futuro, si pœnitens postea non peccet: patet ex textibus citatis et ex forma sacramenti; sacerdos enim, loquens nomine Dei, dicit absolute sine ulla conditione : Absolvo te : ergo per sequens peccatum non redeunt. Confir. 1° : Peccatum remitti est illud destrui ; nulla autem potest assignari causa hujus reditus seu reproductionis: non Deus, ut dictum est; non homo, quia non committit illud idem quod ante commiserat. Confir. 2° : Non potest macula et reatus peccati redire nisi redeat actus a quo causatur : atqui per sequens peccatum actus peccati remissi non redit nec redire potest : ergo.

3° Peccatum semel plene punitum non debet iterum puniri, sed peccatum remissum fuit plene punitum in Christo cujus passionis virtute fuit remissum : ergo.

4° Si peccata dimissa redirent, sequeretur 1° quod iterum deleri deberent per sacramentum Pœnitentiæ, quod est unicum medium ad eorum remissionem institutum, sicque teneretur homo ea iterum confiteri, quod damnat tanquam absurdum Benedictus XII, Extravag. *Inter cunctas*. Sequeretur 2° quod etiam rediret peccatum originale; non enim est potior ratio de peccatis actualibus quam de isto, sicque quod deberet deleri per iterationem Baptismi, quia non est aliud medium ad ejus remissionem institutum; consequens est hæreticum : ergo.

Prob. secunda pars : Duplici sensu peccata dimissa dicuntur redire secundum quid per sequens peccatum : 1° si ratione remissionis illorum peccatum sequens sit gravius propter ingratitudinem; 2° si peccatum sequens inducat similem privationem, et similem reatum pœnæ æternæ ac præcedentia remissa : atqui utrumque contingit ; ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° : Christus, Matth. 18, referens parabolam regis qui jussit servum, cui omne debitum dimiserat, in carcerem conjici, donec redderet universum debitum, eo quod fratri debitum pariter non remiserat, subjungit : *Sic et Pater vester cœlestis faciet vobis, si non dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris :* ergo peccata prius dimissa redeunt ubi deest charitas fraterna : charitas autem fraterna tollitur per quodlibet peccatum mortale, per quod scilicet tollitur charitas simpliciter.

Resp. hanc parabolam posse duplici sensu legitimo intelligi : 1° Quod peccata remissa redeant secundum quid, ratione tum ingratitudinis, tum similis reatus pœnæ æternæ; 2° intelligendo de remissione peccatorum, non re ipsa facta, sed facta quantum ex parte Dei qui per ministros Ecclesiæ applicat sacramentum de se efficax remittendis peccatis peccatori, sed is ponit obicem per internum odium in fratrem : et sic peccata quæ putabantur remissa, et quæ quantum ex parte Dei potuerant remitti, si non fuisset appositus obex, dicuntur redire, quamvis revera non fuerint remissa. Quo sensu hæc parabola non spectat relapsos post remissionem, sed eos qui petunt sibi remitti, cum ipsi nolint remittere. Neque enim putandum est omnes parabolarum circumstantias semper applicandas esse veritati quæ intenditur; quædam sunt enim ad ornatum tantum, ut in præsenti, venundatio servi, contristatio aliorum, relatio per eos facta domino utique ignoranti, item remissio facta servo priusquam ipse dimiserit conservo, hic non sunt applicandæ. Non enim Deus ignorat quid in nobis agatur, nec remittit nobis priusquam remittamus, cum jubeat nos prius dimittere, si velimus nobis dimitti ; sunt ergo istæ circumstantiæ ad ornatum, et adjectitiæ; necessariæ vero, et veritati intentæ applicandæ, sunt quod rex, qui servo longe majus debitum dimiserat, graviter illum puniat eo quod debitum longe minus non remiserit conservo; quo voluit significare Christus se non remittere ei qui non vult remittere fratri; et se eum cui remisit, sed postea non vult remittere levem injuriam fratri, propter ingratitudinem et speciem quamdam crudelitatis, graviter puniturum.

Inst. : S. Aug. occasione hujus parabolæ dicit, l. 1 *de Bapt. cont. Donatisi.*. cap. 12 : « Redire dimissa peccata, ubi fraterna charitas non est, apertissime Dominus in Evangelio docet in illo servo a quo dimissum dominus repetit; eo quod ille conservo suo debitum nollet dimittere. » Item serm. 15 *de Verbis Domini*, sic ait : « Si non dimiseris revocabo te, et quidquid dimiseram replicabo tibi. » Similiter loquuntur S. Gregorius, Beda, Rabanus, etc.

Ad primum textum S. Augustini respondet Auctor[1] quod illud verbum S. Augustini videatur intelligendum de reditu peccatorum quan-

[1] Ibid.

[1] Ib. ad. 1.

tum ad reatum pœnæ æternæ in se consideratum; quia scilicet post pœnitentiam peccans incurrit reatum pœnæ sicut prius, non tamen omnino propter eamdem rationem : unde S. Aug., in libro de *Respons. Prosperi* ad 2 obj. Gall. cum dixisset, quod « non in id quod remissum est, recidit, nec pro originali peccato damnabitur », subdit : « Qui tamen propter postrema peccata ea morte afficitur quæ ei, propter illa quæ remissa sunt, debebatur », quia scilicet incurrit mortem æternam, quam meruerat per peccata præterita, vel etiam dicit remissa redire secundum quid, quia inde sequens aggravatur propter ingratitudinem.

Resp. 2° S. Augustinum loco citato non loqui assertive, sed ex suppositione quam urgebat contra donatistas; donatistæ enim, ut ibid. exponit S. Doctor, volebant iis qui ficte Baptismum susciperent, in ipso Baptismi puncto peccata dimitti, sed statim per fictionem redire : ergo etiam, arguit S. Augustinus, « Hoc in eis intelligant fieri qui extra Ecclesiæ communionem, sed tamen baptismate Ecclesiæ baptizantur », ita ut non magis istis quam illis necessaria sit Baptismi iteratio (contra quod prætendebant donatistæ) : « Nam redire dimissa peccata, ubi fraterna charitas non est, apertissime Dominus in Evangelio docet », si nempe dicantur fuisse remissa illi qui perseverans in odio fratris est baptizatus. Cum enim, Matth. 18, constet eum pro meritis puniri, consequens est peccata ejus redire post sacramentum, si fuerant in sacramento remissa. Quod autem S. Aug. assertive teneat homini fratris odium retinenti peccata vere coram Deo non remitti, quando baptizatur, patet ex ejusdem libri cap. 11, 12 et 13, et ex lib. 5, cap. 20, 21, 22, quo ultimo loco sic ait : « Quanto magis fieri non potest, ut eis peccata dimittantur, qui fratres, a quibus diliguntur, oderunt, et in ipso odio baptizantur. »

Ad secundum S. Augustini textum, et ad alios Patres laudatos, Resp., juxta primam solutionem, eos esse intelligendos de reditu peccatorum secundum quid, ratione scilicet, vel similis reatus pœnæ æternæ, vel aggravationis ex ingratitudine.

Obj. 2° : Beda, l. 4 in Luc., cap. 48, super illud : *Revertar in domum meam unde exivi*, dicit : « Timendus est iste versiculus, non exponendus, ne culpa quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat » : ergo.

Resp. quod neque Lucas, neque Beda intelligant de reditu peccatorum dimissorum, sed de iteratione actus ; in quantum cum quis securus putat illecebram peccati præteriti esse extinctam, eat in periculo ne iterum resurgat, et cum in simile peccatum conjiciat.

Obj. 3° : Bona opera per peccatum mortificata reviviscunt per pœnitentiam : ergo et peccata per pœnitentiam deleta per relapsum revocantur.

Resp. neg. conseq [1]. Disparitas est quod bona opera per peccatum mortificata non prorsus abolentur, sed manent semper in memoria, et acceptatione divina, ut sublato peccato reviviscant, ut dicemus infra, quamvis eo durante impediantur a mercedis consecutione : unde mortificantur tantum per ordinem ad illum cujus erant, non absolute in se; peccata vero per pœnitentiam prorsus in se abolentur, et destruuntur ; ita ut nihil eorum remaneat, ne quidem in memoria Dei. Rationes hujus discriminis require artic. 5 infra secunda probat. conclusionis.

ARTICULUS IV.

UTRUM PER PŒNITENTIAM VIRTUTES RESTITUANTUR ?

Quæstio est de virtutibus infusis, non acquisitis ; hæ enim, cum non nisi multiplicatis actibus acquirantur, ita amissæ, non nisi similibus actibus restituuntur, non vero per Pœnitentiam, cum quandoque contingat pœnitentem unico actu justificari.

Dico : Virtutes infusæ per peccatum amissæ restituuntur per Pœnitentiam. [2]

Dixi : Amissæ, quia non semper omnes amittuntur per peccatum, sed ordinarie remanent fides et spes, et istæ non restituuntur, nisi quoad statum perfectum, et informationem charitatis.

Prob. [3] Per Pœnitentiam remittuntur peccata, et remissio peccatorum non fit sine infusione gratiæ justificantis : atqui gratiam sanctificantem consequuntur omnes virtutes gratuitæ, sicut ex essentia animæ fluunt omnes potentiæ; gratiæ enim in ordine supernaturali deserviunt virtutes infusæ ad ejus operationem, sicut animæ in ordine naturali deserviunt ejus potentiæ : ergo.

Confir. ex Trid., sess. 6, cap. 7, ubi dicitur quod in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit

[1] In 4 d. 21, d. 1, a. 1, ad 6. [2] Hic q. 89, a. 1, o. [3] Ibid. o.

homo, fidem, spem et charitatem; charitas autem sine aliis virtutibus esse non potest, quia qui est rectificatus circa finem, quod fit per charitatem, oportet etiam eum rectificari circa media, quod fit per virtutes.

Dices 1° : Virtutes amissæ non possunt per pœnitentiam restitui, nisi pœnitentia sit earum causa: atqui pœnitentia non est causa omnium virtutum, cum ipsa sit virtus, et non sit causa sui : ergo.

Resp. neg. maj. Non enim dicimus quod virtutes amissæ restituantur per pœnitentiam, quasi pœnitentia virtus sit earum causa, sed sensus est, ut patet ex probatione conclusionis, quod homo pœnitens disponatur per suos actus ad gratiam justificationis, quam consequuntur omnes virtutes, etiam ipsa pœnitentia, ut virtus.

Dices 2° : Habens virtutem sine difficultate et delectabiliter operatur actus virtutum : unde philosophus, 1 *Ethic.*, c. 8, dicit quod non est justus qui non gaudet justa operatione : atqui multi pœnitentes adhuc difficultatem patiuntur in operando actus virtutum : ergo.

Resp. dist. maj. Habens virtutem sine difficultate [1], et delectabiliter operatur actus virtutum per se, et quantum est ex parte habitus virtutis, conc. maj.; per accidens, et ex parte subjecti, neg. maj. Ad hunc sensum, distincta min., neg. conseq. Dicendum igitur quod in quantum est ex ipsa inclinatione charitatis, et aliarum virtutum, pœnitens opera virtutum delectabiliter et sine difficultate operatur, istæ enim ex se inclinant et instigant ad bonum ; sed quia per pœnitentiam non prorsus omnes absterguntur peccatorum reliquiæ, nempe vitiosi habitus, seu pravæ dispositiones, ex prioribus actibus peccatorum causatæ, ex his præstatur difficultas in operibus virtutum, donec per contrarios actus pellantur; sicut si ex somnolentia, aut alio morbo sentiret homo difficultatem in exercitio actus virtutis.

Repones : Si redeant omnes virtutes : ergo pelluntur omnes habitus vitiosi oppositi; quia duo habitus contrarii non possunt esse in eodem subjecto.

Resp. Dato quod pellantur in ratione habitus, remanent tamen in ratione dispositionum. Insuper, neg. conseq. et ad prob., dico quod virtutes infusæ et habitus vitiosi non sunt stricte contrarii, quia non sunt ejusdem generis; illæ enim sunt infusæ et supernaturales, isti autem sunt acquisiti et naturales.

[1] Q. 86 ad 3.

Dices 3° : Virginitas et innocentia amissæ per peccatum, restitui non possunt per pœnitentiam : ergo. Prob. ant. Virginitas consistit in integritate carnis absque omni experimento delectationis venereæ; innocentia vero in integritate mentis ab omni peccato : atqui fieri non potest, quod qui expertus est veneream delectationem, non sit expertus; et qui peccavit, quod non peccaverit : ergo.

Resp. neg. ant. Ad probat. dist. maj. Virginitas [1] quoad suum martiale consistit in integritate carnis, absque omni experimento delectationis venereæ; et similiter innocentia, quoad suum materiale, in integritate mentis ab omni peccato, conc. maj.; quoad suum formale, neg. Et concessa min. dist. conseq. Ergo virginitas et innocentia amissæ restitui non possunt, quoad suum materiale, conc.; quoad suum formale, neg. Formale autem in virginitate est inclinatio, seu propositum perpetuo abstinendi a delectatione venerea; et in innocentia, inclinatio, seu propositum vitandi omnia peccata, et quoad hæc restituuntur per pœnitentiam.

Repones : Qui peccando virginitatem amisit, dum pœnitet, proponit quidem abstinere a peccato, non tamen tenetur proponere abstinere ab omni delectatione venerea, sed potest velle uti Matrimonio : ergo nec quoad formale restituitur virginitas.

Resp. dist. ant. Qui peccando, etc., non tamen tenetur proponere abstinere ab omni delectatione venerea absolute, conc. ant,; in præparatione animi, neg. ant. Illi enim datur in præparatione animi propositum abstinendi ab omni delectatione venerea, si sibi competeret, et res exigeret : et hoc sensu dicitur restitui formale virginitatis, saltem in sua proxima dispositione, sicut pauper justus dicitur habere virtutem magnificentiæ, quia habet in præparatione animi exercere actus illius virtutis, si divitiæ suppeterent.

ARTICULUS V.

DE REVIVISCENTIA MERITORUM PER PŒNITENTIAM.

§ I.

Utrum merita per peccatum mortificata reviviscant per Pœnitentiam ?

Theologi communiter distinguunt quadruplicis generis opera, quæ homo elevatus ad or-

[1] 2 2, q, 152, a. 3, ad 3.

dinem supernaturalem elicere potest. Alia sunt viva, alia mortua, alia mortifera, alia mortificata. Opera viva sunt quæ a principio vitæ spiritualis, scilicet gratia, procedunt : mortua, quæ licet sint ex objecto bona, non tamen procedunt a gratia, sed ab homine in statu peccati mortalis ; mortifera, sunt peccata, quæ gratiam, animæ vitam destruunt ; denique mortificata, sunt quæ a gratia processerunt, sed per peccatum subsequens impediuntur a suo effectu, qui est perducere suum auctorem ad gloriam, metaphora deducta a membris corporeis, quæ mortificata dicuntur, quando impediuntur a suis functionibus ; peccatum enim subsequens tollit gratiam ; quamdiu autem homo est extra gratiam, perduci non potest in vitam æternam.

Non est hic quæstio de operibus vivis, quæ non indigent reviviscere ; neque de mortuis ; quæ enim nunquam vixerunt, reviviscere non possunt ; neque de mortiferis, hæc enim per Pœnitentiam destruuntur, non reviviscunt. Est igitur quæstio tantum de operibus mortificatis, de quibus inquirimus, an reviviscant per Pœnitentiam, id est, an recuperent vim, et efficiam perducendi hominem, qui ea fecit, in vitam æternam, qua efficacia fuerunt privata per peccatum.

Meritum sumptum in concreto est opus bonum præmio vitæ æternæ dignum ; sumptum in abstracto est jus ex illo bono opere ad vitam æternam, et consequenter ad gratiam quæ est semen, et mensura gloriæ : unde eo passu quo resurgunt merita, resurgit gratia quam merebantur, seu saltem jus ad illam et ad virtutes gratiam consequentes.

Dico : Merita per peccatum mortificata reviviscunt per Pœnitentiam [1].

Hæc conclusio quamvis non sit de fide, est tamen certa et unanimiter asserta ab omnibus theologis.

Prob. 1° auctoritate S. Scripturæ, concilii Trid. et Patrum [2]. Joel 2, postquam Dominus, v. 12, dixit : *Convertimini ad me in jejunio, fletu et planctu*, v. 25, subjungit in mercedem hujus conversionis : *Reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus et rubigo.* Super quæ verba Glossa interlinearis ex S. Hieronymo desumpta dicit : « Non patiar perire ubertatem, quam cum perturbatione animi amisistis ; illa autem ubertas est meritum bonorum operum, quod per peccatum fuit perditum. »

Ezech. 33 : *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ;* noceret vero plurimum, si priorum meritorum fructum perderet.

Apost. Heb. 6 : *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius* : ubi Paulus alloquitur omnes Hebræos, inter quos absque dubio erant qui lapsi fuerant : hunc que textum proponit concil. Trid., sess. 6, cap. 16, iis qui peccaverunt, dicens : « Justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda inter alia hæc verba Apostoli : *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* »

Idem concilium ibid. dicit : « Nihil justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene, illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, et vitam æternam suo tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam promeruisse, censeantur. » Ubi concilium innuit tres conditiones requiri, ut opera nostra sint meritoria, et præmium suum obtineant ; scilicet, ut sint opera hominis justificati, ut sint facta in Deo sive a gratia Dei, et ut qui ea facit in gratia decedat ; atque « nihil amplius deesse credendum est » : atqui merita mortificata habent duas priores conditiones, et tertiam recuperant virtute Pœnitentiæ, in qua datur gratia cum qua pœnitens potest decedere : ergo.

S. Hieronymus, in cap. 3 ad Galat., ubi Apostolus de iis qui post plura pro Christo tolerata lapsi erant in Judaïsmum, dicit : *Tanta passi estis sine causa ? Si tamen sine causa*, scribit : « Quicumque ob fidem Christi laboraverit, et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora dicitur passus fuisse sine causa, dum peccat ; sic rursus non perdet ea, si ad pristinam fidem et ad antiquum studium revertatur. »

S. Ambrosius, lib. 1 in Luc. : « Vide, inquit, quam bonus Deus, et facilis indulgere peccatis, non solum ablatum restituit, sed etiam insperata concedit. »

S. Chrysostomus, hom. 6 in Genes. : « Per misericordiam Dei, si modo condemnare facta nostra, et jam sistere ignaviam voluerimus, poterimus statim ad pristinam abundantiam redire. »

Prob. 2° ratione [1] : Merita mortificata reviviscere est ea recuperare vim et efficaciam perducendi suum auctorem in vitam æternam, quam efficaciam perdiderant per peccatum et propterea dicebantur mortificata : atqui per Pœnitentiam hanc efficaciam recuperant ;

[1] Hic q. 89, a. 5, o. [2] Ibid. in a. s. c.

[1] Ibid. o.

ergo. Prob. min. Causa remanens, sed carens suo effectu propter impedimentum, eo ablato, debet effectum suum producere : atqui merita licet actu transierint, remanent tamen quantum est de se in acceptatione divina, et per pœnitentiam tollitur impedimentum, scilicet peccatum, sistens eorum effectum : ergo. Min. pro secunda parte patet. Prob. prima pars : Quamvis Deus absolute potuisset merita non acceptare ad præmium pro semper, sed tantum sub conditione perseverantiæ in justitia, sicut peccata ad pœnam non acceptat pro semper, sed sub conditione impœnitentiæ, ea tamen sic acceptasse colligimus 1° ex S. Scripturis, Patribus et concilio Trid. citato, atque ex unanimi theologorum consensu. 2° Quia Deus est proclivior ad præmiandum quam ad puniendum, et semper punit infra, præmiat autem ultra condignum. 3° Quia hoc ipso quod bona opera Deo semel placuerunt, nunquam illi displicent; semper enim manet quod fuerint bona et ab ejus gratia procedentia, sicque acceptatio est perpetua. Quapropter, propter peccatum sequens, illa non abjicit a sua acceptatione, licet peccatorem abjiciat quamdiu est in peccato, sed eo ablato congruum est ut illa merita sine remuneratione non relinquat: at vero peccatum per Pœnitentiam deletum non remanet, neque in se, ut patet, neque in acceptatione Dei, quia nunquam ipsi placuit, neque in acceptatione divinæ justitiæ ad puniendum, quia divina justitia non punit nisi id quod nondum fuit punitum et pro quo non est satisfactum, atque supponendo reatum pœnæ; peccatum vero per Pœnitentiam deletum fuit punitum et pro eo satisfactum ex meritis Christi, nec reatus pœnæ redire potest, quia non redit actus voluntarius a quo causatur. 4° Quia, ut supra diximus, peccatum est opus hominis, quod non potest destruere absolute in se opus Dei quale est meritum. 5° Denique quia circa bona opera non plus valet culpa quam gratia; sed culpa mortificat : ergo gratia vivificat.

Dices 1° : Sicut per pœnitentiam subsequentem remittuntur peccata præterita, ita per peccatum sequens mortificantur opera prius in charitate facta : atqui peccata dimissa per Pœnitentiam non redeunt per subsequens peccatum : ergo nec opera mortificata reviviscunt per charitatem seu pœnitentiam subsequentem.

Resp. dist. maj. To *sicut*[1] dicente omnimodam paritatem, neg. maj.; το *sicut* dicente aliqualem paritatem, conc. maj., et concessa min. neg. conseq. In hoc ergo est paritas, quod sicut peccata semel dimissa non nocent amplius homini ad damnationem æternam, ita nec merita semel mortificata nihil prosunt homini ad vitam æternam, quamdiu remanent mortificata, seu est in statu peccati. Est autem disparitas quod opera peccati per pœnitentiam abolentur secundum se et absolute, ita scilicet quod ex eis ulterius, Deo sic indulgente, qui ea projicit in profundum maris, ut dicit S. Scriptura, nec macula nec reatus inducatur; sed opera ex charitate facta non abolentur absolute et in se, sed in quantum est ex se remanent in acceptatione divina, ut dictum est, et tantum impedimentum accipiunt ex parte hominis ne ei prosint : et ideo remoto impedimento quod est ex parte hominis, Deus implet ex parte sua illud quod opera merebantur.

Inst. : Ezech. 18, sicut dicitur de peccatore pœnitentiam agente : *Omnium iniquitatum ejus non recordabor*, sic de justo qui peccavit mortaliter, dicitur : *Omnes justitiæ ejus non recordabuntur :* atqui iniquitates non redeunt : ergo justitiæ non reviviscunt.

Respondetur communiter ex hoc textu nihil aliud sequi quam quod sicut Deus non recordatur impietatum,[1] ita nec justitiarum, quamdiu homo in peccato remanet, et in hoc solo sitam esse paritatem, non vero in hoc quod sicut impietates non redeunt, sic nec justitiæ reviviscunt; quia S. Scriptura dicit equidem impietatem deleri per pœnitentiam et justitiam per peccatum, sed non explicat modum quo utraque deletur; non enim omnia in eodem S. Scripturæ loco dicuntur, sed ex aliis locis colligimus iniquitatem per pœnitentiam absolute in se deleri, justitias vero non deleri in se per peccatum, sed impediri tantum a suo effectu. Confirm. responsio ex eo quod cum Deus sit pronior ad parcendum quam ad puniendum et promissiones ejus sint favorabiles, comminationes autem odiosæ, illæ debeant ample intelligi, istæ restringi. Verum non aliunde quam ex ipso textu repetenda est solutio, in eo namque agitur de peccatoribus in suo peccato morientibus; subditur enim immediate: *In prævaricatione qua prævaricatus est, et in peccato quod peccavit, in ipsis morietur.*

Urgebis : Plus valet peccatum ad destruenda merita quam gratia ad destruenda peccata; peccatum enim est malitiæ infinitæ et gratia bonitatis finitæ : ergo.

[1] Q 89 ad 1.

[1] In 4 d. 22, q. 1, a. 1, ad 6.

Resp. dist. ant. Plus valet peccatum ad destruenda merita quam gratia ad destruenda peccata, si considerentur præcise secundum se, transeat, posset namque negari; quia peccatum non mortificat merita ratione malitiæ infinitæ, sed quia est incompossibile cum gratia: si considerentur ut subsunt legi divinæ misericordiæ volentis acceptare ad præmium merita præterita etsi mortificata, et nolentis punire peccata dimissa etiam in relapso, neg. Fundamentum autem hujus legis habes in probationibus conclusionis.

Dices 2° : Opera dicuntur mortificari ad similitudinem animalium quæ moriuntur, ut docet S. Th., art. 4: atqui animal mortuum non potest iterum vivificari : ergo pariter nec opera mortificata, etc.

Resp. dist. maj. Opera dicuntur mortificari[1] ad similitudinem aliquam animalium quæ moriuntur, conc. maj.; ad similitudinem omnimodam, neg. maj. Est ergo in hoc similitudo, quod et animalia mortua et merita mortificata priventur operatione sua et effectu. Est autem disparitas quod merita non mortificentur secundum se, ut dictum est, sed solum per impedimentum proveniens ex parte operantis : animalia autem moriuntur secundum se in quantum privantur principio vitæ: unde merita mortificata debent potius comparari membro viventi quidem, sed propter aliquod impedimentum functiones suas exercere non valenti.

§ II.

In quo gradu et quantitate merita per peccata mortificata, reviviscant per Pœnitentiam?

Quidam volunt merita mortificata reviviscere quoad omnes gradus et omnem quantitatem quam habebant, quantumvis sit remissa pœnitentia, ita ut qui habebat merita ad decem gradus gloriæ, si resurgat ut duo, habebit merita ad duodecim. Ita plures tam antiqui quam recentiores, præsertim Suarez in opusculo *de reviviscentia meritorum*. Alii volunt quod reviviscant secundum quantitatem præsentis dispositionis seu pœnitentiæ. Ita cum Auctore communiter thomistæ et plures extranei, sed tamen diverso sensu. Quidam sic intelligunt quod nullus alius gradus conferatur pœnitentiæ præter eum qui correspondet contritioni per quam resurgit, ita ut nihil recuperet de jure ad præmium essentiale præcedentibus meritis debito, sed tantum ad præmium accidentale; idem autem præmium essentiale conferatur duplici titulo, nempe titulo præsentis dispositionis et titulo meritorum præcedentium : ita Bannes, Sylvius, Contenson. Alii dicunt merita sic reviviscere secundum quantitatem præsentis dispositionis, ut præter gradum qui illi debetur, aliquid conferatur de jure ad præmium essentiale correspondente prioribus meritis: ita Soto, Nugno, Alvares, Ledesma, quos citat et sequitur Gonet.

Hæc autem sententia dupliciter explicatur. Prima et communior explicatio est quod si is, qui habebat prius merita ad decem, resurgat per actum contritionis ad duo, habebit jus ad gloriam ad quatuor gradus, quorum duo respondent præsenti dispositioni, alii duo præcedentibus meritis mortificatis.

Altera explicatio est Dominici, Soto qui dicit quod ille qui resurgit summo conatu et in perfecta pœnitentia, recuperat omnem gratiam a qua ceciderat ; quia, inquit, si contritio est dispositio ad vivificationem operum, fit ut optima quæ esse potest in integrum illa restituat ; nam sicut posita dispositione ponitur effectus, sic posita summa ponitur summus effectus : unde si contritio deficit ab illa summa, in ea proportione, qua ab ea distat, restituitur antiqua gratia, ut si contritio est medietas summæ, restituetur medietas gratiæ ; si fuerit quarta pars, restituetur ei quarta pars gratiæ pristinæ. Quia si per summam pœnitentiam tota ruina reparatur, videtur quod illa proportio sit servanda inter minores causas et effectus, ut docet philosophus, 6 et 7 *Physic.* Ita laudatus theologus ; et hæc explicatio satis arridet.

Pro resolutione hujus difficultatis, in qua, ut ingenue fateor, inter tot opiniones vix aliquid certi statui potest, observandum est gratiam posse sumi dupliciter : 1° physice pro qualitate qua participes efficimur divinæ naturæ; 2° moraliter pro jure morali ad gloriam mediis bonis operibus, vel præsentibus, vel præteritis quidem, sed remanentibus in Dei acceptatione. Neque ista distinctio est fictitia, ut contendit quidam recentior thomista, sed fundata in Auctore 3 p. q. 7, a. 11, o, ubi distinguit inter gratiam Christi consideratam in esse entis et consideratam in esse gratiæ. Si dicas ad gloriam fundari in gratia physice sumpta, id quidem verum est de jure physico et intrinseco ad gloriam ut hæreditatem, non vero de jure morali et extrinseco ad gloriam ut coro-

[1] Q. 89 ad 2.

nam et mercedem, illud namque fundatur in bonis operibus quæ Deus acceptat ad gloriam et ad præmium. Hic itaque inquirimus tantum de reviviscentia gratiæ sumptæ moraliter pro jure ad gloriam ; quia meritum dicit jus ad gloriam, ideoque meritum reviviscere est recuperare jus ad gloriam. Quomodo autem et quando resurgat et augeatur gratia in esse physico ad quam recuperatur jus per actus remissos pœnitentiæ, dicemus in tract. de Charitate, dum de ejus augmento.

Dico 1° : Merita per peccatum mortificata non semper reviviscunt per pœnitentiam in eodem gradu et eadem perfectione quam habebant antequam mortificarentur, sed secundum quantitatem et proportionem præsentis dispositionis.

Est manifeste S. Th., hic q. 89, a. 2, o, ubi dicit : « Contingit intensionem motus pœnitentis quandoque proportionatam esse majori gratiæ quam illa a qua exciderat per peccatum, quandoque autem æquali, quandoque vero minori. Et ideo pœnitens quandoque resurgit in majori gratia, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori. » In resp. ad 2 : « Pœnitentia, quantum est de se, habet virtutem reparandi defectus ad perfectum et etiam promovendi in ulteriorem statum, sed hoc quandoque impeditur ex parte hominis qui remissius movetur in Deum et detestationem peccati. » Et art. 5, ad 3 : « Qui per Pœnitentiam resurgit in minore charitate, consequetur quidem præmium essentiale, secundum quantitatem charitatis in qua invenitur. »

Id etiam innuit Trid., sess. 6, cap. 7, ubi dicit quod unusquisque recipiat justitiam secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem. »

Prob. ratione : Contritio per quam resurgit pœnitens non solum est remotio impedimenti, ut arbitrantur adversarii, sed est etiam dispositio moralis ad reviviscentiam meritorum : atqui causa non producit effectum, nisi secundum dispositiones subjecti : ergo. Prob. maj. Sicut contritio ad tria, v. g,, est dispositio physica ad gratiam ad tria physice sumptam, ita est dispositio moralis ad gratiam moralem ex meritis reviviscentibus, quæ manent in acceptatione divina : unde sicut vi sacramenti vel contritionis habetur jus physicum ad tria, ita æquale jus morale habetur per merita reviviscentia ; istæ enim duæ causæ non se impediunt. Nec obstat quod sit tantum dispositio ad tria ; ubi enim duæ causæ concurrunt, eadem dispositio sufficit cuilibet ad suum effectum : paritas est in Baptismo ficte suscepto, qui dum reviviscit per pœnitentiam, consequitur suum effectum, et Pœnitentia suum secundum mensuram præsentis dispositionis, ut dixi de Bapt., dissert. 4, a 2, petit. 2.

Dices : Pœnitentia non est dispositio moralis ad reviviscentiam meritorum, nisi ex beneplacito divino : atqui non est ratio, cur Deus eam acceptet ad certos gradus meritorum mortificatorum, et non ad omnes : ergo.

Resp. neg. min. Sunt enim plures rationes, et ex eis confir. conclusio. 1° Quia, seclusa Dei revelatione, debemus loqui de supernaturalibus, proportione servata, sicut de naturalibus ; partim ne detur cuilibet occasio quodlibet fingendi ; partim quia exigit suavis Dei providentia, ut de supernaturalibus disponat ad modum rerum naturalium, quæ sunt nobis notæ ; causæ autem naturales non producunt effectum, nisi secundum dispositiones subjecti. 2° Per hanc modificationem salvantur jura misericordiæ et justitiæ. 3° Si merita mortificata semper reviviscerent in summo gradu, daretur justis occasio teporis et facilitatis ad peccandum, cum viderent tam facilem meritorum reviviscentiam, quoad totam suam perfectionem. E contra ex nostra sententia inducuntur ad eliciendos actus ferventiores charitatis et contritionis, sive in ipsa conversione, sive postea, quibus opera mortificata magis ac magis reviviscant, quousque in integrum restituantur.

Dico 2° : Merita mortificata reviviscunt secundum quantitatem præsentis dispositionis, non hoc sensu quod eadem gloria essentialis conferatur pœnitenti duplici titulo, scilicet titulo præsentis dispositionis, et titulo meritorum mortificatorum, sed hoc sensu quod, ultra jus ad gloriam essentialem correspondentem præsenti dispositioni, conferatur aliquid de jure ad distinctam gloriam essentialem correspondentem præcedentibus meritis.

Prob. Quia alioquin reviviscentia meritorum non salvatur cum proprietate : ergo. Prob. ant. Merita reviviscere nihil est aliud quam ea iterum acceptari ad gloriam essentialem quam merebantur : atqui si ultra gloriam essentialem ; quæ debetur præsenti dispositioni, non detur altera quæ correspondeat meritis præcedentibus, sed tantum eadem duplici titulo detur, non proprie iterum acceptantur ad gloriam essentialem, quia etsi non præcessissent, perinde foret et æqualis gloria : sicut si quis

per decem dies in vinea alterius laborasset, et daretur illi stipendium unius diei decem titulis, novem dies priores non censerentur computari, et juste compensari : ergo.

Confir. Pone casum quod aliquis octoginta annis sanctissime vixerit, et in fine vitæ peccet mortaliter, et alter per idem tempus flagitiosissime vixerit, uterque autem resurgat in eodem pœnitentiæ gradu, puta ad quatuor; uterque secundum sententiam quam oppugnamus, æquali gloria donabitur : ergo in primo nulla habebitur ratio præcedentium meritorum, adeoque proprie non reviviscunt.

Neque dicas quod respectu meritorum præcedentium confertur primo majus gaudium accidentale de operibus in prima charitate factis. Nam contra 1° vita hominis est vita æterna : ergo nisi illis meritis respondeat præmium vitæ æternæ, proprie non reviviscunt : unde concilium Trid., sess. 6, cap. 16, dicit merita vivificata valere « ad consequendam suo tempore vitam æternam ; » vita autem æterna est gloria essentialis. 2° Quia sequeretur quod impietas impii ipsi multum noceret, etiamsi converteretur, et quod Deus nullo modo redderet annos quos comedit locusta et bruchus, contra S. Scripturam.

Sententia itaque nostra, his duabus conclusionibus explicata, in hoc est cæteris anteponenda, quod media via incedat inter nimium rigorem, et nimiam indulgentiam. Nimius namque rigor videtur, quod homo pœnitens non resurgat nisi ad gloriam essentialem quæ præcise respondet dispositioni præsenti, et nullatenus ad aliquam saltem partem illius quæ debebatur meritis præcedentibus : unde pœnitentes animo cadunt, et in desperationem labuntur. Ex altera parte videtur nimia indulgentia, quod pœnitentes semper resurgant ad majorem gratiam et gloriam : unde peccatores fiunt præsumptuosi, et negligunt bona opera. Uterque vero scopulus cavetur, et jura misericordiæ et justitiæ conciliantur dicendo quod homo pœnitens resurgat secundum quantitatem dispositionis præsentis ad aliquem gradum præmii essentialis, distinctum ab illo qui respondet præsenti dispositioni

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° contra primam conclusionem : Remoto impedimento sequitur effectus, ut ante : atqui peccatum est impedimentum meritis, et removetur per pœnitentiam : ergo.

Resp. dist. min. Peccatum est impedimentum meritis tantum, neg.; simul et defectus dispositionis, conc. Unde pœnitentia non est mera remotio impedimenti, sed etiam dispositio moralis ad reviviscentiam meritorum, ut probatum est.

Inst. : Gratia quæ confertur per sacramentum Pœnitentiæ non commensuratur dispositioni pœnitentis; qui enim attritus accedit ad sacramentum recipit gratiam, quamvis attritio non sit dispositio sufficiens, et proportionata gratiæ : ergo.

Resp. dist. maj. Gratia quæ confertur per sacramentum Pœnitentiæ non commensuratur dispositioni pœnitentis arithmetice, conc.; proportionaliter, neg. Non itaque gratia per sacramentum collata sic commensuratur dispositioni pœnitentis, quasi dispositio debeat esse tanta, quanta est gratia, ita ut si gratia sit ad quatuor, etiam dispositio sit ad quatuor, sicut debet esse in collatione gratiæ extra sacramentum ; commensuratur tamen proportionaliter, quia quo major est dispositio in accedente ad sacramentum, eo majorem recipit gratiam. Nec mirum quod non tanta requiratur dispositio, quando gratia confertur per sacramentum, quia tunc confertur *ex opere operato,* et Deus supplet in adultis partem dispositionis, sicut supplet totam in infantibus qui baptizantur. Extra sacramentum autem habetur gratia *ex opere operantis* per actus charitatis et contritionis, et ideo Deus dispositionem non supplet.

Obj. 2° : S. Ambrosius, seu S. Augustinus, 3 *hypognost.*, dicit quod « Pœnitentia est res optima quæ omnes defectus revocat ad perfectum. » Et Apost Rom. 5 dicit : *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia :* atqui utrumque videretur falsum, si merita in toto non reviviscant per pœnitentiam : ergo.

Item ex hac sententia sequeretur, contra expressa S. Scripturæ testimonia § præced. laudata, quod Deus non redderet annos quos comedit locusta; quod impietas impii ipsi noceret, etsi convertatur; quod Deus oblivisceretur operis nostri, etc. : ergo.

Item sequeretur quod homo, qui non resurgeret in contritione æquali præteritis meritis, et statim moreretur, puniretur in æternum propter peccatum præteritum, atque etiam tunc, cum in cœlo esset beatus. Item sequeretur, quod qui ante peccatum habebat meritum ut viginti, si resurgat ut duo, non consequetur majorem fructum, quam qui habebat meritum ut duo, et resurgit ut duo : hæc videntur absurda.

Denique Trid., sess. 6, can. 32, dicit opera hominis justificati facta a gratia Dei veri mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decedat, consecutionem atque etiam gloriæ augmentum. Et cap. 16, supra citato, dicit præter ista tria nihil amplius deesse, quominus censeantur justi promernisse vitam æternam suo tempore consequendam : ergo ex Tridentino, quæcumque bona opera per peccatum mortificata reviviscunt, et augmentum gratiæ et gloriæ, si homo in gratia decesserit, consequentur.

Resp. ad. primum, quod, Pœnitentia [1] quantum est de se, habeat virtutem reparandi omnes defectus ad perfectum, et etiam promovendi in ulteriorem statum, sed hoc quandoque impeditur defectu dispositionum ex parte hominis qui remissius movetur in Deum et in detestationem peccati : sicut etiam in Baptismo aliqui adulti consequuntur majorem vel minorem gratiam, secundum quod diversimode se disponunt.

Ad secundum : Sensus Apostoli non est quod quanto quis abundantius peccat [2], tanto abundantiorem gratiam habitualem recipiat ; sed sensus est, quod superabundet gratia superabundanti delicto, quoad rationem ipsam gratiæ, quia magis gratis, magis peccatori confertur. Adde quod Apostolus loquatur de gratia Christi, quæ est superabundans, hoc est, plusquam sufficiens ad delenda omnia et infinita peccata.

Ad tertium, resp. juxta solutionem D. Th. mox datam, hæc omnia testimonia vera esse in nostra sententia, attenta ratione pœnitentiæ, quæ quantum est ex se, potest reparare omnes defectus ad perfectum; quod autem non fiat ita, accidit defectu dispositionum in pœnitente, qui remissius movetur in Deum et in peccatum : unde restitueret Deus annos etiam integros, quos comedit locusta, si sufficienter homo foret dispositus huic restitutioni. Nec etiam impietas ipsi nocet, quia non datur ipsi minor gratia et gloria ratione et merito peccatorum præcedentium, sed quia non se bene præparat ad majorem. Adde quod præcipue hoc loco significetur, quod impietas pœnitentis non ipsi noceat ad damnationem, alioquin noçet, et quoad habitus malos relictos, et quoad reatum pœnæ temporalis. Nec Deus obliviscetur operis nostri, qui quantum est ex se restituit omnia, ubi fuerint ad ea sufficientes dispositiones : oblivisceretur autem si pœnitenti sufficienter disposito non redderet.

[1] Q. 89 a. 2. ad 2. [2] Ib. ad 3.

Ad quartum, resp. cum Goneto, privationem illam juris ad aliquem gradum gloriæ essentialis, quem homo meruit ante peccatum, non esse proprie pœnam peccati præteriti, quasi Deus adhuc intendat per illam punire peccatum pœnitentia deletum, sed est tantum defectus sequens ex alio defectu, videlicet sufficientis dispositionis : sicut qui, cum pauciora bona fecit in hac vita, non recipit plura præmia in cœlo, non dicitur puniri.

Ad quintum : Id non sequitur juxta explicationem Soto de qua supra. Juxta vero communem explicationem, neg. min., quia hoc non provenit nisi ex defectu dispositionum, quod non est absurdum. Unde primus, attentis meritis prioribus, et pœnitentia, plusquam secundus recuperare deberet, si sufficientes dispositiones poneret.

Ad ultimum, conc. totum ; sed quo reviviscant merita ad integrum augmentum gratiæ et gloriæ ad quod ante peccatum valebant, quod est nostra quæstio, non definivit concilium, sed theologis disputandum reliquit, quamvis sententiam nostram innuat, ut patet ex probatione conclusionis.

Obj. 3° contra secundam conclusionem cum Banne, Contenson, etc. S. Th., hic art. 5, ad 3, sic ait : « ille qui per pœnitentiam resurgit in minore charitate, consequetur quidem præmium essentiale secundum quantitatem charitatis, in qua invenitur ; habebit tamen gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quam de operibus quæ in secunda charitate fecit, quod pertinet ad præmium accidentale. » Idem docet in 3 d. 31, q. 1, a. 4, ad 4 : ergo censet S. Doctor merita non reviviscere ad gloriam essentialem juxta mensuram præcedentis dispositionis, sed tantum ad gloriam accidentalem.

Resp. neg. conseq. Quin imo contrarium innuit S. Doctor hisce testimoniis ; dicit enim quod « ille qui per pœnitentiam resurgit in minore charitate consequetur quidem præmium essentiale (correspondens scilicet meritis antiquis de quo procedebat argumentum), secundum quantitatem charitatis, in qua invenietur. » Vult ergo solum quod quia tale jus ad præmium essentiale interdum minus est quam illud quod fuit ante peccatum ob defectum ordinarium dispositionis et contritionis, in qua pœnitens resurgit; pro illo excessu et meritis non perfecte vivificatis, pœnitens solum habeat jus ad aliquod præmium accidentale, gaudium scilicet de illis operibus, in prima charitate factis, quod ideo dicit fore

majus quam gaudium de operibus in secunda charitate factis ; quia magis gratis obtinuit per remissionem præmium essentiale illorum, cujus fuerat factus indignus per peccatum, quam præmium essentiale operum in secunda charitate factorum, quæ nunquam fuerant mortificata : hæc ergo D. Thomæ testimonia, in quibus tantam vim faciunt adversarii, non militant contra hanc secundam conclusionem, sed probant primam.

Obj. 4° contra eamdem : Idem præmium meruit Christus pluribus titulis. Et ex Trid., sess. 6, cap. 16, eadem gloria datur justis, et ut hæreditas, et ut præmium : ergo similiter potest dici quod idem gradus gloriæ essentialis detur pluribus titulis, scilicet titulo præsentis meriti, et præcedentium reviviscentium.

Resp. neg. conseq. Quoad primum, disparitas est, quod cum quodlibet opus meritorium Christi esset infinitum in ratione meriti, nihil restabat quod per subsequens opus posset mereri, ideoque idem variis titulis merebatur, quia aliter fieri non poterat ; non sic autem in nostro casu, ita Gonet.

Disparitas in secundo est quod licet per gratiam constituamur filii Dei adoptivi, adeoque ejus gloriæ hæredes, noluit tamen Deus eam nobis conferre nisi propter merita ; quia talis modus eam acquirendi est nobilior, et nobis gloriosior. Qua de causa, et quia sunt tituli diversæ rationis, non est inconveniens, quod propter utrumque eadem gloria detur. At vero omnia nostra merita prima et secunda sunt ejusdem rationis ; et non est aliqua ratio, ut in priori casu, cur duplici merito unum præmium respondeat.

DISSERTATIO IV.

De partibus sacramenti Pœnitentiæ in particulari ; et primo de contritione

D. Th. Suppl. q. 1, 2, 3, 4 et 5.

Auctor, q. 90 seq., agit de partibus sacramenti Pœnitentiæ in generali, de quibus nos egimus in dissert. 1 ; hæ autem sunt quatuor : contritio, confessio, satisfactio et absolutio, de quibus in particulari disserere non potuit S. Doctor morte præventus, magno reipublicæ christianæ detrimento. Quæ vero sequuntur ex ejus scriptis in 4 sententiarum collecta sunt in unum, quod vocatur *Supplementum Summæ* ; et quamvis huic supplemento sua nec parva insit auctoritas, non tanta tamen quanta Summæ ; quia illic S. Doctor agebat partes commentatoris, in Summa vero partes perfecti et consummati Doctoris.

ARTICULUS I.

DE QUIDDITATE ET QUALITATE CONTRITIONIS.

Hæc nomina [1] *Contritio et Attritio* per metaphoram translata sunt a corporalibus ad spiritualia. Sicut enim in corporalibus res dura dicitur atteri vel frangi, quando in magnas partes dividitur, conteri autem, seu comminui, quando in minutas partes dividitur ; ita per similitudinem in spiritualibus cor humanum suis peccatis et affectibus inhærendo, durum factum et obedire nescium (unde et lapideum

[1] Suppl. q. 1. a. 1. o.

vocatur Ezech. 11), conteri dicitur, dum virtute divina per pœnitentiam affectum peccati, cui adhærendo durum factum fuerat, totaliter dimittit : atteri autem dum non ita perfecte dimittit.

Dico 1° : Contritio [1] ut sic, prout abstrahit a statu veteris et novæ legis, a perfecta et imperfecta, est « Animi dolor et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero » : ita in terminis concilium Trid., sess. 14, cap. 4, cui definitioni si addas ex Trid. : « cum voto præstandi reliqua..... quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur », habebis definitionem contritionis prout convenit statui novæ legis, coincidentem cum ista Auctoris [2] : « Dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi et satisfaciendi. » Sufficit autem istud votum confitendi esse implicitum, sicut dixi de voto ipsius sacramenti, dissert. 1, art. 4, § 2. Require ibi.

Explicatur definitio. Dicitur 1° : Animi dolor ; quia contritio non est dolor partis sensitivæ, sed affectus rationalis, seu voluntatis ; non raro tamen ex vera contritione oritur in appetitu sensitivo, ea passio quæ dicitur dolor, et est laudabilis, quatenus imperatur a voluntate ; non est tamen ad veram contritionem necessarius, cum non sit in potestate hominis.

Dicitur 2° : Detestatio seu odium ; quia dolor nascitur ex odio in subjecto doloris capaci, et ad contritionem necessario requiritur, ut dicam modo.

Dicitur 3° : De peccato, non de pœna peccati [3] ; quia contritio in spiritualibus importat voluntatis duræ comminutionem ; hæc autem voluntatis durities est in malo culpæ et non pœnæ ; dicitur enim voluntas dura, in quantum ita in suis terminis stat, ut præcepto legis non cedat.

Dicitur 4° : De peccato utique ut peccatum est, seu ut est malum, et offensa Dei ; alioquin non esset actus pœnitentiæ, ut patet ex dissert. 2, art. 1, et amplius dicemus infra.

Dicitur 5° : De peccato commisso, non committendo ; [4] peccatum enim nondum commissum non est expiabile, nec quisquam dolet se commissurum peccatum, quod ex ejus voluntate pendet.

Dicitur 6° : De peccato, utique proprio, non alieno [5] ; quia contritio debet esse in eo, in quo durities peccati, quod conteritur, præcessit ; illud enim idem conteritur quod prius durum fuit. [1] Nec de originali ; quia cum contritio sit dolor comminuens duritiem voluntatis, non est proprie nisi de illo peccato quod procedit ex duritia voluntatis, quale non est originale ; si tamen dolor sumatur late pro quacumque displicentia mali facti præteriti, potest et debet esse dolor de peccato originali.

Dicitur 7° denique : Cum proposito non peccandi de cætero ; quia nemo vere dolere potest se aliquid fecisse, si non proponat amplius non facere.

Istud autem propositum videtur, per se loquendo, debere esse explicitum : quia alias frustra concilium Florent. in compendio fidei, Tridentinum loco citato, S. Thomas cum theologis, illud in definitione contritionis addidissent, nisi intellexissent illud debere esse explicitum, quia implicitum continetur in priori illa parte : Dolor de peccato commisso ; fieri enim non potest, ut jam dicebam, quod quis vere de peccatis doleat, nisi virtualiter saltem statuat ea iterum non committere. Per accidens tamen defectu temporis vel considerationis, sufficit implicitum, seu virtuale, modo pœnitentem ita suorum peccatorum pœniteat, quod si adverteret ad futura, proponeret ea nunquam iterare, ut dicit Sylvius, hic post Navarrum.

Si quis ergo occupatus, vel in examinanda sua conscientia, vel in detestanda vita præterita, vel in imploranda Dei misericordia, et petenda venia, vel in excitando in se Dei amorem et dolorem de peccatis, non cogitet actu dicens : Volo emendare vitam, nolo amplius peccare, sed bona fide eat ad confessionem, vere est contritus, et confessio bona propter virtuale propositum in dolore inclusum. Ita laudatus Sylvius. Et ratio est, quia, ut modo dicam, propositum formale non est de essentia contritionis, nec consequenter pars essentialis sacramenti, sed requiritur tantum de præcepto, quando quis vult justificari.

Observandum hic pro rudibus hoc propositum non esse promissionem, seu votum inducens aliquam novam obligationem, sed esse duntaxat sinceram voluntatem non amplius peccandi, quæ non inducit aliam obligationem quam eam qua unusquisque tenetur non peccare.

Porro hæc tria, scilicet dolorem et odium peccati, atqui propositum non peccandi, necessario requiri ad contritionem, patet 1° quia concilium Trid. et S. Thomas illa ponunt in definitione contritionis ; 2° quia non destrui-

[1] 3 p. q. 85, a. 3 et 4. [2] Suppl. q. 1, a. 1, o. [3] Ibid. q. 2, a. 1, o. [4] Ibid. a 3, c. [5] Ibidem, a. 4.

[1] Ibidem a. 2.

tur peccatum, nisi detestetur, seu odio habeatur; odium autem parit dolorem in subjecto capaci, et ad dolorem et odium alicujus rei sequitur, tanquam proprietas, propositum eamdem in posterum non perpetrandi; 3° quia vera contritio importat veram conversionem voluntatis; conversio autem voluntatis est a termino a quo, scilicet a veteri vita per odium et dolorem; ad terminum ad quem, scilicet novam vitam, per propositum emendæ; accedit enim et recedit voluntas per actus suos. 4° Hæc tria requiruntur ad reconciliationem inter homines : ergo et inter Deum et homines.

Sed difficultas quædam est, an contritio consistat essentialiter formaliter in istis tribus, an in aliquo tantum, et in quo ? Pro cujus resolutione breviter

Dico 2° : Essentia contritionis non consistit formaliter in istis tribus, sed formaliter in solo dolore, præsuppositive in odio, et consecutive in proposito.

Prob. prima pars : Actus primarius virtutis specialis debet esse unus, et non aggregatum ex pluribus actibus specie distinctis : atqui contritio est actus primarius virtutis specialis pœnitentiæ, et hi tres actus, odium, dolor et propositum specie distinguuntur : ergo. Prob. maj. Actus primarius virtutis specialis est illi similis, ab ipsa enim immediate elicitur, et ipsa per illum specificatur : atqui plures actus specie distincti non possunt esse similes uni virtuti speciali, cum sit simplex qualitas unius speciei : ergo.

Prob. secunda pars : 1° Ex Auctore qui, hic a. 1, definiens contritionem quod sit « dolor de peccatis », etc., dicit dolorem esse genus in hac definitione. 2° Quia cum contritio sit actus primarius pœnitentiæ, ut jam dictum est, in eo actu formaliter consistit qui respicit peccatum ut offensam Dei aliqua satisfactione expiabilem, ut patet ex dictis de Pœnitentia virtute ; atqui talis actus est dolor, et non odium : ergo. Prob. min. Actus qui respicit peccatum, ut offensam Dei aliqua satisfactione expiabilem, debet aliquid adimere a peccatore quod quodammodo offerat Deo : atqui odium peccati nihil a peccatore adimit, dolor aliquid adimit; quia per illum patitur aliquod malum pœnæ, scilicet tristitiam : ergo. Confir. 1° : Contritio est formaliter pœnitentia : atqui pœnitere, formaliter loquendo, est pœna, seu dolore teneri. Confir. 2° : Si contritio formaliter consisteret in odio peccati, reperiretur in beatis qui summo odio prosequuntur peccatum : falsum consequens : ergo.

Tertia et quarta pars patent : Odium enim alicujus rei causat dolorem in subjecto doloris capaci; et ad dolorem sequitur tanquam proprietas propositum eamdem rem rursus non perpetrandi.

Dices 1° : S. Th. hic et alibi sæpe dicit contritionem esse displicentiam peccati; displicentia autem est odium : ergo.

Resp. S. Thomam loqui in sensu causali, non formali; vel sumit displicentiam pro dolore, sicut sæpe accipitur complacentia pro gaudio.

Dices 2° : Si quis diligeret perfecte Deum, et consequenter peccatum odio haberet, absque eo quod cogitaret de dolore, esset vere contritus : ergo.

Resp. 1° : neg. suppositum antecedentis; non videtur enim possibile quod quis summo odio habeat peccatum, et non doleat se illud commisisse; dolor enim, ut dictum est, sequitur ad odium in subjecto capaci. 2° Dato antecedente, iste peccator non foret formaliter contritus, sed virtualiter tantum.

Dices 3° : Contritio debet constitui in eo actu, qui per se primo opponitur peccato, sed odium peccati est id quod per se primo opponitur peccato; dolor enim, ut diximus, sequitur ad odium : ergo.

Resp. dist. maj. Contritio debet constitui in eo actu qui per se primo opponitur peccato, ut est contra summum bonum præcise, neg.; ut est offensa Dei expiabilis per satisfactionem, conc.; et distincta min. ad sensum maj. neg. conseq. Solutio patet ex probatione conclusionis, et ex dictis de Pœnitentia virtute, quam probavimus esse partem potentialem justitiæ.

Dico 3° : Contritio debet esse supernaturalis.

Patet 1° ex concilio Trid., sess. 6, can. 3, ubi post concilium Araus. 2 sic definit : « Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. » 2° Ex Innocentio XI condemnante hanc propositionem : « Probabile est sufficere attritionem naturalem modo honestam. » 3° Ratione, quia nulla est relatio, nulla connexio ordinis naturalis cum supernaturali, ad quem spectat justificatio hominis.

Hinc inferes quod qui dolet de peccato, quia repugnat rationi, vel convictui humano, sive quia ex illo sequitur dispendium famæ, vel bonorum temporalium, et similibus motivis

naturalibus, insufficienter et infructuose conteratur; secus si doleat de peccato, ut est contra legem divinam (sic enim intelligitur ejus turpitudo, de qua concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 4), vel ut est inductivum pœnarum purgatorii, inferni, amissionis gratiæ, gloriæ, etc.; hæc enim pertinent ad ordinem supernaturalem, nec nisi fide supernaturali cognosci possunt. Et ideo quamvis hujusmodi contritio non sufficiat ad justificationem etiam cum sacramento, nisi interveniat aliquis amor Dei benevolus, ut dicemus infra, ad illam tamen disponit.

Dico 4° : Contritio debet esse vera et sincera; ita ut si quis conteratur ficte, aut se credat vere contritum, et non sit, sicque accedat ad sacramentum, neque effectum sacramenti, neque ipsum sacramentum recipiat; quia contritio vera est pars essentialis sacramenti. Sinceritas autem contritionis non ex verbis pœnitentis præcise æstimanda est, sed maxime ex operibus, ex mutatione vitæ, ex fuga occasionum, ex praxi virtutum, juxta illud Matth. 7 : *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Ad hæc attendant confessarii præsertim pro peccatoribus inveteratis et consuetudinariis, et iis qui versantur in occasione proxima.

ARTICULUS II.

DE QUANTITATE CONTRITIONIS.

Quantitas contritionis potest distingui triplex : appretiativa, intensiva et extensiva. Appretiativa spectat objectum, quod pluris æstimatur quam quodvis aliud, etsi non toto animi conatu id fiat. Intensiva spectat subjectum in quo magis radicatur, et per gradus augetur. Extensiva spectat multitudinem peccatorum.

Dico 1° : Dolor de peccatis [1], qui est essentialiter contritio, debet esse omnium dolorum maximus appretiative ; hoc est, peccator debet sic detestari peccata, ut pro nulla re mundi velit illa committere.

Prob. 1° ex illo Joëlis 2 : *Convertimini ad me in toto corde vestro* ; quod debet saltem intelligi de conversione et contritione appretiativa super omnia.

2° Tanto magis aliquid displicet [2], quanto magis ejus contrarium placet : atqui contrarium peccati placet super omnia : ergo. Prob. min. Contrarium peccati est finis ultimus; avertit enim peccantem a fine ultimo, et ideo ipsi contrariatur : atqui finis ultimus super omnia placet, propter ipsum enim omnia fiunt: ergo.

3° Dolor est de malo : ergo juxta rectam rationem de majori malo debet esse major dolor, saltem appretiative : atqui peccatum est omnium malorum maximum : ergo de peccato debet esse maximus dolor appretiative.

Observandum est tamen collationes malorum in particulari cum peccato non esse faciendas a pœnitentibus saltem vulgaribus, neque a confessariis esse eis proponendas, puta an mallent hic et nunc mortem atrocissimam, jacturam honoris, vel omnium bonorum, etc. pati, potiusquam Deum offendere ? « Quamvis enim, inquit Auctor [1], talis debeat esse pœnitentis dispositio, non tamen de eis tentandus est, quia affectus suos homo non de facili mensurare potest, et quandoque illud quod minus displicet videtur magis displicere, quia est propinquius nocumento sensibili, quod magis est nobis notum. » Et iterum [2] : « Sicut delectabilia plus movent in particulari considerata, quam in communi, ita terribilia plus terrent, si in particulari considerentur ; et aliqui sunt qui minori tentatione non cadunt, qui forte majori caderent.... Et ideo descendere in talibus ad singula, est inducere hominem in tentationem, et præbere occasionem peccandi. »

Dico 2° : Dolor ac detestatio voluntatis de peccatis non debet necessario esse maximus omnium dolorum intensive.

Prob. Intensio actus voluntatis provenit ex vehementia objecti moventis ipsam [3] ; inde enim fit quod majori conatu et fervore feratur in ipsum : atqui peccatum non est objectum vehementius movens voluntatem ad dolorem, quam quodvis aliud malum : ergo. Prob. min. Objectum sensibile vehementius movet voluntatem, quam spirituale, quale est peccatum ut est offensa Dei : ergo. Prob. ant. Quo objectum est propinquius voluntati, eo vehementius illam movet : atqui objectum sensibile pro hoc statu est ipsi propinquius quam spirituale : ergo. Prob. min. Sensibilia sunt immediata et proxima sensibus : atqui voluntas pro hoc statu operatur conformiter ad illos, et ab ipsis dependet, quatenus sequitur cognitionem intellectus, qui pro hoc statu desumit cognitionem a sensibus : ergo.

Confirm. 1° ab absurdo : Si omnium dolorum maximus intensive requireretur, sequeretur quod ex duobus, qui æque intense dolerent

[1] Suppl. q. 3, a. 1. o. [2] Ibid.

[1] Suppl. q. 3, a. 1, ad 4. [2] Quodlib. 1, a. 5. [3] Ibid.

de peccato, unus justificaretur, alter non; pone enim casum, quod unus intense doleat de peccato, sed intensius de morte patris, alter æque intense doleat de peccato, sed minus intense de morte patris, hic justificabitur, non ille : atqui absurdum consequens : ergo et ant. Confir. 2° : Amor charitatis non debet esse omnium maximus intensive, ut docetur de charitate : ergo nec dolor de Dei offensa.

Hinc non statim sunt culpandi qui de amissione parentum, amicorum, bonorum, etc., intensius dolent, etiam dolore voluntatis, quam de peccato; id enim sequitur naturam rerum; convenit tamen, ut saltem conentur intensius dolere de peccatis, quam de alia re mundi, imo inordinatum esset et illicitum si eligerent intensius dolere de alio malo, quam de peccato, quia hoc esset judicare esse aliquod majus malum quam peccatum, ideoque de ipso magis appretiative dolere; secus autem quando major intensio doloris sequitur ex conditione naturæ, ut dictum est in probatione conclusionis.

Dices : Ex variis locis S. Scripturæ, Deuter. 4, Joel 2, Micheæ 4, Isaiæ 40, Matth. 11, etc., habetur quod conversio debeat fieri in toto corde, in jejunio, fletu et planctu, et in tota tribulatione animæ : ergo summo, et maxime intenso dolore.

Resp. neg. conseq. Sicut enim præceptum diligendi Deum ex toto corde non intelligitur de totalitate intensionis, sed de totalitate appretiationis : « Ita ut diligens nihil cogitet, nihil velit quod divinæ dilectioni sit contrarium, » ut ait S. Th. 2 2 q. 24, a. 8 : sic præceptum contritionis; ita ut pœnitens sic detestetur peccatum, ut pro nulla re mundi velit illud committere.

Inst. Deus est summum bonum, et peccatum est summum malum : ergo Deus est summe etiam intensive diligendus, et peccatum summe intensive detestandum.

Resp. totum per se esse verum, sed non ex necessitate præcepti, attenta conditione naturæ humanæ, ut docet Auctor loco citato.

Dico 3° : Dolor de peccatis,[1] qui est in parte sensitiva, non debet necessario esse maximus qui in ea esse potest.

Prob.: Dolor de peccatis,[2] qui est in parte sensitiva, causatus ex dolore voluntatis, vel est ex necessitate naturæ, secundum quod vires inferiores sequuntur motum superiorum, vel ex electione, secundum quod homo pœnitens in seipso, seu in parte sensitiva, hunc dolorem excitat, ut de peccatis doleat : atqui neutro modo oportet quod sit maximus dolor : ergo. Prob. min. pro prima parte : Major dolor est in sensitiva parte ex læsione sensus, quam sit ille qui ex ipsa necessitate naturæ redundat ex ratione, et qui redundat ex ratione de corporalibus deliberante, major est quam qui redundat ex ratione de spiritualibus deliberante, qualia sunt peccata ; quia sensus seu vires inferiores vehementius moventur a propinquioribus et propriis objectis, quæ sunt sensibilia, quam a remotioribus et alienis : ergo dolor de peccatis in parte sensitiva, secutus ex necessitate naturæ, non est omnium maximus. Prob. min. pro secunda parte : 1° Affectus inferior non semper superiori ad nutum obedit, ut tanta et talis passio sequatur in inferiori appetitu qualem ordinat superior; ratio enim dominatur appetitui sensitivo politice tantum, non despotice. 2° Passiones a ratione assumuntur in actibus virtutum secundum mensuram quamdam (virtus enim consistit in medio) ; atqui quandoque dolor sensitivus, qui est sine virtute, mensuram nullam servat, sed excedit : ergo dolor de peccatis in parte sensitiva ex electione assumptus non debet esse omnium maximus.

Hinc iterum veniunt excusandi et consolandi vulgares, qui amarius et intensius sensibiliter deflent mortem parentum aut amicorum, aliarumque rerum sensibilium, quam Dei offensam et amissionem : modo appretiative magis Deum diligant quam parentes, et magis appretiative ejus offensam detestentur, quam amissionem cujuscumque rei ; talis enim dolor sensibilis provenit ex natura, scilicet ex objecto sensibili et viciniori, quod vehementius movet sensus, et ideo non vergit in culpam : imo quandoque nullus sentitur, nec est in potestate hominis ut habeatur, maxime quando est duri sensus, vel aliunde lætitia cumulatur, adeoque non est absolute necessarius ad contritionem, ut jam alibi diximus. Saluberrimum est tamen ad talem dolorem conari et se excitare, utpote qui causa esse solet majoris detestationis etiam appretiative.

Verum dato non requiri quod dolor de peccatis qui est in voluntate, sit omnium maximus intensive, restat difficultas, an non saltem debeat esse intensus ad certum gradum, ut sit dispositio sufficiens ad justificationem, sive ut ad eum sequatur immediate justificatio : et est quæstio de justificatione tam cum sacramento quam extra sacramentum. Hujus difficultatis

[1] Ibid. [2] Ibid.

resolutio pendet ex dicendis infra de attritione. Interim breviter

Dico 4° : Ad justificationem cum sacramento nullus requiritur intensionis gradus in attritione, modo habeat aliunde conditiones requisitas. 1° Quia alias scrupulus injiceretur conscientiis pœnitentium, qui nec intensionem, nec intensionis gradum discernere possunt. 2° Ex usu et praxi Ecclesiæ ; non enim solent confessarii exigere a pœnitentibus ullam doloris intensionem, sed tantum ut ex animo Dei offensam detestentur super omnia. 3° Quia alias non esset facilior justificatio cum sacramento quam sine sacramento, siquidem attritio intensa sufficiat ad justificationem sine sacramento, ut modo dicam.

Dico 5° : Ad justificationem extra sacramentum, dolor procedens ex charitate sive habituali, sive actuali, nullum requirit intensionis gradum, quia quilibet charitatis actus quantumvis debilis et remissus supponit peccatorem Deo amicum et reconciliatum, ut fusius dicam infra.

Dico 6° : Attritio seu dolor de peccatis conceptus, ex seu cum amore Dei benevolo, non sufficit ad justificationem sine sacramento, saltem extra casum necessitatis, nisi sit intensus ad certum gradum; quia potest dari amor Dei benevolus debilis et remissus qui non sit charitatis, nec sufficiat ad justificationem extra sacramentum, ut probabimus infra : ergo et dolor ex isto amore conceptus. Et sane quis dicat aut credat peccatorem hoc ipso quo bene afficitur erga Deum, aut ipsi bene vult, statim justificari? Si ita sit, nullus aut vix ullus accedet ad sacramentum non justificatus, cum nullus aut vix ullus sit, a quo si petas num amet Deum, qui non respondeat et sincere : Amo.

Juxta sensum hujus conclusionis intelligi potest celebris textus Catechismi Romani de quo multum controvertitur inter theologos, qui parte 2, cap. 5, num. 32, dicit : « Ut enim concedamus contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem, intensam esse oportere ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit. »

Si petas unde innotescet sufficienter intendi attritionem, ut ad eam statim sequatur justificatio ?

Resp. videri sufficienter intensam, si procedat ex solo amore Dei benevolo prædominante sine timoris adminiculo, saltem in communibus et ordinariis casibus, sive, ut alii dicunt, si procedat ex amore effectivo et efficaci, et non ex amore affectivo tantum et inefficaci : quia videtur congruere Dei bonitati ut pœnitentes sic pure et intense eum diligentes vicissim diligat, cum nihil aut vix aliquid amplius ipsi offerre possint; deque isto amore intelligi possunt hæc Christi verba Joan. 14 : *Si quis diligit me..... Pater meus diliget eum et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

At quamvis pœnitens probabiliter conjicere possit se moveri contra peccata ex solo amore Dei prædominante, vel effectivo et efficaci, id tamen ipsi certo constare non potest, est enim inscrutabile cor hominis ipsi homini, et sæpe sibi ablanditur, neque certo scire potest, an sit odio vel amore dignus : unde dicit S. Th. [1] : « Non qualiscumque motus voluntatis est sufficiens præparatio ad gratiam, sicut nec qualiscumque dolor sufficit ad remissionem peccati, sed oportet esse aliquem modum qui quidem homini notus esse non potest. »

Dixi in conclusione : Saltem extra casum necessitatis ; quia quidam indubitanter asserunt in casu necessitatis, quando actualem susceptionem sacramenti excludit impossibilitas, non voluntas, sufficere attritionem ex qualicumque Dei amore conceptam : fundantur maxime in eo quod Innocentius III, ex SS. Augustino et Ambrosio, sic dicat cap. *Apostolicam* de Presbyt. non baptizat.: « Presbyterum quem sine unda Baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in s. matris Ecclesiæ fide et Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum et cœlestis patriæ gaudia adeptum adserimus incunctanter. Lege super octavo libro S. Augustinum (seu potius lib. 4 *de Baptism.*), ubi inter cætera legitur: Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit. Librum etiam S. Ambrosii de obitu Valentiniani idem asserentis evolve. Sopitis igitur quæstionibus doctorum, Patrum sententias teneas et in ecclesia tua juges preces, hostiasque Deo offerri jubeas pro presbytero memorato » : atqui, inquiunt præfati auctores, eadem est ratio de catechumenis respectu Baptismi, ac de pœnitentibus respectu sacramenti Pœnitentiæ : ergo.

Nos quidem id cum aliquali fiducia præsumimus, non ex vi contritionis imperfectæ quæ non est ex se efficacior in articulo mortis quam extra, sed ex infinita et impensa Dei misericordia et merito passionis Christi: securitatem

[1] Q. 24 de Verit., a. 15.

tamen non damus, tum quia nihil hac de re certo revelatum habemus in S. Scriptura, tum quia auctoritas citata non ita urget quin possit dici SS. Patres ita locutos fuisse, quia præsumebant tales catechumenos seu pœnitentes fuisse contritos aut intense attritos, tum tandem quia si res foret adeo certa, non esset ratio cur sacerdotes tam solliciti forent circa sacramenta extrema patientibus conferenda, vel cur *rei animarum* dicerentur a SS. Patribus dum id negligunt, siquidem tunc nullus periret defectu sacramenti, sed defectu propriæ dispositionis. Si enim habeat amorem sine sacramento, justificabitur, et si non habeat, etiam cum sacramento non justificabitur secundum nos.

Dixi in responsione ad petitionem : Saltem in communibus et ordinariis casibus. Quia in casibus extraordinariis, potest contingere quod amor qui indigeret adminiculo timoris, esset nihilominus dispositio sufficiens ad justificationem extra sacramentum. Pone duos homines destinatos ad martyrium, unum per gladium, alterum per combustionem : primus ex solo Dei amore, nequidem cogitando de pœnis inferni, perimitur, et iste amor prædominans et efficax est dispositio sufficiens ad justificationem ; alter quamvis intensione amore incensus, ut se contra terribilem combustionem defendat, advocat in auxilium considerationem pœnarum inferni ; et iste amor est etiam sufficiens ad justificationem consequendam, cum sit perfectior et intensior amore primi, licet in hoc casu urgentiori et extraordinario adjuvetur timore.

Dico 7° : Dolor rationis de peccato non potest esse nimius[1], bene tamen dolor sensibilis. Ratio primæ partis est, quia amor charitas non potest esse nimius : atqui, eo intenso, dolor rationis de peccato intenditur : ergo. Ratio secundæ partis est, quia ex dolore sensibili intenso potest ita debilitari corpus ut sit insufficiens ad ea quæ sunt agenda. Neque obstat primæ parti quod virtus moralis, qualis est pœnitentia, consistat in medio ; non enim virtus dicitur consistere in medio, quasi posset ab ea elici actus nimius, id namque est impossibile, sed quia potentia circa illius materiam potest excessum facere, sicut in nostro casu voluntas potest circa materiam pœnitentiæ ultra modum intendere dolorem sensibilem.

Dico 8° : Dolor rationis[2] debet esse major appretiative de uno peccato, quam de alio ; quia in peccato graviori est major ratio doloris quam in leviori, cum sit major Dei offensa. Nec refert quod dixerimus de quovis peccato mortali esse super omnia malo dolendum, id enim intelligitur de malis a peccato distinctis.

Cæterum ut censeatur aliquis hoc modo dolere[1], non est omnino necessarium quod inter peccata faciat actualem comparationem ; sed satis est quod omnia detestetur quatenus sunt offensa Dei ; talis enim detestatio fertur implicite super singula secundum gradum et ordinem cujusque ; sicut quando diligo unam communitatem vel aliud totum, virtualiter plus aut minus diligo has aut illas partes secundum ordinem et gradum quem habent in illa communitate vel in illo toto.

Contra hanc conclusionem impingunt qui plus abhorrent peccata quæ magis humanæ existimationi quam Dei honori adversantur, v. g., furtum quam blasphemiam ; ita ut peccent mortaliter, si inter peccata comparata sit magna inæqualitas; venialiter, si sit parva.

Dico 9° : Contritio debet esse de omnibus et singulis peccatis[2].

De omnibus : Quia contritio debet esse de peccatis ut sunt offensa Dei, conveniunt autem omnia in hac ratione : unde non potest esse de uno quin sit de omnibus.

De singulis per se loquendo[3] : non hoc sensu quod singulis peccatis debeat respondere sua singularis contritio (quamvis et id sit salutare), cum nec sit necesse ea sic sigillatim confiteri, sed aliquando debeant plura sub uno numero accusari, dicendo, v. g., decies, vigesies ; sed hoc sensu quod singula debeant recogitari et super omnia sigillatim recogitata formari una contritio, quæ proinde non sit de omnibus confuse tantum, sed vi præcedentis recogitationis sit etiam de singulis, ac ea ratione possit dici specialis et distincta. Ratio est quia contritio est motus conversionis aversioni contrarius, et reparatio offensæ Dei : atqui per quodlibet peccatum mortale fit aversio, et Deus offenditur : ergo quantum est ex se quodlibet exigit contritionem. Adde quod jure naturæ antequam sacramentum esset institutum, quilibet in sua conversione tenebatur quodlibet peccatum agnoscere, et Deo confiteri : unde illud Psal. 31 : *Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea* ; et postea : *Dixi : confitebor adversum me.*

Per accidens tamen, si quis eliciat actum

[1] Hic q. 3, a. 2, o. [2] Ibid. a. 3, 0.

[1] Ibidem ad 2. [2] Hic q. 2, a. 6, 3 p. q. 87, a. 1. 1 2 q. 113. a. 5. ad 3. q. 7. de malo a. 11, ad 3. [3] Ibid.

ferventissimæ charitatis, aut contritionis generalis, et desit vel tempus, vel opportunitas, vel reflexio, vel notitia hujus singularis contritionis faciendæ, justificabitur ; modo sciens ejus obligationem non renuat positive illam loco et tempore facere; quia in ista ferventissima contritione generali includitur propositum de singulis loco et tempore pœnitendi eo modo quo dictum est.

ARTICULUS III.

DE NECESSITATE CONTRITIONIS.

Dico 1° : Contritio est necessaria, non solum necessitate medii, sed et præcepti, tum naturalis, tum divini positivi, tum ecclesiastici.

Prima pars constat ex dictis dissert. 3, art. 1, de necessitate Pœnitentiæ, cujus contritio est actus primarius. Vide.

Ratio secundæ partis est [1], quia jure naturali tenetur homo compensare injuriam alteri illatam : atqui injuria Deo illata per peccatum compensari non potest, nisi per contritionem : ergo de illa datur præceptum naturale, intellige præceptum naturale, non prout distinguitur contra supernaturale, sed prout distinguitur contra positivum ; est itaque præceptum supernaturale, non tamen positivum, sed connaturale ordini elevationis, sicut præcepta fidei, spei et charitatis.

Prob. tertia pars ex multis S. Scripturæ locis. Isa. 1, Jerem. 18, Act. 2, Matth. 3, ubi pœnitentia præcipitur. Hinc Trid., sess. 14, c. 4 : « Fuit, inquit, quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius. » Ratio est quia hoc ipso quo contritio est necessaria necessitate medii, datur de illa præceptum divinum positivum ; pertinet enim ad legislatorem præcipere ea quæ sunt saluti civium necessaria. Neque obstat quod gratia sit necessaria ad salutem, et tamen non datur de illa speciale præceptum ; disparitas est, quod gratia non sit opus nostrum, sed Dei; contritio autem est opus nostrum.

Quarta pars patet ex præcepto ecclesiastico confessionis annuæ, quæ stare non potest absque contritione.

Dices 1° : Speciali præcepto opponitur speciale peccatum : atqui impœnitentia non est speciale peccatum, sed tantum circumstantia illius peccati in quo perseverat peccator : ergo.

Resp. dist. min. Impœnitentia sumpta pro positivo proposito non pœnitendi, non est speciale peccatum, neg.; sumpta pro simplici omissione pœnitentiæ, subdistinguo. Non est speciale peccatum ; quando non urget præceptum contritionis, conc. ; quando urget, neg. Sicut defectus charitatis est tantum circumstantia peccati, in quo quis perseverat, quando non urget illius præceptum; quando vero urget, est speciale peccatum, accusandum in confessione sicut et defectus contritionis in pari casu.

Dices 2° : Non est speciale præceptum de conservanda gratia : ergo nec de illius recuperatione.

Resp. neg. conseq. Disparitas est, quod præcepto, quo prohibetur peccatum, etiam prohibeatur amissio gratiæ, quæ incurritur per illud, et sic non est opus speciali præcepto; at reparatio injuriæ Deo factæ non præcipitur aliquo alio præcepto.

Inst. : Contritio præcipitur etiam præcepto charitatis : ergo.

Resp. neg. ant. Præceptum enim charitatis est tantum indirecte, et ex consequenti de contritione : de actibus autem virtutum dantur per se, et directe præcepta.

Gravior est difficultas de tempore, quo præceptum contritionis obligat : quidam volunt obligare per se statim ac peccatum commissum est ; alii statim ac memoriæ occurrit ; alii diebus dominicis et festis, quando est obligatio audiendi sacrum ; alii semel in anno, quando urget præceptum confessionis annuæ. Pro cujus dubii resolutione,

Dico 2° : Quamvis sit omnibus suadendum, tanquam salutare consilium, statim post peccatum conteri ; attamen præceptum contritionis non obligat per se statim ac peccatum commissum est, neque statim ac memoriæ occurrit, neque singulis diebus dominicis et festis.

Est communis contra paucos, tam antiquos, quam recentiores, et manifeste D. Thomæ, hic q. 6, art. 5, ubi quamvis agat de præcepto confessionis, quæcumque tamen adfert pariter militant de præcepto contritionis. Imprimis dicit ad 2 : « Non est de necessitate salutis corporalis, ut statim medicus quæratur, nisi quando necessitas curationis incumbit ; et similiter est de morbo spirituali » : quod ut patet, convenit pariter contritioni. Similiter ejus rationes quibus

Prob. prima et secunda pars 1° Præceptum contritionis est affirmativum, nempe : *Pœnitentiam agite* : atqui omnium consensu, hæc est natura præcepti affirmativi, ut quamvis

[1] 3 p. q. 84, a. 7, ad 1.

[1] Inf. q. 6, a. 5, o. et ad. 3.

obliget semper, non tamen statim et pro semper, sed determinato tempore, et positis certis circumstantiis, nec possunt assignari circumstantiæ, propter quas obliget statim ac peccatum commissum est, aut statim ac memoriæ occurrit, ut patebit ex sol. obj.: ergo.

Confir. : [1] Tempus quo obligat præceptum affirmativum[1], non est quando commode impleri potest, alias dives, non dans eleemosynam de superfluo cuilibet pauperi occurrenti, peccaret mortaliter, sed quando tempus necessitatem urgentem inducit: atqui licet statim post peccatum commissum, aut statim ac memoriæ occurrit, sit opportunitas pœnitendi; inde tamen non inducitur necessitas urgens : ergo.

Prob. 2° ab inconvenientibus. Si præceptum contritionis obligaret statim post peccatum commissum, novum peccatum committeret, qui non statim conteretur, imo continuo peccaret, totque multiplicarentur peccata, quot momenta effluerent usque ad impletionem hujus præcepti. Similiter si obligaret statim ac memoriæ occurrit, peccator toties peccaret mortaliter, quoties non pœnitendo recordaretur peccati, centies in hora, si centies in memoriam redeat peccatum : atqui hæc sunt dura nimis et contra communem sensum fidelium, qui de istis peccatis non se accusant, nec de eis interrogant confessarii: ergo.

Prob. tertia pars : Nullibi legitur, nec ulla ratione probatur præceptum contritionis obligare singulis diebus dominicis et festis : ergo sine fundamento asseritur. Prob. ant. Si alicubi legeretur tale præceptum, esset, ut volunt patroni illius sententiæ, Levit. 16, ubi dicitur : *Sabbatum requietionis est, affligetisque animas vestras*. Et si aliqua ratione fulciretur, esset quia finis præcepti colendi dies festos est animam Deo sanctificare, quod fieri non potest, nisi per contritionem; vel quia his diebus tenemur Deo vacare, peccator autem non potest Deo vacare, nisi prius de peccatis conteratur: atqui ex his nihil evincitur pro sententia adversa: ergo. Prob. min. Non ex loco illo Levitici; est enim ibi præceptum de speciali festo expiationis quod occurrebat semel tantum in anno die decima mensis septimi: unde nihil ad propositum. Adde quod erat tantum legale, quod jam cessavit. Non ex prima ratione , quia finis præcepti non cadit sub præcepto, sed tantum media huic præcepto propria: contritio autem non est medium sanctificationis, proprium præcepto colendi festa, sed præcepto pœnitentiæ, quæ sunt diversa, unum religionis, aliud justitiæ. Non ex secunda ratione; quia homo debet his diebus vacare Deo per media tali præcepto propria, scilicet exhibendo illi cultum per opera religionis, et cessationem ab operibus servilibus, quæ fieri possunt a peccatore : ergo.

Confir. Communis sensus fidelium est satisfieri præcepto de sanctificandis festis, si se abstineant ab operibus servilibus et divinis officiis attente ac religiose assistant: item nullus se accusat quod non elicuerit actum contritionis diebus dominicis et festis, nec de hoc interrogant confessarii : ergo.

Dico 3° : Præceptum contritionis per se obligat in morali periculo mortis, aut perpetuæ amentiæ. Extra illud vero sic obligat ut peccator non possit diu sine novo peccato differre illius adimpletionem.

Prima pars constat; quia tunc maxime urget necessitas Deo satisfaciendi et ejus reconciliationem quærendi ; quod si tunc omittat peccator, periculum est ne id unquam præstet et in peccato suo moriatur. Obligat igitur per se hoc præceptum instante pugna, tempore pestis, periculosæ navigationis, morbi lethalis, etc.

Secundam partem inclamat S. Scriptura : Eccli. 5 : *Ne tardes converti ad Dominum et ne differas de die in diem.* Inculcant SS. Patres dum invehuntur in eos qui suam conversionem procrastinant; atque evincit hoc fundatissimum Auctoris [1] principium : « Cum enim homo, inquit, non habet cor suum firmatum in Deo, ut pro nullo bono consequendo, vel malo vitando, ab eo separari vellet, occurrunt multa propter quæ consequenda vel vitanda homo recedit a Deo, contemnendo præcepta ejus; et ideo peccat mortaliter, præcipue quia in repentinis homo operatur secundum finem præconceptum et secundum habitum præexistentem, ut philosophus dicit, quamvis ex præmeditatione rationis homo possit aliquid agere præter ordinem finis præconcepti et præter inclinationem habitus; sed quia homo non potest semper esse in tali præmeditatione, non potest contingere ut diu permaneat quin operetur secundum convenientiam voluntatis deordinatæ a Deo, nisi cito per gratiam ad debitum ordinem reparetur ». ergo ratione periculi in quo versatur peccator iterum labendi, non potest diu differre contritionem.

Sed quamdiu debeat differri ut peccator censeatur hoc præceptum transgredi et pecca-

[1] Ibid. o.

[1] 1 2 q. 109, a. 8, o.

re mortaliter ? non determinavit S. Thomas, nec is sum ego qui determinare ausim. Equidem quidam dicunt posse sine novo peccato differri ad annum, quod non probo ; alii ad quatuor aut quinque menses, quod nec nego, nec affirmo. Id unum mihi certum videtur esse illicitum ultra differre : quia mora ultra quatuor aut quinque menses videtur diuturna, maxime si attendatur ad principium Auctoris : sicut ergo qui ultra quatuor aut quinque menses differret elicere actus fidei et charitatis, meo saltem judicio, non eximeretur a peccato, ita qui omitteret contritionem ; equidem sunt distincta præcepta, sed æque ad minus urget præceptum contritionis, ac præceptum fidei et charitatis.

Neque obstat quod Ecclesia præcipiat confessionem semel tantum in anno ; sunt enim distincta præcepta, et Ecclesia præcipiens semel tantum in anno modum justificationis per confessionem, non negat adhibendum esse citius alium modum per contritionem ; rarius autem præcipit confessionem, forte quia est homini valde odiosa, non contritio ; et scit peccatorem posse alia via justificari.

Non etiam obstat quod confessarii non interrogent pœnitentes qui ab anno sunt confessi, an hoc præceptum intra anni decursum impleverint. Nec enim etiam interrogare solent an per id tempus actus fidei, spei et charitatis elicuerint, quorum tamen obligatio urget. Dicendum itaque videtur quod qui ab anno non sunt confessi, vel sunt consuetudinarii, et ii satis intelliguntur defuisse præcepto, vel non sunt consuetudinarii, et ii, cum deposuerint affectum peccati et intersint missæ, divinis officiis, exhortationibus et prædicationibus, præsumuntur interdum elicere actus contritionis et virtutum theologicarum. Cæterum consultum foret ut et pœnitentes de iis se examinarent et confessarii interrogarent.

Dico 4° : Præceptum contritionis obligat per accidens, 1° toties quoties requiritur status gratiæ ad aliquod aliud præceptum adimplendum : unde obligat quando homo tenetur recipere aliquod sacramentum vivorum ; quoties sunt administranda sacramenta. 2° Per accidens obligat quando urget gravis tentatio quam sine contritione homo moraliter superare non potest. 3° In casu publicæ necessitatis, quando creditur Deum punire populum propter peccata particularia. Quidam addunt casum, dum est periculum ne peccata oblivioni tradantur, sed non videtur admittendus, quia peccata oblita possunt esse objectum contritionis.

Cæterum adverte hanc esse differentiam inter præceptum obligans per se et obligans per accidens, quod qui transgreditur præceptum obligans tantum per accidens, non committat peccatum speciale contra tale præceptum, sed tantum contra præceptum ratione cujus obligat : unde qui celebrat in peccato mortali, non peccat nisi peccato sacrilegæ celebrationis, at non peccato speciali impœnitentiæ contra præceptum contritionis ; quia licet vere tunc obliget, non tamen ratione sui, sed ratione sacramenti Eucharistiæ. Qui vero transgreditur præceptum per se obligans, committit peccatum speciale contra tale præceptum : unde qui non contereretur quando obligat per se præceptum contritionis, peccaret peccato speciali impœnitentiæ, ut dictum est.

Solvuntur objectiones contra secundam conclusionem.

Obj. 1° contra primam et secundam partem secundæ conclusionis : Eccli. 5, dicitur : *Ne tardes converti ad Dominum et ne differas de die in diem.* Apocal. 2, dicitur episcopo Ephesino : *Age pœnitentiam ; sin autem venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco tuo.* SS. Patres invehuntur in eos qui suam pœnitentiam procrastinant. S. Thomas, q. subseq. 6, art. 5, o, docet nos ad contritionem teneri « quando peccata memoriæ occurrunt. » Et 2 2 q. 62, art. 8, docet non licere vel uno momento in peccato manere.

Resp. hæc pro majori parte probare tertiam conclusionem, non impugnare primam. Itaque ad primam auctoritatem, ea non prohibetur quæcumque dilatio, sed illa quæ fit ultra rationabile tempus, seu ut exprimitur, *tardatio;* tardare autem non censetur qui non facit tam cito quam potest, sed qui non facit eo tempore quo faciendum est. Sic Deus, 2 Pet. 3, dicitur non tardare suam promissionem, licet non statim atque potest adimpleat, sed convenienti tempore. Sic dicitur non tardare ire ad sacrum, qui non vadit statim quam potest, sed qui vadit cum oportet, etsi potuisset citius.

Ad secundam : per hæc verba : *Veniao tibi* intelligitur dies mortis ; vel saltem ad summum important speciale præceptum impositum illis episcopis, quod non debet extendi ad omnes.

Ad SS. Patres : Potissimum loquuntur de dilatione usque ad tempus mortis aut ultra

rationabilem terminum; vel non nisi concionatorie saluberrimum inculcant consilium.

Ad primum locum D. Thomæ : Non dixit simpliciter S. Doctor peccatorem teneri ad contritionem statim cum peccata memoriæ occurrunt; sed immediate subjunxit : « Præcipue cum in periculo mortis existit, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione oporteat eum peccatum incurrere. » Quo loquendi modo significat quod quamvis possit esse aliqua negligentia, quando quis habet memoriam peccatorum, non conteri cum possit, non sit tamen mortale peccatum nisi aliqua necessitas adsit, imo nec veniale, si, quamvis sit nunc opportunum utcumque, major expectetur opportunitas. Ita Sylvius. Neque certe fas est de mente S. Th. dubitare, cum ex ejus verbis et rationibus ibidem conclusio nostra probetur.

Ad secundum : Equidem non licet vel uno momento manere in peccato quoad affectum seu continuando illud, quomodo manet is qui cum potest non restituit; de isto enim loquitur D. Th. loco citato, non autem de eo qui in peccato remanet quoad reatum, seu habitualiter tantum, sine affectu ad ipsum; hoc autem sensu procedit nostra conclusio.

Inst. : Peccat, ex solutione data, qui non statim restituit rem vel honorem alienum cum potest : ergo similiter qui non statim per contritionem reparat honorem Dei peccato violatam.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod homo gravetur et patiatur damnum ex absentia rei vel honoris sui, nullum autem Deus ex dilatione pœnitentiæ nostræ : unde nequidem peccaret homo restitutionem differendo, si sciret dominum nullatenus inde damnificandum.

Obj. 2° : Præceptum contritionis includit negativum, scilicet non permanendi in peccato et inimicitia Dei : ergo. Prob. ant. Si non sit præceptum non permanendi ullo tempore in peccato et odio Dei : ergo licet in eo manere : ergo iterum licet velle in eo manere : atqui falsum secundum consequens, cum velle manere in peccato et odio Dei sit de objecto intrinsece malo: ergo. Prob. sequela. Licet velle quod licet facere : atqui licet manere, etc. : ergo licet velle manere.

Resp. neg. ant. Ad probat. neg. secundam illationem. Ad probat. dist. maj. Licet velle quod licet facere positive, conc.; quod licet facere negative, seu permissive tantum neg. maj. Ad cujus sensum dist. min. Licet manere in peccato et odio Dei per actum positivum eligendo illam mansionem, neg.; per actum negativum non expellendo illam, seu eam mere permittendo, conc. et neg. conseq. Quia velle importat actum positivum specificandum a suo objecto, ac proinde malum, si objectum sit malum ; secus autem manere negative seu permissive. Et sic licet nobis plura permittere, seu facere negative, quæ non licet velle : sic licet mihi permittere peccatum Petri, et tamen non licet mihi illud velle ; licet mihi permittere furi ut me occidat, et tamen non licet mihi hoc velle.

Subsumes : Atqui qui non a se removet inimicitiam Dei, dum potest, censetur illam velle positive, saltem interpretative : ergo.

Resp. dist. subsumptum : Dum potest, et obligatur, conc. ; si non obligatur, neg.

Repones : Qui omitteret impedire peccatum Petri dum potest, etsi non teneretur, omissio illa esset ipsi voluntaria : ergo qui omittit removere inimicitiam Dei, dum potest, etsi non teneatur, inimicitia Dei est ipsi voluntaria. Patet ant. ex tractatu de Actibus humanis, ubi docetur, quod, ut omissio sit voluntaria, non requiratur obligatio ponendi actum qui omittitur. Consequentia patet a paritate rationis.

Resp. concesso ant. neg. conseq. Quia fit transitus ab omissione ad effectum ejus ; unde ut recte inferatur, debet poni : ergo qui omittit removere inimicitiam, etc., omissio illa est ipsi voluntaria ; non vero ipsa inimicitia, quæ est effectus sequens ad illam omissionem ; quia, ut docetur ibidem de Actibus humanis, ut effectus sequens ad omissionem sit voluntarius, requiritur præceptum ponendi, vel impediendi illum : sicut in exemplo allato, licet omissio impeditionis peccati Petri sit mihi voluntaria, peccatum tamen Petri sequens ad illam non est mihi voluntarium, nisi possim et debeam impedire. Et hinc solvitur argumentum sequens præcedenti affine : unde

Obj. 3° : Si esset aliquod tempus in quo non obligaret præceptum contritionis, liceret eo tempore velle non conteri : atqui nunquam hoc licet : ergo. Prob. min. 1° Quia hoc objectum non conteri, non est bonum. 2° Quia qui vult non conteri, virtualiter et interpretative vult statum peccati, et inimicitiam Dei, cum nolit adhibere medium necessarium per se ad tollendum utrumque : ergo.

Resp. 1° ad maj. quod ad veritatem conclusionis nostræ non sit necessarium, quod peccator actu positivo velit non conteri, sed potest alio divertere mentem, ex quo quidem sequitur omissio contritionis.

Resp. 2° data maj. neg. min. Ad primam ejus probationem dico quod non conteri pro tempore quo non obligat præceptum secundum se, neque sit bonum, neque malum, sed indifferens, quod potest ex circumstantia alicujus finis honestari, ut si quis eo tempore quo non obligat præceptum pœnitendi, velit non conteri, ut studio, charitati proximi, vel alteri rei bonæ vacet; licet enim objectum cujuscumque præcepti sit bonum, carentia tamen illius non est semper mala nisi pro tempore quo tale præceptum obligat: sic honorare parentes est bonum, non honorare non est malum, nisi quando urget præceptum honorandi. Si autem nolit conteri ex alio motivo non ita bono, poterit esse actus otiosus, et venialiter malum.

Ad secundam probationem, neg. ant. Solutio patet ex præcedentibus; effectus enim sequens ad omissionem non est voluntarius, nisi sit obligatio impediendi illum : non est autem obligatio, ut probatum est, et supponitur pro tali tempore impediendi permanentiam in peccato et odio Dei, sequentem ad omissionem contritionis : sic licet Deus velit non dare gratiam vitandi peccatum, omissio illius dationis est quidem ipsi voluntaria, sed non peccatum ad ipsam sequens ; quia non tenetur impedire peccata : sic gubernator non dicitur causa submersionis navis, ex hoc quod non gubernet navim, nisi quando subtrahit gubernationem, potens et debens gubernare, ut ait S. Th. 1 2 q. 79, art. 1.

Inst. 1° : Atqui pro quovis tempore tenetur peccator avertere statum peccati et odium Dei : ergo. Prob. ant. 1° Pro quovis tempore tenetur peccator avertere a se omnium malorum maximum : atqui status peccati et odium Dei est omnium malorum maximum : ergo. 2° Statim et quolibet tempore tenetur excutere e sinu serpentem : atqui tenemur fugere peccatum, tanquam a facie colubri, Eccli. 21 : ergo.

Resp. neg. subsumptum. Ad primam probat. dist. maj. Pro quovis tempore tenetur peccator avertere a se omnium malorum maximum, si inde immineat grave nocumentum, conc. maj.; secus, neg. maj. Similiter dist. min. Status, etc., est omnium malorum maximum, et ex eo quovis tempore imminet grave nocumentum, neg. min.; non imminet semper grave detrimentum, sed leve duntaxat, conc. Unde et ratione hujus levis nocumenti, puta privationis abundantioris gratiæ, periculi remoti mortis in peccato, etc., non diffitemur esse peccatum leve negligentiæ salutis, non statim conteri, si nulla causa subsit differendi.

Ad secundam probationem, neg. conseq. Disparitas est quod serpens in sinu semper noceat et mordeat, non ita peccatum habituale, cujus voluntas, ut suppono, est interrupta; locus autem Eccli. intelligitur de peccato actuali, non habituali.

Inst. 2° : Atqui ex dilatione contritionis grave nocumentum imminet semper : ergo. Prob. subsumptum. Imminet periculum peccandi, cum teste S. Gregorio, unum peccatum suo pondere trahat in aliud, et privatus gratia habituali non possit diu omnia peccata vitare, ut dictum est ex D. Th. in tertia conclusione.

Resp. hoc periculum esse remotum, saltem si non diu, nec ultra rationabile tempus differatur contritio. Item est indeterminatum, sicut est indeterminatum tempus, quo privatus gratia potest abstinere a peccato. Licet autem homo sub gravi peccato teneatur evitare proximum et certum peccandi periculum, non tamen remotum et indeterminatum.

Inst. 3° : Quilibet tenetur statim corripere fratrem delinquentem : ergo a fortiori seipsum. Item infidelis plene instructus tenetur statim credere : ergo.

Resp. ad primum 1° neg. ant. Tenetur enim corripere fratrem delinquentem non semper statim, sed data opportunitate, nisi urgeat aliqua necessitas, puta periculum novi peccati, vel quod non occurret amplius opportunitas, et in tali casu fatemur nos etiam ita debere circa nos agere. 2° Neg. conseq. Disparitas est, quod homo sibi semper sit præsens, semperque habeat opportunitatem se corrigendi; non sic autem circa alterum.

Ad secundum, posset negari ant. Nihil enim obstare videtur quod infidelis cui fides proponitur ex justis causis differat ad aliquas horas, aut diem, eam acceptare. Sed dato ant. neg. conseq. Disparitas est quod infidelis cui sufficienter fides proponitur, se habeat quasi puer in primo instanti rationis, cui incumbit agnoscere et acceptare Deum pro fine ultimo, cui omnes suas actiones dirigat, alioquin exponitur continuo et proximo periculo deviandi et perdendi salutem : at peccator fidelis agnoscit Deum pro fine ultimo, licet peccando ei practice creaturam prætulerit. Ne tamen inde inferas eum qui commisit peccatum infidelitatis teneri statim ad actum fidei, quia hoc ipso quo deponit affectum ad infidelitatem,

censetur vi prioris fidei, absque novo actu, agnoscere Deum pro suo fine ultimo; sicut qui adversus suum regem insurrexit, et ad partes tyranni defecit, hoc ipso quo arma deponit, censetur suum legitimum regem agnoscere, etiam antequam de novo ipsi spondeat fidelitatem.

ARTICULUS IV.

DE DIVISIONE CONTRITIONIS.

Contritio in genere, ut supra diximus ex concilio Trid., est animi dolor et detestatio de peccato commisso.

Est duplex, perfecta et imperfecta. Perfecta quæ antonomastice dicitur contritio, est quæ charitate perficitur, et justificat ante susceptionem sacramenti, ut definit Trid., sess. 14, cap. 4. Imperfecta autem quæ dicitur attritio est multiplex; quia a perfecto deficere contingit pluribus modis.

Itaque dolere de peccato, seclusa charitate, vel quia est aliquid turpe repugnans rationi, sive naturali, sive supernaturali, vel quia est illativum mali temporalis, vel quia est inductivum gehennæ, vel quia exclusivum gloriæ, vel quia est malum, et offensa Dei, tot sunt modi attritionis; sed sola ultima est actus pœnitentiæ, et species dividens contritionem ut sic : pœnitentia enim et contritio quæ est ejus actus primarius, est de peccato, ut est malum et offensa Dei, ut diximus dissert. 2, art. 1. Aliæ autem attritiones sunt actus vel amoris proprii, vel spei, seu amoris concupiscentiæ, vel virtutis specialis, cui opponitur peccatum. Confer locum citatum.

Hæc autem ultima attritio, cum sit de peccato, ut est malum Dei, non potest esse sine aliquo ejus amore, quia odium mali alicujus personæ ex amore ejusdem et benevolentia ad ipsam causatur, ut docent communiter theologi post D. Thomam 1 2 q. 29, a. 2. Sic doleo de malo Petri quia ipsum diligo, et si non diligerem, de malo ejus non dolerem ; sic odi mortem, quia diligo vitam : « Ejusdem enim rationis est », inquit Auctor 2 2 q. 25, art 6, ad 2, » odire malum alicujus et diligere bonum ejus » quod repetit q. 34, a. 4.

Neque tamen hæc attritio coincidit cum contritione charitate perfecta : aliud enim est charitas, qua perficitur contritio, aliud benevolentia qua movetur dicta attritio; quod cum plerique non satis distinguant, confundentes amorem charitatis cum amore benevolentiæ, magna hallucinatione laborant.

Itaque amor charitatis est amor amicitiæ cum Deo, ut ex professo probat S. Th. 2 2 q. 23, a. 1, et cum eo communiter theologi; consequenter importat conditiones amicitiæ, præcipue unionem affectuum et redamationem; amicus enim est amico amicus, ut fert commune adagium : amor autem simplicis benevolentiæ est velle alicui bonum sine redamatione, ut dum vides duos pugiles quorum unum velles vincere : unde objectum formale charitatis est Deus in se bonus ut amicus, non quod τo *ut amicus* sit ratio formalis objecti, sed ejus modificatio seu conditio sine qua non, sicut Deus non visus in objecto fidei : objectum autem formale amoris benevolentiæ est Deus in se bonus præcise : consequenter objectum contritionis charitate perfectæ, est peccatum ut malum Dei qua amici, intelligendo τo *ut amici*, ut in objecto charitatis : objectum vero attritionis est peccatum ut malum Dei præcise. Ex quo tandem sequitur has contritiones specie differre : hæc fusius explicabuntur infra : sed interim

Colliges[1] attritionem hanc ex amore benevolo non posse fieri contritionem; quia quæ specie differunt, unum non potest fieri aliud : unum namque dicitur fieri aliud, quando alio adveniente, essentialiter non mutatur; sic puer dicitur fieri vir, non vero embrio dicitur fieri homo, sed ex embrione homo.

Aliam quidem rationem adhibet Auctor in corpore articuli, nimirum quod adveniente actu contritionis, transeat actus attritionis. Verum hanc rationem ut universaliter veram non admittunt Soto, Sylvius et alii, quia, inquiunt, nihil obstat quominus actus attritionis, cum sit bonus, aliquandiu continuetur, et adveniente charitate qua informetur, evadat contritio ; sicut potest accidere actui fidei informis: unde intelligunt hanc S. Thomæ rationem, non ut universaliter veram, sed secundum quod regulariter accidit: vel dicunt S. Doctorem, cum ibi ageret partes commentatoris, non ex propria sententia locutum fuisse; idque probant, quia in fine corporis addit: « Et hoc dicit » alia opinio. Insuper quia ad 2, cum adhibuisset responsum secundum hanc rationem, haud eo contentus, addit aliud conforme rationi in argumento sed contra, unde priorem rationem deduximus.

Attamen Vincentius Contenson acriter propugnat hanc secundam rationem D. Thomæ

[1] Supp. q. 1, a. 2.

ut universaliter veram, eo quod actus attritionis non possit informari charitate et evadere contritio nisi in eum influat charitas ; a charitate autem sic imperatus erit novus actus, quia istud imperium charitatis illi imprimit quemdam modum, quo reduplicative ut imperatus, intrinsece mutatur et trahitur ad speciem charitatis. Sed quidquid sit de ista difficultate, quæ est levis momenti,

Habes juxta utramque sententiam sensum hujus communis adagii : « Pœnitens in sacramento ex attrito fit contritus », non esse formalem, quasi attritio fieret contritio, sed materialem et ex parte subjecti, quatenus pœnitens transit de attritione ad contritionem, sicut paries de albo fit niger, non albedo fit nigredo. Dicitur autem fieri contritus, tum ratione habitus charitatis qui ipsi infunditur, tum ratione actus supernaturalis quo voluntarie gratiam et charitatem acceptat, ut dicam infra.

Circa attritionem plures sunt celebres controversiæ: prima, an ea quæ concipitur ex solo metu gehennæ sit bona et utilis? secunda, an se sola excludere possit voluntatem peccandi? tertia, an sufficiat cum sacramento ad justificationem, an e contra requiratur aliquis Dei amor et qualis? De his ordine disputaturus, sit

ARTICULUS V.

UTRUM ATTRITIO CONCEPTA EX SOLO METU GEHENNÆ SIT BONA ET UTILIS?

Lutherani contendunt omnem attritionem ex metu conceptam esse coactam et malam, hominemque reddere magis peccatorem et hypocritam, etiamsi interveniat aliquis Dei amor. Ita Lutherus qui assertione articuli sexti rejicit « theologiam illam quæ inter odium et gratificantem amorem medium fingit quod contritionem parit. » Et in assertione articuli quarti dicit « imperfectam charitatem esse impedimento ad introitum regni propter vitium quo imperfecta est. » Unde Eckius, lib. 1 *de Pœnit.*, cap. 1, dicit in hoc sitam esse controversiam inter catholicos et Lutherum, quod iste vellet « pœnitentiam non nisi amore concipi»; et hinc inferebat « eum qui sibi contritionem parare vellet in amaritudine animæ suæ reddi hypocritam et magis peccatorem. » Idque Lutherus conformiter ad hoc suum capitale dogma, nimirum omnem actionem quæ non provenit a charitate habituali et sanctificante esse verum peccatum, atque sine illa hominem peccatorem tanto magis a gratia consequenda removeri, quanto magis ad illam se disponere conatur : unde sermone *de Pœnit.* « Ego, inquit, peccatum assero quidquid ante gratiam fit ab homine, tantum abest ut præparet ad gratiam. »

Huic affines sunt Baius, Jansenius, Quenellus et eorum symmistæ, qui cum non agnoscant medium inter cupiditatem vitiosam et laudabilem ac proprie dictam charitatem, dicantque omne quod homo facit procedere vel a cupiditate et esse malum, vel a charitate et esse bonum, consequenter rejiciunt timorem pœnarum et attritionem ex illo conceptam tanquam malam et vitiosam. Vide propositiones damnatas Quenelli a quadragesima quarta ad quadragesimam septimam; et a sexagesima usque ad sexagesimam octavam.

Ante resolutionem observandum est 1° ex Auctore [1] timorem esse quadruplicem : mundanum, servilem, initialem et filialem. Cum enim objectum timoris sit malum, quandoque homo propter mala quæ metuit, a Deo recedit; et iste dicitur timor mundanus. Quandoque autem homo propter mala quæ timet, ad Deum convertitur et illi inhæret ; quod quidem malum est duplex, scilicet malum culpæ et malum pœnæ. Si ergo aliquis convertatur ad Deum et ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis ; si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis ; nam filiorum est timere offensam patris ; si autem propter utrumque, est timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem. Ita in terminis S. Doctor. Igitur timor servilis, prout de eo nunc loquimur, est timor pœnæ a Deo infligendæ, ob quam evitandam homo ad Deum convertitur.

Observandum 2° ex eodem S. Th. [2] timorem servilem posse considerari dupliciter, scilicet secundum substantiam et secundum servilitatem, seu, ut alii dicunt, esse duplicem timorem servilem, unum simpliciter servilem, alterum serviliter servilem. Timor servilis secundum substantiam, seu servilis simpliciter, est quando bonum cui contrariatur pœna, non amatur tanquam finis ultimus, nec consequenter pœna timetur tanquam principale malum ; ut in præsenti materia, si quis fugit peccatum ex timore pœnæ, non habens bonum proprium, cui contrariatur pœna, pro fine

[1] 2 2 q. 19, a 2, o.. [2] Ibid. a. 4. o.

ultimo, sed proximo duntaxat; nec consequenter timens pœnam ut principale malum, sed abstrahens ab hoc quod ageret, si non esset intentata pœna. Timor serviliter servilis est quando bonum, cui contrariatur pœna amatur tanquam finis ultimus, et consequenter pœna timetur ut principale malum; ut in subjecta materia, si quis refugeret peccatum committere ex timore pœnæ, habens pro fine ultimo proprium bonum, consequenter timens pœnam ut principale malum, ita ut vi istius actus vellet peccare si posset impune; et iste metus servilis qua talis seu secundum servilitatem contrariatur charitati et est malus. At vero, addit S. Th., prædicta servilitas non pertinet ad speciem timoris, sicut nec informitas ad speciem fidei, species enim habitus moralis vel actus, ex objecto accipitur: objectum autem timoris servilis est pœna, cui accidit quod bonum, cui contrariatur pœna, vel ametur tanquam finis ultimus, et consequenter pœna timeatur, ut principale malum, quod contingit in non habente charitatem; vel ordinetur in Deum sicut in finem ultimum, et consequenter pœna non timeatur, ut principale malum, quod contingit in habente charitatem: unde servilitas non est vitium timoris, sed timentis, et ideo timor servilis secundum substantiam est bonus, servilitas vero mala. Hæc accurate sunt notanda, quæ quia non distinguunt novatores, in varios errores abeunt. Itaque

Dico: Attritio seu dolor de peccatis ex solo gehennæ metu, sine ullo Dei amore benevolo, etiamsi nondum sit satis efficax, ut absolute excludat omnem peccandi voluntatem, si tamen ad id conetur et inducat, nec sit serviliter servilis, est bonus, honestus et utilis.

Prob. 1° ex concilio Trid. sess. 6, can. 8, ubi sic definit contra Lutherum: « Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit. » Item ex hac propositione damnata ab Alexandro VIII, septima Septembris 1690: « Attritio quæ ex gehennæ pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis »: est decima quinta.

Huc faciunt sequentes propositiones damnatæ Quenelli: «Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem»: est sexagesima octava. Item: « Qui a malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo »: est sexagesima secunda.

S. Aug. in Psal. 127, Serm. 161, alias 18, *de Verbis Apost.* et lib. *de Catechizandis rudibus* late exponit bonitatem et utilitatem timoris. Inter alia primo loco citato: « Timore facit, quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet, ne perdat amplexus sponsi pulcherrimi, sed timet ne mittatur in gehennam: bonus est et iste timor. » De S. Thoma patet ex prænotaminibus. Item probavimus supra ex Tridentino, et eodem S. Th. principium veræ pœnitentiæ et justificationis peccatoris esse timorem servilem. Idem tradit S. Scriptura in pluribus locis quæ referemus in calce articuli: ergo dolor ex illo timore conceptus non potest esse malus.

Prob. 2° ratione theologica: In attritione, qualem in conclusione exposuimus, tria sunt: primum intentio finis, scilicet fugere, seu vitare gehennam, et hic est actus elicitus a timore; secundum, medium etsi nondum efficax ad hunc finem assumptum, scilicet dolor de peccatis, et hic est actus imperatus a timore; tertium, ordinatio hujus medii ad hunc finem: atqui quodlibet istorum est honestum, bonum et utile: ergo. Prob. min. 1° Fugere gehennam est bonum, cum sit homini nociva, et omnium malorum sensibilium maximum: unde dicebat Christus, Matth. 10: *Timete eum qui potest corpus et animam perdere in gehennam;* et clamabat David: *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.* 2° Dolere de peccatis esse bonum, nullus in dubium revocare potest. 3° Tandem esse bonum ordinare hunc dolorem ad vitandam gehennam constat, quia dolere de peccato, quod est causa pœnæ, est medium aptum ad vitandam pœnam: unde dicebat divinus præcursor, Luc. 3: *Genimina viperarum, quis vobis ostendit fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ:* quibus verbis hortatur Judæos ad pœnitentiam ex timore pœnæ, et ad fugiendam pœnam per pœnitentiam ex timore conceptam. Et Isa. 26: *A timore tuo concepimus et peperimus spiritum sapientiæ.* Nec obstat quod culpa sit malum altioris ordinis, quam pœna; ideoque videatur inordinatum ordinare dolorem de majori malo ad vitandum minus: modo enim dolor de peccatis non ordinetur ad fugam pœnæ tanquam ad principale malum et ultimum finem, sed tantum tanquam ad magnum malum et finem proximum,

ita ut non excludatur ulterior relatio ad Deum, non est mala ordinatio, sed bona, ut dixi ex D. Th., et quia bona, ideo ex se tendit in Deum. Sic quotidie orando pro bonis temporalibus, ordinamus bonum altioris ordinis, nempe actum religionis, ad bonum inferius, et bene facimus. Imo ipse Deus ordinat bonum excellentioris ordinis ad bonum inferioris ordinis, quando utrumque ultimo cedit in suam gloriam; sic enim ordinavit Incarnationem Christi ad nostram salutem, ut ad finem proximum.

Dixi 1° in conclusione: « Si tamen timor conetur, et inducat ad excludendam voluntatem peccandi »; quia si induceret ad odium Dei, aut desperationem, esset malus, et ita semper fieri erronee existimavit Lutherus, cum tamen sæpius inde peccatores convertantur ad Deum.

Dixi 2°: Nec sit *serviliter servilis*, qui sit scilicet de pœna, ut principali malo, quia dolor ex tali metu qui respiceret pœnam, ut principale malum, et ejus fugam ut finem ultimum, esset inordinatus, ut dictum est.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°: Apost., Rom. 8, dicit: *Non accepistis spiritum servitutis, iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum;* et 2 Timoth. 1: *Non dedit Deus nobis spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis*: ergo.

Resp. Apostolum his verbis non excludere a lege evangelica omnem timorem, siquidem Christus ipse, Matth. 10, dicat: *Timete eum qui potest corpus et animam perdere in gehennam;* sed timorem servilem malorum temporalium, ut erat in veteri lege: sensus est igitur nostram conditionem in nova lege esse meliorem quam Judæorum in veteri lege, quatenus Deus eos continebat in observantia mandatorum, vel metu malorum temporalium ut servos, vel spe mercedis terrenæ ut mercenarios; nos vero ducimur timore filiali, quo timemus exhæredari et frustrari spe obtinendi hæreditatem filiis promissam. Ita exponit S. Aug., lib. *de Virginit.* et in Psal. 72. Cæterum non defuit amor in antiqua lege; fuerunt enim in ea sancti, non sine perfecto Dei amore; sed discrimen est, quod in antiquo Testamento prævaluerit timor, et in novo amor: « Quanquam utrumque in utroque sit, inquit S. August., lib. 1 *de Moribus Ecclesiæ*, cap. 28, prævalet tamen in vetere timor, amor in novo. »

Et hinc merito damnatæ sunt hæc propositiones Quenelli: « Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur, sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando »: est sexagesima quarta. Item: « Moyses, prophetæ, sacerdotes et doctores legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non efficerent nisi mancipia per timorem »: est sexagesima quinta.

Si quandoque SS. Patres, præsertim Aug., videantur improbare metum, loquuntur vel de metu bonorum temporalium, vel illum improbant et dolorem ex eo conceptum tanquam insufficientes ad justificationem.

Obj. 2°: Dolor ex metu non excludente voluntatem peccandi est involuntarius secundum quid, sicut omnia alia quæ fiunt ex metu: ergo non est bonus.

Resp. dist. ant. Dolor ex metu non excludente voluntatem peccandi est involuntarius secundum quid, sic ut ista involuntarietas, ut ita dicam, proveniat ex metu aut dolore de peccatis, neg.; sic ut ista involuntarietas proveniat ex affectu peccatoris ad suum peccatum, conc. Iste autem affectus ex parte subjecti non vitiat ipsum metum, neque dolorem ex ipso conceptum, cum sit illis extrinsecus. Quando ergo dicitur ea quæ fiunt ex metu esse involuntaria secundum quid, non est sensus quod metus causet istam involuntarietatem: sic, v. g., projiciens merces in mare metu naufragii, est quidem involuntarius respectu projectionis mercium; at neque metus naufragii, neque ista projectio mercium causant istam involuntarietatem, sed affectus quem aliunde habet ad merces. Similiter qui metuit gehennam, et ex illo metu dolet de peccatis, involuntarietas quam retinet circa fugam peccati non causatur, neque ex isto metu, neque ex isto dolore, sed ex affectu quem adhuc retinet ad peccatum, quem affectum si nondum excludat metus, ad id tamen conatur, et disponit: unde est vitium timentis et dolentis. non metus aut doloris, ut jam dixi. Attende ad prænotamina ex D. Th.

Inst. 1°: Dolor ex metu nondum excludente voluntatem peccandi includit hunc actum: Peccarem si non esset infernus: ergo est malus.

Resp. neg. ant. Supponit quidem hunc actum in peccatore, sed ab illo secundum se abstrahit, non includit; imo disponit ad illum excludendum: est ergo ibi servilitas quæ se tenet ex parte subjecti, et non ex parte actus; sicque bonitati actus non officit, sicut informitas fidei se tenet ex parte credentis, et non

ex parte actus fidei, nec impedit quin actus fidei secundum se sit bonus.

Inst. 2°: Qui odit peccatum propter infernum, magis odit infernum quam peccatum, ut enim communiter dicitur: « Propter quod unumquodque tale, et illud magis »: atqui hoc est inordinatum; est enim inordinatio magis odisse minus malum, quam majus; peccatum autem est majus malum quam infernus.

Resp. neg. maj. Quia in odio peccati propter infernum, vi istius actus non fit comparatio inter peccatum et infernum, sed tantum odio habetur peccatum propter infernum, tanquam propter finem proximum, non excludendo aliud motivum magis odio habendi peccatum quam infernum, sed ab illo abstrahendo. Ad probationem ex vulgari axiomate: Illud verum est quando excluditur omne aliud motivum odio habendi illud quod odio habetur propter aliud; secus quando non excluditur: sic v., g., justus qui videns suspendi furem odit furtum propter patibulum, seu ut evitet suspendium, non sequitur tamen quod odiat magis suspendium quam furtum, siquidem cum supponatur justus, si inter utrumque faceret comparationem, et alterutrum, aut furtum, aut suspendium eligendum proponeretur, magis eligeret suspendi quam furari. Item justus diligit Deum propter retributionem; non tamen sequitur quod magis diligat retributionem quam Deum. Similiter igitur qui odit peccatum propter infernum, non sequitur quod magis odiat infernum, quia licet de facto non odiat peccatum propter aliud motivum, quia, ut suppono, adhuc peccator est sine amore Dei benevolo, attamen istud motivum seu metus inferni, cum non sit finis ultimus, quantum ex se non excludit aliud motivum, puta amoris, licet etiam non includat, sed ab illo abstrahit, imo ad illud inducit et disponit.

Obj. 3°: Timor contrariatur charitati: ergo est malus. Prob. ant. Joan., epist. 1, c. 4, dicitur quod *Perfecta charitas foras mittit timorem:* ergo.

Resp. neg. ant. Ad prob. dist. Perfecta charitas foras mittit timorem, sicut perfectum excludit imperfectum, conc.: sic, v. g., visio beatifica excludit fidem et spem; foras mittit timorem ut contrarium, neg., intelligendo de timore simpliciter servili, de quo procedit conclusio.

Inst.: Timor procedit ex cupiditate: ergo est contrarius charitati. Prob. ant. Juxta S. August., *Enchyrid.*, cap. 117 et alibi, non datur medium inter cupiditatem et charitatem: atqui timor non procedit ex charitate: ergo.

Resp. neg. ant. Ad probat. dist. maj. Inter cupiditatem et charitatem non datur medium ex parte subjecti, conc.; quia omnis homo est vel justus, vel injustus: si justus, in eo regnat charitas; si injustus, in eo regnat cupiditas; ex parte actus, neg. Sicut enim non omne quod facit justus, procedit ex charitate, ut dum peccat venialiter; sic non omne quod facit injustus procedit ex cupiditate, sed vel ex bono naturæ, vel ex aliquo bono habitu remanente: non enim avarus, v. g., omnia agit ex avaritia, neque impudicus ex impudicitia.

Obj. 4°: Si attritio ex mero metu esset bona, foret actus virtutis: atqui falsum consequens; procedit enim ex amore sui: ergo.

Resp. neg. sequelam majoris; non enim omnis actus bonus est actus virtutis, ut patet in actu continentiæ: ideo igitur attritio ex solo metu, licet sit bona, non est actus virtutis; quia non facit hominem simpliciter bonum, nec est perfecta in suo genere, scilicet doloris. Si forte idem opponas de actibus fidei et spei, resp. quod isti actus sint perfecti in sua linea, fides enim est cognitio qua nulla certior, spes tendentia in beatitudinem, qua nulla securior et firmior; et sic est disparitas.

Petes utrum metus gehennæ de quo in conclusione, inducens peccatorem, ut se convertat ad Deum, sit non solum bonus, sed etiam supernaturalis?

Resp. affirmative contra Lutherum et jansenistas.

Constat 1° ex S. Scriptura: Proverb. 1 dicitur: *Timor Domini principium sapientiæ;* ibid. 14: *Timor Domini fons vitæ;* Eccli. 21: *Qui timet Deum, convertetur ad cor suum.... Consummatio timoris Dei sapientia;* et alibi plura similia. Porro si timor ducat ad sapientiam, et ad vitam, ejusque consummatio sit sapientia, indubie est supernaturaliter a Deo. 2° Ex propositione damnata ab Alexandro VIII, quam retulimus in probatione conclusionis. 3° Ex concilio Trid., sess. 6, cap. 6, ubi inter dispositiones ad gratiam sanctificantem recenset « divinæ justitiæ timorem, quo utiliter concutiuntur » peccatores. Nullus autem actus naturalis potest esse dispositio ad gratiam sanctificantem. Adde quod timor gehennæ non sit in nobis nisi per fidem. 4° Ex Auctore qui in 3 d. 34, q. 2, a. 2, q. 1, dicit quod licet timor servilis non numeretur inter septem dona Spiritus Sancti, sit tamen a Deo, et ejus usus sit bonus.

Dices : S. Th., ibid., dicit quod timor servilis, quando est bonus, sit « ab amore naturali, quo vult consistentiam, et bene esse sui subjecti » : ergo.

Resp. sensum S. Thomæ esse quod ut voluntas metuat et fugiat gehennam, non indigeat aliquo alio habitu superaddito, sed sufficiat amor naturalis proprii boni, motus tamen et adjutus impulsu gratiæ, unde immediate addit : « Et ideo horret omnem pœnam, sive quam experientia docet, sicut in naturali timore, sive quam fides demonstrat, sicut in servili.»

ARTICULUS VI.

UTRUM METUS GEHENNÆ POSSIT SE SOLO EXCLUDERE VOLUNTATEM PECCANDI ?

Hæc quæstio magno æstu ventilatur inter patronos attritionis formidolosæ et assertores necessitatis charitatis actualis, quasi si metus inferni semel excludat voluntatem peccandi, attritio formidolosa sufficiat cum sacramento ad justificationem, et nullus amor requiratur. Verum hallucinatio est : ad justificationem namque, etiam cum sacramento, non sufficit excludi voluntatem peccandi, sed insuper requiritur odium et detestatio peccati, ut est malum et offensa Dei, quæ haberi non potest sine aliquo amore, ut dicemus infra : unde etiamsi metus excludat voluntatem peccandi, nihil nocet principali nostræ sententiæ infra stabiliendæ. Quia tamen hæc quæstio celebris evasit, illam omnino prætermittere non convenit.

Sed ante omnia tollenda est terminorum æquivocatio, qua sublata non ita distabunt; aut saltem forte conciliabuntur opiniones contrariæ.

Atque vel per voluntatem peccandi intelligitur tantum voluntas habitualis ex actu præterito, hoc est, status peccati ; nihil enim aliud intelligi potest per voluntatem habitualem peccandi ; aut si quid aliud intelligant qui aliter sapiunt, explicent quid sit istud aliud ; clamant enim omnes voluntatem, affectum, affectionem habitualem, et nihil amplius. Hoc autem sensu certum est solo metu non excludi voluntatem peccati, sed sola gratia justificante. Vel per voluntatem peccandi intelligitur voluntas actualis ; et per ejus exclusionem, intelligitur exclusio non privativa tantum, sed contraria, quæ sic exprimitur : Non solum nolo amplius peccare, sed doleo peccasse, et detestor peccatum : atqui iterum hoc sensu concedimus non excludi voluntatem peccandi solo metu, quia peccatum, ut peccatum est et offensa Dei, non potest odio haberi ex solo metu sine aliquo Dei amore, ut infra probabimus. Et hoc sensu S. Th. in 4, d. 14, in expositione textus super hæc verba Magistri sententiarum : « Vera pœnitentia est cessare a peccato », dixit : « Sciendum quod cessare a peccato non dicit simplicem negationem peccati, quia qui intermittit actum peccati, non dicitur a peccato cessare ; sed cessare a peccato proprie dicitur cui peccatum displicet, et peccatum intermittere intendit, et hæc est vera pœnitentia. » Restat ergo per voluntatem peccandi intelligendam esse actualem, et per exclusionem illius intelligi positivam quidem, sed privativam tantum et non contrariam, quæ privativa sic exprimitur : Nolo amplius peccare, seu, depono omnem affectum, omnem voluntatem actualem iterum peccandi. Vix credo hanc exclusionem privativam voluntatis actualis peccandi vi metus a quoquam negari, siquidem plurimi qui videntur negare, declarent, ut legimus in eorum operibus, se loqui de voluntate peccandi præterita, non futura, et afferant pro ratione, peccatum, ut peccatum, non posse odio haberi, nec displicere ex solo metu, quod importat exclusionem contrariam, non privativam tantum. Sed quidquid sit,

Dico : Nihil obstat quominus metus inferni, si sit efficax, excludat privative se solo voluntatem actualem peccandi.

Prob. 1° ex Trid., sess. 6, can. 8, ubi sic definitur : « Si quis dixerit gehennæ metum per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus, peccatum esse aut peccatores pejores facere, anathema sit. » Ergo juxta concilium potest dari metus gehennæ efficax, vi cujus a peccato abstinemus: peccatur autem non solum actu exteriori, sed voluntate interiori : ergo etiam voluntatem excludit.

2° Ex hac propositione damnata Quenelli : « Timor non nisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur : » est sexagesima prima : ergo timor non solum manum cohibet, sed etiam animum : neque verum est cor tamdiu peccato addici, seu affici, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.

Scio adversæ sententiæ patronos multa excogitasse ut huic argumento satisfaciant. Dicunt 1° timorem cohibere non solum actum exteriorem, sed etiam voluntatem illum committendi, at non excludere affectum peccati intus latitan-

tem et voluntatem conditionatam illud committendi. 2° Recurrunt ad Calepinum et dicunt, juxta ipsum, *cohibere* non significare *excludere*, sed apud se tenere. 3° Dicunt hoc membrum propositionis damnatæ : « Timor non nisi manum cohibet », esse damnatum relative ad l. ye secundum : « Cor autem tamdiu peccato addicitur », etc. 4° Dicunt timorem excludere voluntatem peccandi futuram, non præteritam. 5° Dicunt excludere voluntatem peccandi negative sicut somnus aut distractio excludit seu potius suspendit, non positive, ita ut semper affectus maneat in corde.

Verum demus ista omnia, contra tamen communiorem sensum theologorum, qui per τo *cohibere* intelligunt *excludere* et quidem positive; saltem, si non obstante metu semper maneat actu in corde affectus peccati latitans, et actualis voluntas saltem conditionata illud committendi, sequitur quod per hunc actualem affectum et voluntatem cor tamdiu addicatur, seu afficiatur peccato, quamdiu ab amore justitiæ non ducetur. Quid est enim addici seu affici peccato, nisi habere affectum ad peccatum? Et hoc est secundum membrum propositionis damnatæ, quod, ut dicunt, est præcipue damnatum.

3° Ex S. Augustino cujus auctoritati maxime confidunt adversarii. *Enarrat. in Psal.* 127, dicit S. Doct. : « Audistis, cum Evangelium legeretur, ubi vermis eorum non moritur et ignis eorum non extinguitur : audiunt hoc homines, et quia vere futura sunt impiis, timent et continent se a peccato : timent quidem, sed non amant justitiam; cum autem per timorem continent se a peccato, fit consuetudo justitiæ » : atqui, ut jam dictum est, non solum actus exterior est peccatum, sed omnis actualis affectus seu voluntas peccati : ergo si timor continet a peccato, continet ab affectu et voluntate actuali peccandi, et si maneat actualis affectus seu voluntas peccandi, non fit « consuetudo justitiæ. »

4° Ratione : Timor efficax supplicii temporalis excludit positive omne id quod conducit ad supplicium : ergo a pari timor efficax supplicii æterni. Subsumo : Atqui non solum peccatum exterius, sed omnis actualis affectus aut voluntas peccandi conducit ad supplicium æternum : ergo metus efficax gehennæ excludit positive omnem actualem affectum seu voluntatem peccandi, sicut metus efficax supplicii temporalis excluderet voluntatem furandi, si voluntas supplicio puniretur, sicut furtum exterius.

Dices : Ex hoc argumento sequitur quod metus efficax gehennæ excludat etiam habituale peccatum et ejus reatum, quia ista etiam conducunt ad gehennam, sicque ad justificationem inutilis est gratia et inutile sacramentum, quod est absurdum : ergo.

Resp. dist. sequelam : Sequitur quod metus efficax excludat peccatum habituale immediate et se solo, neg.; mediante amore charitatis aut benevolentiæ cum sacramento, conc. Itaque metus efficax gehennæ, immediate et se solo excludit omne inductivum gehennæ quod continetur intra suam activitatem seu efficaciam immediatam; sed ad excludendum quæ excedunt suam efficaciam immediatam, quærit adminicula necessaria et ad illa efficaciter movet. Porro ad excludendum peccatum habituale et justificationem consequendam, non sufficit excludi voluntatem peccandi, sed insuper requiritur odio haberi peccatum ut est malum et offensa Dei, ut dicemus infra, quod fieri non potest sine saltem ejus amore benevolo, et ideo metus efficax gehennæ movet peccatorem ad hunc amorem et ad sacramentum. At excludere actualem voluntatem seu affectum peccati, etiam ut est offensa Dei, immediate et se solo potest timor, absque alicujus amoris Dei adminiculo, quia ex mera indifferentia erga aliquem absque ullo ejus amore possum deponere voluntatem ipsum ulterius offendendi, maxime si sciam hanc voluntatem esse mihi nocivam ; sicut ergo metus efficax patibuli se solo absque alterius adminiculo excluderet voluntatem peccandi, si voluntas patibulo puniretur, ita metus inferni se solo excludit voluntatem furandi, quia ista voluntas inferni pœna punitur. Et mirum sane foret ex sola consideratione turpitudinis peccati posse deponi voluntatem ipsum iterandi, quod mihi certum videtur, et non posse ex consideratione supplicii æterni.

Tandem vel ille affectus latitans, ista voluntas conditionata est peccatum vel non: si non sit peccatum, est impertinens ad propositum; si sit peccatum, vel illud excludit metus, vel dicendum quod homo fugiens peccatum metu inferni continuo peccet, quod est absurdum.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° : S. Aug. in pluribus locis docet 1° timorem nullatenus excludere voluntatem peccandi; sic epist. 144: « Inaniter putat se victorem peccati qui timore non peccat » ; Serm. 15, de verbis Apost. : « Qui timore pœnæ non

concupiscit, puto quia concupiscit » ; in Psal. 77 : « Qui timent pœnam et qui amant justitiam non furantur, et ideo pares sunt manu, dispares corde, pares opere, dispares voluntate. » Similiter alii Patres. 2° Docet S. Aug. desiderium peccandi non excludi nisi amore justitiæ et charitate ; sic, l. 2 contra Adversarium legis, c. 7 : « Desiderium peccandi non extinguitur nisi contrario desiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur » : ergo.

Resp. ad primos textus S. Augustinum et alios Patres loqu' le metu vel inefficaci, vel serviliter servili, vel de metu pœnæ temporalis, vel intelligere de complacentia peccati ex parte appetitus sensitivi, non voluntatis. Ad ultimum textum : Vel S. Augustinus loquitur de exclusione desiderii peccandi contraria et non solum privativa, ut explicui in prænotaminibus ; vel per charitatem et dilectionem intelligit bonam voluntatem seu quemlibet pium voluntatis affectum erga bonum, ut ipsi frequens est; qui vero fugit peccatum metu pœnæ habet bonam voluntatem. Posset etiam dici quod S. Aug. loquatur de eo quod communius accidit ; sic enim quidam ex ipsis adversariis ipsum interpretantur.

Obj. 2° : Quæ fiunt ex metu sunt involuntaria secundum quid : ergo qui dolet de peccato ex metu, retinet affectum ad peccatum.

Resp. dist. ant. Quæ fiunt ex metu sunt involuntaria secundum quid, si istud involuntarium non sit inductivum mali quod timetur, conc.; si sit inductivum mali quod timetur, neg. Hoc ipso enim quo supponitur metus efficax, debet tollere omne inductivum mali quod timetur, et quia involuntarietas in fuga peccati, seu affectus ad illud est inductivus gehennæ, metus efficax gehennæ debet illum excludere: sicut si affectus quem habet mercator ad merces, seu involuntarium quod habet ad earum projectionem esset causa naufragii, metus naufragii, si esset efficax, ipsum induceret, non tantum ad projiciendas merces, sed etiam ad deponendum affectum ad illas, consequenter ad tollendum involuntarium in earum projectione.

Inst. 1° : S. Th. 1 2 et cum eo omnes theologi docent generaliter et sine exceptione ea quæ fiunt ex metu esse mixta ex voluntario et involuntario : ergo male nos ab hac generali doctrina excipimus.

Resp. dist. ant. S. Th. docet generaliter et sine exceptione ea quæ fiunt ex metu esse mixta ex voluntario et involuntario, loquendo formaliter de metu quantum ex vi sua et prout incutitur a causa extrinseca, conc.; loquendo de metu per accidens et ratione materiæ, quando nempe contingit quod mea voluntas seu involuntarietas est causa pœnæ quam timeo, neg. Tunc enim licet attenta præcise ratione metus conservassem affectum ad peccatum, et inde ortam involuntarietatem in eo relinquendo, tamen quia ipse affectus ad peccatum, seu involuntarietas in illo relinquendo est fundamentum, et causa justæ pœnæ quam timeo; ideo per accidens, et ratione materiæ, metus mutat hunc affectum, et tollit hanc involuntarietatem.

Insuper istud generale principium, scilicet ea quæ fiunt ex metu esse mixta ex voluntario et involuntario, intelligitur duntaxat, quando in agente ex metu reperitur affectus ad id quod ex metu dimittitur, ut in projiciente merces metu naufragii. At non est necesse quod in omni agente ex metu reperiatur affectus ad id quod ex metu dimittitur ; sic in eo qui ex impetu iræ occidit hominem, aliunde sibi charum, transacta ira, nullus remanet affectus ad hoc peccatum, de quo dolet ex metu inferni. Sic in viris sanctissimis qui metu gehennæ abstinent a peccato, inter quos de S. Hieronymo hæc referuntur verba: « Ille igitur ego qui ob gehennæ metum tali me carcere (vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum monachis præbet habitaculum) ipse damnaveram, scorpionum tantum socius et ferarum, » nemo dicet remanere affectum ad peccatum, et abstinentiam a peccato esse mixtam ex voluntario et involuntario.

Inst. 2° : Qui dolet de peccato ex metu gehennæ, habet hanc voluntatem conditionatam: Non dolerem, seu peccarem, si non esset infernus, sicut mercator projiciens merces metu naufragii habet hanc voluntatem conditionatam : Non projicerem, si non immineret naufragium : ergo.

Resp. dist. ant. Cum enim sciat hanc voluntatem esse peccatum, et inductivam gehennæ, hoc ipso quo metuit efficaciter gehennam, hanc voluntatem deponit; sicut si voluntas conditionata non projiciendi merces, si non immineret naufragium, esset inductiva naufragii, eam deponeret mercator, non deponit vero quia scit inde non causari naufragium.

Inst. 3° : Si non esset infernus non doleret : ergo habet voluntatem non dolendi, si non esset infernus.

Resp. dist. ant. Si non esset infernus, non doleret ex metu inferni, conc.; ex alio motivo, neg. Saltem posset dolere ex alio motivo ; qui

enim dolet de peccatis ex metu inferni, non excludit alia motiva, nec facit, aut facere potest hanc comparationem: Nolo dolere de peccatis propter Dei amorem, sed tantum propter metum inferni, id namque foret inordinatum et peccaminosum; sed dolet propter infernum abstrahendo ad alio motivo dolendi, quo quidem forte moveretur, forte non; sed sicut non est laude dignus propter bonum actum quem forte eliceret, ita nec vituperio dignus propter malum actum quem forte eliceret.

Huic quæstioni diutius non immoror; quia, ut jam monui, nihil confert ad principalem quæstionem de sufficientia attritionis secundum nostram sententiam mox stabiliendam; in eaque sum opinione, quod negantes efficaciam timoris ad excludendam voluntatem peccandi, loquantur de exclusione contraria, non privativa tantum, sensu superius explicato.

ARTICULUS VII.

UTRUM AD JUSTIFICATIONEM CUM SACRAMENTO SUFFICIAT ATTRITIO PURE FORMIDOLOSA, AN E CONTRA REQUIRATUR ALIQUIS DEI AMOR ET QUALIS ?

§ I.

Prænotamina ex S. Thoma.

Observandum 1° cum eruditissimo magistro nostro P. Henneguier in suo opusculo *De absolutione sacramentali*, duplicem attendi posse in nobis erga Deum amorem, scilicet amorem concupiscentiæ quo volumus Deum nobis bonum, ejusque beatitudinem nobis appetimus, et amorem amicitiæ quo Deo bonum ejusque beatitudinem et perfectionem volumus. Hic iterum est duplex, unus secundum quid, et inchoatus, alter simplex et absolutus. Primus dicitur benevolentiæ simplicis, alter benevolentiæ amicabilis. Neque enim idem sunt, ut plerique existimant, benevolentia et amicitia, seu charitas; benevolentia est alterius principium seu effectus; nam ex eo quod alicui volumus bonum, disponimur ut ipsum amemus, et ad ipsum amicitiam habeamus; inde etiam quod aliquem amemus, et ad ipsum amicitiam habeamus, fit ut ipsi bonum velimus: unde S. Th. 2 2 q. 27, art. 2, ad 1, dicit quod cum philosophus definit amare, quod est velle alicui bonum, « definiat amorem non ponens totam rationem ipsius, sed aliquid ad ejus rationem pertinens, in quo maxime manifestatur dilectionis affectus. »

Est igitur hoc discrimen secundum D. Th. inter benevolentiam et amorem amicitiæ, quod benevolentia sit simplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum sine redamatione ex parte ejus, ut dum videmus duos pugiles in certamine aliunde nobis ignotos, quorum unum vellemus vincere; est exemplum S. Thomæ loco citato: amor autem seu amicitia addit benevolentiæ redamationem, seu unionem affectuum ad invicem; amicus enim est amico amicus, ut fert commune adagium. Placet verba S. Doctoris referre loco citato in corpore articuli, ubi inquirens utrum amare, prout est actus charitatis (quam paulo ante definierat esse amicitiam, ut dicam modo) sit idem quod benevolentia, sic respondet: « Dicendum quod benevolentia proprie dicitur actus voluntatis, quo alteri bonum volumus. Hic autem voluntatis actus differt ab actuali amore, tam secundum quod est in appetitu sensitivo, quam etiam secundum quod est in appetitu intellectivo, quod est voluntas. » Tum paucis interjectis prosequitur: « Amor (seu amicitia) importat quamdam unionem secundum affectum amantis ad amatum, in quantum scilicet amans æstimat amatum quodam modo, ut unum sibi vel ad se pertinens, et sic movetur in ipsum. Sed benevolentia est simplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, etiam non præsupposita prædicta unione affectus ad ipsum: sic ergo in dilectione secundum quod est actus charitatis (hoc est amicitiæ, ut mox dicam), includitur aliqua benevolentia; sed dilectio, sive amor addit unionem affectus, et propter hoc philosophus dicit ibidem quod benevolentia sit principium amicitiæ. »

Unde vulgo a theologis assignantur tres conditiones requisitæ ad amicitiam: prima, quod sit amor benevolentiæ, non concupiscentiæ; secunda, quod sit mutuus; tertia, quod fundetur in aliqua communicatione, sive bonorum, sive secretorum, etc., inter amicos: sicque benevolentia et amicitia conveniunt in prima conditione, differunt in secunda et tertia.

Observandum 2° cum eodem ex eodem S. Thomæ 2 2 q. 23, a. 1, charitatem esse essentialiter amicitiam hominis ad Deum, quæ sententia est communior theologorum; verba sunt S. Doctoris in corpore articuli: « Dicendum quod secundum philosophum in 8 *Ethic.* non quilibet amor habet rationem ami-

citiæ, sed amor qui est benevolentia, quando scilicet amamus aliquem ut ei bonum velimus.. sed nec benevolentia sufficit ad rationem amicitiæ, sed requiritur quædam mutua amatio, quia amicus est amico amicus. Talis autem mutua benevolentia fundatur super aliqua communicatione. Cum ergo sit aliqua communicatio hominis ad Deum secundum quod nobis suam beatitudinem communicat (hic quidem in jure et spe per gratiam, in patria autem per gloriam), super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari, de qua quidem communicatione dicitur ad Cor. 1 : *Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem Filii ejus*. Amor autem super hanc communicationem fundatus est charitas : unde manifestum est quod charitas amicitia quædam est hominis ad Deum. »

Itaque ut aliquis amor sit charitas, eædem omnino requiruntur conditiones, quæ requiruntur ad amicitiam : prima, quod sit amor benevolentiæ ; secunda, quod sit mutuus, id est quod ex parte Dei sit etiam aliquis amor benevolentiæ erga hominem ; tertia, quod amor ille mutuus fundetur in communicatione beatitudinis, in quantum amor charitatis in Deo, cum sit supernaturalis et fecundus, producit in nobis gratiam, quæ est participatio divinæ naturæ, et qua constituimur filii Dei, atque ejus beatitudinis hæredes.

Hinc colliges charitatem seu charitatis actum pro objecto formali respicere Deum, ferrique in ipsum non quomodocumque consideratum et ut in se tantum absolute bonus est, sed ut est nobis amicus seu ut redamans nos, ut nobis unitus, seque per beatitudinem scilicet per gloriam et gratiam nobis communicans : non quod communicatio illa seu unio et redamatio sit ratio diligendi Deum, ipsique bonum volendi, sed quod sit modificatio seu conditio sine qua actus benevolentiæ, quo Deo secundum se et propter se, seu intuitu sui et non nostri volumus bonum, non est actus amicitiæ seu charitatis, nec Deus amicitiæ objectum : sicut Deus non visus et nobis veritates revelans est nostræ fidei objectum ; non quod esse non visum sit ratio assentiendi Deo per fidem, sed quod sit conditio sine qua assensus noster non esset fidei, nec Deus revelans objectum fidei. Quod et exemplis ab aliis rebus desumptis manifestum fieri potest : sic bonum nisi apprehensum non diligitur ; ignis nisi applicatus non comburit ; forma, nisi uniatur, totum non constituit : non quod apprehensio sit bono ratio formalis et motiva ut diligatur ; igni applicatio, vis ut comburat ; formæ unio, ratio formalis ut totum constituat, sed quod apprehensio, applicatio et unio sint conditiones sine quibus nec ratio boni diligitur, nec virtus ignis comburit, nec formæ entitas totum constituit. Sic ergo quamvis Deus a seipso, hoc est ab excellentia et bonitate propria, habeat quod per charitatis et amicitiæ actum diligatur ; non tamen per charitatis, sed per nudum benevolentiæ actum attingitur, si antecedenter ad sui per gratiam vel gloriam communicationem, ipsi bonum appetitur, ut tam in divinis quam in humanis, sit absolute et universaliter verum, nullum sine communicatione dari actum amicitiæ, secus benevolentiæ.

Quando itaque dicitur : Deus ut seipsum communicans, ut spiritualiter convivens, ut amicus, ut unitus, etc., est objectum charitatis ; τo *ut* non denotat id unde habet Deus quod sit amicitiæ et charitatis objectum, sed conditionem, sine qua non est charitatis objectum : sicut cum dicitur, ignis ut applicatus comburit, bonum ut apprehensum diligitur, forma ut unita totum constituit, Deo ut viso creditur, τo *ut* in istis non important causam aut rationem formalem ob quam prædicatum de subjecto dicitur, sed modificationem illius seu conditionem sine qua non, adeoque proprie loquendo, nec specificative, nec reduplicative sumuntur, sed conditionate tantum. Hæc prælaudatus theologus, quæ vix immutata retuli, quia vix potuit melius dici.

Scio quidem quosdam recentiores thomistas paulo aliter distinguere inter benevolentiam et charitatem ; dicunt enim actum benevolentiæ differre ab actu charitatis, quod actus benevolentiæ sit effectivus tantum et inefficax ; actus autem charitatis effectivus, efficax et totius legis adimpletivus : neque tamen hos actus inter se differre tantum accidentaliter penes magis et minus intensum, sed etiam essentialiter ratione diversi modi quo idem objectum attingunt, sicut, inquiunt, contingit in peccato mortali et veniali. Neque enim concedunt quod actus inefficax, idem essentialiter manens, possit fieri efficax, sicut minus efficax idem essentialiter manens potest fieri magis efficax, sed quod adveniente efficaci inefficax transit, sicut simplex velleitas seu complacentia transit adveniente voluntate absoluta, quæ a simplici velleitate essentialiter distinguitur.

Equidem non inficias ibo actum charitatis esse efficacem, et actum inefficacem posse essentialiter distingui ab efficaci. At quantumvis

sit noster erga Deum amor efficax, si ibi sistas et non supponas Deum redamantem, atque se nobis per gratiam communicantem, habes tantum amorem benevolentiæ, non amorem charitatis seu amicitiæ, quippe quæ juxta S. Thomam fundatur in unione affectuum et communicatione mutua. Si dicas : Hoc ipso quo amor hominis erga Deum est efficax, Deus hominem redamat : sit ita ; sed ex illa redamatione et non ex efficacia actus nostri repetenda est distinctio formalis inter benevolentiam et charitatem. Hærendum itaque arbitror principiis positis ex Angelico doctore.

Sunt etiam quidam qui scrupulose refugiunt vocare actum benevolentiæ amorem, sed de nomine non litigamus ; dicatur amor, dicatur simpliciter actus benevolentiæ, perinde est nobis qui per amorem benevolentiæ non intelligimus nisi simplicem actum voluntatis quo volumus bonum Deo nondum redamanti, nec se per gratiam aut gloriam adhuc communicanti.

Circa quæstionem propositam in titulo, multiplex est theologorum opinio. Quidam volunt ad justificationem cum sacramento sufficere attritionem pure formidolosam; alii requirunt amorem spei seu concupiscentiæ. Sed hi non multum distant a primis inter quos pauci sunt qui excludunt amorem concupiscentiæ ; alii requirunt amorem benevolentiæ; alii amorem charitatis.

Ante resolutionem præmittendum censeo Alexandrum VII, in decreto S. Inquisit., dato feria V Maii 1667, in virtute S. obedientiæ et sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcepisse, « ut nemo audeat alicujus censuræ scholasticæ alteriusve injuriæ aut contumeliæ nota, taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac S. Sede fuerit aliquid in hac re definitum. » Dicit decretum « quæ hodie », id est anno 1667, « videtur communior », quod non puto nunc posse dici.

§ II.

Rejicitur amor charitatis.

Non est modo quæstio de charitate habituali; quamvis enim Magister Sententiarum et quidam antiqui olim censuerint peccatorem semper justificari per contritionem gratia et charitate habituali formatam, priusquam susciperet sacramentum, ideoque sacramentum non reconciliare Deo, sed Ecclesiæ, neque remittere peccata, sed tantum pœnam peccatorum, neque conferre primam gratiam, sed primam collatam duntaxat augere; ista opinio inolevit, neque posset facile conciliari cum definitionibus concilii Tridentini, damnatione propositionum Baii, potestate clavium, efficacia et institutione sacramenti Pœnitentiæ, quæ est ut conferat primam gratiam peccatorum remissivam, ut probavimus, dissert. 1, art. 3, § 2. Require. Unde hodierni assertores charitatis in attritione requirunt tantum charitatem actualem, neque talem quæ inferat aut supponat charitatem habitualem, sed debilem et remissam qua peccator, ut volunt, non justificetur antequam sacramentum suscipiat. Et forte per charitatem actualem nihil aliud intelligunt quam amorem Dei benevolum super omnia, quem male confundunt cum actu charitatis, non satis attendentes ad distinctionem inter utrumque actum quam ponit S. Thomas, ut vidimus § præcedenti; sed quidquid sit,

Dico : In attritione salutari et sufficiente ad justificationem cum sacramento, non requiritur aliquis actus charitatis, quantumvis debilis et remissus.

Prob. Ad attritionem quæ cum sacramento justificationi sufficiat, non requiritur actus qui ante realem sacramenti susceptionem habeat infallibiliter annexam gratiam justificantem : atqui actus charitatis quantumvis debilis et remissus habet infallibiliter annexam gratiam justificantem ante realem susceptionem sacramenti : ergo. Maj. patet ex his quæ modo dicebamus de charitate habituali et admittitur ab adversariis, præsertim quia alioquin sacramentum Pœnitentiæ nunquam causaret id ad quod causandum est per se primo institutum, scilicet remissionem peccatorum; est enim sacramentum mortuorum, sed semper causatum supponeret. Prob. min. 1° Actus charitatis, quantumvis debilis et remissus, est actus amicitiæ erga Deum, ut diximus § præcedenti, consequenter habet omnes conditiones seu proprietates amicitiæ, scilicet fertur in Deum ut amicum, ut redamantem, ut nobis unitum, seque nobis communicantem per beatitudinem in spe vel in re : atqui hæc non habentur nisi per gratiam sanctificantem qua constituimur participes divinæ naturæ, amici Dei, filii et hæredes : ergo.

Si dicas id intelligendum esse de actibus

charitatis ab habitu charitatis procedentibus,

Resp. 1° neg. suppositum antecedentis, scilicet posse dari actum charitatis qui non procedat ab habitu charitatis in genere causæ efficientis, licet possit natura præcedere in genere causæ materialis et dispositivæ; posito enim quod charitatis actualis sit amicitia ad Deum, debet necessario supponere Deum redamanten per gratiam et infusionem virtutum. Unde Auctor 3 p. q. 85, a. 6, ait : « Dicendum est quod actus quidam laudabiles etiam tempore præcedere possunt actum et habitum pœnitentiæ, sicut actus fidei et spei informium et actus timoris servilis; actus autem et habitus charitatis simul sunt tempore cum actu et habitu pœnitentiæ, et cum habitibus aliarum virtutum » : ergo etiam simul cum gratia sanctificante ad quam habitus virtutum consequuntur, et a qua nunquam separantur.

2° Dato ant. Vel iste actus charitatis non procedens ab habitu est ejusdem speciei cum eo qui procedit ab habitu, vel non : si primum : ergo in idem objectum formale, et eodem modo tendit, adeoque in Deum, ut amicum et redamantem ; si secundum : ergo non est essentialiter actus charitatis, cum charitas sit species athoma ; sed ad lineam benevolentiæ revocari debet.

Si reponas hos actus distingui ex parte principii, si non ex parte objecti, resp.: Vel illa distinctio ex parte principii constituit eos diversæ speciei essentialis, vel non ; quodvis dicatur, recurrit solutio mox data. Insuper sufficit ad conclusionem nostram, quod iste actus habeat idem objectum formale.

Prob. 2° prima min. argumenti ex damnatione sequentium propositionum vulgo Baïanarum : « Charitas perfecta et sincera, quæ est ex corde puro, et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum » : est trigesima prima.—« Catechumenus juste, recte, et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur » : est trigesima tertia.

Neque diças has propositiones esse intelligendas, vel de charitate actuali intensa, vel de charitate habituali ; nam prima loquitur de charitate quæ sit perfecta et sincera, quatenus est « ex corde puro, conscientia bona, et fide non ficta » : charitas autem etiam non intensa est hoc sensu perfecta et sincera ; est enim de corde puro, conscientia bona et fide non ficta : secunda vero videtur aperte loqui de charitate actuali, per quam scilicet catechumenus « recte, juste et sancte vivit, et legem implet » ; hæc enim important actum.

Obj. : Si in attritione requisita ad justificationem cum sacramento non requireretur actus charitatis saltem debilis et remissus, ideo esset, quia hujusmodi actus habet inseparabiliter annexam justificationem : atqui falsum consequens : ergo. Probant min. ex variis S. Scripturis et SS. Patribus, qui ad justificationem extra sacramentum requirunt amorem, dilectionem, charitatem magnam, intensam, ex toto corde, etc.: ergo.

Resp. neg. min. Ad probat. Hæc omnia intelligenda sunt de charitate inchoata, et late sumpta pro amore benevolentiæ, quem fatemur debere esse intensum ad justificationem extra sacramentum, non vero de charitate stricte sumpta pro amicitia inter Deum et hominem.

Inst. 1° : Concilium Trid., sess. 24, cap. 4, declarat reconciliationem non haberi extra sacramentum, nisi per contritionem « charitate perfectam » : atqui ibi intelligitur charitas stricte sumpta : ergo ad justificationem non sufficit charitas actualis, debillis et remissa.

Resp. neg. conseq. Non enim idem est contritio charitate perfecta, et contritio, seu charitas intensa; cum minima contritio, modo sit vera contritio, sit charitate perfecta, id est talis quam perficit charitas, et ad perficiendam contritionem, non requiratur perfecta seu intensa charitas, sed sufficiat qualiscumque etiam remissa, modo habeat essentiam charitatis, qua nempe diligitur Deus appretiative super omnia.

Inst. 2° : Juxta S. Augustinum et alios Patres, ad justificationem extra sacramentum, ita, requiritur perfecta contritio, ut sit et perfecta charitas : ergo utraque intensa.

Resp. neg. conseq. Perfectio enim tam contritionis, quam charitatis, petitur non solum ex intensione, sed etiam ex appretiatione seu electione voluntatis, qua Deus præfertur omnibus in amore, et peccatum in detestatione. Quid autem S. Augustinus per charitatem perfectam intelligat, exponit Auctor 2 2 q. 24, art. 9. « Perfectam » vocat, non intensam, sed cujus principale studium est, ut Deo inhæreat eoque fruatur : proficientem, seu roboratam, quæ principaliter studet, ut in bono proficiat : « parvulam » vero seu incipientem, quæ potissimum incumbit ut a peccato recedat, et concupiscentiis resistat : hæc autem perfectæ

charitatis notio non convenit adversariis, qui illam reponunt in intensione.

Inst. 3° : Si quilibet actus charitatis, quantumvis debilis et remissus, habeat semper annexam justificationem, non erit ita difficilis, ut multi existimant, hominis justificatio extra sacramentum; nec erit cur tam sint solliciti fideles pro absolutione sacramentali : atqui hoc videtur inconveniens : ergo.

Resp. neg. ant. Non enim actus charitatis, quamvis remissus, est ita facilis, siquidem, ut patet ex prænotatis, supponat Deum redamantem, et se nobis communicantem per gratiam justificantem, et habitum charitatis : Deus autem gratiam justificantem, et cum ea habitum charitatis non infundit extra sacramentum, quovis modo pœnitenti etiam ex motivo benevolentiæ, sed pœnitenti intense juxta quantitatem malitiæ peccatorum, vel ex puro motivo amoris benevoli, sine adminiculo timoris servilis, et motivi proprii interesse : quod certe non ita facile est, nec frequens inter homines maxime mundo et concupiscentiis servientes.

Inst. 4° : Si vera sit sententia nostra, sequitur quod homo poterit salvari, et esse in gloria, absque eo quod unquam præceptum charitatis impleverit; v. g., pone casum quod impius in fine vitæ convertatur ex timore cum solo actu benevolentiæ, et statim ac subito post absolutionem moriatur; justificabitur secundum nos, consequenter salvabitur ; nunquam tamen adimplevit præceptum charitatis, cum totam vitam in impietate duxerit : atqui hoc videtur absurdum : ergo.

Respondent quidam non esse inconveniens talem hominem salvari ; quia impossibile tunc ipsi redditur adimpletio mandati; male quidem fecit non adimplendo prius, sed ipsum talis peccati, ut supponitur, pœnituit.

Respondent alii, et melius ex D. Th. in 2. d. 28, q. 1, art. 3, præceptum dilectionis sufficienter impleri, ut quis ab ejus transgressione mortali excusetur, per amorem Dei benevolum super omnia : quo actu diligunt, et diligere debent Deum omnes catechumeni et pœnitentes, ut docet Trid., sess. 6, cap. 6, requirens ut Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant.

Respondeo 3° etiam ipsum peccatorem in instanti justificationis non solum recipere gratiam et charitatem habitualem, sed etiam elicere actum charitatis; quia gratia sanctificans cum charitate habituali non ipsi infunditur modo quasi mortuo, sed eam actu voluntario et libero recipit, et in amicitiam Dei voluntarie consentit; hæc autem actualis, et libera acceptatio gratiæ, et in amicitiam Dei consensio, quid est aliud quam actus charitatis ex ipsa gratia sanctificante, et habituali charitate in genere causæ efficientis consequens, licet possit dici illam natura præcedere in genere causæ materialis et dispositivæ ?

Hanc solutionem Laurio ex concilio Trid. et S. Thoma. Concilium Trid., sess. 6, cap. 6, sic habet : « Justificatio non est sola peccatorum remissio, sed renovatio interioris hominis. Per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum, quibus homo efficitur ex injusto justus, ex inimico amicus. » S. Th. 1 2 q. 113, art. 3, o, « Deus, inquit, ita infundit donum gratiæ sanctificantis, quod etiam simul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum in his qui sunt hujus motus capaces. » Et art. 4, ad 1 ; « Motus fidei non est perfectus, nisi sit charitate informatus : unde simul in justificatione impii cum motu fidei, est etiam motus charitatis; movetur autem liberum arbitrium in Deum, ad hoc quod ei se subjiciat : unde etiam concurrit actus amoris filialis (qui est a charitate) et actus humilitatis. »

Si dicas pœnitentes plerumque, saltem rudes, ignorare quid sit gratia sanctificans, quid charitas habitualis : ergo dici non potest quod actu libero illas suscipiant, aut in eis consentiant.

Resp. quod licet pœnitentes non cognoscant explicite naturam gratiæ et charitatis, sciunt tamen in ipsa justificatione, operatione divina fieri aliquid in eis quo intrinsece mutantur et fiunt justi, sancti et amici, cum antea essent peccatores, injusti et inimici ; in id autem voluntarie consentiunt, et hoc sufficit.

§ III.

Asseritur necessitas amoris benevoli in attritione.

Dico : Ad justificationem cum sacramento Pœnitentiæ consequendam non sufficit attritio ex metu concepta etiam cum amore spei seu concupiscentiæ, sed requiritur amor Dei benevolus.

Prob. 1° ex concilio Trid., sess. 6, cap. 6, ubi agit de pœnitentia necessaria ad Baptismum in adultis. Hæc sunt ejus verba : « Disponuntur ad ipsam justitiam dum excitati divina gratia.... libere moventur in Deum

credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt... et dum peccatores se esse intelligentes divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est per eam pœnitentiam quam ante Baptismum agi oportet. »

Quibus verbis concilium requirit tres conditiones ad pœnitentiam quæ agi debet ante Baptismum, scilicet fidem cui conjungitur timor, spem et inchoatam dilectionem : atqui non minor, imo major requiritur pœnitentia ad sacramentum Pœnitentiæ quam ad Baptismum : ergo.

In omne latus se vertunt adversarii ut huic argumento satisfaciant. Dicunt 1° concilium esse intelligendum de amore spei seu concupiscentiæ.

Sed contra : 1° Concilium requirit amorem distinctum a spe : ergo distinctum ab amore concupiscentiæ seu spei ; spes enim necessario præsupponit amorem concupiscentiæ et in eo fundatur : unde Auctor 1 2 q. 40, art. 7 : « Nec est spes, inquit, nisi de bono desiderato et amato. » Et q. 62, a. 4, ad 3 : « Spes respicit duo, unum quidem sicut principale objectum, scilicet bonum quod speratur, et respectu hujus semper amor præcedit spem, nunquam enim speratur aliquod bonum nisi desideratum et amatum. » 2° Diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem, ut loquitur concilium, non est ipsum diligere amore concupiscentiæ, sed amore benevolentiæ ; est enim ipsum diligere tanquam primitivam et fontalem justitiam a qua omnis æquitas, rectitudo et justitia profluit, sicque est ipsum amare ut finem ultimum ; quia ut communiter docent theologi post S. Thomam, sic se habet finis ultimus in moralibus, sicut primum principium indemonstrabile in speculativis ; sicut ergo a primo principio provenit omnis certa veritatis cognitio, ita a fine ultimo profluit omnis justitiæ, æquitatis et rectitudinis ratio ; diligere autem Deum ut finem ultimum pertinet ad benevolentiam, non ad concupiscentiam. Unde ipse Suarez attritionis formidolosæ assertor in 3 p. D. Th., disp. 4, sect. 8, dicit : « Diligere Deum ut omnis justitiæ fontem, non est diligere amore concupiscentiæ, sed est diligere Deum ut auctorem gratiæ, quomodo charitas diligit ipsum. » Et Tannerus alter formidolosæ attritionis assertor, tom. 4, disp. 6, q. 2, dub. 4, num. 74, dicit quod hæc sit « communis mens et sententia doctorum. »

Dicunt 2° concilium debere intelligi non de actuali dilectione, sed de principio extrinseco dilectionis, quod est propositum servandi mandata.

Sed contra: 1° Concilium exigit dilectionem distinctam a proposito, siquidem verbis citatis immediate subjungat : « Denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam et servare divina mandata. » Imo ex dilectione concilium deducit propositum ; postquam enim statuit necessitatem dilectionis, dicit: « Ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod.... proponunt servare mandata » : sicut enim ex dilectione Dei oritur odium peccati, sic ex odio peccati nascitur propositum non amplius peccandi. 2° Qui habet solum voluntatem aliquid faciendi et nondum facit, non nisi admodum improprie dicitur quod illud incipiat facere ; nemo enim dicit quod is qui mane habet propositum ambulandi a meridie, jam incipiat ambulare ; nefas est autem hujusmodi improprias locutiones tribuere s. synodo, quæ in omnibus accuratam et præcisam terminorum significationem sectatur. 3° Nemo est sufficienter dispositus ad gratiam in sacramento consequendam, quamdiu manet conversus ad creaturam, tanquam ad finem ultimum ; in hoc enim sita est tota peccati inordinatio et malitia : atqui simplex propositum servandi mandata et diligendi Deum, non tollit conversionem sive actualem sive virtualem peccatoris ad creaturam tanquam ad finem ultimum ; non enim sunt actus incompossibiles propositum seu desiderium diligendi Deum ipsumque præferendi omnibus suo tempore seu in futuro, et ipsum non diligere de facto, atque ipsi de facto et in præsenti creaturam præferre : necesse est ergo quod actu præferat Deum omnibus et de facto ipsum habeat pro fine ultimo, quod est actualis amor et non simplex propositum amandi.

Dicunt 3° concilium loqui de dispositione congrua tantum, non necessaria, siquidem inter dispositiones referat divinæ justitiæ timorem, sine quo tamen potest obtineri in sacramento justificatio hominis.

Sed contra : 1° Hanc responsionem plane evertunt verba concilii ; cum post recensitam fidem, timorem, spem, dilectionem et odium peccati ut dispositiones, addit : « Hoc est per

eam pœnitentiam quam ante Baptismum agi oportet: quæ vox, *oportet*, indubie importat necessitatem, sicut cum dicit duabus lineis infra ex Apostolo, *accedentem ad Deum oportet credere quia est*; incredibile namque est quod intra duas lineas eamdem vocem diverso sensu usurpaverit. 2° Juxta Pallavicinum, l. 8 *Hist.*, cap. 23, actus amoris huic capiti sexto sessionis sextæ insertus est a patribus, tanquam necessarius ut fructuosa esset pœnitentia: « Visum est, inquit eminentissimus historicus, cum fide et spe jungere aliquem dilectionis actum, quia si pœnitentia tota esset ex timore sine amore justitiæ, et dolor esset propter pœnam tantum et non propter Dei offensam, infructuosa esset. » Ad id quod additur de timore, resp. concilium respexisse ad consuetum modum justificationis, juxta quem timor est necessarius; dum enim annuntiatur fides adultis non baptizatis, solent ante omnia concuti metu suppliciorum inferni; unde probavimus supra ex D. Th. timorem esse principium pœnitentiæ.

Dicunt 4° concilium agere de pœnitentia justificante extra sacramentum et non cum sacramento. Idque probant, 1° quia alioquin hæc pœnitentia foret sacramentalis, sicut pœnitentia requisita ad sacramentum Pœnitentiæ, quod est contra mentem concilii, teste cardinali Pallavicino, l. 8, cap. 13, ubi ait: « Fuisse consulto posita hæc verba: quam ante Baptismum agi oportet, ad diversificandam hanc pœnitentiam ab illa quæ requiritur in homine baptizato, et de qua discurritur in canone (capite) 14, quæ est pœnitentia sacramentalis. » 2° Quia concilium inter dispositiones requisitas ad illam pœnitentiam ante Baptismum recenset votum Baptismi: « Denique, inquit, dum proponunt suscipere Baptismum »; pœnitentia autem quæ includit votum Baptismi, ea non est quæ in ipsa actuali susceptione Baptismi est necessaria; sicut dum concilium, cap. 14 ejusdem sess. 6, dicit in pœnitentia hominis lapsi post Baptismum « contineri non modo cessationem a peccatis » et eorum detestationem..., verum etiam » eorumdem sacramentalem confessionem » saltem in voto et suo tempore faciendam », intelligit de pœnitentia extra sacramentum necessaria et justificante, quando ipsum sacramentum re frequentari non potest.

Sed contra: Concilium loqui de pœnitentia justificante cum sacramento constat 1° ex eo quod usurpet hæc S. Petri verba Act. 2: *Pœnitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum:* quibus verbis manifeste significat se intelligere de justificatione seu remissione peccatorum in actuali susceptione Baptismi. 2° Quia, cap. 7 seq. dicit causam instrumentalem justificationis quæ consequitur dispositiones de quibus egerat cap. 6 præcedenti, esse Baptismum: « Hanc dispositionem, inquit, seu præparationem justificatio ipsa consequitur... Hujus justificationis causæ sunt, finalis quidem gloria Dei et Christi ac vita æterna, efficiens vero misericors Deus....; meritoria autem, dilectissimus unigenitus suus Dominus noster Jesus Christus.... instrumentalis item sacramentum Baptismi »: ergo de justificatione in ipsa actuali susceptione Baptismi loquitur.

Ad primam probationem, resp. pœnitentiam necessariam ad justificationem in ipso sacramento Baptismi non esse sacramentalem, eo sensu quo pœnitentia in baptizatis lapsis est sacramentalis, quia hæc est pars sacramenti, non illa; et in hoc voluit concilium diversificari illas pœnitentias: est tamen sacramentalis hoc sensu, quod sit necessaria dispositio ad fructuose suscipiendum sacramentum.

Ad secundam probationem, neg. conseq. Dum enim concilium dicit pœnitentiam hominis lapsi includere peccatorum « sacramentalem confessionem saltem in voto et suo tempore faciendam », manifeste his verbis: « suo tempore faciendam », significat se sumere confessionem « in voto » prout distinguitur contra confessionem in re, seque agere de pœnitentia extrasacramentali. At nihil simile profert, dum de pœnitentia requisita ad Baptismum loquitur; hæc enim verba: « Dum proponunt suscipere Baptismum », obvio et naturali sensu intelliguntur, de proposito quod præcedere debet in eo qui se ad Baptismum re suscipiendum reipsa disponit.

Dicunt denique: Esto concilium requirat aliquem amorem benevolum ad Baptismum, tamen cum sess. 14, refert dispositiones ad sacramentum Pœnitentiæ, non meminit alicujus dilectionis, quamvis in proœmio dicat se de illo sacramento traditurum « exactiorem et pleniorem definitionem. »

Sed contra: 1° Non minorem, imo majorem requiri dispositionem ad sacramentum Pœnitentiæ quam ad sacramentum Baptismi, omnibus pervium est; non enim major est efficacia Pœnitentiæ quam Baptismi, imo minor: non minora sunt peccata post Baptismum quam ante, imo majora, et ideo major obligatio amandi. Denique juxta SS. Patres et

theologos, Pœnitentia est secundus et laboriosus baptismus: cur autem concilium non meminit initialis dilectionis agens de pœnitentia? Ratio in promptu est, inquit illustrissimus ac doctissimus Bossuetius, quia semel dixisse sufficit; quæ enim dicit concilium de dispositionibus ad Baptismum, eas esse voluit communes utrique sacramento Baptismi et Pœnitentiæ. Neque id gratis dicitur, sed constat ex ipso sess. 14 proœmio ubi sic habetur: « Quamvis in decreto de justificatione multus fuerit de Pœnitentiæ sacramento, propter locorum cognationem, necessaria quadam ratione sermo interpositus, tanta nihilominus circa illud nostra hac ætate diversorum errorum est multitudo, ut non parum publicæ utilitati contulerit de ea exactiorem et pleniorem definitionem tradidisse. » Ubi vides decretum de justificatione esse utrique sacramento commune, et exactiorem et pleniorem tractationem de Pœnitentia, quam ibi proponit synodus, spectare errores tunc grassantes. Et hæc adeo sunt vera, ut dum concilium, cap. 2 hujus sess. 14, ex professo agit, « de differentia sacramenti Pœnitentiæ et Baptismi », nullum discrimen, quoad dispositiones utrique necessarias, statuat. 2° Esto non meminerit explicite in isto decreto sess. 14 amoris requisiti ad sacramentum Pœnitentiæ, meminit tamen implicite, ut mox patebit.

Prob. 2° conclusio. Nulla attritio est sufficiens ad justificationem cum sacramento consequendam, nisi sit dolor et odium peccati, ut est malum, et offensa Dei : atqui non potest esse dolor et odium peccati ut est malum et offensa Dei sine amore Dei benevolo : ergo. Minor est certa; quia, ut jam dixi, odium alicujus mali nascitur ex amore boni oppositi : sic odi mortem, quia diligo vitam, doleo de malo Petri, quia amo bonum illius. Unde Auctor 2 2 q. 25, art. 6, ad 2 : « Ejusdem rationis est, inquit, odire malum alicujus et diligere bonum ejus » ; quod repetit ibid. q. 34, art. 4.

Tota ergo difficultas est in majori quæ probatur 1° ex S. Th. qui 3 p. q. 85, a. 2 et 3, et q. 86, art. 3, diserte docet ad rationem veræ pœnitentiæ requiri quod sit de peccato ut est « contra Deum super omnia dilectum, et ejus offensa » : atqui ad justificationem, sive cum sacramento, sive sine sacramento, requiritur vera pœnitentia : ergo.

Prob. 2° eadem prima maj. Nulla est attritio sufficiens ad justificationem cum sacramento, nisi sit de peccato ut peccatum est formaliter : atqui peccatum formaliter ut peccatum, est malum et offensa Dei : ergo. Min. videtur certa, tum ex D. Th. 1 2 q. 71, a 6, ad 5, dicente : « A theologis consideratur peccatum præcipue, secundum quod est offensa contra Deum ; a philosopho autem morali secundum quod contrariatur rationi; et ideo S. Augustinus convenientius definit peccatum, ex hoc quod est contra legem æternam, quam ex hoc quod est contra rationem »: tum ratione, quia posita ratione offensæ Dei, et quovis alio per rationem præciso, habetur theologice peccatum; ea autem ratione præcisa, et quavis alia posita, ut quod sit nocivum peccatori, contrarium rationi, etc., non habetur peccatum theologice, sed habentur tantum ejus proprietates et effectus. Prob. itaque maj. Vera pœnitentia, seu contritio ut sic, prout est genus commune ad contritionem perfectam et imperfectam, definitur communiter a theologis, et a Trid., sess. 14, cap. 4: *Animi dolor et detestatio de peccato,* quod proinde convenit contritioni imperfectæ, quia species participat rationem generis : unde Tridentinum, ibid., dicit quod hæc contritio communis, quam definit, sit « quovis tempore » necessaria, adeoque etiam cum sacramento : atqui ista definitio, et a theologis, et a Trid. tradita, debet intelligi de peccato formaliter, ut peccatum est; tum quia alioquin dictio concilii et definitionis communiter traditæ, foret impropria, materialis, et per accidens ; sicut si dicerem: Sapidum videtur, et coloratum gustatur, quod dici non potest de concilio, nec de definitione communiter tradita ; tum quia juxta regulam dialectices ab omnibus receptam, terminus significans actum animi interiorem, applicat suum proprium conceptum, seu propriam actionem supra significatum formale termini cui jungitur, nisi aliquid obstet in sermone, quod manifeste trahat ad materiale : sic cum David dicebat : *Iniquos odio habui,* id est, formaliter, ut iniquos : sic cum dico : Cognosco venientem, id est, formaliter sub ratione venientis : ergo cum dico: Doleo de peccato, intelligitur de peccato formaliter, ut peccatum est.

Confir. ex hoc inconcusso principio D. Thomæ [1] : « Quantitas displicentiæ, inquit, de aliqua re debet esse secundum quantitatem malitiæ ipsius; malitia autem in culpa mortali mensuratur ex eo in quem peccatur, in quantum est ei indigna, et ex eo qui peccat, in quantum est ei nociva; et quia homo debet magis Deum quam seipsum diligere, ideo debet plus odire culpam, in quantum est

[1] Suppl. q. 3, a. 1, ad 4.

offensa Dei, quam in quantum est ipsi no iva. » Itaque in peccato est duplex malum, num Dei, cui est indignum, et quem offen- it, alterum hominis cui est nocivum, primum najus, secundum minus : unde sic arguo : Ut uis doleat de peccato sufficienter ad justifica- ionem cum sacramento, debet dolere confor- niter ad rectam rationem, magis de majori nalo, minus de minori, consequenter magis e peccato, ut est offensa Dei, quam ut est no- ivum pœnitenti : atqui formidolose attritus ne amore Dei benevolo non solum non dolet nagis de peccato, ut est offensa Dei, sed nul- tenus dolet : ergo.

Ex his manifeste colliges 1° insufficientem sse amorem spei, seu concupiscentiæ, quia ex lo non habetur dolor de peccato, ut est ma- um Dei, sed tantum ut est malum hominis; eque per eum diligitur Deus, ut ultimus finis.

Colliges 2° amorem Dei benevolum necessa- um cum sacramento debere esse super om- ia appretiative. Ratio est, quia debet esse mor Dei, ut ultimi finis: ultimus finis autem per omnia amatur; definitur enim id quod ropter se amatur, et propter quod cætera nantur: ergo. Prob. major. 1° Quia diligere eum, ut omnis justitiæ fontem, qualiter de- et diligere pœnitens juxta Tridentinum, est sum diligere, ut ultimum finem, ut ostendi- us in primo argumento,responsione ad pri- am instantiam. 2° Quia malitia peccati, ut t malum et offensa Dei, in eo sita est quod, ntempto Deo, habeat creaturam pro fine ul- mo: ergo qui ex amore Dei dolet de peccato, est illius malum, et id vult ab ipso remo- m, amat Deum ut ultimun finem.

Hic lapsum passus est recentior thomista m a. 1 dissert. suæ theologicæ, pag. 12, nc sententiam denegat eximio viro P. Hen- eguier, cujus tamen hæc est secunda conclusio t. 4 opusculi de Absolutione sacramentali : Actus benevolentiæ quo pœnitens fertur in eum vultque ab ipso remotum peccati ma- m, est suo modo amor Dei super omnia », que probat, quia, ut modo dicebamus, hoc t amare Deum ut ultimum finem: additque r eximius se dixisse *suo modo*, non ut im- inuatur aliquid de το *super omnia*, sed quia, dixerat superius ex D.Th., benevolentia non t simpliciter et perfecte amor Dei saltem nicitiæ, sed ipsius principium et inchoatio: t tamen, prosequitur, amplius quam amor ncupiscentiæ, quo Deum volo mihi bonum, n quo Deo volo bonum : imo est multo ex- uentior illo quem nonnulli amorem Dei super omnia non effectivum, sed affectivum vocant, qui non de facto, sed solum in voto et proposito, Deum præferat omnibus, non videtur adhuc excludere affectum peccati, sed solum illius faciendi habere desiderium et propositum. Ita laudatus Henneguier. Fallor tamen si omnes per amorem affectivum intelligant tantum propositum amandi; quidam enim videntur, saltem quantum conjicio ex eorum lectione, per amorem affectivum intelligere amorem actualem sed debilem et remissum; et per effectivum, amorem roboratum et efficacem ad impletionem legis.

Prob. 3°: Juxta SS. Patres et omnes theologos, rarissima est ac difficillima vera ac sincera pœnitentia, quæ ad mortem usque differtur; atqui si ad eam sufficiat timor sine ullo amore Dei benevolo, non erit difficillima nec rarissima, cum in articulo mortis maxime urgeat metus inferni: ergo.

Prob. 4° convellendo præcipuum adversariorum fundamentum. Ideo amor Dei benevolus secundum adversarios non est necessarius ad justificationem cum sacramento, præcipue quia omnis amor Dei propter se, qualis est amor benevolus, justificat ante sacramentum et independenter ab illo: atqui id prorsus falsum est, et certo datur amor Dei propter se, quo non justificatur peccator ante susceptionem sacramenti: ergo.

Prob. min. multipliciter et 1° ex concilio Trid., sess. 6, cap. 6, ubi inter dispositiones ad justificationem reponit quod pœnitens «Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat », et hanc dispositionem ut præviam tempore ad justificationem requirit ; tum quia de ea eodem modo loquitur ac de fide et spe, quæ justificationem tempore præcedunt ; tum quia, cap. seq 7, dicit quod hanc dispositionem justificatio sequitur, non in ipso instanti, sed quando confertur sacramentum, ut ibid. docet. Adde quod cum quidam patres dicerent dilectionem in hoc capite sexto reponi inter dispositiones ad justitiam consequendam ; et in cap. 7 sequenti, poni tanquam ipsius justitiæ formam : « Responderunt decreti formatores, inquit Pallavicinus, lib. 8, c. 14, in primo loco (cap. 6), sermonem esse de quodam charitatis (scilicet inchoatæ) actu, cum sit aliqua dilectio in homine non quidem obtinente, sed exoptante justitiam : at in secundo (cap. 7), significari habitum charitatis » : ergo manifestum est PP. Tridentinos censuisse non omnem dilectionem Dei super omnia statim justificare hominem.

Item eadem sess. 6, can. 3, dicit : « Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit » : ergo a contrario potest homo cum adjutorio Dei diligere sicut oportet absque eo quod ipso instanti justificetur, sed *ut justificetur*, quod importat prioritatem temporis, eo maxime quod eodem modo loquatur concilium de ista dilectione, ac de fidei, spei et pœnitentiæ actibus, quos certum est posse tempore præcedere ipsam justificationem. Insuper probavimus supra, attritionem quam sess. 14, cap. 4, dicit non justificare sine sacramento, non concipi sine amore benevolo.

Prob. 2° eadem min. ex S. Th. qui 3 p. q. 85, a. 3, dicit ad rationem veræ pœnitentiæ requiri quod sit de peccato, ut « est contra Deum super omnia dilectum » : atqui non omnes qui habent veram pœnitentiam justificantur sine sacramento, alioquin nullus justificaretur per sacramentum, cum nullus sit qui expectet instans absolutionis ut vere pœniteat, et non prius tempore ad veram pœnitentiam conetur : unde S. Doct., a. 6, dicit quod pœnitentia « est prima inter cæteras virtutes ordine temporis quantum ad ejus actum qui primus occurrit in justificatione impii. » Item in 2 d. 28, q. 1, a. 3, ubi quærens utrum homo possit implere Dei præcepta sine gratia habituali, cum secundo loco sibi objecisset : « Charitas non potest sine gratia haberi, sed dilectio charitatis est in præcepto : ergo.. », respondet sic : « Ad secundum, dicendum quod sicut aliarum virtutum actus dupliciter considerari possunt, vel secundum quod sunt a virtute, vel secundum quod virtutem antecedunt ; ita etiam est de charitate : potest enim aliquis, etiam charitatem non habens, diligere proximum et Deum, etiam super omnia, ut quidam dicunt, et hoc diligere intelligitur actus charitatis sub præcepto cadere» : ergo dilectio Dei super omnia potest esse sine charitate habituali, consequenter sine justificatione. Adverte tamen quod cum S. Doctor vocat hanc dilectionem actum charitatis, sumat charitatem inchoative et late pro actu benevolentiæ qui sufficiat ad impletionem præcepti charitatis : unde comparatio quam facit cum actibus aliarum virtutum, non tenet in hoc quod sicut actus aliarum virtutum præcedentes habitum virtutis sunt ejusdem stricte speciei cum actibus ab habitu procedentibus, ita in actibus charitatis ; sed tantum tenet in hoc quod sicut per actus aliarum virtutum habitum præcedentes satisfit præcepto de illis virtutibus, ita per dilectionem benevolentiæ habitum charitatis præcedentem, satisfit præcepto charitatis : alioquin contradiceret propriis principiis de quibus § 1, et doctrinæ quam tradit q. 85 paulo ante citata, art. 6, ubi docet quod actus charitatis non possit esse sine habitu aliarum virtutum, adeoque sine gratia sanctificante, quacum aliæ virtutes simul et charitas habitualis infunduntur.

Prob. 3° eadem min. variis exemplis. Primum mulieris peccatricis. Indubium est eam, dum pharisæi domum ingressa est, accessit ad Christum, pedes ejus lacrymis rigavit et capillis tersit, dilexisse Deum super omnia, antequam remitterentur ipsi peccata ; de ea enim dicit S. Aug., hom. 23, intra 50 : « Accessit immunda ut rediret munda. » Et S. Greg., hom. 33 in Evang. : Nondum lota sed « lavanda, ad fontem misericordiæ cucurrit. » Et rursus : « Ecce quæ ad medicum venerat ægra, sanata est. » Et S. Bernardus, serm. de S. Magdalena : « Tangit pedes mundi atque mundantis immunda, et vestigiis Creatoris mulier criminosa procumbit. »

Secundum exemplum est B. Pauli. Indubium est pariter ipsum dilexisse Deum super omnia, cum, miraculose conversus in via, in has voces erupit : *Domine, quid me vis facere?* atqui tamen juxta S. Augustinum, non fuit justificatus, nisi cum suscepit Baptismum ab Anania : « Ananias baptizavit Saulum, inquit Serm. 1 de Sanctis, et fecit de lupo agnum. » Et Serm. 25 : « Venit ergo Ananias, baptizavit Saulum et fecit Paulum, baptizavit lupum et fecit agnum. » Equidem S. Thomas in 2 q. 112, a. 2, ad 2, in ea opinione est quod Paulus fuerit justificatus statim in ipso instanti suæ conversionis in via : at hoc non obstat quin saltem Ananias ipsum nondum justificatum crederet, cum ipsi dixit Act. 22 : *Nunc quid moraris, exurge et baptizare et ablue peccata tua ;* tametsi non dubitaret de ejus amore erga Deum : ac proinde non credebat Ananias omnem amorem ad justificationem extra sacramentum sufficere.

Tertium exemplum est ipsius S. Augustini. Certus erat moraliter S. Doctor de suo erga Deum amore, cum dicebat lib. 9 *Confess.*, c. 2 : « Sagittaveras, tu, cor nostrum charitate tua », et tamen erat incertus de remissione peccatorum, donec unda baptismali fuisset ablutus : « Gaudens in fide, inquit cap. 4, laudavi nomen tuum, et ea fides me securum esse non

sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptismum tuum remissa nondum erant.» Et cap. 6: « Baptizati sumus et fugit a nobis sollicitudo vitæ præteritæ. »

Quartum exemplum est innumerabilium fidelium, catechumenorum præsertim et pœnitentium, quorum nullus aut vix ullus est a quo si petas, an doleat de peccatis propter Deum infinite bonum, an diligat Deum super omnia, qui non respondeat sincere; Sic doleo, sic diligo: quis tamen dicat hos omnes esse justificatos ante sacramenti susceptionem? Si ita sit, otiosum prorsus, et vix necessarium aut utile foret sacramentum, cum esset tam facilis et tam communis justificatio sine illo.

Prob. 4° eadem min. argumento theologico: Amor Dei benevolus super omnia non est causa formalis nostræ justificationis: id soli gratiæ justificanti competit ex Trid., sess. 6, cap. 7, neque est actus meritorius istius gratiæ sanctificantis, quia principium meriti non cadit sub merito, principium autem omnis meriti est ipsa gratia sanctificans: est ergo duntaxat dispositio ad illam: atqui nullibi legitur quod Deus illi promiserit statim et infallibiliter annexam gratiam justificantem, ut jam patet ex dictis et amplius patebit ex sol. obj.: ergo.

§ IV.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°: Secundum nos non requiritur amor charitatis ad attritionem cum sacramento sufficientem: atqui actus benevolentiæ est amor charitatis: ergo. Prob. min. Ille actus est charitatis, cujus objectum formale est objectum charitatis: atqui objectum hujus actus benevolentiæ, est objectum charitatis: ergo. Patet maj. Quia actus specificantur a suo objecto formali. Prob. min. Objectum formale charitatis est Deus, ut in se bonus: atqui objectum actus benevolentiæ est etiam Deus, ut in se bonus, in hoc enim distinguitur ab amore concupiscentiæ: ergo.

Resp. neg. min. Ad prob. neg. min. Ad prob. dist. maj. Objectum formale charitatis est Deus, ut in se bonus independenter a quovis alio, neg. maj.; dependenter a redamatione Dei, et sui per gratiam aut gloriam communicatione, conc. maj. Objectum igitur formale charitatis est Deus quidem, ut in se bonus, sed et ut amicus, ut nos redamans, et se nobis communicans per beatitudinem jure in hac via, reipsa in gloria; non quod redamatio ista, et communicatio ex parte Dei constituat rationem formalem, secundum quam, et propter quam Deus diligatur, seu sit objectum formale charitatis, sed quia est modificatio objecti, seu conditio sine qua Deus non est objectum formale charitatis, seu sine qua noster in eum affectus non est charitatis, quia non est amicitiæ, sed simplicis benevolentiæ. Solutio fusior videatur § I.

Subsumes: Atqui hoc ipso quo quis diligit Deum super omnia affectu benevolo, Deus ipsum redamat: ergo, etc. Prob. ant. 1° auctoritate S. Scripturæ: Proverb. 8: *Ego diligentes me diligo;* Joan 14: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum;* et pluries sic alibi. 2° Ratione: Nemo potest diligere Deum affectu benevolo super omnia, nisi Deus ipse hunc affectum per gratiam actualem inspiret; nec inspirat, nisi quia amat; amare enim est velle alicui bonum: ergo hoc ipso, etc. 3° Facienti quod in se est ex auxilio gratiæ Deus non denegat ulteriorem gratiam et tandem peccatorum remissionem per charitatem et gratiam habitualem diffusam in cordibus nostris: atqui qui diligit Deum affectu benevolo super omnia, facit ex auxilio gratiæ quod in se est, nec ex parte sua plus potest præstare: ergo.

Resp. neg. subsumptum: Ad primam probat., dico has et alias similes S. Scripturæ auctoritates intelligi debere de dilectione charitatis stricte sumptæ, vel de dilectione seu affectu benevolentiæ acri et intenso sine timoris adminiculo, non vero de qualicumque affectu benevolo erga Deum, ut patet ex ultima probatione conclusionis, sicut enim, etsi S. Scriptura dicat: *Omnis qui petit, accipit*, Matth. 7: *Et quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*, Joel. 2: *Et qui crediderit in eum, non confundetur*, 1. Pet. 2, non tamen omnis qui quovis modo petit, accipit, nec qui quovis modo invocat nomen Domini aut credit, salvus est: sed qui petit, sed qui invocat nomen Domini, aut credit, quomodo et quantum oportet, servatis aliis servandis: ita similiter Deum diligentes, non quovis modo, sed quomodo et quantum oportet Deus diligit.

Ad secundam probationem dico Deum talem pœnitentem amare amore late dicto, seu benevolo, quomodo amat omnes peccatores, etiam infideles, dum eis gratias actuales identidem impertitur; talis autem amor ex parte Dei, cum actu benevolentiæ ex parte creaturæ non sufficit ad amorem charitatis et amicitiæ, siquidem, ut dicitur 1. Joan. 4, cum adhuc esse-

mus inimici: *Ipse prior dilexit nos.* Sed requiritur talis amor mutuus qui, inquit D. Th. supra citatus 2 2 q. 27, art. 2, «importet quamdam unionem secundum affectum amantis ad amatum, in quantum scilicet amans æstimat amatum quodammodo, ut unum sibi, vel ad se pertinens, et sic movetur in ipsum»; adeoque ad charitatis dilectionem requiritur, quod Deus sit nobis unitus et nos ipsi, nobis quodammodo unus et nos ipsi per immediatam sui communicationem; quod non fit per gratias actuales, quæ disponunt tantum, et præparant ad illam unionem, sed in hac via per gratiam habitualem et sanctificantem, quæ est participatio divinæ naturæ, et qua constituimur filii Dei et hæredes in gloria, per immediatam divinæ essentiæ visionem. Vide § I.

Ad tertiam probat., resp. 1° neg. min. Talis enim pœnitens non facit omnino quod in se est, sed potest plus facere ex auxilio gratiæ; potest enim acrius et intensius dolere, ita ut acerbitas doloris adæquet magnitudinem scelerum; potest insuper dolere ex puriori motivo, scilicet amoris Dei super omnia sine adminiculo timoris. Quod si faciat, existimamus quod tunc Deus ipsi infundet gratiam sanctificantem peccatorum remissivam: non quod talis dolor illam mereatur, cum ad primam gratiam sanctificantem nullum detur meritum; est enim ipsa principium omnis meriti; sed quod sit conatus, et dispositio qua majorem ex parte sua, et ex auxilio gratiæ vix potest ponere pœnitens: unde de Dei bonitate qui promisit quod *cor contritum et humiliatum non despiceret*, Psal. 50; quod *cum conversus fuerit peccator, et ingemuerit, salvus erit*, Isaïæ 30; quod *diligentes se diligeret, etc.*, de tali ac tanta, inquam, bonitate, quæ pronior est ad miserendum, quam ad puniendum, præsumimus, quod sic pœnitenti indulgeat remissionem peccatorum. Adde quod, ut arguit D. Th. 3 p. q. 86, a. 1, alias Deus vinceretur quodammodo ab homine, si homo tam ardenter et perfecte vellet peccatum deleri, quod Deus non vellet delere, contra illud Joel. 2: *Benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia.*

Resp. 2° sensum hujus axiomatis: Facienti quod in se est, etc., non esse, quod tali statim Deus infundat gratiam justificantem, sed quod ulteriores gratias actuales non deneget, quibus tandem perveniat ad justificationem, sive in sacramento, sive extra, secundum modos et leges divinæ Providentiæ.

Repones: Talis conversio ad Deum per amorem benevolentiæ super omnia tollit in peccatore aversionem a Deo, et conversionem ad creaturam: ergo et peccatum.

Resp. 1° dist. ant. Tollit aversionem a Deo, et ad creaturam conversionem, actualem, conc. ant.: habitualem, neg. Ista enim tamdiu remanet, quadmiu remanent macula, et reatus pœnæ, quæ non tolluntur, nisi per gratiæ habitualis infusionem. Non repugnat autem, ut jam diximus, quod idem homo tendat in duos fines ultimos, si in unum tendat actualiter, in alterum habitualiter tantum.

Resp. 2° retorquendo argumentum, nam contritio ex solo timore, est etiam, secundum suos auctores, vera ad Deum conversio, et tamen sine sacramento non tollit reatum et maculam peccati.

Simili retorsione argumenti responderi potest omnibus auctoritatibus quibus innuitur vere conversum salvum fieri, contritum cor a Deo non despici, impietatem non nocere impio cum conversus fuerit, etc., quarum aliquas retulimus in prima instantia objectionis. Etenim secundum adversarios, simpliciter attriti ex solo timore sunt vere conversi, vere pœnitentes, etiam vere contriti, licet imperfecte, et tamen non nisi cum sacramento justificantur secundum illos: unde hæ et similes auctoritates debent explicari juxta primam et secundam solutionem præfatæ instantiæ.

Insistes ex S. Leone, epist. 91: « Apud Deum nullas patitur veniæ moras vera conversio»: atqui conversio ad Deum ex amore benevolo, super omnia, est vera conversio: ergo.

Resp 1° eadem retorsione argumenti: nam etiam conversio ex timore gehennæ secundum adversarios est vera conversio, alias non sufficeret etiam cum sacramento: atqui tamen patitur moras usque ad susceptionem sacramenti: ergo.

Resp. 2° sensum S. Leonis non esse quod omnis vere conversus, quantumvis imperfecte, etiam extra sacramentum statim habeat peccatorum veniam; contrarium enim ibidem aperte asserit cum dicit: « Indulgentiam Dei, nisi supplicationibus sacerdotum non posse obtineri », hoc est, sine absolutione sacramentali, ut alibi exposuimus, sed per objecta verba prætendit tantum, quod quantumvis sit scelestus, et inveteratus peccator, si vere conversus fuerit, possit per Baptismi vel Pœnitentiæ sacramentum statim reconciliari, adeoque sacramenti beneficium non esse denegandum quantumvis impiis, et sero pœnitentibus, etsi illud in instantia periculi poscentibus; apud

Deum enim « nullas patitur veniæ moras vera conversio » hoc est, quantumvis impii fuerint, quantumvis sero pœniteant, Deus potest eos vere conversos statim, et sine mora reconciliare, per sacramentum tamen : « Indulgentia Dei enim nisi supplicationibus sacerdotum non potest obtineri. » Hunc esse S. Leonis sensum legitimum patet, tum ex verbis subjunctis, tum quia ibi expresse agit contra rigorem nonnullarum ecclesiarum quæ talibus scelestis peccatoribus in extremitate tantum pœnitentibus sacramenta denegabant, vel non nisi post certum pœnitentiæ tempus conferebant.

Obj. 2°: Ad justificationem cum sacramento consequendam sufficit ea attritio, seu contritio imperfecta quam concilium Trid., sess. 14, cap. 4, contra perfectam dividit et describit : hæc sunt ejus verba : « Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpidinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ; declarat, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat; et quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponit » : atqui in hac attritione nulla fit mentio amoris benevoli : ergo.

Ante responsionem suppono concilium Trid. noluisse hanc quæstionem expresse definire, quia scopus ejus erat errores hæreticorum damnare, non quæstiones inter theologos catholicos controversas dirimere. Ita cardinalis Pallavicinus, l. 12, cap. 1. « Revera inquit, quantum ex actis conjicio, theologorum mens erat, ut hæreticorum error damnaretur, tanquam inhonestum, improbantium pœnæ timorem, non autem ut ferrent sententiam de scholastica quæstione, an hujusmodi timor etiam absque eo quod ullus excitetur amor imperfectus, sufficiat ad remissionem peccatorum. » Et alioquin si concilium decretorie hanc quæstionem definivisset, alterutra sententia, vel nostra, vel aliorum foret hæretica, quod dici nequit juxta decretum Alexandri VII. Unde quæ sit mens concilii circa præsentem materiam dignoscere non possumus, nisi per illationem, ex his quæ hinc, et inde dixit, et principiis quæ statuit, sicut in multis aliis materiis, v. g., in materia de circumstantiis peccatorum confitendis. Hoc præmisso,

Multi hodie negant majorem argumenti ob ea quæ refert cardinalis Pallavicinus, lib. 12, cap. 10, ubi dicit in decreto sess. 14, capite de quo est quæstio, prius appositum fuisse « contritionem hanc imperfectam sufficere ad sacramenti hujus constitutionem », et postea ad instantiam episcopi Tudetani, qui monuit patres concilii, dissentire theologos de sufficientia istius attritionis, aliter dispositum fuisse decretum, et expuncto *sufficere*, loco ejus substitutum fuisse *disponere*, prout nunc habemus, his scilicet verbis : « Ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponit. » Ex quo inferunt per τὸ *disponit*, non significari a concilio dispositionem proximam et sufficientem, sed remotam tantum, alias non jussisset expungi vocem *sufficere* in priori decreto positam ; aut saltem ab hac difficultate theologica voluisse abstrahere dicendo simpliciter *disponit*, et non determinando, an proxime vel remote.

Si dicas attritionem extra sacramentum disponere remote : ergo frustra dixisset concilium disponere cum sacramento, si intelligat de dispositione remota, et fuisset diminutum, non assignando dispositionem proximam.

Respondent ad primum, negando illationem, quia cum immediate antea dixisset hanc attritionem non perducere ad justificationem sine sacramento, debebat saltem addere quod ad eam disponeret cum sacramento. Ad secundum, respondent concilium fuisse diminutum in dirimendis theologorum inter se controversiis, non in damnandis hæreticorum erroribus. Attamen,

Resp. data maj. dist. min. In hac attritione nulla fit mentio explicita amoris benevoli, conc.; implicita, neg. Hoc ipso enim quod concilium dixit contritionem in communi, adeoque et attritionem sub illa contentam esse dolorem et odium peccati, utique qua peccatum est, et malum Dei, ut dixi in secunda probatione, implicuit actum benevolentiæ, quia fieri non potest, quod quis odio habeat peccatum, ut peccatum est et malum Dei, nisi ex præsupposito amore Dei; sicut fieri nequit quod quis doleat de peccato, ut est inductivum pœnæ, et sibi nocivum, nisi ex præsupposito amore sui : unde, ut acute advertit jam laudatus Henneguier, quemadmodum concilium frustra expressisset hunc proprium amorem pœnitentis, similiter frustra expressisset alterum benevolentiæ erga Deum.

Insuper quamvis concilium in hac sess. 14, cap. 4, non expresserit necessitatem amoris benevoli ad sacramentum Pœnitentiæ, illam expressit, sess. 6, cap. 6, ad sacramentum Baptismi; colligimus autem, tum ex proœmio sess. 14, tum ex paritate dispositionum ad utrumque sacramentum requisitarum, quod idem senserit de utroque sacramento, ut ex dictis in prima probatione patet. Sic in hac sess. 14, non expressit fidem et propositum servandi mandata, tanquam dispositiones necessarias ad sacramentum Pœnitentiæ; quia tamen illas expressit, ut necessarias ad sacramentum Baptismi, nemo dubitat quin eas etiam ut necessarias ad sacramentum Pœnitentiæ requirat.

Inst. 1° : Concilium nihil aliud requirit ad sufficientiam hujus attritionis, quam quod excludat voluntatem peccandi cum spe veniæ : atqui secundum nos ad excludendam voluntatem peccandi non requiritur amor benevolus, sed sufficit timor : ergo.

Resp. dist. maj. ut ante : Nihil aliud requirit explicite, conc.; implicite, neg. Patet ex præcedenti solutione. Vel cum aliis : Nihil aliud requirit quam quod excludat voluntatem peccandi exclusione contraria, detestando peccatum, conc.; exclusione tantum privativa, deponendo præcise voluntatem peccandi, neg. Exclusio autem contraria voluntatis peccandi per odium et detestationem peccati, non habetur nisi per amorem Dei benevolum.

Inst. 2° : Attritio de qua loquitur concilium, concipitur ex metu gehennæ, seu quia peccatum est inductivum gehennæ : atqui dolere de peccato ex metu gehennæ, seu quia peccatum est gehennæ inductivum, est dolere de peccato, ut est peccatori nocivum, non ut est malum Dei : ergo attritio de qua loquitur concilium, non importat etiam implicite actum benevolentiæ erga Deum.

Resp. dist. maj. Attritio de qua loquitur concilium, concipitur ex metu gehennæ, tanquam ex motivo radicali et inadæquato, conc. maj.; tanquam ex motivo proximo et adæquato, neg. maj.; et ad hunc sensum distincta min. neg. conseq. Sensus ergo concilii est quod communiter iste dolor primo concipiatur ex metu gehennæ, sicque quod peccator primo doleat de peccato, ut est inductivum gehennæ, et sibi nocivum, non tamen quod ibi sistat, sed inde moveatur et inducatur, ut doleat de peccato eo modo quo dolendum est ad vitandam gehennam, id est, de peccato, ut peccatum est et malum Dei, quod fieri non potest sine actu benevolentiæ erga Deum. Quapropter dixi quod metus gehennæ, seu potius vitatio gehennæ, esset motivum radicale non proximum; quod si adhuc remaneat istud motivum, quia forte amor imperfectus nondum ipsum mittit foras, non erit motivum adæquatum, sed partiale ; et dolor erit partim de peccato ut est malum hominis, partim ut est malum Dei, ita ut vitatio gehennæ ex una parte, et reparatio offensæ divini numinis ex altera, integrabunt unum finem totalem et adæquatum attritionis, quod est proprium timoris initialis, ut docet Auctor citatus supra 2 2 q. 19, a. 2.

Inst. 3° : Attritio quam hic describit concilium, ea est quam Lutherus dicebat reddere hominem hypocritam, et magis peccatorem : atqui hujusmodi attritio nullum includit Dei amorem : ergo.

Resp. neg. maj. Describit enim concilium attritionem quæ voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, qualem nunquam admisit Lutherus : attritionem ergo adstruit concilium, quam nolebat agnoscere hæresiarcha ; non enim ejus error in eo situs erat, quod diceret dolorem ex metu, dum voluntatem peccandi excludit cum spe veniæ, reddere hominem hypocritam, sed in eo quod vellet quemcumque dolorem ex metu conceptum, etiam interveniente aliquo Dei amore imperfecto, esse odium Dei et desperationem, adeoque nunquam excludere voluntatem peccandi, nec esse salutarem ; erat enim ejus capitale dogma omnia opera, quæ non essent ex charitate perfecta, esse peccata. Vide prænotamina ad articulum. Contra quod docet concilium communiter ex metu concipi dolorem, non qui sit odium Dei et desperatio, sed qui excludat voluntatem peccandi cum spe veniæ, ideoque sit salutaris, et ad gratiam in sacramento recipiendam disponat.

Inst. 4° : Si concilium intellexisset attritionem involventem amorem Dei benevolum super omnia, 1° non dixisset conditionaliter : « Si voluntatem peccandi excludat » ; quia certum est quod hujusmodi amor semper hanc voluntatem excludat. 2° Non jussisset expungi *sufficere* in prima delineatione decreti, et loco illius substitui *disponere*, cum etiam sit certum attritionem ex amore Dei benevolo sufficere ad justificationem cum sacramento. 3° Decretum prius formatum ubi de attritione dicebatur, « cum sine aliquo dilectionis motu esse vix queat », non reformasset ad instantiam episcopi Tudetani, qui monuit « falso

dici hujusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse » : ergo concilium non intellexit attritionem involventem amorem Dei benevolum super omnia.

Resp. dist. ant. Si concilium intellexisset attritionem involventem amorem Dei benevolum, hujus amoris necessitatem expresse definiendo, transeant sequelæ ; hujus amoris necessitatem non expresse definiendo, sed potius ab expressa definitione abstrahendo, et tantum implicite indicando, neg. sequelas argumenti. In hac enim hypothesi, quam veram credimus, merito concilium dixit conditionate si voluntatem peccandi excludat, expunxit *sufficere*, et noluit expressam mentionem amoris haberi.

Resp. 2° Imo, dato concilium expresse definivisse necessitatem timoris, possent nihilominus negari sequelæ ant. Et ideo dixi in priori distinctione : Transeant. Ad primam itaque dist. : In hac hypothesi concilium non dixisset conditionaliter : « Si voluntatem peccandi excludat », si ex metu semper oriatur ista attritio salutaris, conc.; si ex metu non semper oriatur attritio salutaris, sed aliquando motus odii et desperationis, neg. Ideo ergo concilium addidit hanc conditionalem, tanquam signum quo distingueretur, an attritio orta ex timore esset bona et sufficiens ; quia ex illo aliquando oritur alia mala inducens in desperationem et odium, quod tunc accidit, quando nec excludit voluntatem peccandi, nec est cum spe veniæ; e contra est bona quando hæc adsunt.

Ad secundam , neg. certum esse et fuisse apud omnes, actum simplicis benevolentiæ sufficere ad justificationem cum sacramento : multi olim requirebant justificationem per charitatem habitualem ante sacramentum, et nunc plures requirunt charitatem actualem ad sacramentum.

Ad tertiam, episcopus Tudetanus id dixit de attritione, prout erat descripta in priori decreto, in quo dicebatur concepta « solum, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu qui servilis timor dicitur. » Porro recte dixit episcopus Tudetanus falsum esse quod hujusmodi attritio sine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse queat; at id verum est de attritione prout nunc extat in decreto.

Inst. 5° : Concilium Trid., sess. 6, can. 6, definit sacramenta novæ legis conferre gratiam non ponentibus obicem ; sed qui atteritur ex solo metu gehennæ, non ponit obicem gratiæ : ergo.

Resp. dist. min. Qui atteritur ex solo metu gehennæ, non ponit obicem positivum gratiæ, conc. ; non enim ipsa attritio est obex ; non ponit obicem negativum, neg., quia attritio ex solo metu non est sufficiens dispositio ad gratiam. Sic qui habet fidem non ponit obicem positivum gratiæ, quia fides non est obex gratiæ, non tamen ideo justificatur, quia sola fides non est dispositio sufficiens ad gratiam.

Obj. 3° : Peccatum etiam theologice consideratum consistit essentialiter in transgressione legis : atqui ex solo metu pœnæ, aut ex amore spei et concupiscentiæ sine amore Dei benevolo, aliquis potest dolere de transgressione legis: ergo de peccato etiam ut peccatum est theologice, quod sufficit secundum nos ad sufficientem attritionem.

Resp. dist. maj. Peccatum etiam theologice consideratum consistit in transgressione legis materialiter et physice spectata, neg.; moraliter spectata seu mala, conc. Est autem dupliciter mala; Deo cujus est injuria et offensa ; peccanti cui est nociva et causa pœnæ : in primo autem malo consistit essentialiter peccatum : unde dist. min. Potest quis ex solo metu aut amore concupiscentiæ sine amore Dei benevolo dolere de transgressione legis, ut est malum peccantis, conc.; ut est malum Dei, neg.

Observandum itaque sedulo, non solum pro isto argumento, sed pro aliis similibus quæ objici solent, quod jam antea observavimus, dolorem et odium esse de malo, malum in peccato esse duplex, Dei et peccantis, malum Dei esse simpliciter et principale malum, et in eo consistere essentialiter peccatum ut peccatum, malum peccantis esse tantum malum secundum quid et proprietas consequens ad peccatum : unde ut quis doleat de peccato formaliter ut tali, debet dolere de eo ut est malum Dei, quod fieri non potest sine affectu benevolentiæ erga ipsum, ut probavimus.

Inst. : Homo per peccatum non se avertit a Deo ut in se malo, sed ut sibi malo et disconvenienti ratione legum suarum : ergo ut sufficienter sit attritus, sufficit quod convertatur ad Deum ut sibi bonum, seu quod doleat de peccato ex amore spei et concupiscentiæ.

Resp. 1° istud argumentum nimis probare, probat enim quod etiam sine sacramento sufficeret attritio ex solo amore concupiscentiæ, quod negant objicientes.

Resp. 2° : Homo per peccatum non se avertit a Deo ut in se malo explicite, transeat ; implicite, neg. Cum enim peccando ponat ultimum

finem in creatura, reputat Deum saltem implicite ut malum in se, seu minus bonum quam creaturam, quam Deo præfert, quod est maxima Dei injuria et offensa : unde de tali injuria, quæ est formaliter malitia peccati, dolere debet, ad quod non sufficit amor spei seu concupiscentiæ, sed requiritur amor benevolentiæ, ut sæpius dictum est.

Obj. 4° : Attritio ex amore Dei super omnia sufficit ad justificationem cum sacramento : atqui qui amat vero et efficaci amore concupiscentiæ Deum ut suam beatitudinem, amat illum super omnia ; est enim paratus perdere omnia, etiam propriam vitam, potiusquam Dei possessionem : ergo.

Resp. neg. min. Cum enim amor concupiscentiæ quo quis amat beatitudinem, fundetur in amore proprii boni et commodi, quamvis amet Deum, seu ejus possessionem supra omnia exteriora, etiam supra vitam, non tamen supra proprium commodum. Equidem non præfert suum commodum Deo, alioquin foret amor inordinatus, sed nec præfert Deum suo commodo, ab utraque relatione secundum se tantum præscindit; solius autem amoris benevolentiæ proprium est, Deum omnibus et proprio commodo præferre.

Inst. 1° : Conditio illa : Super omnia, necessaria est in omni virtute quæ circa Deum versatur ; sic religio colit Deum super omne adorabile, fides credit super omne credibile, spes in Deo confidit super omnia : ergo amor concupiscentiæ, quo diligimus Deum ut nostram beatitudinem, ipsum diligit super omnia. Ita Tournely q. 4, *de Pœnit.*, a. 1, conclus. 1, pag. mihi 33.

Resp. cum erudit. P. Gaud, neg. conseq. 1° Quia argumentum falso supponit amorem concupiscentiæ quo amamus nostram, beatitudinem, procedere ab habitu alicujus virtutis quæ versetur circa Deum : quænam enim foret ista virtus ? Alia assignari non potest nisi spes, neque tamen iste amor procedit a spe etiam ut actus ejus secundarius, siquidem spes e contra hunc amorem supponat, cum non speremus nisi bonum prius amatum, ut jam dictum est ex Auctore : est ergo iste amor actus propriæ voluntatis auxilio gratiæ adjutæ; sufficit enim sola voluntas sine aliquo habitu superaddito ad amandum proprium bonum suppositi, ut alibi diximus.

2° Dato hoc supposito, disparitas est ab aliis virtutibus assignatis, quod ista conditio : super omnia, sit intra propriam efficaciam et lineam aliarum virtutum, et ideo modus illis intrinsecus et necessarius. At non est intra propriam efficaciam et lineam amoris concupiscentiæ, qui, ut dictum est, fundatur in amore proprii commodi, cui Deum non præfert : unde illam conditionem debet aliunde emendicare, scilicet ex nobiliori amore benevolentiæ.

Inst. 2° : Amor castus et gratuitus, secundum SS. Patres, sufficit ad justificationem cum sacramento : atqui amor beatitudinis seu Dei possidendi est castus et gratuitus : ergo.

Resp. 1° dist. maj. Amor castus et gratuitus sufficit, etc., si sit super omnia, conc.; secus, neg. Amor autem beatitudinis, cum fundetur in amore proprii commodi, non est super omnia, ut jam diximus.

Resp. 2° dist. min. Amor beatitudinis seu Dei possidendi propter ipsius in se bonitatem et amabilitatem, est amor gratuitus, conc.; amor Dei possidendi propter nostram utilitatem, est amor gratuitus, neg. Sic autem amor concupiscentiæ amat Deum, nec suam beatitudinem ad ipsum Deum in se et propter se ut ultimum finem refert, nisi per amorem charitatis aut benevolentiæ.

Obj. 5° : Si requiratur amor Dei super omnia ad justificationem cum sacramento, non erit facilior justificatio in nova lege quam in veteri, cum etiam in ista sufficeret amor Dei super omnia ; imo erit difficilior, quia in antiqua lege non requirebatur sacramentum quod nunc requiritur. Id autem est inconveniens : ergo.

Resp. neg. sequelam maj. In hoc enim est nunc facilior justificatio, quam in veteri lege, quod tunc requireretur amor charitatis, seu actus benevolentiæ intensus, et ita purus ac fortis, quod non indigeret adminiculo timoris, ut, eo posito, Deus infunderet gratiam sanctificantem et charitatem habitualem : at nunc cum sacramento sufficit affectus benevolus, quantumvis remissus, modo sit appretiative super omnia, etiam adjuncto timore : hoc autem secundum est longe facilius primo.

ARTICULUS VIII.

QUÆDAM QUÆSTIUNCULÆ CIRCA PRÆSENTEM MATERIAM RESOLVUNTUR.

Petes 1° quid sit censendum de systemate Honorati Tournely, qui ex una parte impugnat sufficientiam attritionis formidolosæ, et ex altera nullum alium amorem ad eam requirit, quam amorem spei ?

Resp. hunc theologum, ut nobis videtur, fingere sibi hostes quos impugnet, forte ne videatur recedere a sententia cleri Gallicani, et non habeatur purus, putusque attritionista, qualem tamen ipsum revera esse arbitror; 2° ipsum una manu destruere quod altera ædificat.

Quantum ad primum: Imprimis est barbarismus et inepta locutio dicere « amorem spei », amor enim non est actus spei, nec sperare est amare, sed confidere, seu expectare cum fiducia bonum futurum, quod quidem supponit amorem concupiscentiæ; quia, ut antea jam dixi ex S. Th., non speramus nisi bonum prius amatum : debuisset ergo dicere theologus Parisiensis amorem concupiscentiæ, et non amorem spei, at forte timor cohibebat linguam. 2° Nullum esse arbitror attritionistam, qui, si consequenter loquatur, excludat amorem concupiscentiæ, seu, si velis, amorem spei; etsi forte explicite non exprimat. Etenim secundum ipsum Tournely, q. 5, de Pœnit., a. 3, in sol. obj. contra primam conclus.: « Gehenna adæquate sumpta complectitur pœnam damni et sensus. » Qui ergo dolet de peccato ex metu gehennæ, de illo dolet, ut est exclusivum beatitudinis : ergo amat beatitudinem, quia non est dolor de aliquo malo, nisi ex amore boni oppositi, ut superius dixi ex S. Th. sicque est amor concupiscentiæ seu spei. Insuper omnes attritionistæ fundantur præsertim in sess. 14 concilii Trid., cap. 4, ubi concilium ad sufficientiam attritionis requirit spem; spes autem, ut dictum est, præsupponit amorem concupiscentiæ.

Quantum ad secundum: Laudatus theologus impugnat sufficientiam attritionis iis omnibus momentis, quibus probamus necessitatem amoris benevoli, et quibus alii probant necessitatem charitatis actualis, præsertim, quia ex S. Th. peccator debet dolere de peccato, ut est malum et offensa Dei, quod certo evincit necessitatem amoris benevoli. Cætera omitto, quia leviter inspicienti patent. Adeat lector hujus theologi quæstionem 5, de Pœnit., a. 3, concl. 1.

Petes 2° utrum liceat sequi in praxi sententiam de sufficientia attritionis formidolosæ, etiam in hypothesi quod sit probabilis?

Resp. negative : Patet ex damnatione hujus propositionis ab Innocentio XI : « Non est illicitum in sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore. » Constat autem opinionem quæ requirit amorem, esse tutiorem ea quæ non requirit.

Ratio est : Ideo in aliis materiis licet sequi opinionem probabiliorem relicta tutiore, quia probabilioritas abstergit periculum damni, quatenus, si forte falsum sit quod sequimur ut probabilius, excusamur coram Deo, in quantum sequendo quod verius apparet, prudenter agimus : at vero ubi agitur de validitate sacramenti, probabilioritas non abstergit periculum damni, quantumvis enim probabile, et probabilius existimetur validum esse sacramentum, si tamen reipsa absit dispositio, aut materia quam Christus requisivit aut instituit, est reipsa invalidum et nullum sacramentum, ut alibi dixi.

Respondent quidam opinionem de sufficientia attritionis formidolosæ, esse non solum probabilem aut probabiliorem, sed moraliter certam.

Verum qua specie veri ea opinio potest dici moraliter certa, quam plures Tridentini patres (plusquam viginti enumerat Ethica amoris, lib. 5, c. 164,) scriptis improbarunt, quam post Tridentinum, cardinales et episcopi (triginta enumerat Ethica, ibid.,) quam innumeri pene theologi præstantissimi (plusquam nonaginta recenset idem, ibid.,) quam clerus Gallicanus in comitiis generalibus, anno 1700, quam celebriores orbis academiæ, inter quas Parisiensis et Lovaniensis, impugnant, et rejiciunt tanquam falsam, et animabus perniciosam, quam ipsiusmet opinionis patroni novam et incertam dicunt? Dominicus Soto, qui adfuit concilio Trid. in 4 d. 18, q. 3, art. 2, sic habet: « Doctrina hæc de attritione, quæ in sacramento fit contritio, licet sit vera, non est ita tamen multum vetus: Patres enim antiqui solam contritionem agnoscebant necessariam ad confessionem : revera qui mihi diceret, non se pœnitere propter Deum, absolvere non auderem. » Et Cano qui etiam interfuit concilio, p. 5, *de Pœnitentia,* infra initium, pag. mihi 879, dicit: « Quod autem attritio sufficiat, quamvis verum sit, non est tamen adeo certum et indubitatum. » Quod autem respondet Tournely Cano non loqui ex propria, sed ex aliorum sententia, aperte falsum est; provoco ad textum, in quo ne vel umbra est hujus intelligentiæ. Denique si ista opinio de sufficientia attritionis formidolosæ sit moraliter certa, nostra erit vix probabilis; quia tantum detrahitur de probabilitate alicujus sententiæ, quantum probabilitatis tribuitur oppositæ. Quis autem dicat nostram sententiam nunc esse vix probabilem?

Si dicas Ecclesiam permittere hanc opinio-

nem de sufficientia attritionis doceri in scholis, tanquam moraliter certam, et in praxi tutam,

Resp. Ecclesiam id non permittere approbando, siquidem etiam contrariam doceri permittat, sed tolerando, sicut tolerat plures alias opiniones quas non approbat, et quæ neque sunt moraliter certæ, neque in praxi tutæ, v. g., opinio de sufficientia attentionis externæ ad horas et ad Missam.

Si autem quæras quare Ecclesia nihil circa hanc momentosam quæstionem definiat? quæram pariter cur tot alias quæstiones indefinitas relinquat? Suas habet Ecclesia rationes, quas curiosius scrutari non est privatorum, sed potius in ejus prudentia, judicio et auctoritate quiescere. Neque refert quod præsens quæstio videatur majoris momenti, quam cæteræ, quia in ea agitur de valore sacramenti, et de æterna salute. Licet enim id secundum se verum sit, secus tamen attento præsenti rerum statu, in quo vix unum, sive confessarium, sive pœnitentem reperias, qui, sola attritione formidolosa contentus, non conetur ad aliquem Dei amorem. Id testantur formulæ contritionum, quæ passim circumferuntur, et praxis tam confessariorum, quam pœnitentium.

Petes 3° quandonam debeat elici actus attritionis, seu contritionis imperfectæ, ut sufficiat cum sacramento ?

Resp. 1°: Actus contritionis necessario debet aliquo modo jungi confessioni sacramentali, non quidem physice sed moraliter, ea scilicet conjunctione, simultate, ordine, respectu seu unione qualis necessaria est, et sufficit ad actum judicialem.

Dixi 1°: Aliquo modo jungi; quia quodvis compositum non subsistit, nisi ex partibus aliquo modo unitis et coexistentibus: contritio autem et confessio sunt partes materiales sacramenti Pœnitentiæ. Dixi 2°: Non physice; quia sacramentum non est compositum physicum, sed morale, nec est nulla lex quæ id præcipiat, aliunde esset onus importabile pœnitentibus, qui habent multa accusanda, si deberent esse solliciti semper actualiter et formaliter dolere dum singula narrant. Dixi 3°: Moraliter; quia Sacramentum est compositum morale.

Idque totum prob. hac ratione: Sacramentum Pœnitentiæ est institutum ad modum actus judicialis: ergo ad illud talis requiritur partium conjunctio qualis ad actum judicialem. Subsumo: Atqui ad actum judicialem requiritur, quod partes, scilicet accusatio et dolor in reo, sententiæ judicis aliquo modo uniantur, non tamen physice sed moraliter: ergo similiter.

Quæ autem simultas, seu respectus inter partes requiratur, ut censeantur moraliter unitæ ? Non est una omnium sententia. Unde

Resp. 2° actum contritionis certo debere præcedere absolutionem ; quia est dispositio et materia ad illam. Et quidem tutius præcedit inchoatam absolutionem; quia in omni judicio cognitio causæ debet præcedere sententiam judicis. Non est tamen improbabile sufficere si eliciatur ante ultimum instans prolationis verborum formæ ; quia tunc tantum confertur primo effectus sacramentalis.

Dices : Ut ablutio aquæ in forma Baptismi censeatur moraliter unita, non requiritur necessario quod ablutio præcedat, sed sufficit si immediate sequatur, ut dictum est de sacramentis in genere, licet tamen ablutio sit materia respectu formæ : ergo similiter in hoc sacramento.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod moraliter censeatur adhuc vere dici ablutio, etsi immediate post projiciatur aqua, sicut censetur vere dicere bibo, qui statim post scyphum ori admovet : at hic cum forma sit sententia judicialis, debet necessario præsupponere cognitionem causæ antequam feratur, alias non censetur moraliter uniri materiæ et eam informare. Adde quod praxis universalis Ecclesiæ et unanimis doctorum sententia quoad hoc satis manifestent talem esse Christi voluntatem.

Resp. 3° : Non videtur necessarium quod actus contritionis præcedat confessionem, licet sit consultum : est communis sententiam contra Conink et paucos alios, quam testatur praxis unanimis confessariorum, qui solliciti sunt exigere contritionem a pœnitente, post confessionem, non ante.

Probatur autem solutione duplicis fundamenti adversariorum, quorum primum est, quod confessio non debeat esse nuda et historica narratio, sed accusatio dolorosa, adeoque informari dolore qui proinde debet saltem natura præcedere ; secundum, quod contritio debeat esse sensibilis, redditur autem sensibilis per confessionem : ergo confessio debet subsequi contritionem.

Ad primum, resp. Ut confessio dicatur dolorosa, non requiritur quod præcedat eam dolor, sed sufficit quod ipsa referatur ad dolorem qui sequitur : imo ipse dolor sequens aliquo

sensu præcedit et influit in confessionem, in quantum quamdiu pœnitens flectit aut humiliter petit seu expectat sententiam judicis, tamdiu censetur moraliter perseverare in facta confessione, eamque ipso facto continuare atque implicite dicere: « Ita, pater mi, feci hæc omnia quæ dixi, ita est, peto supplex absolutionem et pœnitentiam » : ergo si post factam narrationem peccatorum, eliciatur actus contritionis, eam confessionem sic continuatam moraliter, sufficienter informat et dolorosam efficit. Et hinc patet responsio ad 2, scilicet quod per istam confessionem moraliter et facto continuatam sufficienter reddatur sensibilis contritio et sufficienter manifestabitur confessario judici. Alii dicunt confessionem reddere contritionem sensibilem, in quantum indicat dolorem aut esse, aut fuisse, aut futurum esse.

Dixi tamen pro praxi consultum esse contritionem præmittere confessioni, ne forte pœnitens postea distractus aut absolutione præventus, sacramentum non recipiat defectu contritionis.

Resp. 4° : Quando contritio præcedit confessionem, non requiritur quod immediate ante confessionem eliciatur, quia ad unionem moralem partium in actu judiciali tanta partium conjunctio non requiritur ; sed requiritur et sufficit, aut quod non fuerit revocata, vel formaliter per actum contrarium, vel virtualiter per actum peccaminosum, aut quod tanta temporis intercapedine non præcesserit quin possit prudenter judicari adhuc moraliter virtualiter perseverare tempore confessionis sequentis. Sed quantum temporis requiratur ut censeatur adhuc moraliter perseverare? Quidam dicunt, quamdiu non retractatur ; alii ponunt, si vesperi conteratur et mane confiteatur; alii si domi conteratur et in Ecclesia perseveret ; sed hoc pendet ex judicio prudentis confessarii, qui attentis circumstantiis judicabit moraliter uniri quamdiu judicare poterit unum actum ab alio imperari, aut quid unum facere moraliter cum ipso. Cæterum in hac materia, tene certum, dimitte incertum. Item requiritur quod contritio præcedens fuerit aliquo modo relata ad confessionem sequentem, sive quia confessio fuit motivum contritionis, sive contritio motivum confessionis. Alias si nullam relationem habeat ad confessionem futuram, non poterit censeri unita moraliter cum illa. Quidam tamen non improbabiliter tenent quod si sine ullo respectu ad confessionem elicita fuerit contritio, sed tempore confessionis pœnitens dolorem prius habitum ad hanc confessionem revocet, id sufficiat propter moralem doloris et confessionis unionem. At si contritio præcedens nullo modo referatur ad confessionem, ut si hodie dolens non cogites de confessione crastina, nec cras confitens recorderis doloris hesterni, invalide confiteris, nisi novum dolorem concipias, quia pars debet referri ad compartem ; et confessio sacramentalis et valida debet esse dolorosa, qualis non potest esse nisi per dolorem aliquo ex his modis ad se relatum.

Petes 4° utrum qui immediate post confessionem accusat peccatum oblitum, teneatur ad novam contritionem ?

Resp. probabilius negative ; quia prior contritio ad illud extendebatur et adhuc moraliter perseverat.

Petes 5° utrum sufficiat dolere se non dolere de peccatis ?

Resp. in rigore loquendo negative; quia dolor debet esse de peccatis et non de defectu doloris. Verum pœnitentes sic loqui solent, non quod careant omnino dolore de peccatis ; sed quia timent insufficientiam, aut non experiuntur dolorem sensibilem, qui, ut ante diximus, non est absolute necessarius ad contritionem.

DISSERTATIO V.

De altera parte sacramenti Pœnitentiæ, scilicet : De confessione, et primo de ejus necessitate.

D. Th. q. 6.

ARTICULUS I.

UTRUM CONFESSIO SACRAMENTALIS SIT NECESSARIA AD SALUTEM ?

§ I.

Prænotanda.

Confessio sacramentalis communiter et recte definitur : Accusatio legitima peccatorum facta sacerdoti competenti, ad veniam, virtute clavium, obtinendam.

Dicitur : Accusatio : quia peccata non sunt aperienda modo historico, aut ad ostentationem, sed animo se accusandi et se reum exhibendi. Dicitur legitima, id est, vestita omnibus suis circumstantiis de quibus infra. Dicitur peccatorum, propriorum scilicet et actualium post Baptismum commissorum, ut designetur objectum seu materia confessionis. Dicitur facta sacerdoti competenti, id est, habenti jurisdictionem : unde facta laico, vel sacerdoti non habenti jurisdictionem, non est sacramentalis, adeoque nulla. Dicitur : ad veniam obtinendam ; ut ostendatur finis et effectus confessionis, ejusque differentia ab aliis tribunalibus, in quibus non venia, sed pœna constituta est. Dicitur virtute clavium, quia confessarius potestate sibi a Christo tradita vere absolvit, ut antea diximus. Apud Græcos Εξομολογησισ idem est ac apud nos confessio ; usurpatur tamen etiam Εξομολογησισ pro tota et laboriosa pœnitentiæ actione, ut jam dictum est.

Joannes Wicleff rejecit confessionem tanquam inutilem, dicens : « Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua et inutilis » : est inter articulos ejus a concilio Constantiensi damnatos, septimus.

Lutherus varie hac de re censuit ; in parvo Catechismo quem edidit, ut refert doctissimus Bossuet, episcopus Meldensis, docet eam esse necessariam. In visitatione Saxonica, anno 1528, et in serm. *de Euchar.*, anno 1526, dicit esse liberam. Lib. 1 *de Captivit. Babylon.*, cap. de Pœnit., scribit eam sibi placere et esse utilem. Et serm. *de Pœnit.*, art. 9, carnificinam et cruentissimam appellat. Videtur tamen certo tenuisse 1° confessionem non posse probari ex S. Scripturis, lib. 1. *de Captivit. Babylon.*, cap. de Pœnit, ; 2° non esse necessarium omnia confiteri, etiamsi eorum recordetur pœnitens, ut patet ex eodem loco, et serm. *de Pœnit.* et ex a. 8 et 9, damnatis a Leone X. 3° Damnat eos qui docent peccata venialia et circumstantias peccatorum esse confitendas ibid., serm. *de Pœnit.* Ex lutheranis Joannes Brintius, et Kemnitius rejecerunt absolute confessionem in specie, contenti confessione generali. Secundum Bossuet lutherani confessionis Augustanæ retinent usum confessionis auricularis, quod probat ex apologia ipsius confessionis Augustanæ.

Calvinus docet 1° usum confessionis non esse juris divini, *Instit.*, cap. 4, § 7. 2° Docet antiquum quidem fuisse, sed liberum, « Cujus equidem vetustissimum esse usum fatemur (inquit ibid.), sed quem facile evincere possumus olim fuisse liberum. » Docet 3° expedire ut minister, tum pro se, tum pro populo confessionem generalem faciat ; suadetque ut etiam privata consulatur, et specialiter iis qui

peccatorum suorum sensu auguntur, « ut solidum consolationis fructum referant. » Docet 4° confessionem ut fit, et præcipitur in ecclesia Romana, tollendam esse de medio: « Nihil mirum (inquit § 19) si auricularem illam confessionem, rem adeo pestilentem, totque nominibus Ecclesiæ noxiam damnamus, ac sublatam e medio cupimus »; asseritque novum esse inventum Innocentii III in concilio Lateranensi IV, anno 1215. Iis Calvini dogmatibus adhærent omnes calvinistæ, quorum errores in hac parte quatuor libris propugnare aggressus est pseudominister Dallæus.

Ad efficaciorem hæreticorum, Dallæi præsertim, impugnationem, observandum est decretum concilii Trid., sess. 14, cap. 6, de modo, sive secreto, sive publico confitendi peccata : « Quoad modum, inquit, secreto apud solum sacerdotem: etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. Unde cum a sanctissimis et antiquissimis Patribus, magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis ,qua ab initio Ecclesia sancta usa est, et modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, et inventum humanum esse, atque a Patribus in concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur. »

Ex qua doctrina, Estius in 4 d. 17, § 8; Suares, disp. 21, *de Conf.*, sect. 2 ; Coninck, disp. 6. *de Qualit. conf.;* Tournely, q. 6. *de Pœnit,*, a. 2; Berti, lib. 34, c. 2, et alii inferunt non esse de essentia confessionis sacramentalis, quod sit secreta et auricularis, sed possit aliquando laudabiliter fieri publice : licet id, neque jure divino, neque humano sit necessarium ; ad essentiam autem confessionis pertinere tantum, quod peccata quocumque modo, sive secreto sive publice declarentur sacerdoti ad obtinendam absolutionem; usum tamen confessionis secretæ fuisse in Ecclesia servatum, et hunc merito retinendum. Hac observatione præcluditur effugium solitum Dallæi, qui ad argumenta nostra ex Traditione continuo reponit ea esse intelligenda de confessione publica. Esto enim id tam esset verum, quam est falsum, nihil obtineret, cum modus confessionis non pertineat ad ejus essentiam, sufficiatque, sive secreta sit, sive publica, quod agnoscatur necessaria ad obtinendam vi clavium remissionem peccatorum.

§ II.

Necessitas confessionis sacramentalis asseritur.

Dico : Confessio sacramentalis est omnibus post Baptismum lapsis necessaria jure divino [1].

Est de fide decisa in concilio Trid., sess. 14, can. 7, his verbis : « Si quis dixerit in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, etc., anathema sit. » Et patet ex jam dictis, art. 1 hujus tract., in quo probavimus esse in Ecclesia remedium contra peccata post Baptismum commissa, illud esse institutum per modum actus judicialis : judicium autem ferri non posse sine cognitione causæ, quæ haberi non potest, nisi per confessionem. Sed quia præsens quæstio est maximi momenti contra hæreticos hodiernos, iterum et accuratius est expendenda. Itaque

Prob. 1° jam dicta ratione fundata in S. Scriptura, et qua utitur concilium Trid., sess. 14, cap. 5. Quicumque mortalis peccati post Baptismum rei sunt, tenentur jure divino quærere reconciliationem cum Deo et peccatorum veniam per medium ab ipso institutum: atqui medium a Deo institutum ad reconciliationem cum ipso, et peccatorum post Baptismum commissorum veniam obtinendam, est confessio peccatorum, nedum in genere, sed et in specie, sacerdoti facta : ergo. Maj. est certa. Prob. min. Christus instituit sacerdotes judices et medicos, sine quorum sententia et curatione, nemo lapsus post Baptismum potest reconciliari et sanari : atqui non possunt hoc judicium exercere incognita causa, nec æquitatem servare in injungendis pœnis, nec proportionem in designandis remediis, si in genere tantum, et non in specie ac sigillatim peccatores eis sua peccata declarent, et vulnera aperiant : ergo. Min. videtur evidens. Prob. maj., quam negat Calvinus, invictissimis S. Scripturæ testimoniis : Christus Matth. 16, promittit Petro claves regni cœlorum, et potestatem ligandi et sol-

[1] Suppl. q. 6, a. 1, o.

vendi ; Matth. 18, idem promittit omnibus Apostolis, et Joannis 20, hanc potestatem de facto eis confert dicendo : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt* : atqui Apostolos et eorum successores habere claves regni cœlorum, posse ligare et solvere; remittere et retinere peccata, est eos esse a Deo constitutos judices et medicos, sine quorum sententia et curatione, nemo lapsus cum eo reconciliari potest et sanari : non enim sunt inter ipsum et homines alii judices constituti, nec alii medici sanandis peccatorum vulneribus designati : ergo. Ista minor magis adhuc elucidabitur ex responsionibus hæreticorum.

Dicunt itaque 1° hæc testimonia intelligenda esse de potestate remittendi et retinendi peccata per Baptismum, vel per ministerium prædicandi, quo excitetur in animis audientium fides, qua credunt peccata sibi esse remissa..

Sed contra 1° : Vel intelligunt de Baptismo suscipiendo, vel de ejus memoria : primum dici non potest, quia cum semel conferatur Baptismus, lapsis postea non esset amplius remedium, quod negant : adde quod potestas clavium, seu jurisdictionis exerceri non possit, nisi in eos qui per Baptismum jam sunt in Ecclesia. Secundum etiam dici non potest, quia alias sacerdotes non haberent potestatem retinendi peccata, cum impedire non possent, quin baptizatus Baptismi suscepti non recordetur. Insuper facilius reconciliarentur lapsi post Baptismum, quam ante, quod est absurdum, cum post Baptismum sint magis ingrati, et magis peccatores.

Quod autem dicunt de ministerio prædicationis, aperta est S. Scripturæ contorsio. 1° Quia claves dari non solent ad significandum ostium esse apertum vel clausum, sed ad claudendum et aperiendum. 2° Ligare et solvere, non est significare esse solutum aut ligatum, sicut remittere et retinere peccata, non est significare et annuntiare esse remissa, vel non esse remissa : unde Christus non dixit : Quorum remiseritis erunt remissa, et quorum retinueritis erunt retenta : quod debuisset dicere in sensu adversariorum; sed dixit : *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis ; quodcumque solveritis erit solutum, et quod ligaveritis erit ligatum.* 3° Quia alias nihil speciale Petro et Apostolis concessum esset, cum omnes etiam laïci possint in aliis excitare fidem de remissione peccatorum ; imo magis ipsi fideles dicerentur se solvere, sibi peccata remittere, quam id fieri a sacerdotibus ; nam si hi dicantur remittere peccata, qui excitant ad fidem de eorum remissione, a fortiori ille qui fidem hanc elicit. 4° Tandem inde sequeretur quod sacerdotes non haberent potestatem ligandi et retinendi peccata, cum etiam ipsis invitis talis fides haberi possit.

Dicunt 2° : Esto possint sacerdotes solvere et ligare, non tamen inde sequitur necesse esse ad eorum tribunal accedere : nam Dominus non dixit : Et quæcumque non solveritis non erunt soluta. Itaque solvere poterunt eos qui eorum ministerio uti voluerint, sed poterit etiam peccator alia ratione, sine ipsorum ministerio reconciliari : quemadmodum Judices Regum auctoritate constituti possunt judicare omnes qui ipsorum opera uti voluerint, non tamen coguntur, qui lites habent, ad publicos illos judices accedere, sed possunt arbitros eligere, aut etiam ipsi per se suam causam componere, aut ipsum Regem directe adire.

Sed contra : Licet privati homines possint lites quas inter se habent, sine publicorum Judicum sententia componere, non possunt tamen eas lites componere quas cum Rege ipso habent, nisi eo modo qui placuerit Regi ; et si Rex voluerit hujusmodi causas non nisi per Judices a se institutos dirimi, eos adire necesse est. At omnia peccata nostra sunt causæ quas habemus cum Deo, et quamvis unicuique sit liberum directe adire Deum cum sincera cordis contritione et ita ab ipso absolvi : attamen non potest esse sincera hæc cordis contritio, nisi includat voluntatem adhibendi remedium, et faciendi quod Christus præscripsit ; Christus autem præscripsit quod peccatores se subjicerent judicio Sacerdotum, quos suo loco Judices esse voluit : unde licet Christus non dixerit expresse et explicite : Quæcumque non solveritis non erunt soluta ; aperte tamen colligitur, tum ex illis verbis : *Quæcumque solveritis erunt soluta, quorum remiseritis peccata remittentur*, quibus Sacerdotes constituuntur Judices in causis contra Deum : tum maxime ex istis : *Quæcumque ligaveritis erunt ligata, et quorum retinueritis* peccata *retenta sunt.* Si enim fideles, citra Sacerdotum auctoritatem, solvi, et obtinere possunt remissionem peccatorum, falsum est quod id foret ligatum quod ligarent, quod retenta essent peccata, quæ retinerent. Insuper si voluntas Christi non esset lapsos a Baptismo confiteri peccata sua Sacerdotibus, frustra dedisset illis potestatem absolvendi : Quis enim nisi Deo jubente sua eis

peccata exponeret? Frustra dedisset claves Regni cœlorum, sicut frustra claves alicui darentur, si alia, non mi us facili, imo et faciliori via, pateret introitus.

Inst. 1°: Sacerdotes sunt Judices peccatorum venialium, quando ipsis subjiciuntur, et tamen non est obligatio ea ipsis subjiciendi: ergo idem de peccatis mortalibus. 2° Per Baptismum sacerdotes peccata remittunt, et tamen ad Baptismum non est necessaria peccatorum confessio: ergo.

Resp. ad primum, disparitas est quod ex institutione Christi ea tantum necessario solvenda sunt a Sacerdotibus in terris quæ ligant in Cœlis; sola autem mortalia, quæ et gratiam et charitatem destruunt, ligant in Cœlis, non venialia, quæ compatiuntur gratiam et charitatem et ideo variis aliis modis remitti possunt.

Ad secundum, disparitas est quod in Baptismo non exerceatur judicium de peccatis remittendis aut retinendis, puniendis et sanandis; sed est nudum ministerium regenerandi Christo, remittendi peccata et adoptandi Ecclesiæ, ante cujus adoptionem nullam Ecclesia in peccatores habet Jurisdictionem, quamvis tamen ejus sit muneris explorandi per prævia aliqua pietatis opera dispositiones eorum qui baptizari petunt: at in Pœnitentia exercetur judicium in peccata remittenda vel retinenda, punienda et sananda, quod judicium exerceri non potest, nisi ipsa peccata distincte declarentur. Cætera quæ contra hanc probationem objicit Dallæus, admodum levia sunt nec seria responsione digna.

Omitto alias S. Scripturæ auctoritates quæ solent in probationem conclusionis a pluribus proferri, 2. Corinth. 5, Jacobi 5, Act. 19, 1. Joan. 1; quia non nisi probabiliter intelliguntur de Confessione Sacramentali.

Antequam aggrediar probationem ex Traditione, observandum est novatores non negare peccata publica Pœnitentiæ et confessioni publicæ olim fuisse subjecta; at contendunt peccata occulta, nequidem secretæ confessioni fuisse obnoxia. Contra quos

Prob. 2° conclusio ex traditione: Confessio sacramentalis peccatorum non solum publicorum, sed etiam occultorum, qualis nunc agitur inter catholicos, fuit in usu ab exordio Ecclesiæ: ergo est instituta a Christo ut necessaria et per Apostolos ad nos transmissa. Patet conseq.; tum quia juxta regulam S. Augustini, lib. 4, *de Bapt. contra Donatist.*, cap. 24: « Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur »; tum quia confessio peccatorum secretorum et pudendorum res est adeo ardua et difficilis, ut nunquam tot sæculis observata fuisset, nisi a Christo ut necessaria foret instituta.

Prob. ant. Selectis Patrum testimoniis secundum seriem sæculorum; omnia enim referre foret immensum.

Ex primo sæculo, legendi sunt S. Clemens epist. 2, *ad Corinth.* et lib. 7 *Constitut. Apostol.*, c. 14; ex secundo, S. Irenæus, lib. 1, *adversus Hæreses*, cap. 9; eodem sæculo, Tertullianus, lib. *de Pœnit.*, cap. 4, dicit peccata etiam cogitationis esse accusanda, quia singulis pœna est imponenda: « Omnibus, inquit, delictis seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem et veniam per pœnitentiam spopondit »; et infra, c. 9, ostendens necessitatem confessionis ex necessitate satisfactionis imponendæ: « Tantum, inquit, revelat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat; confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ..... is actus qui magis græco vocabulo exprimitur et frequentatur, Εξομολογησισ est, qua delictum Domino nostro confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione Pœnitentia nascitur, Pœnitentia Deus mitigatur; itaque Εξομολογησισ prosternendi et humilificandi hominis disciplina est. »

Nec te moveat quod dicat « confitendum Domino », aut dicas loqui de confessione peccatorum publicorum; intelligit namque confiteri Domino, dum quis confitetur ejus ministro; patet ex subjunctis dum addit paulo infra, eos qui Domino confitentur « presbyteris absolvi » et plerosque a confessione abstinere, « pudoris magis memores quam salutis », quod nec de Deo, neque de peccatis publicis intelligi potest; ac tandem concludit confessionem fieri Domino dum fit uni vel alteri ministro, quia « in uno et altero Ecclesia est, Ecclesia vero Christus: ergo cum te ad genua fratrum protendis, Christum contrectas, Christum exoras »: et in priori textu formaliter exprimit peccata secreta cogitationis.

Sæculo tertio, S. Cyprianus, lib. *de Lapsis*, c. 12: « Confiteantur, inquit, singuli, quæso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti ejus confessio potest, dum satisfactio et remis-

sio facta per sacerdotes apud Deum grata est.» Et infra : « Quanto et fide majores et timore meliores sunt, qui, quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, ἐξομολογησιμ conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse: Deus non irridetur. » Apertum est S. Cyprianum loqui de confessione facienda sacerdoti, de confessione occultorum scilicet cogitationis, ac tandem de confessione secreta, cum peccata interna nunquam fuerint obnoxia confessioni publicæ, ut dicam infra.

Eodem sæculo, Origenes, hom. 2 *in Levit.*, enumeratis variis modis obtinendi veniam peccatorum, oratione, eleemosyna, etc., subjungit : « Est adhuc et septima licet dura et laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum et fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quærere medicinam. » Et hom. 2 *in Psal.* 37, postquam asseruit necessariam esse confessionem, ut peccator veniam consequatur, sicut necesse est infirmo noxium humorem ejicere e stomacho ad sanitatem recuperandam, addit : « Tantummodo circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum : proba prius medicum cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi et compatiendi noverit disciplinam, ut ita demum quid ille dixerit, qui se prius et eruditum medicum ostenderit et misericordem, si quid consilii dederit, facias et sequaris. Si intellexerit et præviderit talem esse languorem tuum qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat et curari, ex quo fortassis et cæteri ædificari poterunt, et tu ipse facile sanari, multa hac deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum est. »

Ex his habes non solum confessionem secretam secretorum peccatorum, sed etiam confessionem secretam, ortum non ducere ex publica, seu confessione, seu pœnitentia, sed e contra confessionem secretam præivisse publicæ, tum pœnitentiæ, tum confessioni, et utrique indicendæ fuisse normam et regulam, de quo iterum infra.

Nec est quod respondeant hæretici Origenem non dicere hunc medicum esse sacerdotem : esto enim id in hoc secundo textu non dicat, dicit in priori; hic autem loquitur de confessione quæ solebat fieri, scilicet sacerdoti, cujus moris meminerat in priori textu.

Sæculo quarto, S. Basilius, *in Regulis brevioribus,* responsione ad q. 228 : « Necessario, inquit, iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum fidei. » Et q. 100, prohibet, « Dum soror (monialis) presbytero confitetur, antistitam ipsam adesse. »

Eodem sæculo, S. Greg. Niss., epist. canon. ad Letojum, episcopum Melitinensem : « Qui autem, inquit, occulta substractione sibi alienum usurpat, ac deinde per confessionem peccatum suum sacerdoti aperit, studio, quod circa contrarium illius vitii adhibebit, morbum curabit. »

Eodem sæculo, S. Ambrosius, referente Paulino in ejus vita : « Quotiescumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus est, ita flebat, ut illum flere compelleret; videbatur enim sibi cum jacente jacere». Hanc autem confessionem esse secretam et peccatorum occultorum patet, prosequitur enim Paulinus : « Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum exemplum relinquens posteris sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint, quam accusatores apud homines. »

Idem S. Ambros., lib. 1 *de Pœnit.*, c. 17, contra novatianos : « Si quis, inquit, occulta crimina habens, propter Christum tamen studiose pœnitentiam egerit, quomodo istic recipit (remunerationem scilicet Pœnitentiæ de qua loquitur) si ei communio non refunditur ? » Id aperte supponit peccata occulta fuisse declarata. Quod autem Dallæus reponat legendum esse « multa » et non « occulta», obstinatæ mentis commentum est contra fidem omnium codicum, ut ostendunt novi editores Benedictini. Idem S. Ambros., lib. 2 *de Pœnit.*, c. 1 : « Et nos ergo non erubescamus fateri Domino peccata nostra. » Manifestum est quod intelligat de confessione facta ministro Dei ; nemo enim erubescit peccata sua confiteri soli Deo, cui magis quam nobis nota sunt peccata nostra. Legendus insuper S. Ambrosius, in Psal. 38 et 118, et lib. 5 in Lucam, ubi agnoscit in sacerdotibus judiciariam ligandi et solvendi potestatem, quæ, ut probatum est, exerceri non potest sine confessione. Legendi etiam ejusdem sæculi Lactantius, lib. 4 *Inst.*, cap. 17 ; Hilarius Pictav., *in Comment. in Matth.;* Pacianus *in Exhortat. ad. pœnit*, S. Athanasius, tom. 1, in hæc verba

Evangelii : *Invenietis pullum alligatum*, etc., sed et maxime

Eodem sæculo, S. Chrysostomus, cujus auctoritate abutuntur novatores. Is, orat. seu hom. *de Muliere Samaritana* : « Intuemur et nos, inquit, hanc mulierem Samaritanam, et ob propria peccata non erubescamus, sed Deum timeamus..... ; qui enim homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult, et pœnitentiam agere, in die illa non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur. »

Idem, hom. 2 *de Cruce et Latrone* : « Si latronem in cruce tanto honore dignatus est, multo magis nos insita sua benignitate dignabitur, si voluerimus peccatorum confessionem instituere. Ut igitur et nos benignitate illius perfruamur, peccata propria confiteri ne erubescamus ; magna enim confessionis vis est, et multa ejus potentia. »

Idem, lib. 2 *de Sacerdotio*, afferens discrimen inter sacerdotes veteris et novæ legis : «Corporis lepram, inquit, purgare, imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum, Judæorum sacerdotibus licebat ; hi vero non lepram corporis, sed immunditiam animæ, non purgatam probandi, sed potius purgandi potestatem acceperunt. » Dixerat prius : « Multa quidem arte opus est, ut ægri sacerdotum remediis libenter se subjicere suadeantur.» Et : « Idcirco pastori multa opus esse prudentia, ac sexcentis oculis, ut undique animæ statum circumspiciat. »

Id., hom. 30 *in Genes.:* « Quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime et jejunii cursus intendendus, et magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens, et pura peccatorum confessio. Scit inimicus noster quod per tempus illud possumus de iis quæ ad nostram salutem attinent loqui, et peccata declarare seu aperire, et detegere vulnera nostra medico, et sanitatem consequi. » Et Hom. 9 in cap. 6 ad Heb.:« Sin autem dicit : Sum peccator, ea autem per species non cogitat ac supputat, et non dicit, hoc et illud peccatum admisi, nunquam cessabit, semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis. »

Sæculo quinto, S. Innocentius papa, epist. *ad Decentium*, cap. 7 : « De pœnitentibus vero, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante pascha eis remittendum Romanæ ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimando delictorum sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, et ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tunc jubet dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. »

Eodem sæculo, S. Hieronymus, Comment. in cap. 10 Ecclesiastæ, ad hæc verba : *Si momorderit serpens in silentio* : « Si quem, inquit, serpens diabolus occulte momorderit, et nullo conscio, eum peccati veneno infecerit ; si tacuerit qui percussus est, et non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit ; si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat. »

Idem, lib. 3 Commentarii in cap. 16 Matth., ad hæc verba : *Et tibi dabo claves regni cælorum* : « Istum locum, inquit, episcopi et presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur.... Hic alligat vel solvit episcopus et presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit quive solvendus. »

Eodem sæculo, S. Augustinus, serm. 2 in Psal. 101 : « Cum audis hominem pœnitere peccatorum suorum, jam revixit : cum audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulcro eductus est, sed nondum solutus est : quando solvitur ? a quibus solvitur ? *Quæ solveritis,* inquit, *in terra, erunt soluta et in cælo.* »

Idem, *Enarrat in Psal.* 66 : « Conscientia tua saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat : adhibet medicus fomenta verborum, et aliquando secat ; adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis : tu agnosce medici manum, confitere, exeat in confessione, et defluat omnis sanies. »

Idem, serm. 391, *de Pœnit.*: « Implicatus igitur mortiferorum vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiæ, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in cœlo..... Veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur..... A præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum. »

Idem, serm. 392, conjugatos adulteros sic alloquitur : « Agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, occulte ago, apud Deum ago ; novit Deus, qui mihi agnoscat, quia in corde meo

ago : ergo sine causa dictum est : *Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo ?* Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei ? Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi ? Promittimus vobis, quod ille negat ? »

Idem, serm. 393 : « Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes (si tamen estis pœnitentes et non irridentes), mutate vitam, reconciliamini Deo. Et vos cum catena pascitis. Qua, inquies, catena ? *Quæ ligaveritis in terra erunt ligata et in cœlo.* Audis ligaturam, et Deo putas facere imposturam. » Et in fine : « Quia si ad ultimum vitæ steterit, nescit si ipsam pœnitentiam accipere, ac Deo ac sacerdoti peccata sua confiteri poterit. » Hæc ultima verba sunt plane decretoria.

Eodem sæculo, Leo Magnus, epist. 80, nunc 136, cap. 3, contra requirentes publicam confessionem, sic loquitur : « Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri, ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publice recitetur ; cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur ; tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea quæ pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescant, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli : sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit ; tum enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. »

Idem, epist. 91, nunc 82 : « Multum enim utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur... Unde oportet unumquemque christianum conscientiæ suæ habere judicium, ne converti ad Deum de die in diem differat, nec satisfactionis sibi tempus in fine vitæ suæ constituat, quem periculose ignorantia humana concludit, ut ad paucarum horarum spatium se reservet incertum, cum possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, quo vix inveniat spatium, vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio sacerdotis. » Hoc utroque textu jugulatur dogma hæreticum.

Sæculo sexto, S. Gregorius Magnus, hom. 26 in c. 20 Joan. : « Lazaro ergo, inquit, dicitur : *Veni foras*, ac si aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur : Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis ? Foras jam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates ; veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator ; venientem vero foras solvant discipuli, ut pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. Hæc de solutionis ordine breviter dixerim, ut sub magno moderamine pastores Ecclesiæ vel solvere studeant vel ligare. » Legendus insuper S. Gregorius, lib. 3 et 29 *Moral.*

Eodem sæculo, Joannes jejunator qui, anno 586, sedebat patriarcha Constantinop. in suo Libello pœnitentiali, quem Morinus edidit in calce Commentarii de administratione sacramenti Pœnitentiæ, inducit sacerdotem sic alloquentem et interrogantem pœnitentem : « Spiritualis fili, ego confessionem tuam primario et præcipue non recipio, nec tibi absolutionem concedo, sed per me Deus... cum secundum multam, quæ exprimi non potest, ejus misericordiam, ita dixit : *Quæcumque ligaveritis aut solveritis super terram, erunt in cœlis*, illa quidem ligata, hæc vero soluta. Revela igitur et declara coram sanctis angelis, nihilque me cela eorum quæ a te clam facta sunt, velut si Deo occulta cordium cognoscenti confitereris. » Tum inducit sacerdotem interrogantem de numero et circumstantiis peccatorum ad hunc modum : « Quomodo, domine frater, vel soror, primum virginitas tua corrupta est ? Per fornicationem, vel legitimum Matrimonium, vel per mollitiem, aut aliquid eorum quæ sunt contra naturam ? Consentientem vero et dicentem sic et sic, ipsum interrogat, in quot mulieres inciderit antequam uxorem duceret : num aliquæ earum essent ancillæ, quantæ viduæ et quantæ nuptæ ? Num aliquæ monachæ et quot, num aliquæ magnum habitum gestarent ? » Similiter de aliis præceptis.

Hic sisto, quia ad hæc priora sæcula, quæ puriora reputant novatores, maxime attendunt, nec plura fert institutum nostrum. Quantum ad sequentium sæculorum Patres, concilia, libros pœnitentiales et theologos, vide Bellarmin., Nugno, Witasse, Juenin, etc.

Verum quæ diximus plusquam sufficiunt ad revincendos novatores apertæ falsitatis et

putidæ calumniæ, dum dicunt præceptum confessionis sacramentalis esse inventum Innocentii III in concilio Lateranensi, quodque ideo irrisorie vocant « Tormentum innocentianum. » Ad hæc : omnem verisimilitudinem superat, quod ista lex, tam ardua, dura et difficilis, sine S. Scripturarum et traditionis suffragio, ab omnibus totius orbis ecclesiis fuerit recepta nemine reclamante aut conquerente; quis enim tunc reclamavit ? Quis conquestus est ? Insuper ex ipsis terminis concilii in capite *Omnis utriusque sexus*, evidens est in eo non agi de natura aut substantia confessionis, sed de ejus circumstantiis tantum, scilicet de tempore, ut fiat semel in anno, et de ministro, ut fiat proprio sacerdoti.

§ III.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° celebre factum Nectarii, ex quo sic arguunt hæretici : Quod ab Ecclesia fuit institutum, et deinde ab eadem abrogatum, non est juris divini : atqui confessio fuit ab Ecclesia instituta, et per Ecclesiam abrogata : ergo. Prob. min. Socrates, lib. 5 *Hist.*, cap. 19, narrat occasione novatianorum, qui conquerebantur peccatores facilius a catholicis admitti ad reconciliationem, institutum fuisse presbyterum pœnitentiarium, cui lapsi post Baptismum sua peccata confiterentur : en confessionis institutio; deinde occasione alicujus scandali hunc pœnitentiarium sæculo subsequenti a Nectario episcopo Constantinop. sublatum fuisse : en confessionis abrogatio : ergo. Idem refert Sozomenus, Socrati coævus, l. 7, cap. 16, excepto quod Sozomenus dicat hunc pœnitentiarium non occasione novatianorum, sed ab initio fuisse institutum.

Omissis variis solutionibus, quas huic argumento theologi adhibent, re[illegible]. ex hac narratione non colligi institutionem et abrogationem confessionis sacramentalis, sed pœnitentiarii tantum, cujus præcipuum munus erat præesse pœnitentiæ publicæ, et ideo inquirere in mores fidelium, recipere depositiones testium de quorumdam criminibus, reos ad se vocare, et convictos confessioni, seu pœnitentiæ publicæ addicere, audita prius eorum confessione secreta, atque invigilare, ut pœnitentiæ stadium juxta canones accurate decurrerent; pœnitentiarius enim dicebatur a pœnitentibus; pœnitentes olim ii soli dicebantur, qui erant addicti pœnitentiæ publicæ, ut liquet ex concilio Toletano I.

Cum itaque mulier quædam nobilis huic pœnitentiario esset confessa, et ipsa sive proprio motu, sive suadente pœnitentiario, peccata quædam publice confiteretur, longius progressa indiscrete prodidit se compressam fuisse a diacono in Ecclesia, dum ibi pœnitentiam ageret : unde graviter commotus fuit populus et diaconus exauctoratus.

Ratione igitur hujus scandali Nectarius amovit pœnitentiarium quoad munia pœnitentiam publicam spectantia, intacto usu confessionis secretæ, qui remansit in eo statu in quo erat ante institutionem hujus pœnitentiarii ; quod patet 1° quia Nectarius sustulit tantum quod fuerat occasio scandali ; non autem confessio secreta, sed confessio seu Pœnitentia publica fuit occasio scandali. 2° Quia legitur amovisse pœnitentiarium tantum, non autem alios sacerdotes confessionibus secretis excipiendis præpositos, qui proinde permanserunt ut ante; alios enim præter pœnitentiarium confessionibus excipiendis designatos constat, tum ex Origene inter probationes citato, tum ex Eusebio qui, lib. 6, c. 36, refert Serapionem morti proximum advocasse unum *ex presbyteris* dispensationi sacramentorum a S. Dionysio Alex. propositis, ut ab eo beneficium reconciliationis reciperet ; tum denique, quia unus confessarius impar fuisset excipiendis confessionibus numerosissimæ civitatis, qualis erat Constantinopolis tempore Nectarii.

Et hæc est communior hujus argumenti solutio excepto quod quidam arbitrantur hanc mulierem non declarasse pœnitentiario in confessione hoc suum facinus cum diacono, quod nondum perpetrarat ; sed facta confessione, cum ratione Pœnitentiæ a pœnitentiario injunctæ, in ecclesia moraretur, ibidem a diacono fuisse corruptam, et hoc ipsam indiscrete prodidisse, ex quo palam innotuit, et inde ortum scandalum ac commotio populi. Ad hanc autem intelligentiam moventur, quia licet juxta versionem Christophorsoni legatur in Socrate : « Mulier longius in confitendo progressa alterius culpæ seipsa insimulat », advertunt tamen in textu græco Socratis, non usurpari vocem *confessio* seu *confitendo*, sed quod mulier *dixerit*, seu *commemoraverit* suum crimen, et cum hoc dixisset, diaconus ejectus est, et populus commoveri cœpit.

Idque apertius exprimit Sozomenus citatus : « Matrona quædam nobilis, inquit, ob peccata quæ confessa fuerat, jussa ab hoc Presbytero

jejunare, ac Deum suppliciter exorare; dum hujus rei causa in ecclesia moraretur, a diacono se stupratam esse prodidit. Quo cognito, plebs omnis vehementer succensuit, eo quod contumelia illata esset ecclesiæ, nec mediocri probro expositi erant sacri ordinis viri. » Ex quo patet mulierem hoc peccatum admisisse post peractam confessionem, dum causa pœnitentiæ injunctæ peragendæ esset in ecclesia; sicque non a pœnitentiario, aut ejus jussu fuisse vulgatum, sed ab ipsa sponte et indiscrete proditum. Dicunt itaque Nectarium statuisse, ut post sacramentalem confessionem non ageretur amplius in ecclesia illa pœnitentia publica cui præerat pœnitentiarius, ne viris cum mulieribus simul in ecclesia commorantibus, aliquid simile deinceps contingeret, et sic amotum fuisse pœnitentiarium, seu ut dicit Sozomenus, « Presbyterum qui agendæ pœnitentiæ præpositus erat, abolevit » Nectarius. Hæc explicatio probabilitate non caret, sed quoad substantiam solutionis a præcedente non differt.

Inst. 1°: Socrates et Sozomenus referunt post exauctorationem pœnitentiarii, unicuique permissum fuisse pro arbritrio et animi sui conscientia ad sacramentorum communionem accedere: ergo nullius confessionis necessitas amplius urgebat.

Resp. neg. conseq. Hoc enim loquendi modo Socrates et Sozomenus nihil aliud significare intendunt, quam quod pœnitentes non arcerentur amplius a participatione sacramentorum per pœnitentiarium, donec adimpleta pœnitentia publica ab ipso injuncta, ad eam admitterentur, sed quod, non expectato hoc tempore, et independenter a licentia pœnitentiarii, quilibet posset pro suo arbitrio ad communionem accedere, modo tamen a culpa purus, aut per confessionem, si necesse foret, purgatus.

Inst. 2°: Nectarius non abrogavit pœnitentiam publicam peccatorum publicorum, adhuc enim vigebat tempore S. Chrysostomi successoris Nectarii, ut patet ex S. Doctore, hom. 3 *in Epist. ad Ephes.* 9, et 12 *in Epist. ad Hebr.*, non abrogavit confessionem publicam peccatorum occultorum, quia nunquam fuit in præcepto: ergo abrogavit privatam confessionem.

Resp. neg. conseq. 1° Quia licet non abrogaverit pœnitentiam publicam, posset dici quod abrogaverit confessionem publicam; non enim idem sunt pœnitentia publica, et confessio publica, neque pœnitentiam publicam semper comitabatur confessio publica, imo incertum est utrum confessio publica peccatorum publicorum unquam fuerit in præcepto, ut dicam infra.

2° Quia esto post factum Nectarii vigeret adhuc pœnitentia publica, non erat tamen ex jussu et directione pœnitentiarii, sed episcopi ad quem, abrogato pœnitentiario, cura pœnitentiæ publicæ indicendæ et dirigendæ reversa est, ut ante institutionem pœnitentiarii. Nos autem non dicimus Nectarium abrogasse simpliciter et absolute pœnitentiam publicam, sed pœnitentiam publicam ut indicendam et dirigendam per pœnitentiarium, hoc est, abrogasse munus et officium pœnitentiarii.

Verum, ut aperte ostendam vanitatem hujus argumenti, quod ita extollunt hæretici, sic illud contra ipsos retorqueo: Vel pœnitentiarius a Nectario abrogatus excipiebat confessionem sacramentalem pœnitentium, vel non: si hoc secundum: ergo abrogando pœnitentiarium, non abrogavit confessionem sacramentalem. Si primum: ergo vigebat in Ecclesia confessio sacramentalis octo sæculis ante Innocentium III et concilium Lateran.: ergo splendide et inverecunde mentiuntur hæretici, dum garriunt illam esse inventum Innocentii.

Obj. 2°: S. Chrysostomus, Nectarii successor, hom. 21 *ad populum Antioch.*, dicit: « Non cogit Deus in medium procedentes quæ peccavimus annuntiare, sed sibi soli rationem reddere jubet, et sibi confiteri. » Hom. 2 *in Psal.* 50: « Peccata autem tua ipse commemora, ut ea deleas. At pudet te peccata confiteri? Dic ea quotidie in oratione. Non enim dico, ut ea conservo exponas qui te probris impetat, dic Deo qui iis medetur. » Et Hom. 55, *de Lazaro resuscitato*: « Cur igitur, te quæso, pudescis et erubescis dicere peccata tua? Non enim homini dicis, ut te probro afficiat, non enim conservo confiteris, ut in publicum proferat. Imo vero ei qui Dominus est.... ostendis vulnera. » Et alibi similiter.

Respondent quidam ad primum, S. Chrysostomum ibi loqui de confessione requisita ad Baptismum, quæ soli Deo, et non homini facienda est; quia ista homilia est catechesis secunda ad « illuminandos », id est, ad baptizandos. Ad secundum et tertium respondent S. Chrysostomum non loqui de confessione sacramentali, quæ semel fit reconciliationis causa, sed hortatur populum, ut peccata licet confessa et absoluta, sæpius in memoriam revocet cum eorum detestatione ad pleniorem expiationem; quod non obest confessioni sa-

cramentali. Hæ solutiones non sunt improbandæ. Attamen

Responsio communior est S. Chrysostomum his et similibus textibus excludere duntaxat necessitatem confessionis publicæ; dicit enim in primo: « Non cogit Deus in medio procedentes quæ peccavimus annuntiare »; in secundo: « Non dico tibi ut ea dicas conservo tuo, qui te probris impetat. » In tertio: « Non enim confiteris conservo tuo ut in publicum proferat.» Similiter alii textus qui solent objici. Hæc autem omnia important confessionem publicam, ex qua erubescentia, pudor, infamia, et exprobrationes nasci solent. Nec, quod bene advertas, unquam dixit S. Chrysostomus: «Ne confitearis sacerdoti, ne declares peccata tua ministro Dei »; sed e contra oppositum docet in locis a nobis inter probationes citatis. Cum ergo dicit soli Deo esse confitendum, non excludit ejus vicarium, seu ministrum, sed homines æqualis conditionis, quos ideo « conservos » vocat, qui possent audita crimina propalare et exprobare. Apud S. Chrysostomum enim et alios Patres, quod fit per Christi, aut Dei ministrum, dicitur fieri non per hominem, sed per ipsum Christum aut Deum; sic ipse S. Doct., hom. 50 *in Matth.*, dicit hominem non operari Eucharistiam, quia operatur, ut minister Christi; quæ enim fiunt per ministrum, tribuuntur principali agenti seu mandanti, idque specialiter in hac materia, quia, ob strictissimam legem silentii, confiteri homini perinde est ac soli Deo confiteri: et ideo sacerdos Græcus excipiens confessiones dicit pœnitenti: « Frater cur accessisti ad Deum et ad me? Ne quæso erubescas, non enim mihi peccata enuntias, sed Deo apud quem consistis. » Vide nostrum Goar in Eucologio et Joannem jejunatorem inter probationes sexti sæculi laudatum. Denique quam expresse S. Chrysostomus commendet necessitatem confessionis, liquet ex probationibus conclusionis, ita ut nisi illum intelligas juxta explicationes datas, palpabiles contradictiones ipsi tribuere cogaris.

Inst. ex aliis Patribus: 1° S. Greg. Niss. epist. *ad Letojum*, dicit peccata avaritiæ a Patribus, qui canones Pœnitentiæ ediderunt, fuisse prætermissa; atqui id non potuisset dicere, si viguisset privata tum confessio cum Pœnitentia: ergo. 2° Origenes, hom. 2 *in Levit.*, inducit quosdam ex auditoribus dicentes meliorem fuisse conditionem antiquæ legis, ubi erant plura sacrificia pro peccatis, in nova autem esse tantum unam veniam peccatorum per Baptismum. 3° Julianus Pomerius, seu S. Prosper, lib. 2 *de Vita contemplativa* proponit peccatoribus « confessionem aut emendationem »: ergo censet alterutram sufficere, consequenter non esse absolute necessariam confessionem. 4° S. Basilius, in Psal. 37; S. Ambros., lib. 10 in cap. 22 Lucæ; S. Hilarius, in Psal. 50; S. Maximus Taurinensis, hom. 3 de Pœnitentia S. Petri, et S. Aug. in. Psal. 31, docent peccata deleri per contritionem, nulla facta mentione confessionis. 5° Venerabilis Beda, lib. 5 *in Lucam*, ad hæc verba: *Ite, ostendite vos sacerdotibus*, dicit sacerdotibus esse declaranda peccata hæresis, Judaïsmi et schismatis; et addit: « Cætera vero vitia per seipsum interius in conscientia et intellectu Dominus sanat et corrigit »: ergo.

Resp. ad primum, S. Gregorium Niss. loqui de pœnis canonicis publicæ pœnitentiæ impositis, quas dicit non esse determinatas pro avaritia, quia est inexplebilis cupiditatis. Addit tamen ibidem, quod si avarus alienum injuste usurpet, habebit remedium, « dummodo per enuntiationem aperiat peccatum suum sacerdoti »: quo Dallæo os obstruitur.

Ad secundum: Ii quos illic inducit Origenes erant montanistæ quos ibid. refellit verbis primo loco citatis ex ipso inter probationes.

Ad tertium, sensus Juliani est peccata, quæ vel non declarantur in confessione, vel si declarentur non emendantur, fore punienda; dicit enim ibid. cap. 7: « Illi quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri, aut emendare noluerint, Deum quem habent testem, habituri sunt ultorem. » Item, ibid., adstruit necessitatem confessionis: « Quoniam, inquit, aliorum animos quales sunt, sine ipsorum confessione nescimus. » Item nobis quoslibet peccata sua, tanquam medicis vulnera, quibus urgentur, aperire. »

Ad quartum, Patres laudati loquuntur de contritione perfecta, qua fatemur remitti peccata, si tamen, post institutionem sacramenti factam a Christo includat votum confessionis. Quod autem iis in locis confessionis non meminerint, nihil probat, cum sit argumentum negativum, et alibi meminerint, ut patet ex probationis conclusionis, nec idem sit ubique repetendum. Insuper id non expostulabat eorum institutum, cum locis citatis loquantur de pœnitentia Davidis et S. Petri, quo tempore nondum erat instituta confessio.

Ad quintum: Venerabilis Beda non loquitur ibi de absolutione sacramentali, sed de recon-

ciliatione seu receptione eorum qui sunt extra Ecclesiam, ut in ea doctrinam fidei palam profiteantur. Loquens vero alibi de peccatis eorum qui sunt in Ecclesia : « Gravioris lepræ immunditiam, inquit in cap. 5 epist. Jacobi, juxta legem sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium, qualiter et quanto tempore jusserit, purificari curemus. »

Repones : S. Aug., lib. 10 *Confess.*, cap. 3 : « Quid mihi ergo est, inquit, cum hominibus, ut audiant confessiones meas, quasi sanaturi sint languores meos ? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam » : ergo.

Resp. S. Augustinum ibi non loqui de confessione sacramentali, sed de confessione publica suorum peccatorum, quam ipse scriptis vulgaverat.

Urgebis : Gratianus 2 parte decreti, q. 3, in pluribus capitulis, sed præsertim, cap. 87, plures auctoritates refert pro et contra necessitatem confessionis, et cap. 89, concludit sic : « Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis, utraque sententia satisfactionis et confessionis innitatur breviter exposuimus ; cui autem harum sit potius adhærendum lectoris judicio reservatur ; utraque enim fautores habet sapientes et religiosos viros. »Et cap. sequent. 90 : Unde Theodorus, Cantuariensis episcopus, ait in Pœnitentiali suo : « Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt (ut Græci) ; quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota (fere) sancta Ecclesia » : ergo.

Respondet S. Th. in 4 d. 17, in expositione textus, Gratianum referre opiniones eorum qui tunc temporis ante concilium Lateranense negabant necessitatem confessionis ex præcepto ecclesiastico.

Respondetur nunc communius Gratianum non loqui de necessitate confessionis ad salutem ex præcepto Christi, sed de ejus necessitate ad remissionem peccatorum. Erat tunc temporis, ut jam alibi monui, duplex sententia inter theologos circa efficaciam sacramenti Pœnitentiæ: quidam dicebant per illud remitti peccata, consequenter ad hunc effectum necessarium esse confessionem. Alii volebant per præviam contritionem semper remitti peccata, consequenter ad hunc effectum, nec confessionem, nec sacramentum esse necessarium : non negabant tamen esse institutum et præceptum a Christo, ideoque necessarium ad salutem, cujus effectus reponebant in reconciliatione cum Ecclesia, remissione pœnæ et augmento gratiæ. Hanc itaque controversiam, intacta necessitate confessionis ad salutem ex præcepto Christi, hic expendit Gratianus, et in utramque partem versat, modo probans sola contritione cordis, ante confessionem oris, semper remitti peccata ; modo per confessionem illa remitti. Hanc esse mentem Gratiani probant plurima. 1° Titulus totius distinctionis qui est : « Utrum sola cordis contritione et secreta satisfactione absque oris confessione, quisque possit Deo satisfacere ? » 2° Exempla quæ adhibet, cap. 34 et 37, scilicet leprosorum qui erant mundati, antequam se sisterent coram sacerdotibus ; Lazari qui erat ad vitam revocatus antequam solveretur a discipulis ; Abrahæ qui erat justificatus ante circumcisionem. 3° Ipsa expositio controversiæ quam clare proponit eodem capite 37 : « Non ergo, inquit, in confessione peccatum remittitur (ut vult prima sententia) quod jam remissum esse probatur : fit itaque confessio ad ostensionem pœnitentiæ, non ad impetrationem veniæ, et sicut circumcisio data est Abrahæ in signum justitiæ, non in causam justificationis, sic confessio sacerdoti offertur in signum veniæ acceptæ, non in causam remissionis accipiendæ. Alii e contrario testantur, dicentes sine confessione oris et satisfactione operis, neminem a peccato posse mundari, si tempus satisfaciendi habuerit : unde Dominus per Prophetam ait : *Dic tu iniquitates tuas ut justificeris.* » Et pluries similiter in variis capitulis. Nec unquam dixit confessionem non esse necessariam ad salutem, sed tantum non esse institutam aut præceptam a Christo seu non esse necessariam ad veniam, ad justificationem, ad remissionem peccatorum. Ex quibus omnibus evidenter patet ipsum non movere nec expendere controversiam de necessitate absoluta confessionis ad salutem ex institutione et præcepto Christi, sed de ejus necessitate ad effectum, scilicet remissionem peccatorum.

Resp. 3° : Sed et dato Gratianum locutum fuisse de necessitate absoluta confessionis ad salutem ex institutione et præcepto Christi, et non solum quoad effectum, non est tanta ejus auctoritas ut ea hac in parte moveamur. 1° Quia, ut aiunt Estius et Sylvius, de hac re non habuit fixam sententiam, imo juxta aliquos aperte pugnantia loquitur, ita ut totam hanc distinctionem ipsi affictam existiment, vel dicendum ipsum turpiter allucinatum fuisse. 2° Quia in rebus facti est admodum suspectæ fidei ; sæpe enim Patrum testimonia truncata refert,

sæpe illis addit de suo, sæpe uni tribuit quod est alterius, ut norunt eruditi. Et ne alio excurramus, in ipso textu, in objectione laudata quem citat ex Theodoro Cantuariensi, ista vox « ut Græci » et ista « fere », non leguntur in Pœnitentiali Theodori, neque in concilio secundo Cabilonensi, ex quo istud capitulum fuit extractum, neque in Ivone et Burchardo. Sunt et alii nævi in eodem capitulo pro quibus vide annotationes ibid.

Obj. 3° : Nullibi legimus fideles priorum sæculorum, sive in vita, sive in morte confessionem sacramentalem adhibuisse, quanquam vitam et mortem plurium descriptam habeamus : ergo prioribus sæculis non erat in usu.

Resp. 1° neg conseq.; tum quia ex argumento negativo nihil evincitur præsertim contra ea testimonia quibus probavimus ex traditione confessionem sacramentalem habitam semper fuisse in usu apud fideles; tum quia quæ usu quotidiano frequentantur, non solent scriptis mandari, utpote omnibus nota.

Resp. 2° neg. ant. Nam 1° S. Irenæus, lib. 1, *de Hæres.*, cap. 13, alias 9, narrat quasdam mulieres a Marco præstigiatore oppressas, cum in Ecclesiam redirent, crimen suum confessas fuisse. Neque dicas ibi agi de confessione publica; confessio enim publica supponebat secretam tanquam regulam directivam publicæ, ut jam dixi et adhuc dicam. 2° S. Cyprianus, tract. de Lapsis, refert plures confessos fuisse peccata cogitationum. 3° Eusebius, lib. 6 *Hist.*, cap. 34, refert Philippum imperatorem sua peccata confessum fuisse; et cap. 36, Serapionem lapsum in persecutione morti proximum advocasse presbyterum, ut ab eo beneficium reconciliationis reciperet. 4° Socrates et Sozomenus, ut vidimus supra, referunt exemplum confessionis illius mulieris, ex qua tantum scandalum ortum est. 5° Paulinus, in vita S. Ambrosii, scribit ipsum sæpius excipere confessiones pœnitentium, de quorum peccatis « nulli nisi Domino soli loquebatur. » 6° S. Aug., epist. 180, nunc 228, narrat, instante hostium incursu, « magnum fieri ab utroque sexu et ab omni ætate concursum, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis Pœnitentiæ ipsius actionem. » Plura alia confessionum exempla refert Honoratus Tournely, ut S. Fulgentii, S. Isidori Hispalensis, S. Elegii, S. Tillonis, S. Richarii et aliorum. Vide si lubet q. 6 de Pœnitentia a. 2, conclus. 2, arg. 4.

Inst. : Non legitur in S. Scriptura Apostolos confessionem frequentasse, nec eos illam primis fidelibus præcepisse : ergo.

Resp. hoc argumentum ut antecedens eadem chorda aberrare. Negativum est ex quo nihil evincitur: multa enim, inquit Auctor[1], facta sunt quæ non sunt scripta: non est scriptum in Evangelio pueros esse baptizandos, Baptismum hæreticorum non esse iterandum, et plura alia, et tamen hæc admittunt hæretici. In his itaque et similibus tenenda est regula Tertulliani, lib. *de Corona militis*, cap. 4: « Si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. » Addit Auctor cit. Christum habere potestatem excellentiæ in sacramentis : unde sine his quæ ad sacramentum pertinent, potuit ex singulari privilegio et dispensatione rem sacramenti conferre B. Virgini et Apostolis.

Obj. 4° : Cognitio peccati potest aliunde haberi quam per confessionem ; ergo.

Resp. Quamvis cognitio actus exterioris possit aliunde haberi[2] quam per confessionem, non tamen actus interioris, qui est principium exterioris, sicut nec doloris et propositi. Insuper cognitio, quam habere potest confessarius extra confessionem, illam habebit, ut homo, non ut judex et Christi vicarius, sicut etiam judex scit aliquid ut homo, quod nescit ut judex; et quantum ad hoc, per confessionem aperitur.

Ex dictis colliges confessionem sacramentalem in re vel in voto esse necessariam, non solum necessitate præcepti divini, sed etiam necessitate medii, eo modo quo dixi, dissert. 1, art. 5, § 2, de Necessitate sacramenti Pœnitentiæ, quod sine confessione subsistere non potest. Vide ibi. Est etiam necessaria semel in anno ex præcepto ecclesiastico, cap. *Omnis utriusque sexus*, ex concilio Lateran., sub Innocentio III.

DIGRESSIO HISTORICA

UTRUM CONFESSIO PUBLICA ALIQUANDO FUERIT IN PRÆCEPTO ?

Ad artic. præcedentem.

Dico 1° : Confessio publica peccatorum occultorum nunquam fuit in præcepto.

Prob. 1° ex concilio Trid., sess. 14, cap. 5, ubi dicitur : « Non satis consulte humana lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta

[1] Suppl. q. 6, a. 1, ad 3. [2] Suppl. q. 7, a. 1, ad 4.

publica essent confessione aperienda » : Ecclesia autem a Spiritu Sancto directa nihil unquam fecit aut facit inconsulte.

2° Ex S. Chrysostomo citato, obj. 2, qui pluries docet non esse necesse ut publice et quasi in theatro prodamus peccata nostra.

3° Ex Sozomeno, l. 7, c. 16, ubi dicit: «Grave ac molestum ab initio jure merito visum esse sacerdotibus, tanquam in theatro, circumstante totius Ecclesiæ multitudine crimina sua evulgare. Itaque ex presbyteris aliquem qui vitæ integritate spectatissimus esset, et taciturnitate ac prudentia polleret, huic officio præfecerunt, ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus suos confitebantur. »

4° Ex S. Basilio qui, Epist. ad Amphilochium, can. 34, dicit prohibitum esse a Patribus prodere mulieres confitentes adulterium, « ne convictis mortis causa præbeatur. »

5° Ex S. Leone qui epistola inter probationes laudata graviter reprehendit et damnat « improbabilem consuetudinem » divulgandi publica confessione peccata occulta.

Quod si quandoque peccata secreta confessione publica fuerint vulgata, vel jam erant pluribus nota, sive ex confessione libera pœnitentium, sive ex aliorum relatione, sive alia via, vel si erant omnino occulta, pœnitentes ex fervore pœnitentiæ, vel ex suasione, non præcepto confessarii, sponte ea publice confitebantur, ut mox dicam. Nec refert quod SS. Patres sæpe hortentur peccatores, ut, seposito omni pudore, crimina sua aperiant, nec fratrum conspectum formident, id enim intelligitur de confessione orali facienda sacerdoti.

Dico 2° peccata publica confessioni publicæ fuisse aliquando obnoxia, ex præscripto canonum et lata lege, incertum est, nec ullo antiquitatis monumento evinci potest. Nec obest quod subjicerentur pœnitentiæ publicæ; non enim, ut jam dixi, pœnitentiam publicam semper comitabatur confessio publica : plura peccata occulta subjiciebantur pœnitentiæ publicæ, quæ tamen publice non declarabantur; imo plures ex zelo et pietate proprio motu se subjiciebant pœnitentiæ publicæ, qui tamen sua peccata non divulgabant.

Dico 3° : Primis Ecclesiæ sæculis, quidam pœnitentes, peracta confessione secreta, quædam peccata non solum publica, sed etiam occulta publice confitebantur, vel motu proprio ex fervore pœnitentiæ, vel hortante, non tamen cogente confessario, in majorem vindictam et humiliationem, atque in aliorum exemplum et ædificationem Ecclesiæ.

Prob. 1° ex S. Irenæo, lib. 1, *Adversus Hæreses*, c. 13, alias 9, ubi de mulieribus a Marco præstigiatore violatis dicit : « Quædam etiam in manifesto εξομολογησιμ faciunt : quædam autem reverentes hoc ipsum in silentio sensim semetipsas retrahunt. »

2° Ex Origene qui, hom. 2 *in Psal.* 37, dicit: « Si quid (confessarius) consilii dederit, facias et sequaris, si intellexerit et præviderit talem esse languorem tuum qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat et curari, et quo fortassis et cæteri ædificari poterunt, et tu ipse facile sanari, multa hac deliberatione, et satis perito medici illius consilio procurandum est.» Locum integrum retulimus inter probationes conclusionis articuli præcedentis.

3° Ab exemplo illius mulieris oppressæ a diacono, occasione cujus Nectarius officium pœnitentiarii abrogavit, de quo supra.

4° Ex S. Augustino qui, serm. 351, hortatur lapsos post Baptismum, ut clavibus Ecclesiæ se subjiciant, atque « si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset. »

Ex his colliges confessionem secretam publicæ tum confessioni, tum Pœnitentiæ semper præivisse, atque illam fuisse sacerdotibus regulam indicendi pœnitentibus pœnitentiam canonicam, et confessionem publicam eorum peccatorum, quæ sine famæ dispendio et scandalo, sed in majorem pœnitentium utilitatem, et Ecclesiæ ædificationem poterant divulgari : quod diligenter observandum est contra hæreticos, qui, cum confessionis secretæ usum negare non possunt, contendunt eam derivari, ac ortum ducere ex pœnitentia, seu confessione publica, cum e contra constet ex dictis publicam tum pœnitentiam cum confessionem a secreta derivari, et hanc fuisse publicæ normam et regulam.

Petes utrum ante legem novam fuerit confessio ?

Resp. in lege naturæ fuisse confessionem peccati interiorem coram Deo,[1] qualis debet esse etiam nunc, hæc enim est de jure naturæ. In lege Moysis vero oportebat aliquo signo exteriori peccatum protestari per oblationem hostiæ pro peccato, ex quo innotescere poterat sacerdoti offerentem peccasse. At non oportebat, ut speciale peccatum a se commissum

[1] Supp. q. 6, a. 2, ad 2.

manifestaret, aut peccati circumstantias, sicut oportet in nova lege.

ARTICULUS II.

QUINAM TENEANTUR AD CONFESSIONEM ?

Dico 1° : [1] Utroque jure tam divino, quam Ecclesiastico, ad confessionem tenentur omnes qui post Baptismum peccaverunt mortaliter.

De jure divino constat ex art. præcedenti, et ex concilio Trid., sess. 14, cap. 5, ubi definit « integram peccatorum confessionem omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere. »

De jure ecclesiastico extat lex concilii Lateranensis sub Innocentio III, his verbis : « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteantur proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere.... Alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura. » Hanc vero legem habemus in terminis confirmatam a Tridentino, sess. 14, cap. 5 et can. 8.

Dico 2° : Infideles et ii ex fidelibus qui habent solum peccata venialia non tenentur, neque jure divino, neque ecclesiastico, ad confessionem.

De infidelibus, quoad jus divinum, declarat concilium Trid., cap. 5 prius citato, dicens « confessionem omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere. » Ratio est quia omnia peccata ante Baptismum commissa per ipsum delentur sine ordine ad claves ; unde quamvis infideles teneantur aliis præceptis divinis, non tamen isto, quia per Baptismum non fiunt capaces sacramentaliter confitendi peccata ante ipsum commissa, quippe quæ per solum Baptisma deleri possunt.

Quantum ad jus ecclesiasticum, eo illos etiam non teneri constat ex ipsa lege *Omnis* quæ fideles duntaxat comprehendit : « Omnis utriusque sexus fidelis. » Et aliunde, ut dicit Trid., c. 5 citato, Ecclesia non habet jurisdictionem in non baptizatos.

De fidelibus qui solum habent peccata venialia, quoad jus divinum constat ex Trid. c. 5 sæpe laudato, ubi postquam probavit necessitatem confessionis mortalium, ex jure divino, addit : « Venialia quibus a gratia Dei non excludimur, et in quæ frequentius labimur, quamquam recte et utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. » Quibus verbis et asserit et probat conclusionem, scilicet quia confessio est instituta ad recuperandam Dei gratiam a qua per peccatum veniale non excludimur ; item quia aliis mediis remitti potest.

Dices : Ex eo quod Apostoli, Joan. 20, receperint potestatem absolvendi a peccatis mortalibus, colligimus fideles teneri illa peccata confiteri : atqui similiter acceperunt potestatem absolvendi a peccatis venialibus : ergo pari ratione possumus colligere quod fideles teneantur confiteri peccata venialia.

Resp. neg. conseq. Quia natura præcepti debet perpendi ex subjecta materia. Ideo autem ex his verbis colligimus præceptum divinum confitendi mortalia, quia ea faciunt hominem Deo inimicum et excludunt a regno cœlesti, quod tenetur homo avertere, nec aliter potest quam per ordinem ad claves : secus de venialibus quibus nec a gratia Dei, nec a regno cœlesti excludimur, sed tantum retardamur.

Repones : Ex his verbis : *Quorum remiseritis peccata remittuntur*, colligimus datam esse sacerdotibus potestatem remittendi etiam venialia : ergo ex illis : *Quorum retinueritis retenta sunt,* pari ratione colligitur eis inesse potestatem retinendi venialia, adeoque sine ordine ad claves non posse remitti.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod ex eo quod aliquis possit tollere majus inpedimentum, recte colligitur posse tollere minus ejusdem ordinis ; et qui habet auctoritatem condonandi majores injurias, a fortiori posse et minores. Non sequitur autem quod ex eo quod quis potest apponere impedimentum pro re gravi, possit pro minori ; quod qui habet a superiore potestatem retinendi seu non remittendi graves injurias, possit pariter retinere leves ; major enim requiritur auctoritas ad retinendas leves injurias quam ad retinendas graves. Sit exemplum in humanis : legati, a rege ad reconciliandos ipsius inimicos vel damnandos missi, inquirunt causas graves ex quibus facti sunt inimici, eas remittunt vel retinent secundum dispositionem reorum ; leves autem injurias quæ non causarunt inimicitiam possunt quidem remittere, cum possint graviores ; at retinere non possunt, quia ad hæc levia retinenda,

[1] Q. 6. a. 3, o.

quæ non fuerunt causa inimicitiæ, non sunt missi, et aliis modis, independenter ab ipsis remitti possunt.

Quantum ad præceptum ecclesiasticum, prob. 1° ex Trid., cap. 5 sæpius citato circa medium, ubi dicitur: «Constat nihil aliud in *ecclesia* a pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit..... ea peccata confiteatur quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit. »

Prob. 2°. Si esset præceptum ecclesiasticum confitendi venialia, contineretur citato canone *Omnis utriusque sexus*, eo quod in eo dicatur quod « omnis fidelis » confiteri teneatur omnia peccata sua : atqui his verbis seu isto canone non præcipitur confessio venialium : ergo. Prob. min. 1° Præceptum hujus canonis est tantum determinativum juris divini quoad confessionis tempus, nihil innovans circa ejus substantiam : ita expresse Tridentinum iterum, cap. 5 citato in fine : « Neque enim, inquit, per Lateranense concilium Ecclesia statuit ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat, sed ut præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenerint, impleretur » : atqui præceptum divinum non obligat ad confessionem venialium, ut dictum est : ergo. Prob. 2° eadem prima min. Verisimile non est Ecclesiam in condendo hoc præcepto aliud intendisse quam intenderit Christus in condendo suo, scilicet reconciliationem peccatoris cum Deo : atqui ad hunc finem non requiritur Confessio venialium, cum per illa non dissolvatur amicitia cum Deo : ergo. 3° Pœna quæ ibi indicitur, gravior est quam ut pro omissione confessionis venialium infligatur : ergo. Denique Tridentinum, quod hunc canonem discussit, declarat, ut vidimus, nihil aliud exigi in Ecclesia quam confessionem mortalium.

Hæ igitur particulæ « omnis et omnia peccata » in laudato canone, intelligendæ sunt conformiter ad præceptum divinum cujus est determinativus, scilicet de omnibus qui habent peccata mortalia, quæ sunt materia necessaria confessionis.

Adde, et est confirmatio conclusionis, si per *omnia* etiam intelligerentur venialia, sequeretur quod habens mortalia cum venialibus, adhuc teneretur confiteri venialia, quod non admittunt adversarii : vel peccatum mortale superveniens venialibus liberaret ipsum ab onere confitendi venialia; quod etiam dici non potest, quia si venialia sunt per se materia necessaria sacramenti ex præcepto Ecclesiæ, etiam adjuncto mortali debent declarari.

Hinc inferes nequidem constitutum in articulo mortis per se teneri ad confessionem, si nullius peccati mortalis conscius sit, posset tamen teneri per accidens ratione scandali.

Dices 1° : S. Th. hic a. 3, o, sic ait : « Dicendum quod ad confessionem dupliciter obligamur : uno modo ex jure divino ex hoc ipso quod est medicina, et secundum hoc non omnes tenentur ad confessionem, sed illi tantum qui peccatum mortale incurrunt post Baptismum; alio modo ex præcepto juris positivi, et sic tenentur omnes ex institutione Ecclesiæ edita in concilio generali sub Innocentio III; tum ut quilibet peccatorem se recognosceret, quia omnes peccaverunt et egent gratia Dei; tum ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedatur ; tum etiam ut ecclesiarum rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus intra gregem lateat» : ergo.

Resp. S. Thomam sic loqui secundum probabilem tunc temporis, ante Tridentinum, aliquorum sententiam, quam nec ut certo veram proponit, nec adoptat, siquidem oppositam admittat ibid. ad 3. Cum enim sibi opposuisset hoc argumentum : « Aliquis est qui non habet peccata nisi venialia; sed de illis non tenetur homo confiteri. » Huic argumento respondet primo conformiter ad id quod dixerat in corpore articuli; deinde addit : «Vel potest dici secundum quosdam quod ex decretali prædicta, non obligantur nisi illi qui habent peccata mortalia. Quod patet ex hoc quod dicit quod debent omnia peccata confiteri, quod de venialibus intelligi non potest, quia nullus omnia confiteri potest. Et secundum hoc etiam ille qui non habet mortalia, non tenetur ad confessionem venialium, sed sufficit ad Ecclesiæ præceptum implendum ut se sacerdoti repræsentet et se ostendat absque conscientia mortalis esse, et hoc ei pro confessione reputatur. » Et adhuc expressius q. 8. seq., art. 5, ad 3, ubi de illo qui non proprio sacerdoti, sed alteri ab episcopo commissionem habenti confessus est, dicit : « Eodem modo debet se habere, sicut ille qui habet solum venialia; talis enim solum venialia confiteri debet, ut quidam dicunt, vel profiteri se a peccato mortali immunem esse, et sacerdos ei in foro conscientiæ credere debet et tenetur. »

Dices 2° cum Juenin : Si ita res foret, inique pastores animadverterent pœnis canonis in eos qui illud præceptum per annum non

adimplevissent : promptum enim eis foret responsum, scilicet se per Dei gratiam nullius peccati mortalis reos esse : atqui : ergo.

Resp. cum D. Th. modo citato, pastorem in foro concientiæ debere et teneri ita respondentibus et affirmantibus credere, maxime si attentis eorum moribus et christiana conversatione fide digni habeantur, nec posse eos pœnis canonis subjicere, modo tamen adimpleant præceptum communionis paschalis.

Insistes cum eodem : Plures synodi in variis diœcesibus Galliæ, illud ecclesiæ præceptum determinant ad tempus paschæ : atqui in nostra sententia fieri posset, ut pauci admodum tenerentur confiteri in quindena paschæ, casu scilicet quo illa durante non peccarent mortaliter, et pridie dominicam palmarum peccata mortalia apud alium sacerdotem deposuissent : atqui hoc est inconveniens : ergo.

Resp. 1° talia synodorum provincialium decreta quoad vim præcepti innovare tantum canonem juris, quoad vero determinationem temporis, exhortari duntaxat ad id quod est convenientius, et frequentari solet a fidelibus, pro reverentia debita Eucharistiæ, tunc temporis suscipiendæ. Patet hæc responsio ex ipso concilio Burdigalensi quod opponit laudatus Auctor ; ibi enim habetur « Nullos alias præcepto Ecclesiæ satisfecisse », non dicit nostro, seu « hujus synodi» : ergo non novum condit præceptum, sed prius factum in concilio generali Lateranensi innovat. Verum certum est Ecclesiam nunquam præcepisse confessionem pro tempore paschali, sed indeterminate « semel in anno. »

Resp. 2e dato in illis conciliis contineri præceptum quoad confessionem tempore paschali faciendam, verosimilius est non aliam pro hoc tempore præcepisse confessionem, quam Ecclesia pro tempore anni : Ecclesia autem, ut vidimus, non nisi mortalium confessionem præcipit. Itaque in casu quo quis per annum non fuerit confessus, et solum haberet venialia, tenetur se sistere sacerdoti, ut vel ipsi exponat statum suum, judicium ejus expectans super iis quæ debeat agere, vel ut profiteatur se esse immunem a peccato mortali, cui juxta S. Thomam debet credere sacerdos, modo tamen præceptum communionis paschalis adimpleat.

Petes utrum saltem Ecclesia possit præcipere confessionem venialium ?

Quidam ut Soto, Sylvester, Henriques et alii negant : tum quia Ecclesia non potest mutare materiam sacramentorum, mutaret autem si venialia quæ sunt materia libera confessionis, confiteri præciperet, quia tunc fierent materia necessaria ; tum etiam quia non habet jurisdictionem in actus internos, quales sunt plura venialia, et quales requiruntur ad confessionem, scilicet dolor, propositum, etc.

Alii tamen probabilius et communius affirmant Ecclesiam posse saltem quorumdam venialium confessionem præcipere ; quia potest esse causa rationabilis hujus præcepti, non minus quam dum præcipit jejunium et orationem ; illa enim non est minus utilis quam ista. Nec aliunde deest in Ecclesia legitima potestas ; posita enim a Christo institutione confessionis exterioris venialium, ut actus boni moraliter et sacramentalis, potest Ecclesia ob rationabilem causam eam directe præcipere, cum sit actus exterior, et indirecte actus interiores, qui ad eam legitime faciendam sunt necessarii, sicut potest præcipere Confirmationem et Eucharistiam, quinimo et confessionem mortalium etiam interiorum, illo tempore quo non obligat præceptum divinum : per quod patet responsio ad secundam rationem pro prima sententia. Ad primam autem, resp. materiam sacramenti non ideo mutatam iri, quia peccata venialia non fierent materia necessaria necessitate sacramenti, sed tantum necessaria necessitate præcepti, sicut de pane azymo ; posset enim semper subsistere sacramentum sine illis, et illa remitti sine sacramento.

Dixi, saltem *quorumdam venialium* ; quia præcipere confessionem omnium venialium, sicut mortalium, videretur onus importabile, adeoque irrationabile.

CONSECTARIA.

Ex dictis in utraque conclusione colliges 1° quid sit dicendum de pueris fidelium, eos nimirum, tam divino, quam ecclesiastico præcepto teneri ad confessionem, cum ad annos discretionis pervenerint, si mortale peccatum habeant. Quo autem tempore ad annos illos perveniant, non potest mathematice definiri, sed relinquendum judicio prudentum confessariorum, seu parentum, qui si viderint eos discernere inter bonum et malum, pudefieri mendacio, laudare obedientiam aut aliter uti ratione, poterunt concludere quemcumque ætatis annum aliunde habeant, pollere rationis usu.

Quod enim quidam dicunt eos non peccare

mortaliter ante duodecimum annum, error est, cum constet eos multo ante esse doli capaces : unde S. Gregorius, lib. 4 *Dialog.*, cap. 18, refert puerum quinquennem mortuum et damnatum propter blasphemias. Crediderim tamen cum multis eos ante duodecimum non incurrere pœnam latam in non confitentes semel in anno ; quia non est verisimile Ecclesiam, benignam matrem, eos propter infirmam adhuc rationem, velle comprehendere.

Porro sicut in aliis citius, in aliis tardius, ratione educationis, temperamenti, etc, incipit judicium rationis, ita in quibusdam rebus, illud habent prius, in aliis posterius ; ideoque non statim ubi admittuntur ad confessionem, admittendi sunt ad communionem, etiamsi utrumque præceptum obliget omnes qui ad annos discretionis pervenerint ; quia prius habent judicium discernendi peccata, quam noverint mysterium Eucharistiæ, et possint cibum sacrum a profano discernere.

Unde etiam observandum pueros aliquando esse reos et capaces peccati mortalis, qui tamen defectu educationis, instructionis, etc., non sunt capaces, nec dispositi ad sacramentum ; tales confessarius sine absolutione cum sola benedictione debet dimittere, monendo ipsos ut sciant se non esse absolutos, et ad majorem dispositionem, et iteratam confessionem obligari. Dum autem est dubium de capacitate physica pueri, potest absolvi sub conditione mente retenta, imo et debet in articulo mortis, ut testatur praxis communis. An autem supposita capacitate physica peccati et sacramenti, sed dubia manente dispositione morali possit impendi absolutio sub conditione? resp. id videri illicitum, sicut de personis adultis,nisi in casu necessitatis,ut dicemus infra, dum de absolutione sub conditione.

Colliges 2° B. Virginem præcepto confessionis non fuisse ligatam, imo fuisse incapacem, cum nunquam venialiter peccaverit: unde fabulosum est quod quidam referunt, quotidie fuisse confessam B. Joanni evangelistæ.

Colliges 3° eos qui per totum annum sæpius confessi sunt tantum venialia, si in fine anni incidant in peccatum mortale, teneri adhuc confiteri ; quia per confessionem venialium non adimpleverunt præceptum confessionis annuæ, siquidem illa confessio venialium non sit præcepta, ut diximus ; sicut pueri licet laudabiliter jejunent, non dicuntur tamen proprie adimplere legem jejunii, cum illa non obligentur.

ARTICULUS III.

QUANDONAM PECCATOR TENEATUR CONFITERI?

Ex dictis, peccator duplici præcepto tenetur confiteri, divino scilicet et ecclesiastico ; de utroque procedit quæstio, quandonam obliget?

§ I.

Quandonam peccator teneatur confiteri ex præcepto divino?

Dico 1° : Præceptum divinum confessionis non obligat statim ac peccatum commissum est, etiam data opportunitate, neque (saltem probabilius)in periculo obliviscendi aliquorum peccatorum.

Conclusio quoad primam et secundam partem est Auctoris [1] et communis, atque abunde probata manet ex dictis de præcepto contritionis, dissert. præcedenti, a. 3, concl. 2, quo lectorem remitto, ne eadem repetam.

Prob. tertia pars, quæ est Sylvii post Navarrum, Victoriam, Petrum Soto, et communior. Obligatio confitendi in periculo oblivionis alicujus peccati nullum habet fundamentum, neque in S. Scriptura, neque in Traditione : id constat ; neque in natura præcepti quod probatur. Si hæc obligatio fundaretur in natura præcepti, ideo esset, vel quia sacramentum Pœnitentiæ ordinatur ad remissionem peccatorum per confessionem, ut volunt Dominicus Soto et Nugno; vel ,ut vult Tournely, quia debet fidelis quantum in se est, efficere ut integra sit confessio : atqui neutra ratio sufficit. Non prima, quia ut omnia peccata per sacramentum Pœnitentiæ remittantur, non requiritur omnium confessio absolute, sed omnium quæ post diligentem conscientiæ discussionem memoriæ occurrunt, ut loquitur Trid., dicto cap. 5, hoc est, non requiritur integritas materialis, sed formalis. Non secunda, quia fidelis tenetur quidem efficere, ut confessio sit integra adhibita morali et ordinaria diligentia, quæ est diligens examen, non vero summa et extraordinaria, qualis est indilata confessio ; alioquin sequeretur, non solum quod non posset confessio differri ad annum juxta determinationem Ecclesiæ, sed neque ut plurimum ad semiannum, ad mensem et in quibusdam ad hebdomadam, nisi forte peccata sua scribant in charta ; quia vix ullus est

[1] Hic. q. 6, a. 5, o.

eorum qui confitentur semel in anno, qui non obliviscatur alicujus peccati : iis vero et pluribus, qui sunt memoriæ labilis, periculum est oblivionis in semianno, in mense, quandoque in hebdomada, ita ut tenerentur plures confiteri singulis mensibus, quidam singulis hebdomadibus, aut peccata sua mandare scripto ; quæ et duriora esse et absurda et contra universalem fidelium praxim, nemo non videt. Sufficit ergo ut quis non affectet oblivionem suorum peccatorum, sed e contra memoriæ mandata retinere curet, et dum instat tempus confessionis diligenter discutiat conscientiam suam et conetur moraliter omnia in memoriam revocare : nihil quippe aliud requirunt Florentinum et Tridentinum.

Dico 2°: Præceptum divinum confessionis[1] per se obligat in probabili periculo, a fortiori in articulo mortis: item extra illud aliquoties in vita.

Prob. prima pars: Commune est omnibus præceptis affirmativis[2], ut obligent tempore necessitatis, alias nunquam obligarent et frustra ponerentur: atqui ubi est periculum probabile et a fortiori articulus mortis est tempus necessitatis confessionis: ergo. Prob. min. ex fine et natura hujus præcepti: Confessio instituta est ad remissionem peccatorum post Baptismum commissorum: atqui necessitas hujus remissionis quam maxime occurrit in periculo mortis in quo utique agitur de statu perpetuæ vitæ, beatæ vel miseræ: ergo. Idque confirmat praxis Ecclesiæ.

Neque refert remissionem peccatorum haberi posse per contritionem ; 1° Quia ipsa confessio præcepta est a Christo, et quidem ut medium necessarium ad hoc: unde non est vera contritio quæ non includit votum confessionis. 2° Quia confessio est facilior via adjustificationem quam sola contritio.

Hinc colliges 1° ingredientem prælium, aut periculosam navigationem, mulierem gravidam instante primo partu, aut etiam ulterioribus, si soleat pati periculum, periculose ægrotantes, et eos omnes qui aggrediuntur aliquod opus, unde mors solet, aut fundate et probabiliter timetur evenire, sub peccato mortali teneri ad confessionem, si conscii sint alicujus peccati mortalis. Unde S. Pius V, in bulla *Super gregem*, prohibet medicis visitare infirmum tertia die nisi confiteatur, prohibetque eos admitti ad doctoratum, nisi jurent se id observaturos.

Colliges 2° eum qui est in eo statu in quo si nunc non confiteatur, probabiliter timet ne ante mortem non possit confiteri ut in periculo amentiæ perpetuæ, imminente captivitate ab hæreticis, aut barbaris, etc., teneri pariter ad confessionem.

Prob. secunda pars: 1° Quia præcepta affirmativa non obligant tantum in extrema necessitate, sed et quando eorum actus rationabiliter judicatur necessarius: unde præcepta fidei, spei, charitatis, contritionis obligant etiam aliquoties in vita ante periculum mortis. 2° Confessio præcepta et instituta est a Christo ad reconciliationem et amicitiam cum Deo resarciendam: atqui non licet hanc reconciliationem et amicitiæ recuperationem differre usque ad mortem; non enim Deus creavit nos ut ex hac luce exeuntes perditæ vitæ pœniteremus, sed ut in ejus amore et servitio vivamus: ergo. Adde quod alias sacramentum Pœnitentiæ foret sacramentum exeuntium, quod tamen Extremæ - Unctioni proprium est.

Sed quoties in vita, et quo determinato tempore? Facile definiri non potest. Quidam assignant semel in anno, ex hoc quod Ecclesia sic definierit, quam putant explicuisse tantum præceptum divinum et non novum quoad tempus condidisse. Id quidem probabile est, sed non omnino certum, cum Ecclesia potuerit et possit præcipere confessionem sicut et communionem sæpius quam præcipiatur lege divina. Nec etiam ea videtur esse mens D. Th. qui hic in corpore dicit quod ante statutum Ecclesiæ homo minus tenebatur ad confessionem. Unde cum aliis existimamus id esse relinquendum judicio prudentum.

Dico 3° : Præceptum divinum confessionis obligat per accidens,[1] primo quando sumenda est Eucharistia; secundo quando aliter gravis tentatio vinci, seu peccatum vitari non potest.

Prob. prima pars ex illo Apost. 1 Corinth. 11 : *Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat*, quam probationem semper intellexit Ecclesia de confessione; et ita definivit Trid., sess. 13, can. 11. Secunda pars patet; quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media quæ fini adipiscendo existimat necessaria.

Juxta quosdam obligat etiam per accidens præceptum divinum confessionis quoties requiritur status gratiæ, puta ad administranda sacramenta seu ad recipienda ea quæ dicuntur vivorum : id quidem tutius est et in praxi consulendum propter difficultatem contritionis : at non esse absolute necessarium susti-

[1] Ibid. [2] Ibid.

[1] Ibid.

nuimus ut probabilius de Sacramentis in genere, dissert. 5, art. 5. Require ibi.

§ II.

Quandonam peccator teneatur confiteri ex præcepto ecclesiastico?

Dico : Præceptum ecclesiasticum confessionis obligat semel in anno, non præcise tempore paschali, sed quovis anni tempore; quia concilium Lateranense, can. *Omnis*, dicit simpliciter : « Saltem semel in anno », nihil determinando de tempore paschali. Quod si intendisset, æque determinasset ac determinavit pro communione : nec alibi determinatum habemus saltem aliquo decreto generali. Unde qui confessus est in decursu anni, si nullius peccati mortalis conscius sit in paschate, non tenetur tunc vi illius præcepti iterum confiteri, et modo communicet, non peccat.

Dices : Usu receptum est ut fideles tempore paschali, vel saltem quadragesimæ confiteantur; quem usum probat synodus Tridentina et amplectitur ut merito retinendum : ergo.

Resp. usum illum esse procul dubio salutarem et merito retinendum, utpote qui sit optima dispositio ad communionem paschalem; sed an sit in præcepto non probatur, nec Tridentinum decernit; quinimo cum synodus Lateranensis et Tridentina hujus obligationis non meminerint sicut communionis, satis colligitur quod non intellexerint morem illum esse sub generali præcepto.

An vero consuetudo fidelium confitendi in paschate vim legis obtinuerit non constat; imo pars negans videtur verior, eo quod introducta videatur, non quia fideles se tunc per se obligari ad confessionem credebant, sed ratione communionis paschalis. Et esto credidissent se tunc obligari, non sequitur ideo consuetudinem illam esse obligatoriam, quia eorum intentio non erat se obligare, casu quo lege non obligarentur.

Instabis : Animadvertitur pœnis ecclesiasticis in eos qui non confitentur in paschate, et episcopi jubent sibi nomina exhiberi eorum qui tunc non sunt confessi : ergo.

Resp. 1° id quod jus commune reliquit liberum, posse per jus particulare restringi ad certum tempus; nostra autem resolutio est stando in jure communi. Neque tamen etiam statuta particularia episcoporum videntur quoad tempus paschæ importare præceptum, ut dixi art. præcedenti : unde.

Resp. 2° ideo animadverti in non confitentes tempore paschali et eorum nomina exhiberi, non præcise ratione confessionis, sed ratione communionis omissæ; si enim probarent communionem paschalem et confessionem aliquo anni tempore factam, non punirentur; sed cum tempore paschali sit communicandum et communioni præmittenda confessio pro iis qui sunt conscii peccati mortalis, ii qui tunc temporis non confitentur, merito præsumuntur in præsenti rerum statu, neque tunc, neque toto anni tempore fuisse confessi, nisi contrarium probent.

§ III.

Resolvuntur variæ quæstiunculæ circa præsentem materiam.

Petes 1° unde annus confessionis sit inchoandus?

Resp. Quidam inchoant a januario; alii a paschate, et est iste modus in usu apud fideles; alii ab ultima confessione. Quovis modo computetur, videtur sufficere si inter unam et alteram confessionem non intercipiatur plusquam annus. Unde non sunt audiendi quidam molliores casuistæ qui dicunt satisfieri præcepto si fiat confessio initio januarii, puta anni 1749, et altera confessio in fine decembris anni sequentis 1750; ista enim interpretatio videtur contraria menti Ecclesiæ, et communi sensui theologorum.

Petes 2° utrum qui prævidet se ante finem anni fore ut non possit confiteri, puta quia ingreditur longam navigationem, teneatur confessionem anticipare?

Resp. affirmative: Ratio est quia præceptum confessionis non est affixum certo et determinato tempori, puta paschali, ratione ipsius temporis, quasi in hoc tantum tempore et ratione illius obliget, sed per totum annum indeterminate currit, ita ut saltem ante finem anni adimpleatur, sicut, v. g., præceptum audiendi missam in festo, non determinate obligat, ut mane vel meridie audiatur, sed indeterminate per totum tempus celebrationis missarum currit, ita ut non transigatur dies quin impleatur : unde sicut qui prævideret se hora undecima non posse audire sacrum, teneretur mane audire, ita in nostro casu.

Neque est simile de aliis quibusdam præceptis certo et determinato tempori affixis ratione ipsius temporis, ut, v. g., jejunium in vigilia S. Joannis, aut auditio missæ in ejus

festo ; hæc enim sunt onus temporis et ratione ipsius tunc præcipientur, atque pro tunc tantum obligant, non ante : unde eorum adimpletio præveniri non debet, etsi prævideatur fore impedimentum quando obligabunt. Confer quæ dixi de præcepto communionis, dissert. 6 de Eucharistia, a. 1, § 3.

Petes 3° an qui omisit confiteri intra annum, illo elapso teneatur adhuc statim confiteri ?

Resp. affirmative. Ratio est, quia, ut jam dixi, illud præceptum non est affixum tempori paschæ, seu fini anni, sive toti anno ratione et intuitu ipsius temporis, sicut præcepta jejunii in vigilia alicujus sancti, auditionis missæ in ejus festo, etc., sed ratione rei præstandæ, et non ulterius differendæ, adeoque tempus paschæ, seu annuum, non est positum ad finiendam hujus præcepti obligationem, sed ad implendam, et ulterius non differendam, sicut accidit in debitis pecuniariis, quibus præfigitur terminus non intuitu temporis, sed ratione rei præstandæ, ut ulterius non differendæ, quo proinde, termino elapso, semper manet obligatio. Unde sequitur quod quo diutius aliquis differt suam confessionem ultra annum, eo gravius peccat, quia longius recedit ab intentione legis. An autem unum tantum, sed gravius, an plura peccata committat, tot scilicet quot occurrunt occasiones confitendi quas negligit ? Resp. esse unum si permaneat idem propositum non confitendi ; esse vero plura si propositum sit moraliter interruptum. Pro quo vide dissert. 8, de Jure et Just., a. 15, pet. 3.

Petes 4° an ille de quo in præcedenti casu, teneatur iterum ad secundam confessionem pro obligatione præsentis anni ?

Resp. ita videri conformius menti Ecclesiæ, tutius et consulendum in praxi, casu scilicet quo novum peccatum mortale committat. Non tamen sequitur quod qui a viginti annis non est confessus, teneatur hoc anno vigesies confiteri; tum quia non est praxis timoratorum confessariorum, nec videtur mens Ecclesiæ; tum quia obligationes omnium illorum annorum concurrunt eodem isto tempore circa eamdem materiam, et eumdem finem, scilicet purgationem a peccatis, ad eoque una et eadem impletione eis omnibus satisfit.

Si dicas eamdem esse rationem de secunda, confessione in eodem anno, esto ; sed est disparitas quod annus obligationis pro secunda confessione adhuc currat, non pro prioribus confessionibus omissis. Neque etiam obstat quod qui omisit vigenti annis solvere censum annuum, non satisfaciat solvendo unum : disparitas est iterum quod censualista principaliter intendat emolumentum, et indemnitatem suam quæ non habetur, nisi solutione viginti censuum ; at Ecclesia intendit principaliter in confessione purgationem a peccatis, et justificationem peccatoris, quæ habetur per unam confessionem.

Petes 5° per quam confessionem impleatur istud præceptum?

Resp. impleri per solam confessionem validam et talem, ut, ea posita cum absolutione, subsistat sacramentum Pœnitentiæ et reconciliationis.

Ratio est, quia Ecclesia non præcipit aliam confessionem quam Deus, cum, ut diximus, determinet tantum tempus præcepti divini : atqui præcepto divino non satisfit, nisi per confessionem validam et susceptionem sacramenti : ergo.

Hinc Alexander VII merito condemnavit hanc propositionem : « Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ. » Ubi licet ponatur voluntarie, idem tamen dicendum est de involuntarie nulla, quia etiam tunc non ponitur materia præcepta, scilicet confessio quantum est ex se reconciliativa, et sufficiens ut subsistat sacramentum. Plura de hac quæstione, tam quoad probationes, quam quoad argumenta, vide de Eucharistia, dissert. 6, art. 1, § 4.

An vero satisfiat præcepto per confessionem non factam proprio sacerdoti, aut alteri de ejus licentia? Resp. negative ; quia id expresse præcipitur in canone citato *Omnis*. De quo fusius modo dum de ministro.

Petes 6° an qui non satisfacit huic præcepto, incurrat de facto excommunicationem et alias pœnas juris?

Resp. negative, quia non sunt sententiæ latæ, sed ferendæ, ut patet ex textu : nisi aliud statuta particularia ferant.

Petes 7° an peccatum justa de causa in confessione hujus anni celatum, debeat subjici clavibus ante annum sequentem, si causa celandi antea desierit?

Resp. id esse consultum, non videtur tamen obligatorium ; quia Ecclesia obligat tantum ad unam confessionem integram : hæc autem fuit integra formaliter, etsi non materialiter. Nec obstat concilium Trid., sess. 14, cap. 5, obligare ad confessionem omnium mortalium, quorum conscientiam habet pœnitens ; quia concilium loquitur de eo quod ordinarie accidit. Insuper intelligit de conscientia non spe-

culativa, sed practica, seu quæ dictat peccata hic et nunc aperienda. Idem a fortiori dicendum de peccato invincibiliter oblito. An autem iste, de quo in casu non possit differre suam confessionem, ut eam omnimode integram faciat? Resp. : Videtur posse ex præsumpta Ecclesiæ intentione, modo tamen absit scandalum, nec sit sumenda Eucharistia, neque diu differatur.

Petes 8° utrum cum aliquo dispensari possit, ne unquam confiteatur?

Resp. negative[1]; tum ratione generali, quod inferior non possit dispensare in lege superioris; tum specialiter, quia confessio est pars necessaria sacramenti Pœnitentiæ, in quo Ecclesia non potest dispensare; sicut enim non potest instituere nova sacramenta, ita nec instituta removere, quippe quæ sunt ipsius Ecclesiæ fundamenta; tum etiam quia sacramentum Pœnitentiæ est sacramentum necessitatis sicut Baptismus: nemo autem potest dispensare in Baptismo, sic ut sine illo salus habeatur.

Quod autem posset opponi de dispensatione in voto, disparitas est quod Ecclesia non dispensat in voto, durante ejus obligatione, quod esset dispensare in jure naturali et divino, sed tollit obligationem voti, quæ non est a jure divino, sed a voluntate humana, de quo dixi fusius alibi.

Potest tamen Ecclesia dispensare in tempore confessionis a se constituto, quia potest dispensare in suis legibus. Hæc autem potestas pertinet privative ad papam, et ad concilium generale; quia est lex ab Ecclesia universali lata. Id vero non obstat, quominus pœnitens possit ex consilio confessarii confessionem differre ultra tempus ab Ecclesia statutum, ad melius esse, seu ex tali causa ob quam prudenter judicatur talem dilationem esse de mente præsumpta Ecclesiæ. Ita expresse concilium Lateran., can. *Omnis*.

Si dicas præceptum Ecclesiæ, quoad tempus esse determinationem juris divini, adeoque Ecclesiam in eo non posse dispensare.

Resp. equidem esse determinationem juris divini, sed humanam, non divinam, et ideo sicut illam posuit, potest auferre et relinquere præceptum in eo statu, in quo erat ante determinationem. Et cum non constet, quando obligat præceptum divinum, an semel in anno, an plus, an minus, hoc sufficit, ut Ecclesia justis de causis ultra annum differat. Videtur tamen quod non posset dispensare ultra tempus, in quo certo obligat jus divinum, puta ultra octo aut decem annos, sed posset interpretari in certis casibus jus divinum, ob gravissimas causas tunc occurrentes, non obligare.

DISSERTATIO VI.

De ministro confessionis.

D. Th. suppl. q. 84.

ARTICULUS I.

UTRUM SOLUS SACERDOS SIT MINISTER CONFESSIONIS?

Negarunt wicleffistæ damnati in concilio Constantiensi, waldenses qui hanc potestatem tribuebant cuilibet laïco probo, et Lutherus qui cum existimaret absolutionem nihil aliud esse quam declarationem remissionis peccatorum, docuit in libro de abroganda missa, quemlibet fidelem, etiam mulierem, esse ministrum confessionis, saltem in casu necessitatis. Morinus vero, lib. 8 *de Pœnit.*, cap. 23,

[1] Q. 6. a. 6, o.

censet hanc facultatem olim fuisse concessam diaconis. Contra quos omnes

Dico : Solus sacerdos est minister legitimus confessionis sacramentalis [1].

Prob. Ille solus est minister legitimus confessionis [2] qui potest absolvere a peccatis confessis ; ad id enim ordinatur confessio sacramentalis : atqui solus sacerdos potest abolvere a peccatis confessis : ergo. Prob. min. Solis apostolis et in eorum persona solis episcopis et sacerdotibus, utique eorum successoribus, Christus, Matth. 18, promisit claves regni cœlorum seu potestatem ligandi et solvendi, retinendi et remittendi peccata, iisque solis eam contulit, Joan. 20, dicens : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.... Accipite Spiritum Sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis retenta sunt :* ergo. Unde concil. Trid., sess. 14, can. 10, definit : « Si quis dixerit..... non solos sacerdotes esse ministros absolutionis...., anathema sit. » Vide canonem integrum in capite tractatus. Idem amplius declarat concilium, eadem sess. cap. 1 et 6.

Adstipulantur SS. Patres : S. Basilius *in Regulis brevioribus*, num. 228, dicit peccata sacerdotibus aperienda esse, quia « eis credita est dispensatio divinorum mysteriorum. » S. Ambros., l. 1 *de Pœnit.*, cap. 2 : « Jus hoc, inquit, ligandi scilicet et solvendi, solis sacerdotibus concessum. » S. Ephrem, *orat. de Sacerdotio* : « Absque venerando et divino sacerdotio remissio peccatorum mortalibus non conceditur. » S. Aug., serm. 351, dicit ad remissionem peccatorum accedendum esse « ad antistites per quos in Ecclesia claves ministrantur. » S. Leo Epist. 91 : « Indulgentia Dei non nisi supplicationibus sacerdotum potest obtineri. » Plura in hanc rem protuli, dissert. 1 hujus tractatus de existentia sacramenti Pœnitentiæ et dissert. præcedenti, a. 1, de necessitate confessionis. Confer.

Dixi in conclusione : Confessionis sacramentalis, id est, quæ fit in ordine ad absolutionem a ministro consequendam ; quia non negamus olim viguisse morem confitendi laicis, præsertim ubi deesset sacerdos ; at ista confessio non erat sacramentalis, seu in ordine ad absolutionem, sed ad erubescentiam et majorem humiliationem, seu ad consilium aut auxilium petendum, utque inde et ex magno desiderio confessionis Deus flecteretur ad veniam concedendam. Quo sensu intelligendus est S. Th. dum hic, a. 2, o et præsertim ad 1, scribit quod « quando necessitas est imminens, debet facere pœnitens quod ex parte sua est, scilicet conteri et confiteri cui potest.... et quod defectum sacerdotis supplet summus sacerdos... et ex desiderio sacerdotis, talis confessio sacramentalis est quodammodo. » Quibus, inquam, verbis S. Th. non præcipit, sed hortatur ad hujusmodi confessionem secundum morem qui vigebat suo tempore, eamque vocat « quodammodo sacramentalem », non quod esset in ordine ad sacramentum, aut esset pars sacramenti, sed quia, vel fiebat ad imitationem confessionis sacramentalis, vel quia habebat adjunctum sacramenti desiderium : ista autem consuetudo nunquam vim legis habuit, et jam diu abrogata est, ut mox dicam.

Hunc porro esse sensum S. Thomæ evidenter patet 1° ex art. 1 præcedenti, in quo resolvit solum sacerdotem esse ministrum confessionis sacramentalis. 2° Ex eadem responsione citata ad 1 hujus articuli secundi, ubi in fine dicit quod ex tali confessione « non sit sacramentum perfectum, quia deest ei quod est ex parte sacerdotis»; et ad 3 ibid., de hujusmodi pœnitente et confitente dicit necesse esse, « quod iterum confiteatur sacerdoti cum copiam habere potuerit, quia sacramentum pœnitentiæ perfectum non fuit. » Item, opusc. 5.

Iste autem mos qui diu ante D. Thomam viguerat et ejus temporibus adhuc vigebat, jam diu et merito exolevit; censentque theologi illum nunc non expedire ; partim quia hoc esset apparenter connivere hæreticis hodiernis; partim quia hujusmodi confessionis nulla est necessitas, nullum præceptum, neque expedit peccata præsertim occulta et gravia extra sacramentum manifestare.

Similiter cum S. Th., art. sequenti, dicit confessionem venialium posse fieri non sacerdoti, non intelligit sacramentalem in ordine ad claves, quæ non nisi sacerdotibus sunt collatæ : unde dicit ibid. hanc confessionem non esse perfectum sacramentum ; sed intelligit non sacramentalem, quæ, dum fit ex humilitate et detestatione peccatorum, valet ad remissionem peccatorum venialium ; sicut, inquit ibid. S. Doct., tunsio pectoris, aspersio aquæ benedictæ et alia sacramentalia. At cum nulla sit necessitas sic confitendi venialia, monent, ut supra, theologi, melius esse ab hujusmodi confessione abstinere, nisi consilii petendi causa, sicut de mortalibus dictum est. Hæc pro explicatione mentis S. Thomæ.

[1] Suppl. q. 8, a. 1, o. [2] Ibid. in arg. s. c.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°: Jacobi 3, dicitur: Confitemini alterutrum peccata vestra: ergo.

Resp. quod si ille textus intelligatur de confessione sacramentali[1] (quod quidam negant), per alterutrum non intelligitur quilibet, sed sacerdos, hoc est, homo homini. Quod patet, tum ex eo quod præmisit Apostolus: *Si quis vestrum infirmatur, inducat presbyteros Ecclesiæ;* tum quia Jacobus loquebatur christianis quibus præsupponebat notam esse legem evangelicæ confessionis faciendæ solis sacerdotibus, Joan. 20.

Obj. 2°: Episcopus electus et confirmatus, licet non ordinatus, potest aliis conferre potestatem excipiendi confessiones sacramentales: ergo illam habet. Item sacramentum Pœnitentiæ est sacramentum necessitatis sicut Baptismus: atqui quilibet homo potest conferre sacramentum Baptismi: ergo.

Resp. ad primum, neg. ant. Non enim episcopus non ordinatus confert potestatem, sed duntaxat exercitium hujus potestatis assignando sacerdoti subditos in quos possit exercere suam potestatem, ut dicemus modo, dum de jurisdictione.

Ad secundum, neg. conseq., 1° quia Baptismus est majoris necessitatis quam Pœnitentia; potest enim Pœnitentia suppleri per illius votum et contritionem, non Baptismus in parvulis. 2° Pœnitentia administratur per modum judicii ad quod requiritur jurisdictio, non Baptismus. 3° Et præcipue, quia sic est voluntas Christi quæ nobis constat ex S. Scriptura, traditione et usu Ecclesiæ. Vide dissert. 2, *de Bapt.*, art. 2.

Obj. 3° pro diaconis cum Morino. S. Cyprianus, epist. 12 de iis qui libellos a martyribus acceperant, dicit: «Si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud presbyterum quemque præsentem, vel presbyter repertus non fuerit et urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque εξομολογησιμ facere delicti sui possint, ut, manu eis imposita, veniant ad Dominum cum pace quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt»: ergo.

Resp. neg. conseq. Quamvis enim εξομολογησιο frequenter usurpetur pro confessione sacramentali, attamen non raro etiam sumitur, vel pro ipsa actione pœnitentiæ publicæ, maxime pro ea parte quæ dicebatur substratio, in qua pœnitentes, impositioni manuum episcopi et cleri substrati, confitebantur se peccasse, vel pro declaratione pœnitentiæ adimpletæ, postquam pœnitentes impositione cæremoniali manuum episcopi et cleri reconciliabantur Ecclesiæ et admittebantur ad communionem: hoc autem sensu S. Cyprianum intellexisse εξομολογησιμ in objectione patet, quia sic ipsemet illam intelligit, epist. 11, 61 et præsertim 9, ubi de iis qui pœnitentiam publicam agebant pro peccatis levioribus quam sit abnegatio fidei et idololatria, dicit: «Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam justo tempore, et secundum disciplinæ ordinem ad εξομολογησιμ veniant et per manus impositionem episcopi et cleri jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiæ pace ad communionem admittuntur, et offertur nomen eorum et nondum pœnitentia peracta, nondum εξομολογησι facta, nondum manu eis ab episcopo et clero imposita, Eucharistia illis datur.» Vides εξομολογησιμ apud S. Cyprianum sumi vel pro ipsa actione pœnitentiæ publicæ aut ejus parte, vel pro declaratione pœnitentiæ adimpletæ; impositionem vero manuum sumi non pro sacramentati, sed pro cæremoniali facta ab episcopo et clero. Denique pacem pro reconciliatione cum Ecclesia et admissione ad communionem. Quod adhuc evidentius fit ex eo quod S. Cyprianus loquatur de iis qui stadium pœnitentiæ publicæ decurrebant; at vero confessio sacramentalis publicam pœnitentiam præcedebat, ut diximus anterius: unde dato S. Cyprianum locutum fuisse de confessione peccatorum, hæc tamen non fuisset sacramentalis.

Inst. 1°: S. Cyprianus committit diaconis, ut faciant quod episcopus aut sacerdos fecisset, si adfuisset, episcopus autem seu sacerdos absolvisset sacramentaliter. Item permittit eis, ut conferant pacem quam petebant pœnitentes ex libellis martyrum, hæc autem pax non erat simplex reconciliatio cum Ecclesia, sed etiam absolutio sacramentalis: ergo.

Resp. 1° neg. utramque min. Reconciliatio enim et pax de qua loquitur S. Cyprianus, non erat reconciliatio cum Deo per absolutionem sacramentalem, sed reconciliatio cum Ecclesia per relaxationem pœnitentiæ solemnis, et participationem Eucharistiæ, nec aliud petebant martyres suis libellis; erant enim tunc, sicut nunc, indulgentiæ: indulgentia autem non est absolutio sacramentalis a peccatis, sed relaxatio tantum pœnæ temporalis, quæ remanet

[1] Suppl. q. 6, a. 1, ad I.

post dimissam culpam, sicque supponit absolutionem sacramentalem; id magis constabit ex dicendis infra in digressione historica ad dissertationem de Satisfactione, ubi probabimus absolutionem sacramentalem non differri usque post peractam pœnitentiam solemnem, sed ordinarie conferri post confessionem secretam, cum pœnitentes ad pœnitentiam solemnem admittebantur. Confer.

Resp. 2°, data utraque minore, facultatem quam ibi concedit S. Cyprianus sacerdotibus et diaconis, intelligendam esse accommodate ad eorum potestatem, in sacerdotibus de reconciliatione canonica et sacramentali; quia ad utramque habent potestatem; in diaconis de reconciliatione et pace tantum canonica, non sacramentali, quia ad hanc non habent potestatem.

Inst. 2° : Licet sacerdos non sit minister ordinarius Confirmationis, potest tamen illam conferre ex commissione episcopi, ut diximus suo loco : ergo similiter diaconus respectu confessionis et absolutionis sacramentalis.

Resp. neg. conseq. Disparitas prima petitur ex voluntate et institutione Christi, quam pro utroque sacramento nobis testatur Ecclesiæ traditio et usus. Secunda disparitas est quod, quamvis sacramentum Pœnitentiæ sit magis necessarium quam sacramentum Confirmationis, ministri Pœnitentiæ sunt frequentiores, quam ministri Confirmationis.

ARTICULUS II.

UTRUM OMNIS SACERDOS SIT MINISTER LEGITIMUS CONFESSIONIS? SIVE UTRUM PRÆTER POTESTATEM ORDINIS SIT IN MINISTRO CONFESSIONIS NECESSARIA POTESTAS JURISDICTIONIS?

Hæc quæstio expediri non potest nisi prius explicentur varia quæ spectant jurisdictionem. Unde sit

§ I.

De Jurisdictione.

Petes 1° quid sit jurisdictio?

Resp. : Jurisdictio generaliter sumpta est quædam potestas moralis regendi et gubernandi subditos : specialiter in subjecta materia est potestas qua sacerdos, ut judex, fert in alterum, tanquam in subditum, sententiam in foro conscientiæ.

Petes 2° an hæc potestas sit distincta ab illa quæ confertur in corpus Christi mysticum omni sacerdoti in sua ordinatione, per hæc verba : *Accipe Spiritum Sanctum : quorum remiseris peccata remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt,* et quæ dicitur potestas Ordinis.

Resp. esse certo aliquid distinctum ; tum quia concilium Florentinum et Trid., sess. 14, cap. 7, declarant nullam esse absolutionem collatam a sacerdote, qui non habet jurisdictionem : ergo supponunt jurisdictionem non competere omni sacerdoti, adeoque non conferri in Ordine, sed esse quid distinctum a potestate Ordinis ; tum quia alias omnis sacerdos foret proprius sacerdos, et nullus alienus, contra quod supponit concilium Lateranense, cum decernit sacerdotem alienum non posse absolvere sine licentia proprii.

An vero sit quid distinctum ex parte principii ant tantum ex parte termini seu materiæ subjectæ, disputatur inter theologos.

Quidam volunt omnem sacerdotem, vi suæ ordinationis jure divino accipere potestatem absolvendi, completam et perfectam, quantum est ex parte principii, non tamen completam ex parte materiæ, seu subditorum, qui nisi ab Ecclesia assignentur, talis potestas non est valide reducibilis ad actum. Unde juxta hanc sententiam potestas jurisdictionis, quantum est ex se, seu ex parte principii non est distincta a potestate Ordinis. Id autem probant ex verbis citatis : *Accipe Spiritum Sanctum,* etc., quibus omnes sacerdotes absolute constituuntur judices, idque explicant his exemplis : Si, v. g,, rex constitueret Titium judicem, seu daret ipsi potestatem absolvendi vel damnandi omnes ipsi assignandos a gubernatore, Titius foret, ut patet, a rege constitutus complete judex, haberetque completam potestatem judicandi ex parte principii, licet, ut valide illam exerceret, indigeret designatione subditorum reorum per gubernatorem facienda. Item si rex instituat Chiliarchum solo diplomate, non assignata legione (*Colonel en brevet*), is haberet potestatem imperandi completam ex parte principii, quam tamen exercere non posset, nisi illi subjiciatur legio : ita, inquiunt, in nostro casu.

Alii volunt jurisdictionem esse potestatem distinctam a potestate Ordinis ex parte principii ; quia, inquiunt, in ordinatione confertur quidem potestas physica completa ad producendam gratiam, non autem moralis, qualis tamen est jurisdictio, ut patet in judicibus humanis, qui licet habeant omnia requisita in

esse physico ad judicandum, puta scientiam, prudentiam, etc., indigent tamen adhuc jurisdictione, quæ ex parte ipsius judicis se tenet, et non tantum ex parte materiæ, quæ illi est subjecta. Et hic modus loquendi videtur conformior conciliis, et D. Thomæ. Est autem hæc jurisdictio secundum illos, deputatio legitima ad exercendum munus confessarii absolvendo a peccatis modo judiciali pœnitentes tanquam subditos.

Cæterum utraque sententia est probabilis, et in rigore videtur tantum esse disputatio de nomine, sive enim illa jurisdictio sit distincta a potestate Ordinis ex parte principii, sive tantum ex parte materiæ, conveniunt auctores utriusque sententiæ potestatem Ordinis sine illa esse tantum incompletam, et in actu primo, nec valide reducibilem ad actum secundum, nisi ab Ecclesia accedat deputatio legitima, et assignatio subditorum.

Hinc inferes jurisdictionem differre a potestate Ordinis; 1° quod potestas Ordinis conferatur cuilibet sacerdoti per suam ordinationem; potestas vero jurisdictionis per deputationem legitimam superioris vel Ecclesiæ ad absolvendum pœnitentem modo judiciali ut subditum. 2° Sacerdotes omnes in potestate Ordinis sunt æquales, non vero in potestate jurisdictionis. 3° Potestas Ordinis est invariabilis et indelebilis, utpote fundata in charactere sacerdotali, potestas vero jurisdictionis potest augeri vel minui, aut etiam totaliter tolli.

Petes 3° quotuplex sit jurisdictio?

Resp. quod sit duplex, ordinaria et delegata. Ordinaria est quæ competit alicui, ratione muneris, officii, vel beneficii cui annexa est cura animarum: unde dicta ordinaria, quia sic assumptis, collato officio vel beneficio, ordinarie censetur conferri; delegata est illa quæ habetur ex commissione illius qui habet ordinariam.

Qui habet jurisdictionem ordinariam dicitur proprius sacerdos; nec tamen ideo potest dici simpliciter et absolute ordinarius, quia ordinarius simpliciter et absolute dicitur qui, ultra jurisdictionem ordinariam ad absolvundum, habet etiam ordinariam ad exercenda omnia alia munia spiritualia etiam in foro exteriori, ut papa in tota Ecclesia, episcopus in sua diœcesi; unde parochus, licet sit proprius sacerdos respectu suorum parochianorum, non est tamen simpliciter ordinarius, sed secundum quid tantum, quoad forum scilicet conscientiæ et munus absolvendi.

Petes 4° quibus competat jurisdictio ordinaria et respectu quorum?

Resp. Jurisdictio ordinaria, ut jam dixi, competit iis qui ratione officii tenentur gerere curam animarum. Hinc 1° competit Summo Pontifici, respectu totius Ecclesiæ; 2° episcopis, respectu totius diœcesis; 3° parochis, respectu suorum parochianorum.

Pontificiæ jurisdictioni communicant legatus a latere, pœnitentiarius papalis, nuncii etiam apostolici respectu tamen terminorum suæ nuntiaturæ duntaxat. Episcopali communicant vicarii generales episcopi, capitulum sede vacante, et pœnitentiarius, ubi pœnitentiaria est in officium erecta.

Ad hanc reducitur jurisdictio generalium, respectu totius ordinis; provincialium, respectu provinciæ; abbatum exemptorum, respectu suorum, eo quod respectu illorum fruantur jurisdictione quasi episcopali. Sed quid archiepiscopus? Potest tempore visitationis absolvere subditos suffraganei. Ita expresse cap. ultimo de Censibus in 6, lib. 3, tit. 20.

Ad parochialem reducitur jurisdictio decanorum, respectu sui capituli, vicariorum perpetuorum, respectu parochiæ, superiorum localium, ut sunt priores, guardiani, rectores, respectu suorum, quorum tamen jurisdictio est longe major parochiali, cum etiam in foro exteriori possint excommunicare et multa alia facere, quæ non possunt parochi: unde a quibusdam reducitur ad episcopalem. Notandum quod secunda persona in conventibus, ut superior, apud nos, vicarius, apud Franciscanos, etc., non sortiantur jurisdictionem ordinariam, nisi per mortem vel amotionem prioris vel guardiani sedes vacet.

Petes 5° quot modis aliquis fit alterius subditus, seu ejus jurisdictioni subjiciatur quoad hoc sacramentum?

Resp. tribus modis: 1° ratione domicilii vel quasi domicilii; 2° privilegio status; 3° juris interpretatione seu consuetudine.

Ratione domicilii vel quasi domicilii, episcoporum seu parochorum ordinariæ jurisdictioni subjiciuntur qui inter limites diœcesis vel parochiæ domicilium, hoc est fixam et perpetuam habitationem habent; vel quasi domicilium, hoc est familiam seu habitationem per magnam partem anni, ut sunt mercatores in emporiis, scholastici in academiis, aulici in curiis, etc. Unde qui habet duo domicilia in diversis parochiis aut in una domicilium, in altera quasi domicilium, secundum plures, utriusque parochi jurisdictioni subjicitur et a quolibet potest absolvi, licet Sylvio aliis probabilius videatur quod confiteri debeat

sacerdoti illius parochiæ in qua habitat, dum instat præceptum confitendi, ne sequatur confusio.

Privilegio status, ordinariæ jurisdictioni subjiciuntur qui alicui statui vel familiæ uniuntur, cujus superior ex privilegio ordinariam habet jurisdictionem; ut qui in familiam cardinalium admittuntur, ipsis ut ordinariis subjacent in hoc tribunali sacramentali. Novitii superioribus religionis; item qui sunt vere de familia domus, et commensales continui.

De his ultimis identidem lites motæ sunt a parochis, sed in suam perniciem ; præter enim plurima summorum pontificum privilegia, Innocentii IV, Constitutione 42, Alexandri IV, Constitutione 205, Nicolai V, constitut. 29, in qua exprimit etiam cohabitantes causa devotionis, Innocent. VIII, constit. 46, Leonis X, Constit. 50, ac tandem Clementis X, Constit. 2 superna data 1670 qui in terminis declarat « in monasteriis ac collegiis ubi juxta regularia instituta vivitur, posse tam prælatos regulares quam confessores regularium eorumdem monasterium seu collegiorum audire confessiones illorum sæcularium qui inibi sunt vere de familia et continui commensales. » Præter hæc, inquam, non ita pridem, senatus supremus Parisiensis, anno 1688, contra parochum d'Oisy in favorem monialium abbatiæ du Verger diœcesis Cameracensis ordinis Cisterciensis, decrevit earum confessarium posse exercere omnia pastoralia in omnes domesticos intra septa monasterii degentes, excepta Baptismi et Matrimonii administratione. Idem, anno 1691, contra parochum S. Albini, Duaci, in favorem abbatiæ de Pratis ejusdem ordinis Diœcesis Atrebatensis.

Juris interpretatione, vel si mavis, tacita voluntate ordinariorum per consuetudinem firmata, iter agentes et peregrinantes ordinarium judicem sortiuntur in hoc tribunali parochum illius loci ad quem perveniunt, sive ex devotione, sive ex obligatione sacramenta percipere voluerint. Idque de confessione annua et communione paschali declaravit Eugenius IV, si eo tempore quo urget præceptum, ad proprium parochum accedere commode non possunt: ita tamen, ut in propriam parochiam reversi, testimonium annuæ confessionis et communionis, parochis exposcentibus exhibeant, et modo etiam non fiat in fraudem, ut vitent scilicet proprium parochum, nisi forte accederent ad privilegiatum, de quo infra.

Huc revocari possunt, aut si vis ad quasi domicilium, vagabundi qui nullibi domicilium habent; et ideo probabilius pro sacerdote proprio sortiuntur parochum illius loci in quo pro tempore morantur ; quia actualis habitatio, quoad præsentem casum succedit ipsis loco domicilii, ita ut parochus talis loci teneatur illis indigentibus et juste petentibus sacramenta conferre, et ut præcepta impleant eos urgere et cogere ; et licet id forte non possit respectu eorum qui alibi parochiam habent cum tamen vagi nullam habeant, justum est ut subdantur illi in cujus districtu morantur.

Similiter juris interpretatione seu privilegio status, milites subjiciuntur suo capellano ut proprio sacerdoti, saltem quando sunt in castris : quia dum sunt in stationibus seu præsidiis, quibusdam videtur quod ex dispositione sacellani generalis subdantur parocho talium locorum. Tandem ratione periculi, seu articuli mortis, quilibet fit subditus cuilibet sacerdoti a quo potest absolvi, ut dicemus fusius infra.

Specialiter de jurisdictione delegata.

Ex jam dictis habemus quod jurisdictio delegata sit ea quam sacerdos in Pœnitentem acquirit, non ex vi officii aut beneficii proprii, sed ex commissione legitima alterius ordinariam jurisdictionem habentis.

Dicitur 1° : ordinariam jurisdictionem habentis, quia delegati non possunt subdelegare, nisi id expresse eis concedatur. Patet ex c. *Cum causam* 62, de Appel., tit. 28, ubi id permittitur delegatis principum tantum et non aliis.

Dicitur 2° : ex commissione legitima, ad quam requiruntur certæ conditiones, tam ex parte delegantis quam ex parte delegati: ex parte delegantis quod non deleget extra limites suæ jurisdictionis, et quod non sit degradatus aut excommunicatus vitandus; quia tunc privatur usu ecclesiasticæ jurisdictionis. Secus tamen si esset episcopus confirmatus, quamvis nondum sacerdos, quia licet tunc careat jurisdictione ut ipsemet absolvat in foro conscientiæ, habet tamen jurisdictionem in oro exteriori ut deleget ad absolvendum.

Ex parte delegati requiritur pariter quod non sit degradatus, nec excommunicatus vitandus. Insuper et maxime pro confessione sæcularium quod sit approbatus ab episcopo, nisi ipsemet delegans esset episcopus. Ita jure novo Tridentini.

Hinc sequitur quod licet ante Tridentinum possent parochi ex jure communi delegare quemlibet sacerdotem ad ministerium hujus sacramenti in sua parochia, etsi non foret ab episcopo approbatus, post illud tamen, nec licite, nec valide id possunt: ut etiam declararunt cardinales ejusdem concilii interpretes.

Petes 1° quotuplex sit jurisdictio delegata?

Resp. quod sit duplex, directe et indirecte delegata: directe delegata dicitur quando alicui committitur, ut ipse per se directe pœnitentem absolvat; delegata indirecte, quando alicui conceditur, ut eligat sacerdotem, qui ipsum vel alios absolvat; facta enim electione, indirecte collata censetur jurisdictio sacerdoti electo: unde quamvis ipsa delegatio jurisdictionis ad ipsum sacerdotem terminetur, ministerium tamen medium hujus delegationis, scilicet electio sacerdotis, laicis, imo et fœminis potest committi.

Petes 2° quot et quibus modis acquiritur jurisdictio delegata, tam directa, quam indirecta?

Resp. tribus potissimum modis: ab homine, a jure, a consuetudine.

Ab homine: Quando homo ordinaria gaudens jurisdictione illam verbo, scripto, vel alio signo exteriore alteri committit, aut permittit alicui Confessarium eligere, ut accidit in jubilæis.

A jure: Quando jus canonicum, lex, bulla aut constitutio papalis concedit certis personis vel ut absolvant, vel ut confessarium eligant. Sic quoad primum concessum est omnibus ordinum mendicantium sacerdotibus, ut possint absolvere omnes fideles ad se venientes, modo sint a suis respective superioribus legitime præsentati, et ab episcopis approbati; de quo specialiter dicam infra.

Pariter quoad secundum, concessum est episcopis, generalibus ordinum, provincialibus, abbatibus, et minoribus prælatis exemptis, ut possint sibi eligere confessarium. Ita Gregorius IX lib. 5 *Decretal.*, tit. 48, de Pœnit. et Remiss., his verbis: « Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus episcopis et aliis superioribus, nec non minoribus prælatis exemptis, ut etiam præter superioris sui licentiam providum et discretum sibi eligere possint confessarium.» Idem dicendum de iis quibus id privilegio speciali concessum est

Porro circa textum juris citatum, notandum quod nomine episcoporum, illi soli intelliguntur, qui simpliciter dicuntur episcopi, ut sunt confirmati etiam ante consecrationem, licet sint tantum titulares; non vero solum electi, si non sint confirmati. Nec etiam degradati, quia habentur tanquam si non essent episcopi. Depositi tamen, excommunicati, suspensi videntur frui tali privilegio, quia licet interdicatur eis usus Ordinis et jurisdictionis, non privantur tamen gratiis et privilegiis. Nomine superiorum intelliguntur generales ordinum, provinciales, abbates exempti a jurisdictione episcopali, et, saltem ex consuetudine, cardinales. Nomine minorum prælatorum intelliguntur prælati locales exempti, ut priores, guardiani, rectores, etc., non tamen abbatissæ aut priorissæ, quæ non veniunt nomine prælati.

Dubium hic oritur an prælati regulares eligere possint confessarium extra suum ordinem?

Resp. affirmative, nisi specialis suæ religionis constitutio obstet; quia ubi jura non distinguunt, nec nos distinguere debemus: non expedit tamen.

Dubium aliud an prælati, sive regulares, sive sæculares eligere debeant approbatum ab ordinario?

Resp. prælatos sæculares episcopis inferiores probabilius non posse eligere, nisi approbatum ab ordinario. Quia Trid., de Reformat., sess. 23, c. 15, decernit neminem posse audire confessiones sæcularium, nisi vel habeat beneficium parochiale, vel sit ab episcopo approbatus, « non obstantibus quibuscumque privilegiis et consuetudine etiam immemorabili.» Nonnulli quidem existimant hanc licentiam à Tridentino non fuisse abrogatam, quia quæ sunt redacta in corpus juris, non sunt pura privilegia, sed leges et canones. Cæterum, ut minimum saltem res est dubia, adeoque cum periculo nullitatis sacramenti ad praxim non reducenda. Quoad prælatos regulares possunt eligere etiam non approbatum ab episcopo: quia Tridentinum nihil innovavit circa confessionem regularium.

A consuetudine: Non quod sola consuetudo possit jurisdictionem conferre, cum necessario debeat a superioribus procedere, sed quod sit testis et signum moraliter certum taciti consensus superioris. Unde talis jurisdictio ad ejus nutum est revocabilis, non obstante consuetudine.

Ex hoc capite pastores et simplices sacerdotes sæculares possunt sibi confessarium eligere, modo sit approbatus, quia prælati omnes parochi in id consentiunt propter commodita-

tem sacrificandi. Dixi : Modo sit approbatus, quod patet tum ex modo dictis, tum ex hac propositione condemnata ab Alexandro VII : « Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab ordinario. »

Huc etiam revocari possunt iter agentes et peregrinantes, qui, quamvis domicilium retineant, possunt tamen confiteri parocho illius loci ad quem perveniunt, vel alteri pro tali loco approbato, si tamen hoc non fiat in fraudem, ut vitetur proprius sacerdos, vel nisi accedant ad privilegiatum, ut jam diximus de jurisdictione ordinaria ; ad quam videntur etiam peregrinantes posse revocari.

Petes 3° utrum ad delegationem ab homine sufficiat ratihabitio sperata, seu præsumptio consensus futuri illius qui delegare potest ?

Resp. Nec ratihabitio sperata de futuro, nec præsumptio consensus futuri delegantis sufficit ad delegationem ; quia ad validitatem absolutionis requiritur jurisdictio actualis in eo qui absolvit : atqui dum est tantum ratihabitio sperata de futuro, seu præsumptio futuri tantum consensus delegantis, non adest jurisdictio tempore absolutionis, sed speratur tantum postea futura : ergo.

Opposita tamen ratione sufficit ratihabitio de præsenti, seu præsumptio fundata consensus præsentis delegantis, si tamen revera adsit talis consensus ; quia si revera non adesset, quantumvis fundata et rationabilis ejus foret præsumptio, non haberetur jurisdictio delegata, quæ necessario dimanat ab actuali et vero consensu delegantis jurisdictione ordinaria gaudentis. Unde non est de facili usurpanda jurisdictio ex tali præsumptione taciti consensus, sed merito expressus requiri debet, ubi haberi potest. Quod enim dicitur sufficere, si ordinarius videat et taceat, seu non contradicat, verum quidem esse potest, sed non ita semper, cum possit non consentire, et tamen tacere, quia vel timet rixas, vel putat alium aliunde habere jurisdictionem. An autem sufficeret voluntas interior delegantis nullo signo externo manifestata ? Respondet Sylvius hic quæstiuncula prima negative ; quia, inquit, talis potestas debet conferri humano modo.

§ II.

Resolvitur quæstio proposita in titulo Articuli.

Dico : Non omnis sacerdos est legitimus minister confessionis [1] ; sed, præter potestatem Ordinis, requiritur jurisdictio.

Prob. 1° ex canone *Omnis utriusque sexus* concilii Lateran. in quo statuitur quod omnis fidelis debeat saltem semel in anno confiteri proprio sacerdoti, vel alteri de ejus licentia.

Prob. 2° auctoritate et ratione concilii Trid., sess. 14, cap. 7, ubi ait : « Natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur. Et ideo in Ecclesia Dei persuasum semper fuit, et verissimum esse synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam non habet jurisdictionem. »

Prob. 3° : Oportet quod ille qui dispensator hujus sacramenti constituitur [2], sit talis, qui possit imperare aliquid agendum, cum sacerdos non absolvat, nisi ligando ad aliquid faciendum : atqui imperium non competit alicui in alium, nisi qui habet super eum jurisdictionem : ergo de necessitate hujus sacramenti est, non solum ut minister habeat Ordinem sicut in aliis sacramentis, sed etiam ut habeat jurisdictionem ; et ideo sicut ille qui non est sacerdos non potest hoc sacramentum conferre, ita nec ille qui non habet jurisdictionem.

Ex his patet conclusionem esse veram non solum jure ecclesiastico, sed etiam divino, cum fundetur in natura sacramenti, ut instituti a Christo per modum judicii. Unde Bonifacius papa, cap. *Si episcopus* de Pœnitent. et Remiss. in 6 : « Nulla, inquit, potest consuetudine induci quod aliquis præter sui superioris licentiam, confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere aut ligare. » Quod autem nulla consuetudine abrogari potest, juris est divini vel naturalis.

Patet insuper cur in administratione aliorum sacramentorum non requiratur jurisdictio, sic quod omnis sacerdos, sive excommunicatus, sive suspensus, sive degradatus, valide, licet illicite, baptizet, consecret, ungat, etc., quia hæc sacramenta non sunt instituta per modum judicii, nec ideo requirunt jurisdictionem sicut sacramentum Pœnitentiæ

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° : Omnis sacerdos in sua ordinatione accipit potestatem absolvendi a peccatis dum ei dicitur : *Accipe Spiritum Sanctum : quorum remiseris peccata, remittuntur eis :* ergo.

[1] Suppl. q. 8, a. 4, o. [2] Ibid. o.

Resp. dist. ant. Omnis sacerdos in sua ordinatione accipit potestatem absolvendi a peccatis physicam seu Ordinis, conc. ant.; moralem seu jurisdictionis, neg. Vel aliter : accipit potestatem absolvendi incompletam, conc. ; completam, neg. Solutio patet ex secunda petitione § præcedentis. Pro cujus majori intelligentia observandum est insuper sacerdotem in sua ordinatione accipere duas potestates, unam in corpus Christi verum, dum porrectis instrumentis dicitur ipsi : Accipe potestatem celebrandi ; alteram in corpus Christi mysticum seu in fideles judicialiter absolvendos seu ligandos, dum postea ipsi dicitur : *Accipe Spiritum Sanctum*, etc. (Quidam tamen existimant utrumque simul accipere dum confertur ipsi Ordo et character sacramentalis, in prolatione scilicet primorum verborum cum porrectione materiæ ; sed quia episcopus non potest omnia simul proferre, postea dicit : *Accipe Spiritum Sanctum*, etc., ut explicativum jam traditæ potestatis). Utraque potestas est physica, quia effectus utriusque, scilicet consecratio corporis Christi et absolutio a peccatis per collationem gratiæ sunt physici. De prima non procedit argumentum, sed de secunda tantum ; at neque illa est omnino completa sine morali potestate jurisdictionis, seu nisi designetur materia in quam possit exerceri, sicut in naturalibus causa physica non producit effectum nisi applicetur materiæ ; et in moralibus homo instructus scientia, probitate et aliis conditionibus physicis ad judicandum, nihil efficere potest sine jurisdictione et deputatione a principe ; imo ab eo constitutus indeterminate judex, nec quidquam efficere potest, nisi determinentur et assignentur ipsi subditi in quos illam potestatem exercere valeat, ut diximus loco citato. Unde licet jurisdictio non sit causa efficiens gratiæ remissivæ peccatorum, est tamen conditio insupplebiliter requisita ad hoc ut potentia Ordinis physica hunc effectum physice producat.

Inst.: Hoc ipso quo dicitur sacerdotibus in sua ordinatione : *Accipe Spiritum Sanctum : quorum remiseris*, etc., constituuntur judices omnium fidelium, ita ut in omnes conferatur eis jurisdictio : ergo. Prob. ant. 1° Quia alias frustranea esset illa potestas. 2° Quia apostoli non acceperunt jurisdictionem in omnes fideles nisi per illa verba : *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis*, etc. 3° Quia in primitiva Ecclesia omnes sacerdotes hoc ipso quo erant ordinati, poterant omnes absolvere sine ulla alia delegatione. 4° Quia alias dicendum foret sacerdotes absolvere auctoritate Ecclesiæ et non Christi : ergo.

Resp. neg. ant. Quia, ut jam sæpe diximus, jurisdictio non datur sine subditis in quos exerceri possit ; per ista verba autem in ordinatione sacerdotum, neque omnes fideles, neque aliqui determinate assignantur ut subditi sacerdotis consecrati. Non aliqui determinate, ut patet ; neque omnes, tum quia id non exprimitur, tum quia alias omnes forent proprii sacerdotes, nullus alienus, contra mentem, traditionem et decreta Ecclesiæ. Item omnes forent æquales papæ et episcopis in absolvendo : unde confusio et totius ordinis ecclesiastici inversio oriretur.

Ad primam probat., neg. ant. Quia ista potestas Ordinis est necessario requisita, ut in ea fundetur jurisdictio ; ita ut nulli non sacerdoti possit talis jurisdictio absolvendi a peccatis conferri, ut patet ex art. præcedenti ; et quia illa jurisdictio non est potestas physica producendi gratiam remissivam peccati, sed tantum conditio, ut dictum est.

Ad secundum, resp. Apostolos, præter potestatem Ordinis, accepisse etiam potestatem jurisdictionis immediate a Christo, non præcise vi istorum verborum : *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis*, etc., sed ex peculiari Christi intentione, quæ significata est per missionem qua eos mittit cum auctoritate apostolica in universum mundum : *Sicut misit me vivens Pater*, inquit, *et ego mitto vos ; accipite Spiritum Sanctum*, etc. Quamvis autem sacerdotibus in ordinatione dicatur : *Quorum remiseris peccata*, etc., non mittuntur tamen, neque sicut Apostoli constituuntur doctores et pastores, sed accipiunt duntaxat potestatem physicam Ordinis remittendorum peccatorum, super quam fundari possit potestas jurisdictionis, si a superiore detur. Unde sacerdotes sunt Apostolorum successores quoad characterem sacerdotalem et potestatem Ordinis tantum, non quoad jurisdictionem, apostolatum et pastoratum.

Ad tertiam, neg. ant. Licet enim in exordio Ecclesiæ, cum parvus esset credentium et sacerdotum numerus, nec adhuc facta esset divisio in episcopatus et parochias, cuilibet sacerdoti statim ac erat ordinatus, conferretur jurisdictio, id tamen non habebat præcise vi ordinationis, sed vi delegationis et deputationis, quæ vel includebatur in ipsa ordinatione ex speciali intentione Ecclesiæ tunc temporis, vel statim, sed seorsim formaliter et explicite

fiebat. At nunc cum Ecclesia diviserit episcopatus et parochias, id amplius nec facit nec intendit. Adde non constare etiam sacerdotibus his primis temporibus conferri jurisdictionem in omnes fideles. Quinimo probabilius est eos deputari ad certa loca et personas.

Ad quartam, quamvis possit dici sacerdotem absolvere auctoritate Ecclesiæ intelligendo de sola jurisdictione, iste tamen loquendi modus non admittitur; quia absolutio est principaliter actus potestatis Ordinis, ut dictum est, et virtus efficax formæ est a Christo, non ab Ecclesia.

Repones : Quando aliquis accedit ad sacerdotem ut ipsi confiteatur et ab ipso absolvatur, hoc ipso se illi subjicit : ergo sacerdos habet hoc ipso jurisdictionem in eum tanquam in subditum.

Resp. hanc instantiam non urgere in sententia probabili quam supra exposuimus, scilicet quod potestas Ordinis compleatur etiam ex parte principii per jurisdictionem, quod complementum non potest dare inferior particularis. In altera vero sententia, neg. conseq. Quia non pertinet ad subditum excutere jurisdictionem unius ut se subjiciat jurisdictioni alterius in causis quæ spectant superiorem, sed id fieri debet legitima superioris auctoritate, quod patet in civilibus ; licet enim homo possit se alteri homini subjicere quantum ad ea quorum dominus est et quæ pendent ex suo libero arbitrio, non tamen quantum ad ea quorum ipse dominus non est et quæ pendent ex superiori: sic, v. g., reus læsæ majestatis non potest subjici cui vult judici, ut a crimine isto absolvatur et obtineat veniam, sed illi debet subjici quem rex in hac causa constituit et delegavit judicem, quia remissio hujus criminis non ad ipsum, sed ad regem pertinet. Ita in nostro casu.

Obj. 2° : Papa potest absolvi : atqui nullus habet jurisdictionem in ipsum : ergo.

Resp. dist. min. Nullus habet jurisdictionem in ipsum ut papam[1], conc. min.; ut peccatorem, neg. min.; per peccatum enim fit inferior apud Deum, sicut unus medicus curatur ab alio, non ut medicus, sed ut infirmus.

Si vero petas a quo confessarius papæ habet in eum jurisdictionem, an a Christo, an ab ipso papa ? Videtur probabilius quod ab ipso papa : licet enim papa non habeat jurisdictionem hoc sensu in seipsum, ut se absolvat, quia reus et judex debent esse personæ distinctæ ; attamen ut vicarius Christi censetur superior seipso ut peccatore, et ut sic potest alteri conferre jurisdictionem exercendam in seipsum in foro conscientiæ. [1] Nec tamen sequitur quod possit etiam conferre alteri jurisdictionem in seipsum in foro exteriori, puta ut ipsum excommunicet, quia absolutio et ligatio in foro confessionis est quoad Deum tantum, apud quem aliquis alio superior, redditur inferior per peccatum; sed in judicio exteriori aliquis non amittit superioritatem, ex hoc ipso quod peccat.

Obj. 3° : In eo quod est necessarium ad salutem non oportet homines arctari : atqui magna nimis arctatio videtur, si oporteat uni homini confiteri, et per hoc multi possent a confessione retrahi, vel timore, vel verecundia, vel aliquo alio hujusmodi : ergo.

Resp. neg. min. Sufficiens enim sternitur ad salutem via[2], tum quia sufficienter multiplicantur proprii sacerdotes, tum quia faciles debent esse in concedenda licentia alteri confitendi : « Peccaret enim sacerdos, inquit D. Th., hic ad 6, si non esset facilis ad præbendum licentiam alteri confitendi, quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur quam tali sacerdoti confiterentur : unde illi qui sunt nimis solliciti ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, et per consequens sibi ipsis. » Hæc verba sunt notatu digna.

Obj. 4° : Quilibet sacerdos habet potestatem completam absolvendi a venialibus et mortalibus jam remissis : ergo et ab aliis mortalibus.

Resp. probabilius cum Sylvio et pluribus aliis, neg. ant.; 1° quia licet venialia et mortalia jam remissa sint materia libera confessionis, attamen eorum absolutio est actus judicii et usus clavium, ideoque debet proficisci ab habente jurisdictionem. 2° Sine jurisdictione non est potestas ligandi ad pœnam.

Quod autem quidam, inter quos novissime Tournely, dicunt Ecclesiam in hoc casu tacito consensu conferre jurisdictionem necessariam, plane gratuitum est, et nullo fundamento nixum, præsertim post decretum Tridentini, sess. 23, cap. 15, de Reformat., quo declarat generaliter nullum sacerdotem posse excipere confessione sæcularium sine episcopi approbatione. Quo decreto consuetudini contrariæ, si aliquando fuerit, derogatum est ; quidam addunt esse abrogatam decreto Innocentii XI, 26 Februarii 1679.

[1] Ibid. a. 4, ad 4.

[1] Hic q. 2[illegible], a. 4, ad 3. [2] Ibidem ad 6.

Si dicas S.Thomam aliud innuere infra, dum dicit remissionem venialium sequi potestatem Ordinis, resp. S. Thomam loqui de remissione venialium quæ fit per collationem cujuslibet vel sacramenti vel sacramentalis, non per absolutionem sacramentalem; simul enim loquitur de absolutione et sui et æqualis et superioris, constat autem quod nec a venialibus aliquis possit seipsum sacramentaliter absolvere. Vel dicendum S. Thomam loqui secundum praxim sui temporis, si tamen viguerit.

Posset insuper objici quod quilibet sacerdos possit absolvere in articulo mortis, sed de hoc argumento infra ex professo agemus.

ARTICULUS III.

UTRUM CONFESSIO ANNUA FACTA ALTERI QUAM SACERDOTI PAROCHIALI, DE LICENTIA SUPERIORIS, SIT VALIDA ET LICITA?

Quæstio hæc movetur occasione famosi canonis concilii Lateranensis IV, *Omnis utriusque sexus*, de quo jam supra, in quo sic statuitur: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio sacerdoti.... ; si quis autem alieno sacerdoti voluerit, justa de causa, sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non posset absolvere. » Et adverte quæstionem esse de sola confessione annua, de ea enim sola concilium loquitur. Tota difficultas versatur circa sensum horum verborum « proprio sacerdoti », quis sit ille proprius sacerdos exclusive.

Quidam ergo contendunt nomine proprii sacerdotis sic intelligi parochum, ut excludantur summus pontifex et episcopus, ita ut hi non possint aliis dare facultatem excipiendi confessiones parochianorum, imo nec ipsimet excipere sine consensu et licencia parochorum. Ita olim Guillelmus de S. Amore, quem impugnavit S. Th. *Opusc.* 19 ; Deinde Joannes de Poliaco, quem damnavit Joannes XXII, constit. *Vas electionis* data anno 1321 ; etiam nunc quidam scioli qui non minus insulse quam erronee jactant se et papam et episcopum esse in sua ecclesia. Quidam paulo modestiores dicunt papam ex plenitudine potestatis posse dispensare in hac lege ; non posse episcopum, quia est lex generalis Ecclesiæ ; at summos pontifices nunquam de facto illi derogasse. Hæc ex una parte.

Ex altera quidam volunt nomine proprii sacerdotis concilium intellexisse summum pontificem, episcopum et parochum, alii intellexisse solum parochum, sed non exclusis superioribus, seu salva summi pontificis in tota Ecclesia et episcoporum in suis diœcesibus auctoritate. Quamvis autem hæc utraque sententia quoad rem coincidat, modus tamen loquendi in secundo videtur conformior menti concilii. 1° Quia concilium, can. 32, dicit: « Illud autem penitus interdicimus ne quis in fraudem de proventibus Ecclesiæ, quæ curam *proprii Sacerdotis* debet habere, pensionem alii, quasi pro beneficio conferre præsumat. » Ubi nomine proprii sacerdotis, certo intelligit parochialem : ergo similiter canone 21 *Omnis utriusque sexus*. 2° Idem eruitur ex scopo concilii in hoc canone edendo. Tunc temporis abusus irrepserat, ut parochi tot quot possent parochianos ex aliis parochiis ad se attraherent pro confessione annua, ut ex eis decimas perciperent ; erat enim tunc communiter receptum decimas esse persolvendas ei qui sacramenta tempore paschali administrasset. Hæc testantur monumenta historiæ ecclesiasticæ ; Theodulphus episcopus Aurelianensis in suo mandato anni 797, cap. 5 ; *Capitularia regum Galliæ*, lib. 7, cap. 48 et 68 ; Decretum Gratiani, 2 p., dist. 6, de Pœnit.; item causa 33, q. 3, cap. *Cum placuit*, etc. Huic itaque abusui et fraudi ut occurreret concilium, sancivit neminem posse confessionem annuam facere nisi proprio sacerdoti, aut alteri de ejus licentia, quod plane intelligitur de sacerdote parochiali. 3° Quia sic intellexerunt Innocentius IV, constit. data Neapoli, Benedictus XI, Extravaganti *Inter cunctas*, et plura concilia particularia apud Natalem Alexandrum et Honoratum Tournely ; ita etiam intellexit S. Th., dum hic, a. 5, quærit utrum aliquis possit alteri quam proprio sacerdoti confiteri ex privilegio seu mandato superioris, ubi perspicuum est nomine proprii sacerdotis ipsum intelligere parochialem. His non obstantibus,

Dico : Confessio [1] annua facta cuilibet sacerdoti a summo Pontifice, vel ab episcopo delegato et approbato, non requisito consensu sacerdotis parochialis, imo eo contradicente, est valida et licita, eaque satisfit canoni *Omnis utriusque sexus*.

Prob. 1° ex ipso canone laudato : Post impositum a concilio præceptum cuilibet fideli semel in anno confitendi proprio sacerdoti, additur : «Si quis *alieno sacerdoti* voluerit, justa

[1] Suppl. q. 8, a. 5, o.

de causa, sua confiteri peccata, licentiam prius postulat et obtineat a *proprio sacerdote.* » Manifestum est proprium sacerdotem ibi sumi prout opponitur alieno, non prout opponitur communi, sicque jura Summi Pontificis et episcoporum, qui sunt pastores communes et non alieni, sarta tecta manere, et eos nunc posse quod ante canonem poterant : atqui ante canonem poterant, Summus Pontifex in tota Ecclesia, episcopi in suis diœcesibus delegare quem vellent ad excipiendas confessiones fidelium ; ergo id nunc possunt, et qui sic delegatis et approbatis confitetur, satisfacit canoni.

Confir.: Hanc ipsimet potestatem in eodem concilio exercuerunt dum canone primo statuerunt « tam in Cathedralibus quam in aliis conventualibus ecclesiis viros idoneos ordinari, quos episcopi possunt coadjutores et cooperatores habere, non solum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus et pœnitentiis injungendis, ac cæteris quæ ad salutem pertinent animarum. »

Ecquis sanæ mentis credat Summum Pontificem et episcopos in concilio voluisse in gratiam parochorum a se abdicare potestatem quam habent jure divino, et quæ ideo inabdicabilis est ? Quis credat Papam et episcopum teneri petere licentiam parochi ad excipiendas confessiones fidelium parocho subditorum ? Hæc qui credit, somniis pasci delectatur. Non ergo Papa, non episcopus sunt alieni sacerdotes, consequenter non eos tangit canon, sed alios sacerdotes parochiales qui, ut dixi, ex avaritia mittebant falcem in messem alienam.

Prob. 2° rationibus Auctoris[1] quæ in idem collimant. Prima : ea quæ sunt Ordinis possunt habenti similem ordinem committi ab eo qui ea facere potest : atqui administrare sacramentum Pœnitentiæ est potestatis ordinis, et superior, ut episcopus, potest confessionem audire illius qui est de parochia alicujus presbyteri : ergo etiam potest committere alicui sacerdoti quod ipsum audiat. Min. pro prima parte patet. Secunda est luce clarior, ita ut intolerabilis pervicaciæ esset eam negare; episcopus enim est principalior rector omnium suorum diœcesanorum, a quo tota parochi jurisdictio dimanat, et qui potest ipsi reservare et de facto quædam reservat, jurisdictionem limitando. Secunda, quidquid potest inferior potest superior : atqui ipse sacerdos potest suo parochiano dare licentiam ut alteri confiteatur : ergo multo fortius ejus superior hoc potest. Tertia : Potestatem quam habet sacerdos in populo habet ab episcopo ; atqui ex illa potestate potest sacerdos confessionem audire : ergo et eadem ratione alius, cui episcopus potestatem concedit.[1] Quarta : quod aliquis sacerdos impediatur ne alicujus confessionem audiat, vel propter defectum jurisdictionis, vel propter impedimentum executionis ordinis, sicut excommunicati et degradati et hujusmodi : atqui hoc utrumque impedimentum potest tolli per superiorem independenter a proprio sacerdote parochiali : ergo. Prob. min. pro prima parte : Qui habet immediatam jurisdictionem in pœnitentes, potest illam cuilibet sacerdoti committere : atqui non solus sacerdos parochialis, sed et multo magis episcopus in diœcesanos et Papa in omnes fideles habet jurisdictionem immediatam, quod patet ex casibus quos sibi reservant et ex hoc quod ab ipsis ipsi parochi habeant jurisdictionem suam : ergo. Secunda pars min. est evidens : Multo magis enim pertinet ad episcopos aut Papam tollere impedimentum censurarum aut degradationis quam ad parochum : ergo.

Confirm. : Qui confessionem annuam Papæ vel episcopo faceret, satisfaceret canoni, vel non. Si primum dicas : ergo Papa et episcopus sunt proprius sacerdos ad sensum concilii, seu saltem non excluduntur, et qui confiteretur alteri delegato ab alterutro, confiteretur illi de licentia proprii sacerdotis. Si secundum dicas, ne repetam id esse plane absurdum, quæro cui confitebitur et quomodo satisfaciet canoni pœnitens, si forte non habeat nisi peccata reservata Pontifici vel episcopo ?

Prob. 3° variis constitutionibus summorum pontificum qui post concilium Lateranense declararunt validam esse annuam confessionem factam regularibus privilegiatis et approbatis, et per eam satisfieri canoni *Omnis utriusque sexus.*

1° Joannis XXII, constit. *Vas electionis*, data anno 1321, inserta juri communi, lib. 5 Extravag. communium, damnavit hanc propositionem Joannis de Poliaco : « Confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones tenentur eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio sacerdoti. » Et hanc alteram : « Stante omnis utriusque sexus edicto in concilio generali, Romanus pontifex non potest facere, ut parochiani non teneantur omnia peccata semel in anno proprio sacerdoti confiteri, quem constat

[2] Ibid. in a. s. c.

[1] Ibid. o.

esse parochialem curatum. » Idem Alexander V, anno 1409, bulla *Regnans in cœlis.*

2° Leo X. Constit. *Dum intra mentis arcana,* confirmata in concilio Lateranensi V, anno 1516, de regularibus sic statuit : « Possunt illi per episcopos et prælatos super sufficienti litteratura et aliqua saltem ejusdem sacramenti peritia duntaxat examinari; talibusque præsentatis, admissis, vel etiam indebite recusatis confitentes, Constitutioni quæ incipit *omnis utriusque sexus,* quoad confessionem duntaxat satisfecisse censeantur. » Nota tamen has particulas, vel « etiam indebite recusatis », esse revocatas per concilium Trident. et per condemnationem hujus propositionis ab Alexandro VII : « Satisfacit præcepto confessionis annuæ qui confitetur regulari, episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato. » Cæteris in suo robore permanentibus,

Respondet Juenin hanc constitutionem Leonis X in nulla orbis christiani provincia locum habere, quia in synodo Augustana, Mediolanensi, Rhemensi et Burdigalensi præcipitur servari canonem Lateranensem. Egregie sane : Numquid et Constitutio Joannis XXII, relata in corpus juris, et aliæ constitutiones et decreta quæ modo referemus in nulla orbis christiani provincia habent locum ? Numquid quatuor synodi provinciales faciunt omnes orbis provincias ? Et esto : Numquid istæ quatuor synodi contradicunt Constitutioni Leonis ? Minime gentium : dicunt servandum esse canonem Lateranensem : ita est. Neque id negat Leo, sed declarat duntaxat servari per confessionem factam regularibus de licentia Papæ.

3° Clemens VIII, in brevi dato 1592 contra quosdam parochos Duacenses qui hac de re regulares vexabant, dixit : « Præsenti nostro decreto sancimus licere sæcularibus Christi fidelibus universis, libere missas audire..... et tam dictis fratribus et presbyteris dictæ societatis aliisque privilegiatis, quibus id a sede apostolica indultum est, idoneis tamen et ab ordinario approbatis, peccata sua etiam quadragesimali et paschali et quovis alio tempore confiteri licite posse, dummodo tamen iidem sæculares Christi fideles sacramentum Eucharistiæ in propria parochia ab eorum parochis sumant.» Quid huic brevi respondeat Juenin dicam in sol. obj.

4° Innocentius X, orta controversia inter archiepiscopum Burdigalensem et regulares, de confessionum exceptione tempore paschali, de consilio S. Congregationis, anno 1641, decrevit « archiepiscopum Burdigalensem non posse prohibere regularibus habentibus privilegia apostolica, ut a dominica palmarum usque ad dominicam in albis inclusive administrare non valeant personis sæcularibus sacramentum confessionis, posse tamen iisdem prohibere ut personis sæcularibus in die paschatis non administrent sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, etiamsi dictæ personæ sæculares in alia die satisfecerint præcepto Ecclesiæ hac de re edito.» Quod breve fuit in Gallia receptum et executioni mandatum sacra regis christianissimi jussione quæ est hujus tenoris :

« LOUIS, par la grâce de Dieu, roi de France et de Navarre, au premier notre huissier ou sergent sur ce requis. Nos bien-aimés les supérieurs et religieux du couvent de Frères-Prêcheurs, Augustins, Récollets, Carmes, Jésuites et de la Mercy de notre bonne Ville de Bourdeaux, nous ont fait exposer etc., etc..... A ces causes, de l'avis de notre conseil, qui a vu ledit bref ci-attaché sous le contrescel de notre chancellerie, et qui ne s'est trouvé en icelui aucune chose contraire au privilége de l'Eglise Gallicane, Nous te mandons et commandons que tu mettes en exécution ledit bref selon sa forme et teneur : et à cet effet tu feras tous exploits requis et nécessaires, sans pour ce demander autre permission : car tel est notre plaisir. Donné à Paris ce onzième jour de mars, l'an de grâce mil six cent quarante cinq, et de notre règne le deuxième. Par le ROI en son conseil. Signé : D'AUDIGNIER.» Typis Parisiensibus Guillelmi Sassier, vico Des Ardières, prope Sorbonam, ad insigne duarum Turturum, anno 1645.

5° Clemens X, Constit. *Superna,* anno 1670, declaravit «regulares simpliciter ab ordinariis approbatos posse in diœcesi episcopi approbantis, quovis anni tempore etiam paschali et quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire, absque ulla parochorum vel ipsius episcopi licentia.....Et eos qui dictis religiosis simpliciter approbatis paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni quæ incipit *Omnis utriusque sexus,* quoad confessionem duntaxat satisfecisse censendos.»

Mitto plura concilia provincialia, scholarum principes : S. Thomam, S. Bonaventuram, Durandum, Henricum a Gandavo ; ex recentioribus Gamachæum, Isambertum, Franciscum Harlæum archiepiscopum Parisiensem, Natalem Alexandrum, Tournelium, hos omnes doctores Sorbonicos qui idem docent.

Hæc sequentia duntaxat specialiter notanda

arbitror. Clerus Gallicanus in comitiis generalibus anno 1655, in epistola encyclica adversus librum cujusdam anonymi, inter plura quæ conclusionem nostram asserunt, dicit : « Fideles qui paschalis communionis gratia confitentur non solum suis episcopis, eorum vicariis generalibus et pœnitentiariis, verum etiam quibuslibet sacerdotibus sæcularibus vel regularibus ab episcopis ad hanc functionem approbatis, ejusdem concilii (Lateranensis) præceptum de annua confessione adimplere. »

Et pastores Parisienses in declaratione oblata clero Gallicano, anno 1656, agnoverunt « Episcopos proprios esse sacerdotes, qui jure divino et quidem superiori et immediato possunt fidelibus verbum Dei annuntiare, sacramenta administrare et quibus voluerint ea administrandi facultatem concedere. »

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° canonem laudatum *Omnis*, etc., qui debet intelligi de sacerdote parochiali : ergo. At liquet ex dictis quod concesso ant., neganda sit consequentia ; quia sic intelligendus est de sacerdote parochiali, ut non excludantur superiores, papa scilicet et episcopus.

Inst. : Si nomine sacerdotis proprii veniant Papa et episcopi, aut saltem non excludantur, inutilis esset laudatus canon, cum nemo unquam negaverit necessariam esse jurisdictionem sive ordinariam sive delegatam ad excipiendas valide confessiones : ergo.

Resp. neg. sequelam et ejus probationem. Et 1° non defuerunt qui contenderent omnem sacerdotem vi suæ ordinationis posse audire confessiones, ut patet ex articulo præcedenti ; et S. Th. refert, *Opusc.* 19, quosdam fuisse, et adhuc esse suo tempore « qui potestatem ecclesiastici ministerii in vitæ sanctitate ponebant, ut videlicet qui sanctitate caruerit, Ordinis quoque potestatem amittat, et qui sanctitate fulgeret, etiam Ordinis potestate potiatur..... ex hujus autem erroris radice processit quorumdam præsumptio et præcipue quorumdam monachorum, qui, de sua sanctitate præsumentes, ministrorum Ecclesiæ officia proprio arbitrio usurpabant, absolvendo scilicet peccatores, et prædicando absque alicujus auctoritate episcopi, quod nullatenus eis licebat. » Ut observavimus, tunc temporis irrepserat abusus quo parochi ex avaritia alienos parochianos ad se attrahebant, ipsisque sine jurisdictione sacramentum Pœnitentiæ impendebant percepturi ab eis decimas. His itaque erroribus et abusibus utiliter et provide occurrit laudatus canon.

Obj. 2° : Martinus IV, anno 1281, Constit. *Ad uberes fructus*, dicit : « Volumus quod ii qui fratribus confitebuntur eisdem, suis presbyteris parochialibus confiteri saltem semel in anno, prout concilium generale statuit, teneantur : » ergo.

Resp. cum Sylvio et aliis huic constitutioni Martini IV derogatum esse per sequentes pontifices a nobis laudatos.

Inst. 1° : Sixtus IV, Extravag. *Vices illius* de Treuga et pace, lib. 1, tit. 9, data 1478, jubet ut « Mendicantes desistant prædicare, quod parochiani non sint obligati saltem in paschate proprio sacerdoti confiteri, quia de jure tenetur parochianus saltem in paschate proprio sacerdoti confiteri : » ergo.

Resp. nos non prædicare, nec dicere parochianos non teneri confiteri saltem in paschate proprio sacerdoti ; scimus enim, dicimus et prædicamus e contra esse præceptum concilii Lateranensis omnibus fidelibus confitendi semel in anno, proprio sacerdoti aut alteri de ejus licentia ; sed dicimus et prædicamus huic præcepto satisfieri per confessionem factam papæ, episcopo, eorum pœnitentiariis, et aliis omnibus ab ipsis delegatis et approbatis. Eadem solutione excipies varia concilia provincialia, in quibus asseritur hæc obligatio confitendi semel in anno proprio sacerdoti : unde incassum illa nobis objiciunt adversarii. Deinde si constitutio sixtina in aliquo contradiceret conclusioni nostræ, abunde foret illi derogatum per sequentes pontifices.

Inst 2° : Constitutiones sequentium pontificum quas pro conclusione protulimus, non sunt receptæ in Gallia : ergo. Ita Juenin.

Resp. 1° ant. esse manifeste falsum de iis constitutionibus quæ sunt insertæ corpori juris, qualis est Extravag. *Vas electionis*, et de brevi Innocentii X ad archiepiscopum Burdigalensem, quod rex christianissimus speciali diplomate jussit acceptari et executioni mandari, ut vidimus. 2° Cur quoad hunc articulum non essent receptæ in Gallia, cum ipse clerus Gallicanus, et varia ejusdem regni concilia provincialia idem definiant ? 3° Esto non sint receptæ a Gallis, possent tamen ab illis recipi, sicut ab aliis recipiuntur, iisque saltem evincitur quis sit ex mente summorum pontificum sensus canonis *Omnis*, etc. 4° Ut possim valide et licite uti privilegio, non requiritur ejus promulgatio, nec ab aliis acceptatio, sed sufficit quod quovis certo modo mihi innotescat, et

ego illud acceptem, maxime si non sit in alterius præjudicium, ut non est illud de quo agimus, sicut patebit ex obj. seq.

Inst. 3° cum eodem : His decretis id unum definiri, licere scilicet fidelibus confiteri mendicantibus ab ordinario approbatis, quovis etiam paschali tempore, at nequaquam definiri fideles per hujusmodi confessiones satsifacere canoni, *Omnis utriusque sexus*, etc. Duo enim, inquit, hoc canone præcipiuntur ; primum, ut quisque fidelis semel in anno confiteatur; alterum, ut semel unoquoque anno apud proprium sacerdotem confiteatur. Primo, juxta laudata decreta, satisfit per confessionem factam privilegiatis; at non item secundo : ergo.

Resp. 1° assumptum esse falsum quantum ad Constit. *Vas electionis* Joanis XXII, Constit. *Regnans in excelsis* Alexand. V, Constit. *Dum intra mentis arcana*, concil. V Lateran., Constit. *Superna* Clementis X et declarationem cleri Gallicani in epistola encyclica, quibus diserte asseritur per confessionem factam regularibus privilegiatis satisfieri canoni *Omnis utriusque sexus*. Instantia itaque non tangit nisi decreta Clementis VIII et Innocentii X. Unde 2° qui confitetur regulari de licentia Papæ, aut episcopi, confitetur alteri de licentia proprii sacerdotis, ut probavimus : ergo satisfacit canoni. 3° Præceptum confitendi parocho supponit præceptum confitendi simpliciter: ergo sublato præcepto confitendi, tollitur præceptum confitendi parocho. Subsumo : Atqui ex concessis per confessionem factam privilegiatis tollitur præceptum confitendi annue; ei enim, ut fatetur arguens, per hujusmodi confessionem satisfit : ergo tollitur præceptum confitendi parocho. Nisi forte dicas esse præceptum bis eadem peccata confitendi, quod est damnatum a Joanne XXII et Alexand. V, et cujus falsitas constat ex dictis art. 2 præced. dissert. Confer. 4° Laudata decreta hoc solummodo requirunt ab his qui confessi fuerint regularibus tempore paschali, ut sacramentum Eucharistiæ a proprio parocho sumant, prout præcipitur citato canone *Omnis utriusque*, etiamsi in decursu anni communicaverint : ergo censet per confessionem factam regularibus satisfactum esse dicto canoni quoad confessionem faciendam proprio sacerdoti; alioquin non dixisset tantum: « Dummodo sacramentum Eucharistiæ a parocho sumant », sed etiam dixisset : dummodo iterum confiteantur parocho. 5° Denique quæro quid emolumenti ex hoc privilegio obveniat fidelibus, si annua confessione legitime peracta apud privilegiatos, teneantur iterum eadem peccata confiteri parocho ? Nullum sane, sed e contra onus gravissimum, intolerabile, inauditum, nulla ratione, aut auctoritate probandum, sed reprobatum a summis pontificibus, scilicet bis confitendi eadem peccata. At forte fallor : « Maximum, inquit Juenin, emolumentum percipere valent ex piorum et doctorum religiosorum consiliis. » Optime. Sed numquid istud emolumentum percipi potest extra confessionem? Numquid parochi sunt pii et docti æque ac religiosi ? Oblitus est hic sui et sociorum. Desperata sane causa, quæ non nisi his futilibus ratiunculis, et ipsi suo auctori probrosis, defenditur.

Obj. 3° : Non potest aliquod privilegium indulgeri in præjudicium alterius ; sed hoc esset in præjudicium alterius sacerdotis, si alius confessionem sui subditi audiat : ergo.

Resp. dato ant. neg. min. Præjudicium enim non fit alicui, nisi ei subtrahatur quod est in favorem ejus indultum : jurisdictionis autem potestas non est commissa alicui homini in favorem suum, sed in utilitatem plebis, et honorem Dei. Et ideo si superioribus prælatis expedire videatur ad salutem plebis et honorem Dei promovendum, quod aliis quæ sunt jurisdictionis committant, in nullo fit præjudicium inferioribus prælatis, nisi illis « qui quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi», et qui gregi «præsunt, non ut pascant, sed ut ab eo pascantur »: hucusque S. Doctor. Quibus addi potest quod potius inde onus parochorum levatur quam præjudicium ipsis fiat. Insuper per tale privilegium non aufertur ab ipsis jurisdictio ordinaria, et sic nullum fit eis præjudicium.

Inst. 1° : Illud per quod impeditur divinum mandatum , non potest per mandatum vel privilegium alicujus hominis concedi ; sed mandatum divinum est ad rectores ecclesiarum, ut diligenter vultum sui pecoris agnoscant, Proverb.7;quod impeditur si alius quam ipse confessionem ejus audiat : ergo hoc non potest per alicujus hominis privilegium vel mandatum ordinari.

Resp. neg. secundam partem min., scilicet quod ista agnitio impediatur, etc.;nam, inquit S. Th., rector ecclesiæ debet vultum pecoris sui cognoscere dupliciter : uno modo per sollicitam exterioris conversationis consideratione qua invigilare debet super gregem sibi commissum, et in hac cognitione non oportet quod credat subdito, sed certitudinem facti in quantum potest inquirat; alio modo per con-

fessionis manifestationem, et quantum ad hanc cognitionem non potest habere majorem certitudinem, quam ut subdito credat, quia hoc est ad subveniendum conscientiæ ipsius: unde in foro confessionis creditur homini, et pro se, et contra se, non autem in foro exterioris judicii; et ideo ad hanc cognitionem sufficit quod credat subdito dicenti se alteri absolvere valenti fuisse confessum; et sic patet quod talis cognitio pecoris per privilegium alteri indultum de confessione audienda non impeditur : hucusque S. Doctor. Quibus addi potest quod ex foro isto interiori non potest procedere parochus ad gubernandum suum gregem in foro exteriori ; et quod pastor sufficienter agnoscit vultum pecoris sui quando ipsum agnoscit episcopus vel Papa per se, vel per a se delegatos, sicut ipse sacerdos parochialis, si alios ad id ipse committeret.

Inst. 2°: Ille qui audit confessionem alicujus est proprius judex ejus, alias non posset cum ligare et solvere; sed unius hominis non possunt esse plures proprii sacerdotes vel judices ; quia tunc teneretur pluribus obedire, quod est impossibile, si contraria præciperent vel incompossibilia : ergo non potest aliquis confiteri nisi proprio sacerdoti etiam ex licentia superioris.

Resp. dist. min. Unius hominis non possunt esse plures judices æquales et non subordinati[1], conc. min.; subordinati, neg. min. Igitur inconveniens esset si duo æqualiter super eamdem plebem constituantur; si autem inæqualiter et subordinate, non est inconveniens, et secundum hoc super eamdem plebem immediate sunt sacerdos parochialis et episcopus et Papa, et quilibet eorum potest ea quæ sunt jurisdictionis ad ipsum pertinentia alteri committere.

Inst. 3° : Papa nihil potest contra decreta conciliorum generalium : ergo.

Resp. 1° neg. suppositum ant. Papa enim delegando sacerdotes ad excipiendas confessiones fidelium, non agit contra decretum concilii Lateranensis, siquidem, licet in eo decreto nomine proprii sacerdotis intelligatur parochialis, non excluditur tamen Papa nec episcopus, qui sunt etiam proprii sacerdotes, hoc sensu quod non sint alieni, salvumque maneat jus illorum. 2° Dist. ant.: Papa nihil potest contra decreta conciliorum generalium, in his quæ spectant fidem, conc.; in his quæ spectant disciplinam, neg.

Inst. 4° : Parochi sunt juris divini : ergo non potest illi derogari per Papam vel per episcopum.

Resp. 1° dist. ant. Sunt juris divini inferioris et subordinati, transeat; non subordinati, neg. Papa enim in tota Ecclesia, et episcopus in sua diœcesi est magis et excellentiori modo sacerdos proprius quam curatus : « Proprii sacerdotis officium, inquit clerus Gallicanus in laudata epistola encyclica, in proprii episcopi dignitate continetur. » Unde 2° neg. suppositum consequentis; episcopus enim conferendo alteri potestatem audiendi confessiones, non derogat juri sacerdotis parochialis, cum illum non privet jurisdictione ordinaria, sed utitur suo.

Inst. 5° : Episcopus instituendo parochum, dedit illi jurisdictionem in parochianos : atqui id quod quis dat, amplius non habet : ergo.

Resp. dist. min.: In corporalibus, conc.; in spiritualibus[1], neg. Ratio disparitatis est quod corporalia communicentur per translationem Dominii : unde qui dedit villam aut pecunias, non habet amplius; spiritualia autem communicantur per virtutem et actionem dantis in recipientem : agens autem non amittit virtutem agendi, hoc ipso quod agit : sic qui communicat alteri scientiam, non propter hoc amittit illam ; episcopus conferens neomystæ potestatem consecrandi, non amittit illam. Similiter in nostro casu.

ARTICULUS IV.

DE JURISDICTIONE PUTATIVA ET PROBABILI.

§ I.

De jurisdictione putativa ex errore.

Voco jurisdictionem putativam ex errore, quæ bona fide creditur esse et non est. Error autem vel est communis, id est, omnium aut fere omnium in loco ubi fit confessio, licet alibi non sit ; vel est particularis et paucorum tantum. Item vel est cum titulo colorato, vel sine titulo. Hoc notato,

Dico 1° : Valida est confessio facta sacerdoti qui, ob titulum coloratum, creditur communi errore habere jurisdictionem quam non habet.

Est communis sententia theologorum fundata in benigna interpretatione voluntatis piæ matris Ecclesiæ, quæ in communi errore cum titulo colorato censetur conferre jurisdictionem ad singulos actus, ob utilitatem publi-

[1] Ibid.

[1] Opusc. 19.

cam, ne scilicet innumeræ animæ in sua bona fide pereant, aut gravissimis crucientur scrupulis et anxietatibus circa suas confessiones. Idque conformiter juri civili, l. Barbarius, ff. de officio prætoris, ubi dicitur quod « qui communiter est receptus tanquam judex, etiamsi vere judex non sit, ejus gesta sunt valida. »

Idque verum videtur etiamsi ipse confessarius esset in mala fide, sciretque suum titulum esse nullum ; quia licet graviter peccet, usurpando, quantum in ipso est, jurisdictionem quam revera non habet antequam confessionem audiat, valet tamen ejus absolutio ; quia dum id attentat, Ecclesia in ipso actu confert jurisdictionem, non in ipsius, sed pœnitentium favorem.

Dixi sacerdoti ; quia si non sacerdos, aut fœmina communiter crederetur habere jurisdictionem, etiam cum titulo colorato, nullæ prorsus forent ejus absolutiones, quia hunc detectum, cum sit juris divini, Ecclesia supplere non potest. Confer quæ dixi dissert. 12, de Jure et Just., a. 1, pet. 3.

Hinc inferes sacerdotem qui accipit beneficium pastorale cum impedimento occulto, puta simoniace, ratione cujus collatio est nulla, et habetur communiter pastor, valide absolvere ; similiter eum cujus jurisdictio ad tempus delegata, finita est, aut occulte revocata, dum se pro confessario gerit ut ante.

Dico 2° : Videtur etiam valida confessio facta sacerdoti qui sine titulo creditur communiter habere jurisdictionem, quam non habet.

Quamvis hæc conclusio non sit tam communis et tam certa quam præcedens, est tamen plurium graviorum theologorum, et videtur mihi probabilior ; quia posito errore communi, etiam sine titulo colorato, quod talis habeat jurisdictionem ; si illam non suppleat Ecclesia, eadem omnino inconvenientia sequuntur, ac in præcedenti conclusione, quibus obviare est pariter impossibile.

Si dicas imprudentiam esse admittere aliquem tanquam confessarium sine exhibitione tituli, Ecclesiam autem non favere imprudentibus, resp. equidem imprudentiam esse in iis ad quos spectat ex officio inspicere et providere ne falsi pro veris ministris admittantur, quales sunt episcopi, pastores, magistratus, etc. At dici non potest esse imprudentiam respectu plebis, quæ nec solet, nec ex officio debet inquirere de veritate ministrorum, sed superiorum vigilantiæ remittere : unde, respectu plebis, vix est error communis sine aliquo titulo apparenti, qualis est, v. g., consensus parochi, vel superiorum, silentium et fides aliorum, etc.

Petes utrum istæ duæ conclusiones currant etiam pro casibus reservatis ?

Resp. ut videtur mihi probabilius, affirmative. Scio quosdam contradicere ; quia Trident., sess. 14, cap. 7, dicit sacerdotes extra articulum mortis nihil posse in casus reservatos. Verum neque aliquid possunt in casus communes sine jurisdictione : sicut ergo dum illam non habent in casus communes, Ecclesia in errore communi illis in actuali exercitio confert ob commune bonum, ita pariter ob eamdem rationem confert in casus reservatos.

Si dicas circa casus reservatos vix posse dari errorem communem, quamvis soleat dari nescientia ; non enim confessarii solent manifestare pœnitentibus se habere vel non habere facultatem absolvendi a reservatis : at vero potestas communis absolvendi, omnibus manifestatur, ut primum sacerdos sedet in confessionali.

Resp. Equidem ob rationem datam, rarius dari errorem communem jurisdictionis circa reservata quam circa communia. Potest tamen dari, sive ex declaratione ipsius confessarii aut litteris fictis ; sive ex officio cui consuetum est annecti jurisdictio in reservata, ut sunt magni pœnitentiarii in cathedralibus, capellani in castris ; sive ex usu diœcesis, si forte soleat hæc jurisdictio concedi certis personis, ut decanis, superioribus conventuum, theologiæ professoribus. etc., ut fit in hac diœcesi Leodiensi et hi ut tales communiter habeantur : in qua hypothesi currit nostra responsio.

Dico 3° : Invalida est confessio quam pœnitens facit sacerdoti quem ex errore particulari credit habere jurisdictionem quam non habet.

Est communis : Quia ob utilitatem unius vel alterius particularis non censetur Ecclesia supplere jurisdictionem, sicut supplet pro bono communi totius plebis, præsertim cum qui errore particulari laborant, possint ab aliis instrui de defectu jurisdictionis in tali confessario, et sic confessionis defectibus occurrere. Insuper alias nunquam essent invalidæ confessiones defectu jurisdictionis.

§ II.

De jurisdictione probabili.

Dico 1° : Confessarius potest licite et valide uti jurisdictione quam credit probabilius se

habere, vel absolute in pœnitentem, vel respective ad certum casum, tempus, aut personam.

Ratio est 1° quia hæc est consuetudo et praxis communis confessariorum; jurisdictio autem secundum jura acquiritur consuetudine, seu consuetudo est signum jurisdictionis acquisitæ, cap. *Cum contingat*. Extra de foro competenti, lib. 2, tit. 2. 2° Quia alioquin confessarii continuo forent suspensi et anxii, plurimosque pœnitentes non absolutos dimittere cogerentur, est enim frequens iste casus: unde omnino verisimile est quod si revera confessarius careat jurisdictione quam prudenter et probabilius putat se habere, eam in hoc casu, ut occurratur inconvenientibus, suppleat benigna mater Ecclesia, sicut dictum est § præcedenti. 3° Quia, ut docuimus in 1 2, licitum est sequi sententiam probabiliorem.

Neque simile est ac dum agitur de valore sacramenti defectu materiæ et formæ, quia hunc defectum supplere non potest Ecclesia, si reipsa desit materia aut forma, quantumvis probabilius credatur adesse; defectum autem jurisdictionis supplere potest et certo moraliter supplet dum prudenter creditur adesse propter rationes allatas; sicque nostra resolutio judicio reflexo est certa moraliter, quamvis jurisdictio sit tantum probabilior.

Dico 2°: Probabile est esse licitum et validum uti jurisdictione probabili, urgente aliqua gravi causa, puta si sacerdos indispensabiliter teneatur celebrare, nec sit qui jurisdictionem certam aut probabiliorem habeat, si quis ad annum confessionem differre debeat, aut si peccato gravatus suscipiat iter periculosum; si in articulo mortis habeat insuperabilem repugnantiam confiteri habenti jurisdictionem certam aut probabiliorem, etc. Ita saltem censent plures auctores: Suarez, Delugo, Marchantius, Sanchez, Lessius, Pontius, Bonacina, Neesen, Sporer, Henno et alii plures existimantes Ecclesiam etiam in hoc casu ob utilitatem fidelium supplere jurisdictionem, si forte desit.

Dico 3°: Ecclesia non supplet jurisdictionem in illo qui sine gravi causa utitur jurisdictione probabili; ideoque iste confessarius peccat, et si revera desit jurisdictio quam putat probabiliter se habere, invalida est absolutio; nisi concurrat error communis ex parte pœnitentium, ut dictum est § præcedenti.

Ratio est quia Ecclesia non patrocinatur levitati, impruden et temeritatiæ illius qui pro libitu et sine justa causa utitur jurisdictione tantum probabili; videturque hic habere locum condemnatio propositionis quæ dicebat licitum esse sequi sententiam probabilem, relicta tutiori, quando agitur de valore sacramenti.

ARTICULUS V.

DE APPROBATIONE REQUISITA AD JURISDICTIONEM PER QUÆSTIUNCULAS.

Petes 1° quid sit approbatio?

Resp. Juxta plures et communius, est judicium publicum et authenticum de idoneitate et sufficientia sacerdotis ad confessiones audiendas, sicque est præcise actus intellectus.

Juxta alios, approbatio ultra judicium, quod est actus intellectus, importat actum voluntatis, scilicet consensum, permissionem et licentiam episcopi ut is, quem judicat idoneum, vel habeat jurisdictionem, vel illa aliunde habita utatur. Et id mihi probabilius est.

Primo quia concilium Trid. ut duo diversa ponit judicium et approbationem, « nisi, inquit, idoneus judicetur, et approbationem, quæ gratis detur, obtineat. » Et certum est quod approbatio respectu sæcularium, ultra judicium de idoneitate, importet collationem jurisdictionis; consequenter in regularibus qui suam jurisdictionem habent a jure, seu privilegiis juri insertis, importat non quidem concessionem jurisdictionis, sed concessionem seu licentiam ea utendi. 2° In clementina *Dudum* de sepulturis et Extravaganti *Inter cunctas*, hæc approbatio dicitur licentia. Similiter in brevi Urbani VIII ad Cardinalem Sandoval, dato 30 januarii 1629, et in bulla *Superna* Clementis X. 3° Reprobare non est sine actu voluntatis: ergo et approbare. Item simplex cognitio non nisi valde improprie potest dici approbatio: unde, secundum theologos, scientia approbationis importat actum voluntatis.

Petes 2° utrum necessario requiratur approbatio episcopi ad confessiones audiendas?

Resp. affirmative ex concilio Trid. sess. 23, cap. 15, ubi sic legitur: « Decernit S. synodus nullum etiam regularem posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem quæ gratis detur, obtineat; privilegiis et consuetudine etiam immemoriali non obstantibus. »

Quo jure novo, veteri derogatum est; ante

enim istud decretum, parochi poterant delegare suam jurisdictionem etiam non approbatis ab episcopo; et regulares mendicantes jurisdictione sibi a S. Sede collata utebantur sine tali approbatione, saltem quando petita recusabatur, ut constat ex Clementina *Dudum* et aliis.

Pro majori elucidatione hujus decreti, explicandi sunt ejus termini. Dicitur 1° « nullam etiam regularem : » Unde etiam comprehenduntur doctores et magistri in theologia quantumvis docti et alias privilegiati; licet enim forte eis non desit scientia, deesse possunt aliæ conditiones, prudentia, experientia, probitas, requisitæ ad munus confessarii, cujus rei examen et judicium episcopo committitur.

Dicitur 2° « non posse, nec ad id idoneum reputari » : Quibus verbis intelligitur non solum illicitam, sed et invalidam esse absolutionem datam a non approbato, seu non habente beneficium parochiale.

Dicitur 3° « confessiones sæcularium » : Quoad confessiones enim regularium nihil innovavit Trid. Unde sicut jure communi poterant ante concilium, ita et nunc possunt regulares confiteri cuivis sacerdoti, etiam non approbato ab episcopo, quem prælatus secundum morem ordinis eis constituerit.

Quoad moniales tantum est aliqua difficultas : Quia Gregorius XV, bulla *Incrustabili*, anno 1622, statuit ut nullus sacerdos etiam regularis, quomodocumque exemptus possit audire Confessiones monialium etiam sibi subditarum, nisi fuerit approbatus ab episcopo diœcesano ; et Clemens X, anno 1670, idem et aliquid amplius, ut modo dicam, statuit bulla *Superna*.

Resp. bullam Gregorii fuisse suspensam pro regnis Hispaniæ, consequenter pro Belgio tunc eidem regi subjecto, ab Urbano VIII, Gregorii successore, brevi *Alias felicis*, dato 7 februarii 1625, ad Julium episcopum Gravinen, nuntium apostolicum in regnis Hispaniæ. Quod breve cum mandato nuntii in ejus executionem legitur in bullario ordinis nostri, tom. 6, pag. 33 et seq. extractum ex archivio ordinis, in quo exemplar typis expressum servatur.

Quoad bullam Clementis X, etiam constat quædam in ea contineri quæ extra Italiam non servantur : sic in ea statuitur regulares qui idonei generaliter reperti fuerint, generaliter quoque et indistincte absque limitatione temporis, locorum aut personarum esse admittendos; dlacet tamen illustrissimis episcopis, etiam in theologia magistros eruditione et probitate conspicuos admittere ad unum, duos, vel tres annos, non obstantibus intercessionibus et querelis regularium. Item in eadem bulla statuitur regulares generaliter approbatos ad audiendas confessiones sæcularium, egere præterea speciali approbatione episcopi ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum; cui tamen, saltem in Belgio, derogatum videtur scientibus et non contradicentibus superioribus.

Dicitur 4° nisi aut parochiale beneficium obtineat : Igitur qui parochiam seu beneficium quodvis, cui animarum cura annexa est, obtinuerunt, eo ipso ad confessiones audiendas approbati censentur, ut alia approbatione opus non habeant; quamdiu scilicet beneficium retinent. Quamprimum autem parochus esse desiit, desinit quoque ejus approbatio, adeo ut sine nova approbatione nec licite, nec valide absolvere possit, nisi forte fuisset prius approbatus, independenter a beneficio parochiali.

Dubitatur autem hic an parochus censeatur sic approbatus nedum pro sua parochia, sed etiam pro quavis alia, etiam alterius diœcesis?

Negat Barbosa cum aliis pluribus; quia fieri potest quod sit idoneus pro una parochia, non pro alia, pro una diœcesi, non pro alia, in qua alii mores sunt, alia commercia, etc., asseritque præfatus auctor ita decisum esse a sacra Congregatione Cardinalium.

Affirmant Sylvius, Suarez, Vasques, Henriques, Herinx, Delugo, Steyaertius et alii plurimi. Ratio est, inquit Sylvius, quia concilium ponit duo diversa quibus aliquis reputetur idoneus, vel quod habeat beneficium parochiale, vel quod sit alioqui approbatus ab episcopis : ergo si habeat beneficium parochiale, non indiget alia approbatione episcoporum et est approbatus pro omnibus diœcesibus, sicut regularis esset approbatus pro omnibus, si ab omnibus episcopis approbaretur : unde juxta hanc probabilem sententiam parochus censetur ubique idoneus ut possit a quolibet in quacumque diœcesi eligi in confessarium, vel per bullam, v. g., tempore jubilæi, vel per delegationem alterius parochi in proprias oves.

Quoad decisionem autem quam opponit Barbosa, respondetur de hac non constare authentice. Ad inconveniens : Equidem videtur esse aliquod; sed cum difficile fuisset hic terminos ponere et determinare ad quos se extenderet, vel non extenderet approbatio parochi, magis consultum visum est concilio, rem in sua generalitate relinquere, et discretioni pastorum

dimittere, ut non nisi idoneos pro suis ovibus admittant.

Dicitur 5° « aut approbationem obtineat » : Unde non sufficit esse petitam si denegetur, quamvis injuste. Quod etiam insinuavit S. Pius V, bulla *Romani pontificis*, et novissime declaravit Alexander VII in condemnatione hujus propositionis : « Satisfacit præcepto annuæ confessionis qui confitetur regulari, episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato. » Ex quibus patet derogatum esse Clementinæ *Dudum* de sepult., ubi Clemens V in concilio Viennensi contrarium sanciverat.

Dicitur tandem « privilegiis et consuetudine immemoriali non obstantibus. » Quibus clausulis derogatur communi juri et anterioribus omnibus privilegiis, quatenus duntaxat præsenti dispositioni contrariis. Hæc autem approbatio non debet necessario in scriptis dari, sufficit quod detur oretenus.

Petes 3° cujus episcopi approbatio sit necessaria, an pœnitentis, an confessarii, an loci ubi confessio excipitur.

Resp. 1° : Per se loquendo, secluso privilegio aut constitutione particulari, non requiritur approbatio episcopi loci ubi excipitur confessio, saltem si excipiatur privatim, neque episcopi confessarii, sed sufficit et requiritur approbatio Episcopi pœnitentis.

Quoad primam partem de loco materiali, non est magnopere laborandum, inquit Sylvius hic, q. 5; quia locus materialis est mere per accidens respectu pœnitentis et confessarii, cum ejus jurisdictio non sit in locum, sed in personas. Unde parochus et quilibet alius, saltem sæcularis, approbatus, potest suum subditum ubicumque repertum sacramentaliter, saltem privatim, absolvere. Dico : saltem privatim, ut evitetur conflictus jurisdictionum et periculum alios non subditos audiendi, si publice exponeretur ; in his autem quæ fiunt sine strepitu judicii non violatur jus alicujus.

Prob. secunda et tertia pars : Concilium Trid. ideo requirit approbationem episcopi in confessario, ut sic indigni repellantur et pœnitentibus provideantur idonei ministri : atqui ad episcopum ipsorum pœnitentium pertinet eis tanquam suis ovibus idoneos providere ministros : ergo ad ipsum pertinet nosse et approbare confessarium illorum, non ad episcopum confessarii cui cura ovium alienarum non est commissa.

Dices approbare confessarium est actus jurisdictionis : atqui solus episcopus confessarii habet in eum jurisdictionem, et non episcopus pœnitentis : ergo.

Resp. dist. min. Solus episcopus confessarii habet in eum jurisdictionem necessariam, conc. min.; liberam, neg. min. et conseq. Hoc ipso enim quo sacerdos approbationem ab extraneo episcopo oblatam acceptat, ei se libere subjicit.

Inst. : Juxta declarationem cardinalium, approbatam a Gregorio XIII, quam referunt Quaranta, Leander, Suarez, Delugo, Candidus et alii, episcopus non potest eligere in confessarium sacerdotem sibi non subditum, si a proprio episcopo non fuerit approbatus.

Resp. id esse verum quamdiu manet non subditus episcopo eligenti, sed ipsum approbando pro diœcesanis, fit sibi subditus, ideoque potest illi confiteri.

Hinc sequitur 1° sacerdotem sæcularem habitantem in diœcesi Leodiensi, in qua non est approbatus, posse (saltem privatim, propter jam dicta superius) audire confessiones Rhemensium ad se venientium, si ab eorum episcopo sit approbatus.

Sequitur 2° e contra Rhemenses non posse venire in diœcesim Leodiensem eo animo ut confiteantur capellanis aut regularibus non privilegiatis Leodiensibus, qui pro sola diœcesi Leodiensi sunt approbati, quantumvis proprius eorum pastor tentaret ipsis dare jurisdictionem. Excipe tamen, nisi consuetudo tacito episcoporum consensu firmata id permittat, ut videtur permissum in aliquibus locis confiniis plurium diœcesium; tunc enim episcopus pœnitentis censetur extraneo confessori, sicut jurisdictionem, ita et approbationem conferre.

Nec huic resolutioni obstat quod diximus superius de peregrinis; quia peregrini et itinerantes dum sine fraude versantur extra suam diœcesim, vel juris interpretatione subjiciuntur tantisper episcopis locorum ubi sunt quantum ad sacramenta, vel tacito suorum episcoporum consensu, consuetudine firmato, delegantur et approbantur pro ipsis confessarii illius loci in quo sunt. Nostra resolutio autem est de iis qui ex fraude, seu animo alteri quam parocho confitendi itinerantur. Vide quæ diximus locis citatis.

Hucusque « pro sæcularibus, per se loquendo, et secluso speciali privilegio, seu constitutione », ut semper insinuavi. Unde

Resp. 2° : Attento speciali jure seu privilegio, regulares privilegiati, approbati ab episcopo loci in quo confessiones audiunt, absolvere possunt omnes ad se venientes, cujuscumque

sint diœcesis, in qua ipsi non sunt approbati, etiamsi illi pœnitentes eo animo veniant. Patebit ex infra dicendis art. subsequenti.

E contra regulares qualescumque, attenta constitutione Clementis X *Superna* jam citata, videntur non posse audire in diœcesi, in qua non sunt approbati, pœnitentes venientes ex diœcesi in qua sunt approbati. Dico: Videntur. Quia quidam hanc inhibitionem intelligunt de administratione sacramenti publica tantum, ne, ut jam diximus, sit jurisdictionum conflictus et ut evitetur periculum alios audiendi a quorum episcopo non sunt approbati; non vero de administratione privata: id quidem est probabile, sed nec certum nec tutum.

Petes 4° utrum approbatus ab uno episcopo censeatur approbatus pro omni loco?

Resp. negative, excepto forte parocho de quo antea. Patet 1° ex concilio Trident. citato, ubi requirit approbationem non tantum ab episcopo, sed ab episcopis; 2° ex responsione Innocentii X, qui, in causa episcopi Angelopolitani contra Patres Societatis, ita declaravit; 3° ex condemnatione propositionis sequentis per Alexandrum VII: « Regulares ordinum mendicantium semel approbati ab uno episcopo ad audiendas confessiones in sua diœcesi, habentur pro approbatis in aliis diœcesibus, nec nova indigent approbatione. »

Petes 5° utrum episcopus possit repellere ab examine eos qui se præsentant, aut examinatos non approbare?

Resp. posse ex causa spectante utilitatem Ecclesiæ, non posse sine hujusmodi causa.

Prob.: Episcopus, juxta Apostolum 1 Corinth. 4, et ad Tit. 1, non est dominus, sed dispensator ministeriorum spiritualium; dispensator autem non ad nutum et libitum, sed secundum leges a domino præscriptas debet sibi commissa dispensare: atqui Deus vult utilitatem Ecclesiæ, et in hunc finem episcopos ut ministros destinavit: ergo episcopus non potest repellere sibi præsentatos, nisi ex causa utilitatis Ecclesiæ.

Adverte approbationes datas « ad revocationem seu ad beneplacitum.» censeri approbationes simplices et perpetuas, quia, juxta jurisperitos, istud beneplacitum censetur beneplacitum boni viri lege regulandum, nec sine justa causa procedens.

Petes 6° utrum episcopus possit revocare approbationes regularium?

Resp. Juxta declarationem S. Congregationis Episcoporum et Regularium datam 20 Novembris 1615, quam referunt Donatus, tom. 4, Tract. 4, q. 11, Passerinus, q.187, num. 291, pag. mihi 70 et alii, possunt episcopi revocare approbationes regularium ob causas supervenientes « Confessionem concernentes », sic in nostra diœcesi Leodiensi, est mandatum prohibens sub pœna revocationis omnium facultatum ipso facto incurrendæ « ne confessarii, nisi in casu veræ necessitatis, mulierum confessiones extra ecclesiam, aut etiam in ipsa ecclesia, aliter quam in loco conspicuo, a latere et per cratem interpositam, audiant. » Quam causam arbitror concernere confessiones ideoque revocationem incurrere qui mandatum hoc transgrediuntur.

Petes 7° utrum approbatio injuste denegata vel revocata, debeat haberi pro concessa?

Resp. negative: patet ex ante dictis; 1° quia juxta Trident., approbatio debet esse obtenta; denegata vero seu revocata, licet injuste, non est obtenta; 2° quia, cum sint plurimæ rationes propter quas potest juste denegari aut revocari approbatio, nec quisquam possit conscientiam episcopi intueri, nemini certum esse potest, sit ne injuste denegata vel revocata approbatio: unde etsi admitteretur sententia opposita, foret nihilominus inutilis ad praxim; 3° tandem, quia Alexand. VII condemnavit hanc propositionem: « Satisfacit præcepto confessionis annuæ, qui confitetur regulari, episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato. » Quibus derogatum est juri antiquo, quo contrarium statuebatur, ut jam diximus.

Petes 8° utrum hæc clausula quæ quandoque apponitur in approbationibus, « de consensu quorum interest », seu « de consensu parochorum », sit limitativa approbationum, ita ut absolutio data sine consensu parochorum sit invalida?

Resp. negative, saltem pro regularibus; 1° quia Clemens X, sæpe dicta bulla *Superna*, dicit quod semel approbati possint in diœcesi approbantis quovis anni tempore, etiam paschali et quorumcumque etiam infirmorum confessiones audire, absque ulla parochorum venia. 2° Regularibus mendicantibus civitatis Iprensis in Belgio, petentibus an episcopus posset ad limitandam regularium approbationem apponere in litteris patentibus hanc clausulam: « Dummodo tamen quemque ab inchoata dominica palmarum usque ad expletam dominicam in albis, ad confessionem non admittat, nisi expressa licentia parochi dirigatur», respondit negative S. Congregatio S. R. E. Cardinalium, concilii Trid. interpretum; 22 septembris 1668. Signatum erat A. Card.

Celsus præfectus; et infra S. archiepisc. Andrinopolitanus. Si vero id non liceat tempore paschali, a fortiori nec alio tempore. 3° Si hæc clausula foret taxativa seu limitativa, sequeretur quod hoc ipso quo non consentiret parochus, omnes confessiones a regularibus exceptæ, quovis tempore et loco, etiam in propriis ecclesiis, forent invalidæ, quod hucusque fuit inauditum.

Dicendum itaque hanc clausulam esse tantum modalem, seu designativam modi quo congruit ministerium exerceri cum unione pastorum et ædificatione fidelium, quique ex æquo et congruo, dum scilicet confessiones excipiuntur a regularibus in ecclesiis parochialibus, deberet servari, etsi non exprimeretur. Ita Suarez, Henriques, Reginaldus, Sayrus, Coninchus, quos citat et sequitur Bonacina, *de Pœnit.*, disp. 5, q. 7, puncto 4, § 1, n. 18, Passerinus, Henricus a S. Ignatio et alii.

Petes 9° quam pœnam incurrat qui audit confessiones sine approbatione episcopi?

Resp. incurrere pœnam suspensionis ferendæ cap. *Placuit* de Pœnit., dist. 6, et cap. *Placuit*, causa 9, q. 2. Si dicas in concilio Trid., sess. 22 et in bulla cœnæ, esse decretam excommunicationem latæ sententiæ contra usurpantes jurisdictionem ecclesiasticam, respondet Passerinus q. 187, a. 1, n. 361, eum de quo agitur non usurpare proprie jurisdictionem ecclesiasticam, quia non usurpat ordinariam, sed delegatam tantum, et hanc non privative ad episcopum vel alios, et ideo censuram non incurrit. Vide art. seq., § 3, pet. 6.

ARTICULUS VI.

DE CASIBUS RESERVATIS.

Quamvis Auctor de casuum reservatione agat infra q. 20, quia tamen reservatio nihil aliud est quam limitatio jurisdictionis, propter affinitatem materiæ de illis hic agimus. Unde sit

§ I.

Quid sit casus reservatus?

Dico: Casus reservatus est peccatum mortale externum, grave, certum et in sua specie completum, a quo absolvere non est cuilibet concessum.

Loquor de peccato reservari solito, non reservabili, ut patebit ex explicatione conclusionis. Igitur

Dicitur 1°: Peccatum mortale; quia licet absolute loquendo peccatum veniale possit reservari, sic ut non possit absolvi sacramentaliter, cum ad id requiratur jurisdictio quæ denegari potest, attamen inutilis foret hæc reservatio, siquidem independenter a confessione et absolutione remitti possit.

Dicitur 2°: Peccatum mortale externum; non quod peccatum internum reservari non possit ob rationem mox datam; sed quia Ecclesia non solet illud reservare, ne laqueum animabus injiciat et continuis anxietatibus subjiciat pœnitentes, qui sæpe dignoscere non possunt an cogitationibus internis consenserint vel non, sicque reservatio sit in destructionem potius quam in ædificationem, contra decretum Tridentini, ut mox dicam. Unde hæresis mere interna non est reservata.

Sed dubium est utrum peccatum secundum quod est externum, ex objecto et specie veniale, in individuo autem et ex intentione mortale, sit reservatum? Res exemplis clarescat: Suppono furtum, percussionem clerici, impudicitiam cum moniali esse casus reservatos: aliquis furatur quinque asses cum intentione furandi centum nummos si reperisset; percutit leviter clericum, animo percutiendi graviter si potuisset; respicit monialem, aut ejus manus tangit affectu impudico, incurritne reservationem? Negatur communiter; quia malitia mortalis in tali peccato est ab interno; quod autem est externum, est secundum se et objective veniale: unde sicut sola voluntas interna non reservatur, ita nec quando procedit in actum externum non habentem ex se malitiam mortalem.

Doctissimus Berti, lib. 34, cap. 5, § 2, refert Romanam et universalem inquisitionem, 16 aprilis 1744, proscripsisse opinionem alicujus theologi qui dicebat in hoc casu reservato diœcesis Venetæ: « Quælibet impudicitia cum monialibus peracta, vel quocumque modo attentata », non reservari actus subimpudicos de se veniales, « ut genas vellicare», etc. Ex quo infert laudatus Berti, peccatum ex objecto et secundum speciem veniale, animo autem interno mortale, reservari, vocatque opinionem contrariam « laxam et hesternam commentationem. »

At pace doctissimi viri nego ejus illationem extra casum positum; ideo enim in reservatione casus Veneti reservatur impudicitia externa ex objecto venialis, quia exprimitur in reservatione, dum dicitur: « impudicitia quocumque modo attentata »; quamvis enim velli-

care genas non sit ex objecto impudicitia mortalis, si tamen fiat affectu impudico est « aliquo modo attentata », et ideo cadit sub reservationem. At non sic exprimi solet in aliis casibus reservatis et reservationibus. Sententia communis igitur non dicit hujusmodi peccatum non posse reservari, sed non reservari nisi exprimatur. Quapropter non puto propter hoc argumentum recedendum esse a sententia communi quam immerito recens theologus vocat laxam et hesternam commentationem, neque ex eo adducor ut credam furtum quinque assium, aspectum aut tactum manus vel genæ monialis, nisi exprimatur, esse casum reservatum.

Dicitur 3° : In sua specie completum : unde si homicidium sit reservatum, qui vulnerat lethaliter, aut venenum propinat, morte non secuta, non incurrit reservationem ; similiter, neque, si fornicatio sit reservata, qui metu prolis abrumpit copulam inchoatam, quamvis gravius peccet ; quia odiosa sunt stricte intelligenda et restringenda : vulnus autem lethale, ibi sistendo, non est homicidium, et fornicatio inchoata sine seminatione intra vas, in rigore non est fornicatio.

Dicitur 4° : Peccatum grave; quia licet peccata communia reservari possint, ordinarie tamen non reservantur, nec licite reservarentur, quia potestas reservandi est in ædificationem, non in destructionem, ut loquitur Trid., sess. 14, cap. 7, et Clemens VIII, in mandato quod refert Sylvius, ubi monentur Prælati « ut atrociorum tantum et graviorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad christianam disciplinam retinendam conferat, et in ædificationem, non in destructionem cedat », ne scilicet cum difficilior redditur absolutio, odiosum reddatur sacramentum et laqueus injiciatur animabus : unde si sit indiscreta et nimia reservatio, esto foret valida (quod tamen quidam negant, præsertim respectu parochi,) peccaret graviter reservans, etiamsi papa.

Dicitur 5° : Certum, certitudine scilicet quæ excludat dubium facti et juris. Dubium facti est, si dubites an peccatum, quod certo scitur esse reservatum, commiseris, an cum sufficienti advertentia et deliberatione, an cum circumstantiis cum quibus est reservatum. Dubium juris est, si dubites an hoc peccatum, quod certo commisisti, sit revera reservatum. Dicimus itaque, ut peccatum sit reservatum, debere esse certum, non solum certitudine excludente dubium facti, quod communiter admittitur, sed etiam, ut probabilius est nobis cum pluribus, certitudine excludente dubium juris ; modo tamen sit dubium prudens et doctorum virorum communiter, non cujuslibet privati et indocti confessarii, seu ut alii dicunt, modo sit dubium ortum ex ipso jure, quod est ambiguum et de quo communiter disputatur, non ex persona quæ jus ignorat ; sicut enim ignorantia reservationis in pœnitente ipsum non eximit a reservatione, ita nec ignorantia confessarii ejus jurisdictionem extendit.

Ratio ergo pro utroque dubio sic intellecto, est quod, juxta regulam 15 et 50 juris in 6, odiosa sint restringenda et in pœnis benignior sit interpretatio facienda : atqui reservatio est odiosa ; tum ipsis confessariis quorum jurisdictionem coarctat ; tum ipsis pœnitentibus, qui non possunt absolvi, dum alii absolvuntur. Item est pœnalis ; non enim est inducta reservatio solum ut morbi graviores a peritioribus medicis curentur, sed etiam ut difficultate absolutionis et erubescentiæ comparendi coram superioribus peccata præterita puniantur et futura caveantur : unde

Confirm.: Nemo reus in dubio facti vel juris punitur, præsertim in tribunali benignæ matris Ecclesiæ : ergo. Confir. iterum ab inconvenienti : Frequentissima sunt dubia facti, plurimi etiam casus inter doctores controvertuntur circa ipsam legem : unde si casus alterutro modo dubii reservarentur, non satis esset provisum tranquillitati conscientiarum, et onus foret intolerabile communibus confessariis, qui cum non valeant discutere materias controversas, et qualibet ratione moveantur in contrarium, pœnitentes inabsolutos sæpissime dimittere cogerentur.

His itaque omnibus attentis, videtur nobis moraliter certum aut saltem longe probabilius Ecclesiam non intendere reservare casus dubios, sive sit dubium facti, sive juris ; et hinc præoccupantur instantiæ.

Si enim dicas dubitantem de lege teneri eam observare, id quidem verum est, nisi sit moraliter certum, aut saltem probabilius constet, legislatorem non intendere observationem legis in dubio, ut constat in casu præsenti : unde quamvis confessarius dubitet speculative, non dubitat tamen practice an possit ab eo absolvere ; quia judicio reflexo certioratur se ex voluntate legislatoris habere potestatem absolvendi in dubio.

Inst.: Dubius de censura debet se gerere tanquam ea innodatum et petere absolutio-

nem: ergo similiter dubius de casu reservato.

Resp. dato ant., neg. conseq. Disparitas est quod censuræ spectent forum externum, sint rariores, nec res admodum secretæ : at casus reservati pertinent ad forum conscientiæ, dubii frequenter occurrunt, sub sigillo teneri debent, nec nisi urgente necessitate superioribus aperiri, ad quos etiam cum sæpe non pateat facilis accessus ut eis exponatur dubium et eorum mens exquiratur, continua foret in confessariis et pœnitentibus conscientiæ anxietas et onus importabile. Quibus de causis jure præsumitur Ecclesiam non intendere casus dubios reservari, quidquid sit de censuris pro quibus eædem rationes non militant.

Repones : S. Congregatio de mandato Clementis VIII, 9 januarii 1601, quod legitur apud Passerinum, q. 87, inspectione 2, cap. 1, prohibuit omnibus sacerdotibus sæcularibus et regularibus absolvere a casibus clare vel dubie in bulla *Cœnæ* contentis : ergo.

Resp. hanc inhibitionem esse factam tantum « sæcularibus et regularibus per universam Italiam extra urbem degentibus, » ut fert in terminis decretum. Aliunde hoc dicit duntaxat de casibus bullæ *Cœnæ*, non de aliis.

Petes 1° utrum si quis casum reservatum dubium confessus sit communi confessario, et postea deprehendat esse certo reservatum liberetur a reservatione ?

Resp. probabilius affirmative cum pluribus; quia reservatio, prout est in usu Ecclesiæ, est peccati certi et nunquam per legitimam absolutionem remissi; hoc autem peccatum de quo in casu est per legitimam absolutionem remissum : unde si fuerit dubium dubio facti, tenetur postea illud confiteri ut certum, sicut dicemus infra de omnibus peccatis dubiis, non tamen necessario confessario habenti jurisdictionem in reservata, sed communi. Si autem fuerit dubium dubio juris, ad nihil tenetur, siquidem peccatum ut certum confessus fuerit et agatur tantum de certitudine reservationis, quæ, ut probabilius putamus, est ablata per priorem confessionem.

Petes 2° utrum crimen complicis in materia venerea, a quo, juxta hodiernam plurium diœcesium disciplinam, non potest absolvere complex, sit casus reservatus ?

Resp. non esse reservatum superiori, sicut alii casus reservari solent, cum cuilibet confessario non complici, concessum sit ab eo absolvere ; videtur tamen vero sensu reservatum. Quid enim est reservatio nisi restrictio potestatis quæ hic invenitur ? Nec videtur absolute requiri ad veram reservationem quod fiat superiori ; posset enim episcopus reservare casus duobus vel tribus eximiis theologis a se designatis, quæ tamen reservatio foret vera, etsi non esset facta superiori. Deinde concedunt contradicentes confessarium complicem posse absolvere ab hoc casu in articulo mortis; id autem non potest, nisi quia, ut dicit Trid., in articulo mortis cessat omnis *reservatio* : ergo. Sed videtur quæstio de nomine.

Est autem crimen complicis reservatum, juxta communem theologorum intelligentiam, peccatum externum contra castitatem cum pœnitente perpetratum, utrinque mortale. Unde si actus exterior sit ex objecto venialis, ut tactus manuum, osculum leve, etsi utrinque fiat affectu libidinoso, non est peccatum reservatum, quia non est mortale externum, sicut diximus supra de aliis reservatis. Item si tactus impudicus et ex objecto mortalis fiat ab una parte, altera renitente vel non consentiente, non est etiam casus complicis reservatus ; quia complex dicitur respective ad alterum in idem peccatum concurrentem.

§ II.

An et a quibus possint reservari casus?

Dico : Est in Ecclesia potestas reservandi casus [1], eaque residet in superioribus qui aliis jurisdictionem ordinariam vel delegatam conferunt, scilicet in Summo Pontifice pro tota Ecclesia, in episcopis pro suis respective diœcesibus, et in superioribus regularium respectu suorum.

Ita Trid., sess. 14, c. 7 : « Magnopere, inquit, ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina, non a quibusvis, sed a summis duntaxat sacerdotibus absolverentur : unde merito pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universali tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuique diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum

[1] Supp. q. 20, a. 2, o.

reservationem, consonum est divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. » Idem postea, can. 11, definit sub anathemate.

Ratio est quia jurisdictio necessaria[1] ad absolutionem descendit a superioribus ad inferiores : ergo sicut superiores illam dare vel denegare possunt, ita illam dare integram vel limitatam. Nec refert quod episcopus habeat jurisdictionem ordinariam in suam diœcesim, et parochus in suam parochiam, quia et jurisdictio episcopi est subordinata jurisdictioni Papæ, et jurisdictio parochi jurisdictioni episcopi, et ideo Papa potest limitare jurisdictionem episcopi, sicut episcopus parochi.

Idem forte per se, et speculative loquendo posset dici de parochis respectu sacerdotum sæcularium. At id in praxi non admittitur, sive propter usum contrarium, sive propter inhibitionem tacitam episcoporum, ne nimia evadat casuum reservatio.

Causæ vero reservationis casuum sunt partim, ut atrociora crimina puniantur, et facilitas ea committendi coerceatur ex difficultate absolutionis obtinendæ, et erubescentia comparendi coram superioribus; partim ut graviores morbi serventur medicis peritioribus, quales ordinarie sunt, vel præsumuntur esse superiores.

Jam quæritur qui sint casus reservati Papæ? qui episcopis? qui superioribus regularium?

Casus papales.

Imprimis sunt qui continentur in bulla quæ dicitur *In cœna Domini,* quia solet promulgari singulis annis die cœnæ, suntque sequentes : 1° Hæretici, legentes libros hæreticorum, fautores hæreticorum et schismatici ; 2° appellantes a Papa ad futurum concilium, dantes ad id favorem et consilium ; 3° piratæ, eorum receptatores et dantes auxilium; 4° qui rapiunt bona naufragantium, aut ab aliis rapta scienter recipientes ; 5° qui imponunt nova pedagia et gabellas sine legitima potestate; 6° falsificantes litteras apostolicas, aut supplicationes signatas apostolica auctoritate; 7° deferentes arma et auxilium in Turcas, et alios christiani nominis hostes ; 8° impedientes et invadentes eos qui victualia, aut alia necessaria ad usum Romanæ curiæ deferunt, mandantes et defendentes ; 9° lædentes aut offendentes Romam euntes, aut ab ea recedentes, et eorum fautores; 10° hostiliter insequentes, interficientes, offendentes, mutilantes, incarcerantes cardinales, patriarchas, episcopos, Sedis apostolicæ legatos vel nuncios, mandantes et præstantes favorem ; 11° percutientes, occidentes, spoliantes eos qui pro suis negotiis ad Romanam curiam accedunt; 12° officiales principum sæcularium, et prælati ecclesiastici qui causas ecclesiasticas a Judicibus apostolicis avocant, et actores ad revocanda impetrata compellunt ; 13° Judices sæculares qui ecclesiasticas personas præter juris dispositionem ad suum tribunal trahunt, aut trahi faciunt, quique ecclesiasticam libertatem lædunt, deprimunt, aut quovis modo restringunt ; 14° impedientes prælatos ecclesiasticos, ne sua jurisdictione ecclesiastica utantur; 15° usurpantes sedis apostolicæ, et quarumcumque ecclesiarum jurisdictiones, fructus reditus, aut eos sequestrantes ; 16° imponentes collectas, decimas, tributa, et alia onera personis ecclesiasticis, ecclesiis, monasteriis, aut eorum fructibus sine expressa licentia Romani pontificis, cum suis fautoribus, etc.; 17° judices sæculares in causis criminalibus contra personas ecclesiasticas se interponentes processando, sententias ferendo aut exequendo ; 18° occupantes terras et loca ecclesiæ Romanæ ; 19° raptores suppellectilium, librorum, scriptorum et bonorum cameræ et palatii apostolici ex eodem palatio, tempore infirmitatis Pontificis, et Sedis apostolicæ vacationis.

Præter hos casus plures alii reservantur Summo Pontifici, tam in jure, quam in constitutionibus pontificiis quos refert Chapeauville, *de Casibus reservatis,* cap. 5. Frequentiores in his partibus, et quos exprimit decretum S. Congreg. sub Clemente VIII data, 26 novembris 1602, sunt 1° violatio immunitatis ecclesiasticæ, quando nempe violenter, aut fraudulenter extrahitur e loco sacro is qui causa asyli ad eum confugerat, juxtam bullam Greg. XIII *Cum alias,* datam anno 1591, ubi quidem excipit certos casus quibus non debetur asylus, quos enumeravi in tractatu de Religione, dissert. 10, a. unico, conclus. 3. Vide. Sed tamen declarat eos qui horum casuum exceptorum reos extrahunt, absque prævia episcopi discussione et licentia, incurrere pariter excommunicationem.

2° Violatio clausuræ monialium ad malum finem, id est, ad finem luxuriæ ; in cautelam enim castitatis servandæ, recluduntur moniales : unde qui violaret earum clausuram alio fine, non incurreret excommunicationem reservatam Papæ, juxta decretum citatum Clementis VIII ; incurreret tamen aliam non

[1] Ibid.

reservatam ex Trid., sess. 25, c. 5, de Regularibus.

3° Duellum. Clemens VIII, constit. *Illius vices*, data 17 augusti 1592, confirmans alteram constit. *Ad tollendum* Greg. XIII, subjicit excommunicationi reservatæ Papæ non solum pugnantes in duello, sed etiam omnes « id scelus suadentes aut provocantes, opem, consilium vel favorem præstantes, equos, arma, commeatus præbentes aut comitantes, vel circa chartulas seu libellos, litteras, nuncios, aut quæcumque alia scripta hujusmodi quomodolibet peccantes, hujusque delicti socios, de industria spectatores, patrinos, fautores, defensores. »

Circa hunc casum advertunt theologi, id esse in eo speciale, quod non sit necesse ad reservationem, duellum esse peractum et completum, siquidem etiam ipsi provocantes excommunicentur. Advertunt item ad hanc particulam «de industria spectatores», ex quorum nempe præsentia incitari possunt duellantes ad pugnam: unde qui fortuito, transeundo, aut alibi latens inspiceret, non inspectus, reservationem non incurreret.

4° Violenta manus injectio in clericum vel monialem, cap. *Si quis suadente diabolo* 17, q. 4. Per manum hic intelliguntur omnes corporis partes quibus fieri potest læsio aut percussio, pedes, genua, brachia, etc.; non enim ponitur manus, ut excludantur alia membra, sed quia est membrum aptius ad percutiendum, vel lædendum, quodque ad id solet adhiberi: unde non est proprie interpretatio legis quæ foret restringenda, sed est extensio de mente legis. Eadem excommunicatione ligantur, mandantes et consulentes percussionem clerici effectu secuto, si in eam efficaciter influxerint cap. *Quantæ* de Sentent. excommunicat. Item qui suo nomine factum ratihabet cap. *Cum quis* de Sentent. excomm. in 6.

Ut iste casus cum excommunicatione annexa incurratur, requiritur quod injectio manuum sit in ratione injuriæ gravis, exterius, seu ex objecto et cum aliqua violentia illata, vel ipsi personæ immediate, vel mediantibus rebus ipsi adhærentibus · unde qui conaretur percutere graviter, et non percuteret, aut percuteret leviter, ita ut omnibus consideratis percussio exterior non censeretur mortalis in ratione injuriæ, etsi intentione peccaret mortaliter, non incurreret excommunicationem reservatam; similiter nec qui verbis contumeliosis clericum afficeret: incurreret autem qui contumeliose in clericum spueret, virga contemptibiliter percuteret, carcere detineret, vestes quibus induitur violenter dilaceraret, seu auferret, item pecunias quas secum habet; item si violenter injiceret manum in frænum equi cui insidet; quia istæ actiones sunt violentæ et graves in ratione injuriæ et contemptus; non incurreret autem si clam et sine violentia auferret pecunias quas habet, pallium, vestes, etc. Vide de hac excommunicatione late Bonacin., disp. 2, q. 4, puncto 1, § 1.

5° Simonia realis completa in collatione vel susceptione ordinum et beneficiorum, et in ingressu religionis. Item simonia confidentialis etiam incompleta. Vide quæ de his ultimis casibus abunde dixi in tract. de Religione, dissert. 11, a. 7, § 3.

Minus attente doctiss. P. Henno legit hoc Clementis VIII decretum superius citatum, dum dixit post illud, præter casus contentos in bulla *Cœnæ*, tantum reservari papæ quinque assignatos, cui sextum adjicit. Id namque nullatenus habetur in illo decreto, sed habetur duntaxat nullum sacerdotem sive sæcularem, sive regularem, « intra Italiam extra Urbem degentem », posse vi ullius privilegii ab his quinque et contentis in bulla *Cœnæ* absolvere, sed posse juxta sua privilegia, si quæ habeant non revocata, absolvere ab aliis casibus in præsenti declaratione non contentis: « Aliis vero sacerdotibus hujusmodi privilegia non habentibus, nihil de novo concedi. » Remanent ergo etiam nunc stante hoc decreto, omnes alii casus pontificii in jure et constitutionibus apostolicis expressi, respectu non privilegiatorum reservati. Vide si lubet decretum integrum apud Passerinum, q. 187, a. 1, n. 374. Regulares autem extra Italiam etiam ab his quinque assignatis absolvere possunt, ut declaravit S. Congregatio sub Urbano VIII, in decreto dato 17 novembris 1628, apud eumdem Passerinum, ibid., n. 376.

Observanda circa casus papales.

Observandum 1° omnibus casibus papalibus annexam esse excommunicationem: et quamvis utrumque et excommunicatio et peccatum reservetur, ita ut qui confiteretur non habenti potestatem in reservata papæ, neque a peccato, neque ab excommunicatione absolveretur; attamen, juxta communem theologorum sensum, præcipue et magis casus reservatur propter excommunicationem, quam propter peccatum.

Ex quo inferunt 1° quod hoc ipso quo tollitur

a Papa excommunicatio, tollatur et reservatio, casusque fiat materia jurisdictionis communis; 2° quod quando Pontifex concedit facultatem absolvendi a casibus reservatis, etiam concedat facultatem absolvendi ab excommunicatione annexa; 3° quod cum censura non incurratur ab ignorante eam etiam vincibiliter, modo ignorantia non sit crassa et supina, pauci in his partibus saltem rudiores incurrant casus papales, cum plerumque ignorent censuras annexas.

Observandum 2° omnes casus papales, saltem extra bullam *Cœnæ*, fieri episcopales, hoc est permitti episcopis ut ab eis absolvant, quando sunt occulti, ex Trid., sess. 24, cap. 6. Dicitur occultum quod non est publicum, etsi a quibusdam sciatur. Item omnes etiam contenti in bulla *Cœnæ* fiunt similiter episcopales ratione impossibilitatis moralis adeundi Romanam sedem, ut contingit in infirmis habitualiter, in senibus, in pauperibus mendicare non solitis, cap. *Ea noscitur* de Sent. excom.; item in iis qui ab alterius voluntate pendent, eo renitente, ut in uxoribus, filiis familias et servis; item in mulieribus et puellis ob incontinentiæ periculum et in impuberibus.

Observandum 3° controverti inter theologos utrum bulla *Cœnæ* vigeat in Belgio. Multi negant; quia, inquiunt, non est illic debite promulgata nec recepta. Alii tamen tutius affirmant, præsertim cum Sacra Congregatio universalis Inquisitionis anno 1657, referente P. Henno, damnaverit sequentem propositionem ut schismaticam, scandalosam et falsam: « Bullam *Cœnæ Domini* eis in regionibus (in Belgio) in quo promulgatam non esse testantur multi, non obligare, probabilis est multorum opinio. »

Cæterum, quidquid sit, Greg. XIII, bulla data 25 februarii 1576, ad instantiam Philippi II, Hispaniarum regis, concessit episcopis Belgii ut per se vel per suos delegatos absolvere possent ab omnibus casibus in bulla *Cœnæ* contentis. Ita referunt Belgæ. Hanc autem facultatem concedere non censentur episcopi, dum concedunt communem facultatem absolvendi a casibus sibi reservatis.

Observandum 4° præsumentes absolvere a casibus in bulla *Cœnæ* contentis incurrere excommunicationem latam in ejusdem bullæ clausula. Dicuntur præsumentes, qui id scienter faciunt aut ex ignorantia affectata : hæc autem excommunicatio non est reservata, ut patet ex textu bullæ et probat Passerinus, q. 187, a. 1, n. 431 et 433. Excommunicatio autem lata et Papæ reservata contra præsumentes absolvere a casibus bullæ *Cœnæ*, a quinque prius assignatis, et a reservatis episcopis, quæ reperitur in decreto Clementis VIII, anno 1601, et in altero Pauli V 1617 decreti Clementis interpretativo, spectat duntaxat confessarios intra Italiam extra urbem degentes, et eos solos qui prætextu privilegiorum sic absolvere præsumunt. Unde Urbanus VIII, in decreto dato 17 novembris 1628, innovans prohibitionem factam omnibus regularibus intra et extra Italiam absolvendi a casibus bullæ *Cœnæ* et a reservatis ordinario loci, declarat duntaxat hujusmodi absolutiones nullas et irritas esse : at de excommunicatione silet. Vide Passerinum loco citato.

Casus episcopales.

Communis est theologorum opinio nullos casus jure communi, saltem quod sit in vigore, episcopis reservari, nisi forte eos qui sunt primo per se papales, dum sunt occulti, aut est impotentia moralis adeundi Romanum pontificem, ut explicuimus. Qui tamen nec proprie episcopis sunt reservati, sed potius ipsis concessi et permissi ut absolvantur.

Quoad casus autem episcopales ab homine, hoc est, ab ipsis episcopis reservatos, varii sunt pro voluntate episcoporum et more diœcesium, pro quibus consulenda sunt ritualia et praxis cujusque diœceseos.

Cum autem in omnibus diœcesibus plures casus reservati sint iidem, plures inter se affines, perutile confessariis fore duxi, breviter hic exponere casus reservatos episcopo nostro Leodiensi, ex quibus instrui poterunt circa casus saltem plurimos aliis episcopis reservatos.

Casus episcopo Leodiensi reservati succincte exponuntur.

Adeat quisque elenchum casuum reservatorum in diœcesi in qua versatur.

Primus est hæresis : non mere interna, hæc enim a quolibet confessario potest absolvi, ut constat ex dictis ; non mere externa, ut si quis exterius profiteretur hæresim aut proferret verba hæreticalia sine animo hæretico ; quia hæresis est error intellectus pertinax contra fidem catholicam (quamvis in foro externo is præsumeretur hæreticus); sed completa, scilicet interna simul et externa. Externa autem

dicitur quæ quovis signo, etiamsi nutu tantum, exterius significatur, sive adsint quidam præsentes, sive non. Eumdem casum incurrit qui sciens aliquem articulum esse de fide, et ita teneri ab Ecclesia, de eo plene voluntarie dubitat. Notandum est hunc casum esse reservatum summo Pontifici, ut constat ex hodiernis multis decisionibus.

Secundus est apostasia. Triplex est, a fide, a religione, et ab ordine. Apostasia a fide, dum quis a fide quam in Baptismate professus est ex toto deficit; et per hoc distinguitur ab hæresi, quæ est defectio a fide ex aliqua parte tantum; sive distinguuntur essentialiter ut quidam volunt, sive accidentaliter secundum magis et minus, ut dicunt alii.

Apostasia a religione est dum quis religionem approbatam professus, eam deserit sine licentia, animo non amplius ad eam vel ad aliam redeundi, sed vivendi laicaliter aut etiam clericaliter in sæculo.

Apostasia ab ordine est cum clericus in sacris ordinibus constitutus deserit habitum clericalem animo vivendi laicaliter; et etiam secundum aliquos, dum constitutus in minoribus dimittit insignia clericatus, retento beneficio, animo pariter vivendi laicaliter.

Tertius est homicidium voluntarium, quod sit peccatum mortale contra justitiam? Require in tract. de Jure, tom., 2, diss. 10, octo primis articulis.

Dubium est utrum mandans homicidium etiam incurrat reservationem?

Respondet affirmative Chapeauville; Quia statutum quo punitur maleficium ligat mandantem, ut probat Bartol. in cap. *Mulieres* de Sentent. excommunicat. Nec obstat quod mandans faciat tantum ficte, verba autem statuti requirant quod vere faciat, ff. de negat. gest. l. 3, § *Hæc verba*; quia, inquit Sylvester verbo *Statutum*, § 2, n. 7, hic non est interpretatio, sed potius extensio ex mente legis, cum mandans vere dicatur facere, dicto cap. *Mulieres*. Aliud esset si reservaretur actus personalis occidendi, ut si diceret episcopus: Reservo mihi peccatum illius qui alium occideret; tunc enim solum involveret occidentem, non mandantem. Extendit laudatus Chapeauville reservationem ad consulentem et auxiliantem, sed nescio quo fundamento, si saltem intelligat de auxiliante prævie et remote, ut de præbente arma, non in ipso actu occisionis. Hæc pro sententia Chapeauville, quæ quoad mandantem non est improbabilis.

Ex altera parte videtur quod cum reservatio sit odiosa, debeat stricte intelligi et restringi: stricte autem loquendo mandare non est facere: quod autem Sylvester dicat, hic non esse interpretationem sed extensionem legis, videtur gratuitum; sic enim in omnibus posset fieri extensio, nec locus relinquetur restrictioni in odiosis. Nec obstat cap. *Mulieres;* ibi enim agitur de mandante percussionem clerici, et pro hoc casu tantum ita jus statuit specialiter, sicut cap. *Quantæ*, ibid., idem statuit de non impediente; et cap. *Cum quis* de Sentent. excom. in 6 de Ratihabente. At inde non sequitur quod idem statuat in omnibus aliis casibus: quin e contra ex hoc quod id statuat pro uno vel altero casu, colligitur quod id non intendat pro aliis casibus.

Si dicas rationem canonis de percussione clerici, scilicet quod «is committat vere, cujus mandato delictum committi probatur», currat pro omnibus casibus in quibus intervenit mandans, resp. hanc rationem non esse cogentem, sed inductivam tantum et a legislatore allatam, ut probaret extensionem legis merito fieri, aut factam esse; idque eo verius videtur quod alioquin, ut jam dixi, hujusmodi extensio necessario haberet locum in omnibus casibus in quibus mandans intervenit, quod non admittunt communiter theologi. Hæc sententia nobis videtur probabilior, saltem negari non potest quin inde reservatio pro mandante reddatur dubia proindeque materia jurisdictionis communis.

Quartus est injectio manus in parentes. Debet intelligi, sicut injectio manuum in clericum de qua § præced. Observandum tamen nomine parentum hic intelligi patrem, matrem, avum, aviam, proavum, proaviam, et omnes ascendentes in linea recta: item vitricum et novercam, socerum et socrum; quia hi omnes, ubi agitur de honore parentibus servando, probabilius veniunt nomine parentum, nisi contrarium in lege exprimatur, aut innuatur, quod hic non fit.

Quintus est machinatio in mortem conjugis. Machinari est aliquid ingeniose et arte fabricare, prout opponitur de plano aliquid facere, ita ut in eo magis attendatur ratio ingenii et artis quam materiæ: sumitur quandoque in bonam partem, sæpius in malam, et est aliquid dolo et astutia facere, unde machinatio in mortem conjugis est aliquid dolo et astutia facere, ut mors conjugi inferatur.

Hunc itaque casum non incurrit qui multa animo contra vitam conjugis volvit, si nihil in externum opus prodeat, neque qui conjugem

aperte percutit, vulnerat aut occidit, quia hoc non est machinari : incurrit vero qui pugionem abscondit ut tempore opportuno conjugem jugulet, qui fraudulenter propinat ipsi potum venenatum, qui in ejus vitam struit insidias, qui sub aliquo prætextu suadet ire ad locum ubi novit esse occidendam, vel occidendum, et similia, licet ex his non sequatur mors; quia hoc est proprie machinari in mortem conjugis.

Sextus est veneficium, quod est crimen quo quis veneno aliquem culpabiliter occidit, vel ejus valetudinem graviter lædit : unde hunc casum non incurrit, qui alteri venenum propinat animo necandi vel graviter nocendi, effectu non secuto, etsi forte sit aliqua levis læsio.

Septimus est maleficium quo quis ope dæmonis nocumentum infert alteri : est duplex, veneficum et amatorium. Veneficum est quo redduntur homines infirmi, fœminæ steriles, proles languidæ, pecora morbida, arbores siccæ, etc. Amatorium, quo excitatur amor inordinatus et impurus erga certam personam. Utrumque est reservatum effectu secuto, alias non.

Octavus est incantatio, quæ est magia qua quis solis verbis miranda ope dæmonis operatur : unde incantatores dicuntur qui artem magicam solis verbis exercent, et per hoc distinguitur a maleficio, quod verbis et rebus perficitur : item distinguitur ratione finis. Incantatio enim est ad incommodum et commodum alterius, et aliquando ab utroque abstrahit; maleficium autem est semper in incommodum et nocumentum alterius. Hic casus incurritur ut præcedens effectu secuto, secus non. Quoad istos duos casus, vide quæ dixi in tract. de Religione, dissert. 7 per plures articulos de superstitione et specialiter de magia.

Nonus est procuratio abortus. Procurare abortum est studiose et ex industria agere ad ejectionem fœtus immaturi, sive inanimati, sive animati.

Unde non incurrit reservationem mulier quæ sumit pharmacum sterilitatis, aut quæ metu prolis semen ejicit ante conceptionem, quia efficere ut semen non sit prolificum non est procurare abortum; neque quæ herbis aut potionibus aliove modo tentavit abortum effectu non secuto ; neque, ut saltem nobis probabilius est contra Chapeauville, mulier ferens grave pondus, nimium laborans, violenter irascens, ex quo prævidet, aut prævidere potest secuturum abortum, quem tamen formaliter non intendit; idem dic de viro graviter ex ira percutiente mulierem aut eam affectu implendæ libidinis cum nimia agitatione cognoscente. Quamvis enim hi coram Deo sint rei abortus, non tamen dicuntur illum procurare, quia procurare abortum, ut diximus, est studiose et ex industria agere ad ejectionem fœtus immaturi, quod isti non faciunt, cum illam ejectionem non intendant formaliter. Qua etiam de causa theologi communiter censent eos non incurrere pœnas a summis pontificibus Sixto IV et Gregorio XIII latas contra procurantes abortum.

E contra reservationem incurrit puella quæ ne diffametur aut occidatur, sumit potionem abortivam effectu secuto; hæc enim studiose et ex industria quærit abortum, ut famam aut vitam servet : idem dic de mandante, consulente, auxiliante, etc. Hi enim omnes vere procurant abortum. Quod etiam habet locum quamvis fœtus vivus ejiciatur et baptizetur, modo sit immaturus. Vide plura de abortu in tract. de Jure et Justitia, dissert. 10, art. 7.

Decimus est oppressio prolis, quæ est species homicidii spectans parentes et nutrices, et dicitur aliquo sensu parricidium. Hunc casum incurrunt sive parentes sive nutrices quæ ex intentione proles enecant, vel illas exponunt in sylvis, in agris, in locis publicis. Item si decumbant in eodem lecto cum tenellis prolibus quæ nondum se juvare possunt, nisi forte lectus sit admodum amplus, et ex usu noverint certo, se dormiendo, non mutare locum : intellige utrumque casum si mors sequatur. Item si ex negligentia mortali circa prolium custodiam, mors eis obveniat: tanto autem major est adhibenda diligentia, quanto majus periculum mortis, seu oppressionis instat.

Undecimus est stuprum, seu violenta virginis defloratio. Censetur violenta defloratio reservata, non solum quando virgo reali et physica violentia opprimitur, sed etiamsi morali violentia, ut si ad copulam adigatur metu gravi, puta mortis, infamiæ, atrocium verberum, vel alterius gravis damni, a stupratore incusso, vel etiam metu reverentiali ut si stuprator sit superior, tutor, vir magnæ auctoritatis, cui puella nihil audeat recusare. Quidam addunt si per importunas preces, quod verum crediderim tantum, quando eas comitantur, vel magna promissa, ut matrimonii, pinguis dotis, etc., vel amplexus, tactus, oscula, quibus excitata puella, prius invita, tandem consentit. Alioquin si preces sint solæ sine dictis

adminiculis, quantumvis importunæ, non videntur violentia moralis, cum ingenua puella non ita difficile possit illas excutere, concepta ira, qualem decet in simili casu, ut jam alibi dixi.

Non incurrit autem hunc casum qui jam corruptam, etsi reputatam virginem, violenter opprimit, neque qui sæpe tentavit copulam quam non perfecit, neque qui cognovit contra naturam; quia in his omnibus non est violenta virginis defloratio. Confer quæ dixi de Stupro, dissert. 10 de Jure, a. 11, append. 2, et diss. 3 de Temperantia, a. 3.

Duodecimus est raptus in materia luxuriæ qui definitur : « Vis illata cuicumque personæ aut ejus parentibus causa explendæ libidinis, sive persona abducatur de loco in locum, sive non. » Hujus reservatio incurritur, etiamsi non sit expleta libido aut secuta copula; quia expletio libidinis est tantum finis sine cujus obtentione salvatur integra ratio raptus. Quomodo autem intelligenda sit data definitio, ut habeatur ratio raptus et inde incurratur reservatio, late explicui, dissert. 6 de Temperantia, a. 4, § 1. Require.

Decimus tertius est matrimonium contractum post votum castitatis, aut in gradu prohibito scienter, vel priori uxore adhuc vivente. Non incurrit reservationem qui contrahit matrimonium post votum non nubendi, ingrediendæ religionis, aut ordines sacros suscipiendi; quia hæc vota non sunt simpliciter vota castitatis, neque qui contrahit in gradu prohibito quem ignorat, etiamsi ignorantia sit culpabilis et crassa, quia non contrahit scienter. Quis sit gradus prohibitus dicemus dum de Matrimonio. Similiter nec qui leviter et probabiliter tantum credens priorem uxorem esse mortuam contrahit cum alia; quia etiam non contrahit scienter, si tamen hæc particula afficiat etiam hanc partem casus, ut interpretatur Chapeauville. Quod autem dicitur in hoc casu de viro contrahente, vivente priori uxore, debet intelligi de uxore contrahente, vivente priori viro : nec obstat quod odiosa non sint extendenda ultra verba legis, sed potius restringenda; hæc enim regula juris non currit in correlativis, in quibus eadem ratio idem jus suadet, ut notant Soto, Navarrus et communiter theologi.

Decimus quartus est incestus cum consanguineis, aut cum virgine sacra seu moniali professa. Incestus proprie dictus definitur: Illegitimus concubitus personarum consanguinearum vel affinium usque ad quartum gradum inclusive, ad cujus rationem requiritur completa commixtio seminum in vase debito: unde oscula, tactus impudici inter consanguineos aut affines, reseratio seu penetratio vasis naturalis sine seminatione, aut cum seminatione extra ipsum, aut contra naturam, quamvis pertineant reductive ad incestum, non tamen assequuntur perfectam et integram rationem illius, ideoque non cadunt sub reservationem : neque etiam incestus cum affinibus, quia reservatur tantum incestus cum consanguineis.

Concubitus vero cum virgine sacra, seu moniali professa, dicitur incestus metaphorice, quatenus virgo sacra in religione approbata consecratur per professionem quasi sponsa Dei, quam qui ideo corrumpit, quasi cum matre, scilicet sponsa Dei, rem habet. Sola copula consummata in vase debito reservatur, non oscula, tactus, etc., ut dictum est de incestu proprie dicto. Item sacerdos aut religiosus cognoscens mulierem sæcularem, non incurrit casum reservatum; quia non est incestus cum virgine sacra.

Decimus quintus est concubitus contra naturam, puta sodomia et hujus generis graviora crimina.

Peccati contra naturam in materia luxuriæ sunt quatuor species, scilicet pollutio seu mollities, sodomia, bestialitas, ad quam reducitur congressus cum dæmone, et indebitus modus concumbendi, ut si quis coeat in vase præpostero. De quibus vide tract. de Temperantia, dissert. 6, art. 9, 10 et 11.

Non reservatur hic omne peccatum contra naturam, sed tantum concubitus contra naturam, ut sodomia et ejus generis graviora, scilicet bestialitas et congressus cum dæmone, qui dicitur succubus et incubus. Igitur non reservatur mollities seu pollutio, quia non est concubitus; neque coitus maris cum fœmina in vase indebito, quia non est sodomia, nec ea gravior; neque tactus impudici inter masculos aut inter fœminas, sive cum bestiis aut cum dæmone, quia non sunt concubitus: solum ergo reservatur coitus cum seminatione in vase sive debito sive indebito, fœminæ cum fœmina, maris cum mare, viri aut mulieris cum bestia vel dæmone.

Decimus sextus est falsitas circa monetas. Contingit tripliciter . in substantia monetæ dum adulteratur ejus materia mixtione alterius inferioris metalli; in pondere dum minuitur; et in charactere principis dum absque ejus auctoritate imprimitur : incurrunt ergo

reservationem qui uno ex his tribus modis falsificant monetas, absque principis auctoritate. Idem arbitror dicendum de iis qui monetas cusas circumcidunt, seu corrodunt infra justum pondus; hi enim vere falsificant monetam. Secus vero qui monetas falsificatas expendunt et distribuunt; hoc enim non est falsare, sed falsis uti.

Decimus septimus est falsitas circa litteras alicujus prælati inferioris Papa. Falsitas in hoc casu sicut in præcedenti a qua quis dicitur falsarius, secundum canonistas, est immutatio veritatis cum dolo et injuria: falsificari autem possunt litteræ variis modis, addendo, minuendo, radendo, lacerando, mutando, novas fingendo, signaturam aut sigillum simulando vel adulterando. Prælatus proprie dicitur qui habet jurisdictionem in foro exteriori, quales sunt Papa, patriarchæ, episcopi, abbates, generales, provinciales, priores, guardiani, rectores, etc., inter mendicantes. Dicitur: Falsitas circa litteras prælati inferioris Papa; quia falsitas circa litteras Papæ est ipsi reservata in bulla *Cœnæ*.

Itaque reservationem incurrit qui prælati litteras falsat aliquo ex dictis modis, etiamsi in unius commatis additione vel deletione quæ mutet sensum, si tamen sit cum damno aut injuria alterius, quia id importat falsitas prout superius definita est. Unde non incurrit qui falsificat litteras quibus non utitur, aut antequam utatur, falsitatem corrigit; neque qui errorem in eis manifestum corrigit, tunc enim non falsificat, sed potius verificat.

Decimus octavus est perjurium solemne. Perjurium proprie et stricte dictum est juramentum falsum, seu mendacium juramento firmatum, sive sit assertorium, sive promissorium. Perjurium solemne est quod fit cum aliqua solemnitate, puta coram notario, testibus, tangendo sancta Evangelia, crucem, virgam, sceptrum, etc., sive fiat in judicio, sive extra judicium: non est autem solemne ex eo præcise quod fiat coram multis, si isti multi non advocentur in testes, aut aliqua alia solemnitas non adhibeatur; tunc enim erit quidem publicum, sed non solemne.

Decimus nonus est publica et enormis blasphemia, in Deum aut sanctos. Blasphemia, juxta Auctorem [1], est locutio falsa, qua excellentiæ bonitatis divinæ derogatur, idque per modum convitii. Dicitur falsa locutio ex intentione scilicet blasphemantis; potest enim fieri et sæpe fit quod locutio, quæ secundum se est vera, sit tamen blasphemia, quia efficitur falsa ex intentione loquentis tribuentis Deo aliquid tanquam vituperabile et per modum imperfectionis, ut nominare per modum convitii aut improperii vera Christi membra, *tête, corps, ventre Dieu*.

Blasphemia ex parte voluntarii est duplex, formalis et materialis. Formalis duplex, directa et indirecta. Formalis directa est quæ fit cum directa et expressa intentione inhonorandi Deum; formalis indirecta est quæ fit cum indirecta et virtuali tantum intentione inhonorandi Deum, ut cum quis scienter et advertenter serio profert verba quæ vel ex se, vel ex modo proferendi, vel ex aliis circumstantiis inhonorationem Dei significant; eo ipso enim convincitur proferens velle inhonorationem Dei, etsi id formaliter et expresse non intendat. Blasphemia materialis est quæ fit absque intentione directa et indirecta inhonorandi Deum, ut si proferantur verba blasphemiæ docendi gratia, vel recitative per modum historiæ, [1] aut omnino indeliberate, sive quoad prolationem verborum, sive quoad eorum significationem: ut, inquit Auctor, cum quis non advertit hoc quod dicit esse blasphemiam, quod potest contingere dum subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat, et hoc non habet proprie rationem blasphemiæ.

Ex parte objecti blasphemia est etiam directa quæ fit directe contra Deum, et indirecta quæ fit indirecte contra Deum, quatenus fit contra aliquid Deo sacrum, vel ad Deum relatum, ut contra sacramenta et quascumque alias res sacras, contra creaturas quatenus sunt aliquid Dei aut habent relationem ad Deum, [2] et præsertim contra sanctos; sicut enim Deus in sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera quæ Deus in sanctis efficit, ita blasphemia quæ fit in sanctos ex consequente in Deum redundat. Plura dum ex professo agemus de blasphemia; hæc nunc sufficiant ut lector intelligat solam blasphemiam formalem, sive directam sive indirectam, non materialem, subjacere reservationi. Restant explicandæ aliæ particulæ: publica et enormis.

Blasphemia publica dicitur quæ innotescit majori parti, non solum provinciæ, civitatis aut parochiæ, sed viciniæ, collegii aut communitatis, modo in ea decem saltem reperiantur, ut docet Chapeauville ex Bartol. et Panorm.,

[1] 2 2 q. 13 a. 1, o.

[1] Ibidem ad 2, [2] Ibidem ad 2.

sive hæc notitia habeatur ex ipso facto quod coram majori parti fuit perpetratum, sive ex relatione paucorum qui præsentes aderant.

Enormitas blasphemiæ æstimanda est ad arbitrium boni viri qui considerat 1° objectum blasphemiæ ; gravior est enim quæ fit contra Deum et Christum quam contra B. Virginem aut sanctos; 2° modum blasphemandi, gravior namque est directa quam indirecta ; 3° qualitatem personarum, locorum, temporum, occasionis, etc. Hinc videtur enormis blasphemia si quis neget Deum, Christum, fidem, vel nominet Christum, Apostolos, aut alios sanctos, magos, impostores, B. Virginem meretricem et similia. Non videtur autem enormis si quis juret per membra honesta Christi, *tête, ventre, corps, sang, mort Dieu ;* neque si dicat, Ita verum est sicut Deus, aut, Id fiet, etiamsi nolit Deus, et similia.

Ex his habes quæ blasphemia sit reservata vel non ; hoc unum attende debere esse simul publicam et enormem; si alterutrum desit, non reservatur.

Vigesimus insignis contumelia illata S. Eucharistiæ aut sacris SS. reliquiis. Contumelia est injusta dehonoratio personæ. Fit et verbis, ut si voces aliquem præsentem furem, spurium, stultum; et factis per libellos famosos, picturas, impactam alapam, detorpationem aut fractionem januæ vel imaginis, modo tamen hæc fiant, non ad damnificandum alterum, sed ad significandum esse vilem et contemptibilem. Plura de contumelia vide in tract. de Jure, dissert. 15, a. 1.

Non omnis contumelia in Eucharistiam et reliquias reservatur, sed insignis tantum, id est, quæ inter alias contumelias eminet, qualis est si quis Eucharistiam aut sanctorum reliquias projiceret in terram, pedibus conculcaret, turpia circa illos ageret ; non vero si quis in statu peccati mortalis communicat, aut Eucharistiam vel reliquias sanctorum pannis laceris et sordidis involvat.

Vigesimus primus est abusus sanctæ Eucharistiæ aut sanctarum reliquiarum, vel etiam S. Scripturæ ad exercitium artium magicarum. Casus est manifestus nec indiget explicatione, nisi quod per magiam intelligatur superstitio per quam miranda ope dæmonis fiunt.

Casus regulares.

Clemens VIII, ne nimia casuum reservatione religiosis infirmioribus injiceretur laqueus, decreto edito 26 maii 1593, designavit undecim casus reservabiles in religione, ultra quos non licet prælatis alios reservare, nisi de consensu capituli generalis pro toto ordine, vel provincialis pro provincia : sunt hi sequentes:

« 1° Veneficia, incantationes, sortilegia. 2° Apostasia a religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eo pervenit, ut extra septa monasterii seu conventus fiat egressio. » Nota non esse casum reservatum, si adsit animus redeundi. « 3° Nocturna et furtiva e monasterio seu conventu egressio etiam non animo apostatandi facta. » Nota utrumque debere conjungi, quod sit nocturna simul et furtiva, alias non esset casus reservatus. « 4° Proprietas contra votum paupertatis quæ sit peccatum mortale. 5° Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo. 6° Procuratio, auxilium seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum etiam effectu non secuto. 7° Falsificatio manus aut sigilli officialium monasterii aut conventus. 8° Furtum de rebus monasterii seu conventus in ea quantitate ut sit peccatum mortale. 9° Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 10° Occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personæ. 11° Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum a superioribus ad inferiores et ab inferioribus ad superiores. »

Dubium est utrum prælatus regularis possit quibusdam casibus non designatis annectere excommunicationem et illam sibi reservare?

Resp. probabilius negative ; quia hoc esset eludere bullam et ejus finem frustrare, cum nullus sit casus, quem, hac cautela adhibita, non possit sibi reservare prælatus regularis.

Nota hos undecim casus a Clemente VIII designatos, esse duntaxat reservabiles, hoc est, posse a prælatis regularibus reservari, non vero de facto esse reservatos.

§ III.

Quinam possint absolvere a casibus reservatis?

Dico 1° ; Potest absolvere a reservatis 1° qui reservavit ; 2° ejus successor ; 3° superior in eodem foro, qualis est Papa in tota Ecclesia, non archiepiscopus respectu suffraganeorum, nisi in actuali visitatione, quia extra visitationem non est superior nisi quoad forum exterius ; 4° qui habet potestatem ad hoc delegatam ab eo qui ordinaria gaudet. Hæc per se

patent. Item omnis sacerdos in articulo mortis, ut dicam infra.

Dico 2°: Episco ordinarii directe absolvere possunt ab omnibus casibus papalibus etiam in bulla *Cœnæ* contentis, quando adest impotentia moralis adeundi sedem Romanam, ut explicuimus § præcedenti, observat. 2. Item quando casus papales sunt occulti, attento jure Tridentini, sess. 24, cap. 6, episcopi possunt suos subditos ab eis absolvere per se, vel per vicarium ad id specialiter deputatum, excepta hæresi, a qua absolvere non possunt nisi per seipsos. Dicitur autem occultum quod vel nemini, vel ita paucis notum est, ut vel negatione, vel aliqua tergiversatione celari possit.

Dixi : Attento jure Tridentini, quia per promulgationem bullæ *Cœnæ*, quæ fit quotannis, videtur illi derogatum quoad casus in ea contentos, propter hanc bullæ clausulam : « Ut ab illis casibus nulla persona ecclesiastica, etiam episcopalis, aut majori dignitate prædita, absolvere possit ; prætextu cujuscumque facultatis, etiam per cujusvis concilii decreta in genere vel in specie concessæ. » Scio quosdam interpretari hanc clausulam de casibus publicis ,non occultis ; at huic interpretationi contradicit damnatio hujus proportionis ab Alexandro VII, 24 septembris 1665 : « Sententia asserens bullam *Cœnæ* solum prohibere absolutionem hæresis et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629, 18 julii, in consistorio Sacræ Congregationis eminentissimorum cardinalium visa et tolerata est » : est tertia inter damnatas.

Sed quidquid sit de aliis episcopis, saltem episcopi Belgici possunt absolvere ab omnibus casibus bullæ *Cœnæ* etiam publicis, etiam ab hæresi publica ex constitutione Gregorii XIII, ut diximus § præcedenti, observat. 3.

Quid possunt regulares privilegiati quoad casus reservatos dicam art. seq. Interim

Dico 3° : Quilibet confessarius communis, alias nullam habens jurisdictionem in reservata, potest absolvere pœnitentes ad se ex alia diœcesi venientes a casibus in illa diœcesi reservatis, si non sint reservati in diœcesi in qua est approbatus et confessionem excipit, nisi noverit eos venire in fraudem reservationis. Et e contra non potest eos absolvere, si habeant casus reservatos in diœcesi in qua est tantum communiter approbatus, licet non sint reservati in diœcesi ex qua veniunt.

Ratio utriusque partis est, quia, ut supra diximus, iter sine fraude agentes, sive juris interpretatione, sive consensu tacito ordinariorum, sive ex decreto Eugenii IV, ut testatur Cajetanus in Summa verbo *Absolutio*, sortiuntur forum pœnitentiale loci in quo sunt, et fiunt tantisper subditi episcopis locorum per quæ transeunt, quoad receptionem sacramentorum : ergo ordinarius qui vel tacite, vel expresse concedit illis posse confiteri in aliena diœcesi, censetur illis concedere, ut absolvantur ; præsertim cum confessarius unius diœcesis non teneatur scire casus reservatos in altera.

Confir. prima pars, quæ a quibusdam revocatur in dubium. Qui sentit incommodum, debet sentire commodum, ut fert adagium communiter receptum : atqui ut omnes fatentur, pœnitentes extranei absolvi non possunt in aliena diœcesi a casibus in ea reservatis, etsi non sint reservati in sua, ut dicit secunda pars conclusionis, et concedunt qui negant primam : ergo absolvi possunt a casibus ibi non reservatis, etsi in sua diœcesi sint reservati.

Cæterum quantum ad regulares, est expressa declaratio Clementis X, constitutione *Superna* toties citata, ubi dicit « Posse regularem confessorem in ea diœcesi in qua est approbatus, confluentes ex alia diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem confessor est approbatus, absolvere ; nisi eos pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse. »

Vides exceptionem quam merito apposui in conclusione, cujus ratio est, quia fraus et dolus nemini patrocinantur, nec jure præsumi possunt ordinarii velle conferre jurisdictionem alienis confessariis in casus sibi reservatos, in gratiam talium fraudatorum. Porro non censetur venire in fraudem reservationis, qui accedit ad confessarium vicinum alterius diœcesis, quia solitus est illi confiteri ; neque qui non habet in proprio domicilio qui possit absolvere a reservatis ; secus si haberet, et alio migraret, ut fugeret difficultatem absolutionis et severitatem correctionis et remediorum, ut solet in casibus reservatis. Quidam etiam non immerito excipiunt a conclusione casum cui episcopus annexuisset censuram sibi reservatam, quia censura pertinet ad forum exterius, nec censetur episcopus conferre alienis confessariis suam jurisdictionem in foro exteriori, ne confundantur jurisdictiones.

Cave tamen ne has exceptiones extendas ad alias confessiones non reservatorum factas pri-

vilegiatis; quia etsi eo animo transmigrent pœnitentes ad aliam diœcesim, ut mendicantibus ibi approbatis peccata non reservata confiteantur, nulla est fraus, sed jure suo utuntur, cum mendicantes a S. Sede sint constituti ut omnes ad se undecumque adveniente absolvant, ut dicemus infra.

Petes 1° an quando pœnitens, habens casus reservatos, impeditur adire superiorem, vel ab eo delegatum ad reservata, possit absolvi a quolibet confessario ?

Resp. 1° Si agatur de casibus papalibus, et impedimentum sit aut fundate præsumatur perpetuum, vel diu duraturum adeundi Romanam sedem, jam dixi § præcedenti eos posse absolvi directe ab episcopis; item, ut dicam infra, a regularibus privilegiatis.

2° Si sit hujusmodi impedimentum perpetuum adeundi episcopum aut delegatum, tam quoad dictos casus papales, quam quoad eos quos sibi reservat episcopus, quidam volunt eos directe posse absolvi a quolibet confessario ex epikiia, seu interpretatione voluntatis et consensus reservantis ; nec necesse esse mittere nuntium, aut litteras ad superiorem, quia id nullo jure cavetur. Verum hac sententia in sua probabilitate relicta, tutius est recurrere ad superiorem per nuntium aut litteras, et hæc est praxis communis confessariorum, nisi forte instet periculum mortis. Aliunde casus videtur metaphysicus,cum passim reperiantur delegati, quorum aliquem, si forte pœnitens adire non possit, potest saltem ad se advocare.

3° Sed quid si impedimentum sit temporale tantum, sed urgeat necessitas ; ut si parochus, casu reservato gravatus, non possit abstinere a celebratione sine scandalo, nec habeat[1] præsentem, nisi confessarium communem ?

Circa hunc casum triplex est sententia. Prima dicit eum debere confiteri confessario communi alia peccata, omisso reservato, a quo absolvetur indirecte ; sed obstat quod confessio jure divino debeat esse integra, nec adsit ratio sufficiens eam dimidiandi. Secunda dicit quod debeat confiteri peccatum reservatum cum aliis, sive venialibus, sive mortalibus jam remissis, si alia non habeat, ut sic absolvatur directe a non reservatis, et indirecte a reservatis; sed obstat quod confessarius videatur non habere jurisdictionem in totam materiam. Unde tertia sententia dicit pœnitentem in hoc casu debere se gerere ac si non haberet copiam confessarii, quia Trid., sess. 24, c. 7, dicit, quod sacerdotes inferiores , « extra mortis articulum » nihil possint in casibus reservatis, ideoque id unum « pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant. » Si ergo confessarius communis nihil possit in reservata, non magis potest ab eis absolvere, quam possit sacerdos simplex absolvere a communibus : unde sicut frustra pœnitens in casu confiteretur peccata communia simplici sacerdoti, ita frustra confiteretur reservata approbato tantum ad communia.

Verum huic sententiæ, quæ sat frequens est inter quosdam recentiores, obstare videtur, quod concilium sit intelligendum, sacerdotes inferiores nihil posse directe in reservata, posse tamen aliquid indirecte in casu necessitatis, siquidem ipsi fateantur, quod qui confessario communi confitetur legitime, et obliviscitur inculpabiliter confiteri reservatum quod habet, indirecte ab eo absolvatur.

Neque obstat quod dicunt, ideo indirectam absolutionem ferri in peccata oblita, quia iste defectus se tenet ex parte confessionis, in nostro autem casu se tenet ex parte jurisdictionis ; contra est enim, quod in utroque casu sit defectus jurisdictionis ; sed sicut in primo, juxta laudatos theologos, Ecclesia censetur conferre tacite jurisdictionem ad absolutionem indirectam, ne, inquiunt, pœnitens maneat semper inabsolutus ab isto peccato, si semper communi confessario confiteretur; ita censetur conferre jurisdictionem ad absolutionem indirectam, in nostro casu, ut satisfiat præcepto divino de confessione præmittenda perceptioni Eucharistiæ, et securior sit pœnitens de sua dispositione.

Quibus de causis secunda sententia,sicut est communior, ita nobis videtur probabilior et tutior; quia secundum illam, ut dictum est, satisfit præcepto divino, magis assecuratur pœnitens de sufficientia suæ dispositionis, salvatur integritas confessionis, et status pœnitentis innotescit, ut debet, confessario. Videturque esse sententia Auctoris, dum dicit:: « Si sacerdos non possit de omnibus absolvere, tamen tenetur pœnitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoscat, et de illis de quibus non potest absolvere (scilicet directe) ad superiorem remittat. »

Quando ergo opponitur confessarium non habere jurisdictionem in totam materiam, negandum est, ut patet : habet namque jurisdictionem, ut absolvat directe communia, indirecte reservata, quia unum non potest remitti sine alio. Et ideo pœnitens tenetur ite-

[1] Supp. q. 9 a. 2, ad 3.

rum reservata confiteri habenti jurisdictionem in illa, ut ab illis directe absolvatur; quia Ecclesia non censetur in similibus casibus conferre jurisdictionem, nisi in quantum necessitas requirit, cui sufficit absolutio indirecta.

Observandum in casu, quod si forte pœnitens haberet tantum peccatum reservatum, deberet cum illo confiteri aliquod veniale, aut mortale jam remissum, ut super istud directe caderet absolutio, indirecte super reservatum.

Petes 2° utrum qui legitime confitetur habenti potestatem absolvendi a reservatis, tam casibus, quam censuris, si obliviscatur alicujus reservati, tollatur reservatio, et possit postea per quemlibet confessarium communem ab illo absolvi?

De peccato reservato oblito in confessione facta communi confessario, dixi in priori petitione, illud, si redeat in memoriam, non posse absolvi a communi confessario, sed debere subjici habenti jurisdictionem in reservata. Quæstio est modo de peccato reservato oblito in confessione facta habenti potestatem absolvendi a reservatis. Ad quam

Resp. affirmative; quia confessarius absolvit quantum potest: confessarius autem de quo in quæstione, potest absolvere a reservatis: ergo absolvit ab illis saltem hactenus, ut desinant esse reservata, remanente tantum obligatione ea subjiciendi clavibus Ecclesiæ ut satisfiat præcepto confitendi omnia peccata: est communis.

Excipe tamen, nisi absolvens habeat tantum jurisdictionem ratione articuli mortis; tunc enim absolutus a censuris debet adhuc statim ac commode potest coram superiore vel ejus delegato se sistere: non ut iterum ab illo absolvatur, sed ut ejus mandatis obeundis se paratum exhibeat, alioquin easdem censuras ipso jure incursurus. Ita cap. *Eos qui* 22, de Sentent. excom. in 6, lib. 5, tit 11.

Petes 3° an per confessionem factam habenti potestatem in reservata, si defectu dispositionis in pœnitente sit invalida, tollatur reservatio?

Resp. Si defectus dispositionis sit mortalis, ut si pœnitens retineat voluntarie peccatum mortale, et confiteatur habenti jurisdictionem delegatam tantum in reservata, non tollitur reservatio; quia delegatus non habet potestatem absolvendi a reservatis nisi sacramentaliter. Neque etiam probabilius, si absolvens sit superior, quia licet possit absolvere a reservatione extra sacramentum, non debet præsumi velle favere agenti cum fraude et tollere reservationem.

Si vero defectus dispositionis non sit mortalis, puta quia pœnitens bona fide credit se conteri ex motivo supernaturali, cum sit tantum naturale; probabile est tolli reservationem, quia vix constare potest de tali defectu: unde si non tolleretur reservatio, foret continua anxietas, et ideo præsumitur superiorem in casu permittere, ut delegatus absolvat a reservatione. Aliunde sicut leges malæ fidei adversantur, ita bonæ fidei patrocinantur.

Petes 4° utrum facultas absolvendi a casibus reservatis expiret morte vel amotione concedentis?

Resp. Facultas absolvendi a casibus reservatis generaliter data, non determinando hunc casum, hanc personam, non expirat morte vel amotione concedentis; quia est gratia ejusdem rationis cum facultate simpliciter absolvendi, quæ licet sit data in favorem pœnitentium, is tamen cui datur est confessarius, ideoque habetur pro gratia non facienda, sed facta et acceptata, quæ non expirat morte vel amotione concedentis. Ita cap. *Si super gratia* de Officio et Potest. judicis delegati in 6, lib. 1, tit. 14, et cap. *Si cui* mox citando. Idem dic de facultate eligendi confessorem alicui concessa, sive tempore jubilæi, sive aliter; est enim etiam gratia facta et acceptata.

Si autem hujusmodi facultas sit data ad hunc particularem casum pro hac particulari persona, quamvis ex citato cap. *Si super* videatur etiam non cessare morte concedentis, obstat tamen cap. *Si cui* de præbendis in 6, lib. 3, tit. 4. Eamque cessare morte seu amotione concedentis, re integra manente, tenet communior opinio apud Passerinum q. 187, art. 1, inspect. 3, observat. 16 et alias; quia nondum censetur gratia facta et acceptata, sed facienda tantum et acceptanda ab hoc particulari pœnitente, et ideo expirat morte concedentis, re integra manente. Quod addo; quia si confessarius vi jurisdictionis datæ jam incepisset audire confessionem pœnitentis, censeretur gratia facta et acceptata quæ non expirat morte concedentis, ut dictum est, et aliunde foret nimis molestum pœnitenti novam instituere confessionem.

Petes 5° quomodo debeat se gerere confessarius non habens potestatem in reservata, dum audit in confessione aliquod reservatum?

Respondent quidam quod debeat statim abrumpere confessionem, etiamsi intendat petere facultatem absolvendi; quia, inquiunt, forte pœnitens non volet expectare tamdiu pro

absolutione obtinenda. Deinde non solum requiritur jurisdictio pro absolutione, sed etiam pro confessione audienda.

Verum hi non attendunt quod forte pœnitens habeat adhuc alia reservata, et quod cupiat peti facultatem super omnia. Melius ergo, salvo meliori judicio, confessarius moneat pœnitentem de casu reservato, et quærat ab eo num velit adire superiorem aut delegatum, aut peti a superiore facultatem absolvendi. Si hoc ultimum, quærat num habeat adhuc alia reservata ne diminuta et insufficiens facultas obtineatur. Si respondeat pœnitens, ut solitum est, se ignorare quæ sint reservata, confessarius, vel illi exponat, vel petat num velit ipsi aperire integrum statum conscientiæ, non tam per modum confessionis sacramentalis, quam ut cognoscat quid pro ipsius bono debeat exponere et petere a superiore.

Petes 6° quam pœnam incurrant absolventes a casibus reservatis sine licentia ?

Resp.: Clementina *Religiosi* de privilegiis, lib. 6, tit. 7, regulares præsumentes absolvere sine licentia ab excommunicatione canonis seu juris, vel a sententiis seu casibus per statuta provincialia aut synodalia promulgatis, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ papæ reservatam. Dicuntur autem præsumentes qui id scienter faciunt aut ex ignorantia affectata.

Sed difficultas est an excommunicationem bullæ *Cœnæ* sint excommunicationes canonis seu juris? Et videtur quod non ; quia non sunt perpetuæ, sed quousque alii processus fiant aut publicentur a Romanis pontificibus, ut fert clausula bullæ : unde regularis qui absolvere præsumeret absque facultate ab excommunicationibus bullæ *Cœnæ*, non incurreret excommunicationem latam per dictam Clementinam.

At sive regularis, sive sæcularis, præsumens absolvere sine facultate a casibus bullæ *Cœnæ* incurreret excommunicationem istam in eadem bulla *Cœnæ*, non tamen reservatam papæ, ut patet ex textu bullæ.

Equidem Clemens III, decreto dato anno 1601, excommunicat excommunicatione reservata papæ tam sæculares quam regulares præsumentes absolvere a casibus bullæ *Cœnæ*, ab aliis quinque ibi designatis et a casibus episcopis reservatis, sed istud decretum spectat tantum confessarios degentes intra Italiam extra urbem, sicut et decretum Pauli V, 1617, decreti Clementini interpretativum, ut jam antea dixi.

Dices canone 17 bullæ *Cœnæ*, excommunicantur excommunicatione reservata Papæ usurpantes jurisdictionem ecclesiasticam. Similiter, sess. 22 Trid., cap 11 : atqui absolvens a casibus Papæ vel episcopis reservatis usurpat jurisdictionem ecclesiasticam.

Resp. 1° : Secundum plurimos majorem esse intelligendam de jurisdictione ecclesiastica temporali, ut innuunt textus bullæ et concilii. 2° Neg. min. Quia juxta glossam in cap. *Multi* 28, 2 q. 1, quam communiter sequuntur canonistæ, usurpare est rem alienam sibi tanquam debitam et propriam, atque ex jure proprio sibi vindicare ; qui itaque sibi adscribit jurisdictionem non ut sibi debitam et propriam, sed ut provenientem sibi ab Ecclesia, non usurpat jurisdictionem ecclesiasticam : unde qui titulo vel prætextu facultatis concessæ a Papa vel episcopo absolvit a casibus ipsis reservatis, non usurpat eorum jurisdictionem, quia non ex jure proprio, sed ex illorum jure absolvit.

Petes 7° quomodo debeat se gerere superior quando ad ipsum accedunt pœnitentes cum casibus reservatis?

Resp. Quidam dicunt usum Ecclesiæ esse ut superior sacramentaliter absolvat, etsi non velit audire alia quam reservata. Verum esto iste usus valeat quoad absolutionem a censuris, merito ab aliis rejicitur quoad absolutionem a peccatis, quia confessionis integritas est de jure divino juxta Trident., sess. 14, cap. 5. Unde superior potest quidem audire reservata tantum et ab eis absolvere quantum ad reservationem et obligationem sibi confitendi, sed nunquam sacramentaliter, nisi omnia audiat. In casu autem quod superior audiret reservata, teneretur ad sigillum, quia talis confessio est quodammodo sacramentalis, cum ordinetur ad confessionem sacramentalem postea perficiendam.

ARTICULUS VII.

DE JURISDICTIONE DELEGATA REGULARIUM MENDICANTIUM CIRCA CONFESSIONES SÆCULARIUM, PER QUÆSTIUNCULAS.

Petes 1° an et a quo religiosi mendicantes habeant jurisdictionem excipiendi confessiones sæcularium?

Resp. eos illam habere a summis pontificibus, mediante approbatione episcopi. Patet ex decretali *Super cathedram*, ex bulla *Dudum* concilii generalis Viennensis, ex bulla Joannis

XXII, contra Joannem de Poliaco, ex bulla Alexandri V, 1409, *Regnans in excelsis*, etc. Quæ licet quoad aliquid modificatæ sint et restrictæ per aliquos sequentes pontifices, et maxime per Tridentinum, quoad substantiam tamen jurisdictionis concessæ, irrevocatæ permanere videntur. Ex quo colliges regulares mendicantes approbationem solam, non jurisdictionem ab episcopis accipere; differunt enim, ut diximus supra, approbatio et jurisdictionis collatio; sed approbatio est conditio sine qua non possunt exercere jurisdictionem, quam habent a jure, ut supra diximus.

Petes 2° quos vi suæ jurisdictionis absolvere possint regulares?

Resp. eos posse generaliter absolvere omnes Christi fideles saltem sæculares ex quacumque diœcesi, aut mundi parte ad eos venerint. Patet ex bullis citatis et maxime ex Paulo III et Paulo IV, quorum primus concedit Jesuitis ut possint audire confessiones « quorumcumque utriusque sexus fidelium ad eos undequaque venientium», bulla *Cum inter cunctas*. Secundus Minoritis, «quarumcumque provinciarum, civitatum et diœcesum per totum orbem utriusque sexus fidelium », bulla *Cum sicut exponi*.

Dixi : saltem sæculares : Quia licet illæ bullæ loquantur generaliter de omnibus, et quædam aliæ exprimant etiam personas religiosas, attamen Clemens VIII, bulla *Romani Pontificis*, 1599, et Clemens X, bulla *Superna*, declarant regulares tali jurisdictione non posse valide uti respectu personarum religiosarum, utriusque sexus, nisi dependenter a dispositione et speciali deputatione illarum superiorum.

Petes 3° an regulares possint omni tempore audire confessiones sæcularium?

Resp. eos posse omni tempore, nullo excepto, nequidem paschali aut articulo mortis. Patet ex dictis art. 3.

Petes 4° utrum regulares possint ubique excipere confessiones sæcularium?

Resp. supposita approbatione ordinarii, posse ubique valide, etiam in ecclesiis parochialibus, licet renitentibus parochis, illicite tamen in hoc ultimo casu; quia inde natum est sequi scandalum, contentio et confusio. Totum patet ex dictis supra de approbatione et alibi.

Petes 5° a quibus casibus absolvere possunt regulares privilegiati?

Resp. 1° extra Italiam posse absolvere ab omnibus casibus apostolicæ Sedi reservatis, exceptis casibus bullæ *Cœnæ*.

Constat ex privilegio Pauli III, concesso PP. Jesuitis, quod habetur in bullario societatis, fol. 20, et apud Rodrigues, bulla 8, quo concedit patribus societatis facultatem «quorumcumque utriusque sexus Christi fidelium ad vos undecumque accedentium confessiones audiendi, et confessionibus diligenter auditis, ipsos et eorum singulos ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam sedi apostolicæ reservatis, et a quibusvis ex ipsis casibus resultantibus, sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis (exceptis contentis in bulla quæ in die cœnæ domini solita est legi) absolvendi, ac eis pro commissis pœnitentiam salutarem injungendi.» Idem privilegium habetur in alia bulla Pauli III pro societate, quæ est apud Rodrigues 7. Plura alia refert Passerinus, q. 187, a. 1, inspectione 2, cap. 2. Sufficiat exscribere decretum S. Congreg. sub Urbano VIII, quod est sequentis tenoris : « S. Congregatio S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus episcoporum et regularium præposita, censuit..... Regulares cujusvis ordinis, congregationis, societatis et instituti etiam necessario exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim privilegiorum aut confirmationum ejusmodi quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps forte obtinebunt, posse quemque absolvere ab eisdem casibus in bulla *Cœnæ* aut ordinario loci reservatis. Ac si secus egerint, absolutiones nullas atque irritas fuisse ac fore. Ab aliis vero casibus et censuris sedi apostolicæ reservatis, siquidem regulares habent a sede apostolica absolvendi facultatem, illam extra Italiam minime sublatam fuisse iis sacræ Congregationis decretis hac de re editis jussu S. memoriæ Clementis VIII. Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas Sua ad se relatam approbavit, mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observari. Romæ 17 novembris 1728. F. A. cardinalis S. Honuph., loco ✠ sigilli.. P. Fagnanus secretarius.» Possunt itaque regulares privilegiati extra Italiam absolvere a duello, simonia, violatione immunitatis ecclesiasticæ et clausuræ monialium etiam ad malum finem, percussione clerici et ab aliis omnibus Papæ reservatis : item ab omnibus censuris, sententiis, pœnis ecclesiasticis, ex his resultantibus, excipe semper casus bullæ *Cœnæ*, nisi dum ratione impedimenti adeundi S. Sedem, desinunt esse papales, ut observavimus supra.

Adverte hic non comprehendi censuras particulatim ab homine inflictas, sed, ut dicit

privilegium, ex ipsis casibus resultantes ; neque irregularitatem, quia ab ea non absolvitur, sed in ea dispensatur.

Resp. 2° Regulares non possunt nunc absolvere a casibus quos sibi reservat episcopus. Patet ex Urbano VIII, antea citato, ex bulla *Superna* Clementis X, toties citata, ex condemnatione hujus propositionis ab Alexandro VII : « Mendicantes possunt absolvere a casibus episcopo reservatis, non obtenta ad id episcoporum licentia. » : est duodecima inter damnatas, et in variis aliis summorum pontificum decretis, quibus manifeste derogatum est privilegiis, quibus id olim concessum erat mendicantibus.

Hinc inferes quod si episcopus sibi reservaret certis ex causis aliquem casum aliunde Papæ reservatum, regularis non posset ab eo absolvere absque episcopi licentia.

Dixi : quos sibi reservat episcopus : Non enim responsio est intelligenda de casibus papalibus, qui, quia sunt occulti, aut est impedimentum adeundi Romanam sedem, devolvuntur ad episcopum; ii enim, ut jam observavimus, non sunt proprie reservati episcopis, sed potius ipsis permissi ut absolvantur. De jure autem, quod vigeat, nullus casus reservatur episcopis, ut censent communiter theologi.

Petes 6° an non requirantur quædam conditiones ut regulares tam ampla jurisdictione valide et licite utantur ?

Resp. requiri 1° approbationem ab episcopo, ut dictum est. 2° Requiritur ut regularis a suo superiore legitime præsentetur episcopo et ab eodem superiore ad id munus expresse vel tacite deputetur. Patet ex Clementina *Dudum* de Sepulturis. Et ratio est ; quia istud privilegium est concessum religioni et in gratiam ipsius, non vero huic particulari, nisi ut regularis est, et obedientiæ ac regimini superiorum subditus : unde regularis sine superiorum præsentatione ab episcopo approbatus invalide absolveret, nisi episcopus approbando intenderet illi, etiam absque superiorum præsentatione, conferre jurisdictionem, quod non est facile præsumendum; et, hoc supposito, saltem illicite absolveret.

3° Ea jurisdictione uti non possunt mendicantes erga regulares utriusque sexus. Ita Clemens VIII, bulla *Romani Pontificis*, 23 novembris 1599, ubi declaravit in omnibus indultis nunquam fuisse mentem Sedis apostolicæ, ulli religioso, vel moniali dare licentiam confitendi alicui contra dispositionem suorum superiorum : « Sed, inquit, nostræ intentionis existere quod iidem fratres et moniales quantum ad sacramentum Pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, dispositioni suorum prælatorum subjecti sint, apostolica auctoritate, tenore præsentium perpetuo declaramus. »

Hinc tam invalide, quam illicite regulares privilegiati, quantumvis ab episcopis approbati, absolverent personas religiosas, sine expressa vel tacita earum superiorum licentia, qualis censetur concedi, vel ex consuetudine tolerata, vel dum degunt, aut peregrinantur extra conventum, et est aliqua justa ratio celebrandi aut communicandi, etc. Quidam addunt per jubilæum id concedi religiosis, ut cuilibet approbato confiteri possint ; sed videndus est tenor jubilæi.

ARTICULUS VIII.

DE JURISDICTIONE IN ARTICULO MORTIS, SIVE UTRUM PŒNITENS POSSIT ABSOLVI IN FINE VITÆ A QUOLIBET SACERDOTE ?

Dico : Quilibet pœnitens [1] in fine vitæ, hoc est in articulo mortis, potest absolvi a quolibet sacerdote, consequenter etiam ab excommunicato, degradato, schismatico, hæretico.

Prob. 1° ex concilio Trid., sess. 14, cap. 7, ubi sic statuit : « Pie admodum ne hac occasione (scilicet casuum reservatorum) aliquis pereat, in Ecclesia Dei semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio casuum in articulo mortis ; atque adeo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt. » Concilium, ut audis, generaliter dicit omnes, nullum excipit : ergo neque nos excipere debemus ; id etiam probat ratio concilii « ne hac occasione aliquis pereat » ; potest enim non adesse nisi sacerdos excommunicatus, degradatus, aut hæreticus [2].

Prob. 2° : Quilibet sacerdos, quantum est ex virtute clavium, habet potestatem indifferenter in omnes et ad omnia peccata ; quod autem non possit omnes, et ab omnibus peccatis absolvere, hoc est quia per ordinationem et legem Ecclesiæ habet jurisdictionem limitatam, vel omnino nullam : atqui necessitas legem non habet : ergo quando necessitatis articulus imminet, per Ecclesiæ ordinationem non impeditur quin absolvere possit nedum a peccatis omnibus, sed etiam a censuris ; quia absolutio a censuris etiam pertinet ad jurisdictionem, vel virtutem clavium, quæ per legem Ecclesiæ

[1] Supp. q. 8. a. 6. o. [2] Ibid.

coarctabatur. Hæc auctoris ratio probat generaliter de quovis sacerdote, qui vi ordinationis habet virtutem clavium, quales sunt etiam excommunicati, hæretici, etc.

Hac ratione innuit S. Doctor hanc jurisdictionem competere omnibus sacerdotibus jure divino : in responsione vero ad primum innuit competere jure ecclesiastico, dum dicit eam cuilibet sacerdoti competere; « quia Ecclesia acceptat, ut quilibet sacerdos absolvere possit in articulo mortis. » Quapropter dicendum videtur quod competat partim jure divino, partim jure ecclesiastico, hoc sensu scilicet, quod Christus ita quidem instituerit, ut omnibus jurisdictio competeret in articulo mortis, participanda tamen per Ecclesiam : unde dici potest secundum quid ordinaria, et secundum quid delegata.

Si inferas : Ergo potest tolli a Summo Pontifice, resp. posse attenta præcise ejus potestate, non vero attentis simul ejus infallibilitate, et Spiritus Sancti assistentia; esset enim error intolerabilis et perniciosus, si illa jurisdictio in articulo mortis auferretur in præjudicium animarum. Unde potest in sensu diviso, non in sensu composito, componendo infallibilitatem, et Spiritus Sancti assistentiam cum potestate.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° ex Tridentino, in quo potissimum fundatur conclusio nostra : 1° Concilium ibi agit de casuum reservatione : ergo loquitur de sacerdotibus aliunde jurisdictionem communem habentibus. 2° Concilium loquitur de jurisdictione quam semper agnovit Ecclesia : « In eadem Ecclesia Dei, inquit, custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis : atqui Ecclesia non semper agnovit in excommunicatis non toleratis, aut in hæreticis jurisdictionem absolvendi in articulo mortis, ut constat ex concilio Eliberitano, in quo prohibetur absolutionem dari in articulo mortis relapsis in adulterium : ergo.

Resp. ad primum, neg. conseq. Quamvis enim concilium præcipue agat ibi de casuum reservatione, et ideo principaliter loquatur de sacerdotibus habentibus jurisdictionem communem, non obstat quin hac occasione incidenter in aliqua parte sui decreti loquatur de omnibus sacerdotibus, sicut revera loquitur, cum dicit generaliter, et sine ulla exceptione, omnes sacerdotes posse ab omnibus peccatis absolvere; alioquin sequeretur quod simplex sacerdos, ab Ecclesia non præcisus, non posset in casu absolvere, quod non admittunt opponentes.

Ad secundum, neg. min. Ad ejus probationem, resp. 1° in concilio Eliberitano non solum excommunicatis et hæreticis prohiberi dari absolutionem mœchis relapsis (si tamen prohibeatur), sed omnibus sacerdotibus indifferenter, non defectu jurisdictionis, sed rigore disciplinæ, qui rigor nunquam fuit probatus in Ecclesia, etsi forte ad breve tempus toleratus, sed statim reprobatus in concilio Nicæno, can. 12; ideoque ipsum errasse dicunt graves auctores, Melchior Cano, Bellarminus, Latomus, Bannesius, ut refert Sylvius in additionibus ad Summam Caranzæ. Unde nihil contra nos. Resp. 2° concilium non loqui de absolutione, sed de communione : ita ipsum interpretatur Innocentius I., epist. 3, cap. 2, teste eodem Sylvio, ibid.

Inst.: Multi theologi ante Tridentinum negabant, sicut nunc multi negant, hæreticos et excommunicatos non toleratos posse absolvere in articulo mortis : ergo non semper custoditum fuit in Ecclesia nullam esse tunc reservationem.

Resp. neg. conseq. Hæc enim duo : Nullam esse reservationem, et excommunicatos posse absolvere, sunt distincta; primum concilium asserit semper fuisse custoditum, non secundum; sed ex primo movetur, ut concedat secundum.

Inferes : Ergo concilium definivit quæstionem controversam inter theologos, quod solet tamen cavere.

Resp. neg. illationem : Nunquam enim fuit controversum inter theologos, an Ecclesia posset conferre jurisdictionem hæreticis et excommunicatis, sed an contulerit ; nos contulisse ex concilii verbis colligimus, contradicentibus adversariis.

Obj. 2° ex S. Th. qui in 4 d. 19, q. 1, a. 2, q. 2, ad 3 ; in supplemento est q. 19, a. 4, ad 3, dicit : « Qui ab eis [non præcisis ab Ecclesia] sacramenta recipiunt, gratiam consequuntur ; non autem qui recipiunt ab illis qui sunt ab Ecclesia præcisi, quia ex hoc ipso peccant; excepto Baptismo quem in casu necessitatis licet etiam ab excommunicato recipere » : ergo.

Resp. quidquid S. Th. [1] scripserit junior in sententias, certum est eum in sua Summa docuisse licitum esse ex justa causa petere aliquid ab alio qui scitur non facturus ex sua

[1] 2 2 q. 78, a. 4.

perversitate sine peccato ut mutuum ab usurario. Deinde in hoc articulo in quo versamur, ejus ratio, quam protulimus in probationem conclusionis, universaliter et indiscriminatim probat, quemcumque sacerdotem habere jurisdictionem in articulo mortis. Denique in verbis objectis excipit solum Baptismum, quia specialis est ratio de Baptismo; non enim solum qui petit, sed etiam qui ministrat Baptismum in necessitate, etsi ab Ecclesia sit præcisus, aut peccator impœnitens, non peccat; quia non agit, ut minister ad hoc consecratus, sed ut serviens necessitati, ut diximus de Sacramentis in genere, dissert. 5, art. 4. In omnibus autem aliis sacramentis, si minister ministret in malo statu, etiamsi in necessitate, peccat, quia agit ex officio, et ut minister ad hoc consecratus. Confer locum citatum.

Si tandem urgeas, juxta S. Thomam et alios, eis, qui sunt præcisi, Ecclesiam denegare jurisdictionem; id fateor extra necessitatem, secus in necessitate.

Obj. 3° declarationem contrariam Sacræ Congregationis quam refert Fagnanus: ergo.

Resp. hanc declarationem non esse authenticam, ut innuit ipse Fagnanus, 1 Monit. ad lect., ante paginam 1; ab aliis vero citatur ex Fagnano; imo neque citatur ut definitio vel declaratio, sed ut quædam discussio quæstionis referendo varios auctores ita sentientes.

Petes 1° utrum sacerdos non approbatus valide absolvat in articulo mortis, si facile possit haberi approbatus?

Resp. probabilius, communius et tutius negative; 1° quia jurisdictio tunc conceditur non approbato propter necessitatem, « ne, scilicet, inquit Tridentinum, aliquis pereat »; hoc autem periculum seu necessitas non currit, cum facile potest haberi approbatus. Hinc 2° jurisdictio tunc conceditur non approbato in supplementum et defectum approbatorum. 3° Rituale Pauli V dicit: « Si periculum mortis imminent, approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere. » 4° Ita apprehendit sensus communis fidelium; inauditum est enim periculose decumbentem advocare sibi in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum, aut, quod pejus est, hæreticum vel excommunicatum, dum adsunt, aut facile adesse possunt legitime approbati. Roboratur ista ratio: qui confitetur excommunicato non tolerato, hæretico, etc., dum approbatus est præsens, aut facile haberi potest, peccat mortaliter, concurrendo sine necessitate ad peccatum alterius; sicut peccaret mortaliter, qui sine necessitate peteret mutuum ab usurario; quomodo ergo peccando in actuali confessione potest valide absolvi?

Respondent patroni sententiæ oppositæ ad primum, necessitatem non cessare generaliter, etsi adsit approbatus; quia potest contingere quod pœnitens mallet mori sine confessione, quam tali approbato confiteri.

Sed contra: Hæc necessitas est de raro contingenti et per accidens; leges autem non attendunt ad ea quæ raro contingunt et per accidens, sed ad ea quæ sunt per se et communiter. Sed et dato legem ad hanc specialem necessitatem attendisse, saltem contraria sententia non subsisteret, nisi in hoc particulari casu et non communiter et promiscue. Neque absolute negamus in hoc casu propter probabilitatem hujus sententiæ pœnitentem posse absolvi a non approbato, secundum ea quæ dixi supra de usu probabilis jurisdictionis ex gravi causa.

Respondent ad secundum, jurisdictionem non conferri pro articulo mortis cuilibet sacerdoti simplici in defectum approbati, sed absolute et simpliciter. Contra: Subsistente priori nostra ratione, falsi convincitur ista responsio.

Respondent ad tertium, Rituale Pau V docere quod est certum, non negare probabilitatem oppositi; verum nec nos negamus probabilitatem oppositæ sententiæ, sed ex verbis ritualis habemus nostram esse certam, et per eam innui a contrario sensu oppositam non esse certam nec in praxi tenendam. Quid ad quartum et quintum respondeant me latet; forte nondum fuerunt eis proposita.

Opponunt insuper, concilium generaliter et sine exceptione concedere jurisdictionem cuilibet sacerdoti: ergo.

Resp. dist. ant. Concilium concedit generaliter et sine exceptione jurisdictionem cuilibet sacerdoti propter necessitatem, con.; extra necessitatem, neg. Non est autem necessitas, ubi facile adesse possunt approbati, ut dictum est.

Inst.: Nostra sententia præbet materiam innumeris scrupulis et anxietatibus; quia cum approbatus censeatur adesse periclitanti, non solum quando est illi præsens corpore, sed etiam cum facile accersiri potest semper incertum foret an infirmus sit absolutus nec ne: et inde scrupuli et anxietates.

Resp. neg. ant. Nemo enim nescit in hoc casu sicut in aliis innumeris quid intelligatur

per *facile*, neque hic præsertim est scrupulose procedendum ; hoc ipso enim quo pœnitens bona fide procedit et credit non facile adfuturum approbatum, apparetque periculum, etsi forte in utroque fallatur, indubitatum haberi debet Ecclesiam conferre jurisdictionem cuilibet sacerdoti præsenti, ne sit locus perpetuus scrupulis et anxietatibus. Et ut inconveniens inconvenienti propellam, numquid absurdum et absurdissimum est, imo et implicatorium, quod infirmus, qui æque facile potest confiteri sacerdoti probo et approbato, confiteatur excommunicato aut hæretico ab eoque valide absolvatur, dum peccat mortaliter petendo ab eo absolutionem, sicut peccaret mortaliter petendo mutuum ab usurario, si ab alio æque facile habere posset ?

Observandum tamen quod si non approbatus, in absentia approbati, incepisset audire confessionem, possit adveniente approbato prosequi ; quia absente approbato acquisivit jurisdictionem, quæ ex approbati præsentia non tollitur, re non amplius integra manente. Aliunde molestum foret pœnitenti novam instituere confessionem.

Petes 2° utrum idem sit censendum de periculo ac de articulo mortis ?

Resp. affirmative. Est communis contra paucos. Ratio est quia, quamvis physice loquendo non sit idem periculum et articulus mortis ; est enim proprie articulus mortis, quando homo agit animam, aut in proximo est ut agat, sine quo potest esse periculum mortis; attamen moraliter loquendo et in ordine ad præsentem casum, perinde est articulus et periculum mortis, grave scilicet et evidens : 1° quia jura quoad potestatem absolvendi non distinguunt inter periculum et articulum mortis, ut patet ex cap. *Si quis suadente* 17, q. 4, et cap. *Eos qui* de Sentent. excommunicat. in 6, ubi qui prius vocatur articulus mortis, paulo post vocatur periculum. 2° Quia illa facultas conceditur propter urgentem necessitatem : atqui necessitas urgens non tantum est quando homo agit animam vel jamjam acturus est, sed etiam in evidenti et gravi periculo : ergo

Dixi : Grave et evidens periculum, alias cum pericula ordinaria mortis sint frequentissima, frequentissime homines per quemlibet absolvi possent ab hæresi et aliis reservatis enormibus. Intelligendum est ergo periculum grave extraordinarium et evidens quod aliquo usque accedit ad articulum mortis, ut sunt meo saltem judicio, milites prælium ingredientes, mulieres primo partui proximæ, sive etiam in aliis si sint difficiles in parturiendo, mercatores longam et difficilem navigationem aggredientes, et omnes casus in quibus probabile est, aut fundate dubitatur, quod iste homo, si nunc non confiteatur, morietur sine confessione.

Petes 3° utrum qui sic fuit absolutus propter periculum mortis per simplicem sacerdotem, teneatur iterum accedere alium potestatem habentem, ut ab eo denuo absolvatur.

Resp. sub distinctione : Qui eo casu et modo [1] a casibus et peccatis quantumvis reservatis fuit absolutus, non tenetur iterum ea confiteri et ab eis absolvi, cum in periculo mortis, omni reservatione cessante et omni jurisdictione omnibus collata, ab eis fuerit directe absolutus : si tamen sit periculum scandali de confessione annua non facta, aut exquirat proprius sacerdos, debebit coram ipso sistere, non ut absolvatur, sed ut ei innotescat quod sit absolutus.

Qui autem eo casu et modo a censuris superiori reservatis fuerit absolutus [2], debebit, ut quamprimum fieri potest, sistere se superiori, non quidem ut rursus absolvatur, sed ut mandatis ejus pareat et satisfactionem offerat : quod nisi fecerit in easdem censuras reincidit, ut jam dixi. Hæc est specialis dispositio juris, dicto cap. *Eos qui* de Sentent. excommunicat. in 6. Et ratio hujus videtur ; quia censura non fertur tantum ad impediendum aut emendandum peccatum, sicut reservatio casuum ; sed etiam principaliter ad frangendam contumaciam peccantis.

ARTICULUS IX.

DE ALIIS DOTIBUS REQUISITIS IN MINISTRO CONFESSIONIS.

Præter jurisdictionem et approbationem de quibus hactenus, requiritur in ministro confessionis bonitas et scientia.

§ I.

De bonitate requisita in confessario.

Duplex requiritur bonitas in confessario, una legalis, altera moralis. Bonitas legalis est ut careat impedimento canonico auferente jurisdictionem, aut ejus actum prohibente : hinc excommunicatus non toleratus et notorius

[1] Ib. ad 2. [2] Ibid.

percussor clerici invalide absolvunt extra mortis periculum ; si autem sit excommunicatus suspensus, aut interdictus toleratus, hoc est, non nominatim denuntiatus nec notorius percussor clerici, valide absolvit, sed illicite, si seipsum ingerat, licite vero si a fidelibus requiratur. Ita ex concessione concilii Constantiensis, Extravag. *Ad evitanda* communiter recepta.

Bonitas moralis est 1° ut sit in statu gratiæ per confessionem, vel saltem contritionem, ut fusius diximus de Sacramentis in communi; alias tot peccata mortalia committit, quot confessiones in statu peccati excipit, secundum probabiliorem sententiam, quia quælibet confessio est actus specialis ab altera distinctus, utpote integrum et perfectum judicium. Non desunt tamen qui volunt eum unum duntaxat peccatum committere, si semel sine interruptione morali pro tribunali sedens, se confessionibus excipiendis exponat.

Altera bonitas moralis est ut sit instructus variis virtutibus ad id munus rite obeundum necessariis. 1° Prudentia in congruorum remediorum applicatione, in pœnitentiarum impositione, in detectione et instructione ignorantium et errantium, in examine pœnitentium et peccatorum, ut scilicet interroget verosimilia, juxta cujusque statum, et valde lente et caute procedat circa peccata carnalia, ne pœnitentem ignota doceat, ipsum sistat nimis explicantem, aut complicem sine causa detegentem ; denique in discernendis dispositis a non dispositis, occasionibus proximis a remotis, etc.

2° Charitate, patientia et mansuetudine, omnes omnino sine personarum acceptatione benigne recipiendo, pauperes et divites, rudes et doctos, scrupulosos, milites, etc., compatiendo lapsis, congaudendo resurgentibus, etc., eorumque rudem indolem, ignorantiam, imbecillitatem, tarditatem, aliasque imperfectiones æquo animo tolerando ; ita ut nunquam ipsis appareat fastidiens, austerus, fatigatus, exacerbatus, etc.

3° Fortitudine contra humanos respectus, ut sciat vitiis non parcere, sed gloriam Dei duntaxat, animarumque salutem quærere, non hominum favores, non copiosam pœnitentium multitudinem.

4° Vitæ sanctitate, juxta illud can. *Qui vult* de Pœnit., dist. 6 : « Sacerdos itaque, cui omnis offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit judicandus, quæ in alio judicare est promptus » ; et illud S. Gregorii, *Pastoral.*, p. 2, cap. 3 : « Illa enim vox libentius auditorum corda penetrat quam dicentis vita commendat.... nec alios valet edocere virtutem qui non habet. »

§ II.

De scientia requisita in confessario.

Confessarius generaliter loquendo debet scire theologiam præsertim moralem : specialiter autem inter cætera, debet scire quæ sit materia, forma et intentio requisita ad sacramentum, qua jurisdictione polleat, qui sint casus reservati, quæ sit dispositio requisita in pœnitente ad absolutionem, qualiter confessio debeat esse integra ; quæ sint peccata ex genere suo mortalia, quæ venialia, quæ inducant obligationem restituendi ; unde petatur distinctio specifica peccatorum, unde numerica, quæ sint circumstantiæ mutantes speciem, quæ aggravantes, quæ deliberatio et advertentia requiratur ad peccatum mortale, quæ sint impedimenta Matrimonii, tam dirimentia qnam impedientia, et alia communiter occurrentia.

Petes 1° in quo gradu ista scire debet confessarius ?

Resp. non in summo et eminenti, sed mediocri, sic, ut dum occurrunt possit de iis judicare vel saltem prudenter dubitare in ordine ad ulterius studium, inquisitionem aut consultationem : intellige dubium ortum ex aliquali notitia acquisita, non dubium ignorantiæ, qua quisque ignarus de re quacumque dubitare potest.

Cæterum constat majorem vel minorem requiri scientiam pro diversitate locorum et pœnitentium : sic major requiritur in eo qui exponitur ad audiendas confessiones in civitatibus, in aulis principum, in emporiis, quam qui in pagis ; major in confessario clericorum quam monialium, etc.

Petes 2° an confessarius debeat ferre determinatum judicium de quantitate vel qualitate cujuslibet peccati confessi in individuo, an hoc peccatum hic et nunc sit mortale, an veniale ?

Resp. negative. Quia tale determinatum judicium de quantitate vel qualitate peccatorum in individuo, sæpissime est etiam doctissimis impossibile, sive quia de ipsa re aliquando dubitatur inter theologos, sive quia casus in individuo infinitis prope modis variantur quoad majus vel minus ex circumstantiis

aggravantibus, excusantibus, minuentibus, ex perfectione vel imperfectione actus, indeliberatione, passione, etc., ex quantitate materiæ, necessitate, difficultate, concursu diversarum rerum, quibus ea quæ secundum se sunt mortalia, sæpe fiant venialia aut nulla; sive tandem quia ipsemet pœnitens non potest scire an consenserit, neque an perfecte, vel imperfecte, etc. Sufficit ergo confessario si gravitatem et qualitatem malitiæ secundum se dijudicet, aut saltem in genere pœnitentem peccasse agnoscat, etsi ad quem gradum mortalis vel venialis peccati, certo determinare non possit.

Petes 3° an debeat habere distinctam singulorum notitiam, quando vel satisfactionem injungit, vel absolutionem profert?

Resp. negative; sed sufficit sic audire et intelligere peccata omnia dum accusantur, ut in satisfactione injungenda, vel absolutione impertienda, sufficienter meminerit status pœnitentis ad utrumque competenter faciendum; quia tunc habere hanc singulorum peccatorum distinctam notitiam est aliquando moraliter impossibile, præsertim quando confessarius est memoriæ labilis et confessio pœnitentis est prolixa.

Dixi quod « debeat audire et intelligere omnia dum accusantur »; quia si per notabilem negligentiam vel ignorantiam aliquid mortale non intellexit, peccavit graviter; secus si ex inculpabili inadvertentia vel distractione, aut propter somnum gravantem, cantum, impeditam linguam confitentis, etc., aliquod peccatum elabatur; quia Ecclesia non obligat ministros suos ad extrema et quasi moraliter impossibilia, sed tantum ad diligentiam ordinariam et humanam.

In utroque autem casu valida erit confessio et absolutio, si bona fide procedat pœnitens, defectum non advertens, quia essentia et effectus sacramenti consistere potest absque integra et specifica peccatorum explicatione materiali, si sine culpa pœnitentis omittatur, et consequenter sine integra eorum cognitione in confessario. Si tamen pœnitens postea resciat quædam peccata mortalia a confessario non fuisse intellecta, tenebitur in sequenti confessione ea repetere.

Petes 4° utrum defectu scientiæ in confessario sit aliquando invalida confessio adeoque iteranda?

Resp. probabilius negative, modo confessarius apprehendat saltem confuse pœnitentem offendisse Deum et peccatorem esse, aliaque requisita adsint, materia, forma, jurisdictio, intentio in confessario et bona fides in pœnitente.

Ratio est 1° quia nihil aliud requiritur ad valorem sacramenti; 2° quia si talis absolveret in articulo mortis, absolutio valeret: ergo et extra illum; quia casus necessitatis non facit ut quod alioquin est natura sua invalidum, sit propter eam validum.

Dixi: Et sit bona fides in pœnitente; quia alias videretur ille pœnitens velle peccatorum suorum gravitatem tegere et non de illis ex animo dolere, nisi forte sit ita doctus ut confessarium suum instruat de gravitate suorum peccatorum.

Petes 5° quando et qualiter peccat confessarius defectu scientiæ?

Resp. Qui enumerata superius et alia communia ita ignorat, ut in illis sibi propositis nequeat communiter et rationabiliter judicare aut saltem dubitare prudenter ad ulterius studium vel consultationem, peccat mortaliter ministerio confessionis se exponens; quia tunc vere idoneus minister censeri non potest, ideoque perverse tanto ministerio se ingerit. Et quando de facto ex ignorantia absolvit quem absolvere non poterat, duplici peccato peccat, 1° sacrilegii, 2° ignorantiæ eorum quæ ad officium suum spectant, ratione cujus versatur in continuo statu peccati mortalis, estque incapax absolutionis quamdiu necessariam scientiam sibi comparare negligit, aut officium non dimittit. Excipe nisi ex gravi necessitate audiat aliquam confessionem, puta in articulo mortis, tempore pestis, aut quando est obligatio celebrandi et alius deest. Qui tamen fuit in examine legitime approbatus, potest ignorantiæ scrupulos deponere, nisi aliunde ipsi constet de sua ignorantia et insufficientia.

ARTICULUS X.

DE OBLIGATIONE ET OFFICIO CONFESSARII.

Multa involvit præsens articulus. Imprimis circa confessiones audiendas, an et quando teneatur audire? Deinde dum actu audit, cum sit judex, doctor et medicus, non una obligatione constringitur.

1° Tenetur procurare rectitudinem hujus judicii sacramentalis, hoc est, pœnitentem disponere ad sacramentum valide et fructuose suscipiendum, interrogando, instruendo, movendo, si eam dispositionem ipse pœnitens

non satis exprimat; quia per se loquendo, confessario moraliter constare debet de legitima dispositione pœnitentis ad hoc sacramentum, alias ipsum sine causa exponit periculo nullitatis.

2° Tenetur dispositum absolvere et non alium, ne sit injurius aut pœnitenti aut sacramento. Circa quam obligationem multa sunt dicenda de iis qui versantur in occasione proxima, de consuetudinariis, de recidivis, de moribundo sensibus inopinate privato.

3° Tenetur satisfactiones peccatis proportionatas imponere et remedia morbis congrua applicare.

4° Tenetur tacere ea quæ mediante confessione cognoscit.

De sigillo et satisfactione dicemus infra, nunc de aliis obligationibus per distinctos §§ dicendum : unde sit

§ I.

An et quando confessarius teneatur audire confessiones?

Dico 1° : Parochus tenetur audire confessiones suorum parochianorum, quando hi tenentur confiteri, scilicet semel in anno et in mortis articulo; alioquin jus iniquum foret si obligaret parochianos ad confitendum, et pastorem non obligaret ad audiendum.

2° Ultra hunc duplicem casum assignatum tenetur quoties parochiani rationabiliter volunt confiteri; quia pastor tenetur ovibus præbere pabulum, non solum quando extreme, sed etiam quando communiter indigent, alioquin non esset satis illis provisum : atqui præcipuus actus pascendi in spiritualibus est is qui exercetur in sacramento Pœnitentiæ : ergo. Item a pari : Qui præest in temporalibus tenetur providere non solum in extremis et gravibus necessitatibus, sed etiam in communibus : ergo etiam qui præest in spiritualibus, maxime cum in hunc finem solvantur illi decimæ.

Dixi : Quoties rationabiliter volunt confiteri; quia quandoque subditi sunt in hoc nimii et morosi. Item ex parte pastoris potest esse legitimum impedimentum, ut si aliis negotiis hic et nunc vacet et ad aliud modicum tempus pœnitentem remittat.

Dico 2° : Delegatus stricte tenetur audire confessiones in quasi extrema et gravi necessitate, in communi autem tenetur audire saltem aliquas.

Ratio est quia secundum legem charitatis et misericordiæ, Deus mandavit unicuique de proximo suo : ergo sicut in temporalibus divites ad eleemosynas corporales tenentur, stricte in extrema et in gravi necessitate, et ad aliquas saltem in communi, ita a fortiori confessarii in necessitatibus spiritualibus ad eleemosynas spirituales obligantur.

Dixi : In quasi extrema necessitate; quia in hac materia nunquam vera est extrema necessitas, cum, per solam contritionem sine confessione in re, possit in omni casu salvari pœnitens. Potest autem dici quasi extrema necessitas, si, v. g., quis deceptus ab hæretico moriatur in peccato, defectu confessionis. Gravis est quando periclitanti ad mortem deest proprius sacerdos aut alter qui subveniat; quia sine confessione salus difficile habetur. Communis necessitas est quando fidelis rationabiliter petit audiri in confessione et non est alter paratus ad audiendum.

Notat tamen Sylvius hic, art. 5, quæstiunc. 9, non facile assignari posse quando confessarius delegatus in communi necessitate teneatur sub mortali excipere confessiones, nisi forte, ut advertit Nugno hic, art. 4, dub. 4, esset talis qui nunquam audire vellet, sicut dives qui nunquam faceret eleemosynam : unde, inquit, periculose agunt viri docti qui recusant omnino audire confessiones ; intellige tamen nisi aliis magis aut æque utilibus occupentur.

§ II.

Quomodo et de quibus confessarius teneatur examinare et interrogare pœnitentem?

Dico : Quando confessarius[1] jure suspicatur pœnitentem omittere sive culpabiliter, sive inculpabiliter, aliquid necessario requisitum, ut sacramentum sit validum et fructuosum, puta numerum, species, circumstantias graves peccatorum, tenetur illum examinare, examine morali et prudenti. Quod si ex ignorantia vel negligentia gravi omittat, fit reus lethalis peccati.

Ratio est quia, ut jam dixi, confessarius tenetur efficere ut judicium sit validum et rectum, tam ex parte sua, quam ex parte pœnitentis, ideoque non ferre sententiam nisi causa integre cognita, quantum moraliter cognosci potest. Propter eamdem rationem, si ratio subsit dubitandi de dispositionibus pœnitentis,

[1] In 4 d. 19, in expl. lit.

de dolore, de proposito, de animi dispositione circa restitutionem et fugam occasionum, debet etiam super hæc illum interrogare.

Dixi in conclusione 1° : Si jure suspicatur pœnitentem omittere, etc.; alioquin foret inutilis interrogatio et pœnitenti onerosa : unde quando pœnitens est sufficienter instructus et solet bene dispositus accedere, nec advertit confessarius aliquid necessarium omittere, ab interrogationibus abstinere debet. Nec obstat si forte pœnitens aliquid inculpabiliter omittat, quia cum iste non teneatur nunc plus confiteri, confessarius non tenetur supplere.

Dixi 2°: Examine morali, id est, non summo et exquisito, sed humano et mediocri, et conformiter ad capacitatem pœnitentis ; non enim sacerdos tenetur plus examinare pœnitentem, quam pœnitens ipse teneatur se examinare, cum confessarius in defectum pœnitentis teneatur ipsum examinare: pœnitens autem non tenetur se examinare summa et exquisita diligentia, sed humana et morali. Nec refert quod si confessarius plus examinaret, forte plus inveniret; non enim hic attendendum est solum ad integritatem materialem confessionis, sed etiam ne summa et nimia industria in examinando reddatur sacramentum pœnitentibus onerosum et odiosum ; sufficit ergo si confessarius prudenter judicet pœnitentem nihil necessarium omittere.

Dixi 3° : Examine prudenti, id est 1° quod non sit indiscretum interrogando de his quæ verosimilius non solent committi a pœnitente, ne ipsum in iis quæ ignorat, peccare doceat, aut verecundia afficiat ; 2° quod non sit præmaturum, sed sinatur pœnitens prius seipsum explicare quantum potest, ne importunitate terreatur, aut aliorum confitendorum obliviscatur; si tamen confessarius ipse timeat oblivisci alicujus necessario interrogandi, debet aut aliquo modo memoriam juvare, aut quod melius et securius puto, debet in decursu confessionis breviter uno vel altero verbo numerum et circumstantias graviores tantum inquirere, ampliori discussione post confessionem factam remissa. 3° Sit cautissimum in materia præsertim venerea, non descendendo ad particulares modos et circumstantias, ne pœnitentem doceat quæ ignorat, et ipsi ac sibi sit occasio scandali. Ita S: Th. prius citatus.

Advertendum tamen hic rusticos et rudes esse examinandos maxime circa cogitationes morosas, quas esse peccata sæpius non apprehendunt, et imo ipsas pollutiones voluntarias contineri sub peccato carnis aliquando non credunt.

Dixi 4°: Confessarium fieri reum peccati mortalis, si ex ignorantia aut negligentia gravi omittat, etc., alias si ex levi negligentia, ex inadvertentia, memoriæ labilitate, humana distractione, spiritus defatigatione, nimia attentione in confessionibus audiendis, etc., aliquid etiam necessarium inquirere omittat, nullum aut leve tantum erit peccatum juxta negligentiæ quantitatem ; nemo enim tenetur cum tanta difficultate et morali impossibilitate alienos defectus supplere. Ita Sylvius, Sylvester, Navarrus et alii.

Petes quid agere debeat confessarius, quando novit pecccatum pœnitentis de quo non se accusat ?

Resp. : Si illud novit ex confessione alterius, ne sigillum confessionis violetur, non debet de illo statim interrogare, sed de variis aliis et inter hæc de isto, si tamen moris sit de talibus interrogare ; si autem pœnitens interrogatus negaverit, nihil reponat, sed hortetur duntaxat generaliter ad integritatem confessionis, si tamen id possit citra suspicionem, et pœnitentem negare persistentem absolvat. Ratio est quia non tenetur magis credere alteri, quam illi, nec aliunde potest frangere sigillum confessionis. Quidam dicunt debere remitti sub aliquo prætextu, puta, quod non sit sufficienter examinatus, aut dispositus; sed id difficile fieri potest sine, vel ipsius pœnitentis, vel sigilli injuria.

Si vero aliunde quam ex confessione alterius novit, vel ipse confessarius vidit peccantem, et certo scit non esse confessum ; vel novit tantum ex aliorum relatione, aut non constat non esse confessum. Si primum, debet ipsum negantem, ut certo indispositum repellere ; si secundum, debet absolvere ; quia pœnitenti pro se, et contra se dicenti creditur, quando evidenti confessoris notitia convinci non potest, nec magis aliis quam illi credere tenetur confessarius : aut si commisit, forte confessus est.

§ III.

Qualiter et de quibus confessarius teneatur instruere et monere pœnitentem ?

Dico : Confessarius tenetur sub gravi peccato instruere pœnitentem de his omnibus quæ pertinent ad hoc sacramentum valide et fructuose suscipiendum, si appareat ipsum ali-

qua horum ignorare. Eadem est ratio ac præcedentis conclusionis.

Hinc colliges 1° confessarium teneri in quantum potest, et tempus, ac aliæ circumstantiæ permittunt, instruere pœnitentem de iis quæ sunt scitu necessitate medii ad salutem ut sunt mysteria Trinitatis et Incarnationis, ipsumque monere de repetendis confessionibus in ea ignorantia factis, quia qui hæc ignorat,est incapax absolutionis. Quod si tunc instruere non possit, aut non inveniat paratum ad repetendas priores confessiones,debet dimittere inabsolutum , alias instruendum , et confessionem generalem præparaturum, nisi forte absolutionis necessitas urgeat, ut in periculo mortis ; tunc enim si non possit sic instruere pœnitentem de necessariis necessitate medii, ut illa memoriter retineat, saltem ipsi proponat articulos credendos, et ad singulos eliciat actum fidei, v. g., credis Deum esse unum in essentia, trinum in personis? Credo. Credis Filium,secundam personam Trinitatis, esse incarnatum, passum, mortuum pro nostra salute æterna? Credo. Credis generaliter quidquid credit S. Romana ecclesia? Credo. Deinde excipiat peccata quæ potest, et numerum confessionum et communionum sacrilegarum, sicque ipsum absolvat, adigendo ipsum si evadat, ut curet instrui, et confessionem generalem instituat. Huc faciunt sequentes propositiones damnatæ ab Innnocentio XI : « Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem, nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi » ; est 64 ; et : « Sufficit illa mysteria semel credidisse » ; est 65.

Colliges 2° confessarium etiam teneri instruere pœnitentem ignorantem, quæ scitu sunt necessaria necessitate præcepti, ut sunt articuli symboli, Oratio Dominica, præcepta Decalogi, sacramenta saltem necessaria ad salutem, requisita ad hoc sacramentum Pœnitentiæ rite suscipiendum, ita tamen quod si aliqua necessitas absolutionis, etsi non extrema urgeat, et non possit nunc facile de istis omnibus instrui, ista autem inculpabiliter ignoraverit, et proponat curare instructionem, possit in ea necessitate absolvi. Quod si ea ex gravi negligentia ignoraverit, et in ea ignorantia mortaliter culpabili plures confessiones fecerit, quas prudens confessarius judicat, aut suspicatur esse invalidas, debet præmittere confessionem generalem, ad quam potest juvare confessarius per suas interrogationes, et sic propter necessitatam absolvere.

Colliges 3° confessarium teneri monere pœnitentem ignorantem vincibiliter aliquid esse peccatum, quod tamen revera est ; item etiamsi invincibiliter ignoret, modo tamen sit spes emendæ, et non timeatur ex monitione gravius malum ; secus non. Hunc casum fuse exposuimus et expendimus in tract. de Actibus humanis, dissert, 5, art. 4, quo lectorem remittimus.

§ IV.

Qualiter confessarius teneatur absolvere dispositum et non alium?

Dico 1° : Confessarius tenetur ex justitia absolvere pœnitentem rite confessum, et legitime dispositum, nisi adsit justa ratio aliquandiu differendi absolutionem ; quia pœnitens rite confessus, et legitime dispositus habet jus ad absolutionem vi cujusdam contractus sacri innominati, facio ut facias, quo jure in re gravissima, sine gravissima injuria privari non potest.

Dixi : Nisi adsit justa ratio aliquandiu differendi absolutionem ; ut si, v. g., confessarius indigeat studio, vel consilio circa peccata confessa. Si dilatio aliqua judicetur necessaria ad utilitatem pœnitentis alioquin hic et nunc rite dispositi, puta quod confessarius merito timeat pœnitentem nunc absolutum facile relapsurum, nisi dilatione territus melius agnoscat peccati gravitatem, et emendationis necessitatem ; confessarius enim nedum est judex, sed et medicus pœnitentis : ita de aliis rationibus si quæ occurrant.

Dico 2° : Certo indispositum in nullo casu potest absolvere confessarius; alias absolvens; et absolutus scienter peccant mortaliter, peccato sacrilegii. Est certa et evidens.

Dico 3° : Regulariter loquendo, et extra casum necessitatis, sufficit et requiritur in confessario judicium prudens de legitima dispositione pœnitentis, ut eum licite absolvat. Sufficere patet, quia non potest plus exigi a confessario, quam ut officium suum prudenter et moraliter adimpleat. Requiri etiam constat ; alias sequeretur quod extra casum necessitatis, liceret absolvere eum de cujus legitima dispositione dubitaretur, adeoque sine necessitate exponere sacramentum periculo nullitatis et irreverentiæ, quod nullus admittit.

Voco judicium prudens quod nititur motivo

comparative gravi et probabiliori, ideoque sufficiens, ut trahat virum prudentem in assensum, etsi non excludat omnem omnino formidinem partis oppositæ : constat ex dictis de probabilitate.

Dixi: Regulariter et extra casum necessitatis; quia in casu necessitatis, scilicet periculo mortis, potest et debet absolvi pœnitens de cujus dispositione dubitatur, ut dicam infra; quia in extremis extrema sunt tentanda, et cum sacramenta sint propter homines, satius est sacramentum exponere periculo nullitatis, quam animam, defectu absolutionis, periculo æternæ damnationis: unde licet in hoc casu confessarius non habeat judicium prudens de legitima dispositione pœnitentis, habet tamen de honestate suæ actionis, quia prudenter, et ex motivo moraliter certo, judicat licitam et debitam esse in hoc casu absolutionem, ob rationem dictam.

Ex his colliges cum rituali Romano Pauli V, confessarium non posse absolvere eos « qui nulla dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut proximam occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant. »

De iis qui versantur in occasione proxima, de consuetudinariis et recidivis speciales sunt difficultates : unde sit

§, V.

Quomodo se gerere debeat confessarius cum iis qui versantur in occasione proxima?

Occasio peccandi dicitur id omne quod inducit ad peccandum; si raro inducat, dicitur occasio remota; si frequenter, occasio proxima ; quamvis tamen possit etiam esse occasio proxima, in qua quis raro, aut nunquam peccavit, si nempe attentis omnibus circumstantiis internis et externis præsentiat se probabilius in ea peccaturum: unde licet ex frequentibus lapsibus bene colligitur occasionem esse proximam, quia tamen peccatum non solum propter multiplicitatem actuum, sed propter seipsum est fugiendum, non tam ex multiplicatis peccatis, quam ex verisimilitudine peccandi repeti debet occasio proxima: hinc male quidam illam definiunt « in qua quis semper aut sæpius peccat »; quasi vero qui decies in mense peccat cum ancilla, non sit in occasione proxima : melius itaque definitur, « in qua quis positus verosimiliter, aut verosimilius peccabit. »

Non est hic quæstio de occasione remota; cum enim nihil sit in mundo, sive paupertas, sive divitiæ, sive sanitas, sive morbus, sive cœlibatus, sive matrimonium, quod non possit esse occasio remota peccandi: si homo teneretur deserere occasionem peccandi remotam, deberet hunc mundum relinquere.

Neque est quæstio de occasione proxima peccandi venialiter; si enim propter affectum ad peccatum veniale non debet denegari absolutio, a fortiori propter occasionem ejus proximam. Quæstio est igitur de occasione proxima peccandi mortaliter.

Occasio proxima peccandi mortaliter; alia est interna, ut certa complexio inducens ad peccatum et maxime inveterata consuetudo; alia externa, quæ communiter intelligitur nomine occasionis proximæ, ut malum consortium. Externa, alia est continua, ut habitatio cum concubina, retentio injusta boni alieni vel beneficii simoniace accepti; alia interrupta, ut frequentatio puellæ, popinæ, choræarum etc. Item alia est absoluta et per se, quæ attenta communi hominum dispositione est omnibus occasio proxima, ut alere domi concubinam; alia respectiva et per accidens, quæ ratione particularis dispositionis est uni occasio proxima, non alteri, ut officium chirurgi vel confessarii. Denique occasio proxima, alia est involuntaria physice, ut interna complexio, mala consuetudo retractata, incarceratio cum concubina; alia involuntaria moraliter, quæ vel deseri non potest sine peccato, ut uxor respectu mariti, militia respectu militis, ars respectu patrisfamilias ex qua sola potest providere necessitatibus uxoris et familiæ, vel non sine gravi detrimento famæ vel fortunæ, ut officium confessarii, chirurgi, advocati, mercatoris, etc. His præmissis,

Dico 1° : Ei qui est in occasione proxima quam neque physice, neque moraliter sine peccato deserere non potest, confessarius non debet denegare absolutionem, ea ratione quod eam non deserat ; ad impossibile enim nemo tenetur, sed debet ei præscribere remedia quibus occasio ex proxima fiat remota: quæ si negligat, aut vix ulla sit emenda, post unam vel alteram absolutionem, non debet amplius absolvi donec resipiscat. Quia confessarius in his circumstantiis non potest formare judicium prudens de sinceritate doloris et propositi.

Dico 2° ; Qui versatur in occasione proxima continua, ut qui alit domi concubinam, aut retinet injuste alienum, vel beneficium simoniace acceptum, quam et physice et moraliter sine peccato et gravi detrimento potuit et potest deserere, regulariter non est absolvendus, nisi de facto deseruerit, quantumvis nunc promittat eam deserere ; quia confessario merito debet esse suspectum propositum illius, qui cum sciret, antequam ad tribunal accederet, hanc occasionem esse dimittendam et potuit dimittere, non dimisit ; et supposito quod foret sincerum propositum, non est verisimile quod, attenta occasione, sit efficax. Vide propositionem 41, inter damnatas ab Alexandro VII, anno 1666.

Dixi : Regulariter, quia quidam casus excipiuntur. 1° Excipitur periculum mortis. Attamen si ita non instaret quin posset adhuc sub aliquo honesto prætextu dimitti concubina, restitui alienum, ita deberet fieri ante absolutionem. Secundus casus est dum pœnitens longe distat ab occasione, puta concubina, quam ideo hic et nunc dimittere non potest, si appareat sincere dispositus, et hactenus nondum fregerit fidem de illa dimittenda, videtur quod possit absolvi. Tertius casus est si pœnitens hucusque non apprehenderit occasionem esse proximam, et gravem illi incumbere obligationem eam statim deserendi, poterit etiam prima vice absolvi antequam dimittat; non secunda, si non dimiserit.

Dico 3° : Qui versatur in occasione proxima interrupta, ut qui sæpe peccat ex frequentatione alicujus puellæ, popinæ, choræarum, etc., potest prima vice absolvi, si appareat quod sincere proponat illam deserere, quia cum non sit actu in occasione, sicut in casu præcedentis conclusionis, et forte jam ab aliquo tempore non frequentavit, major ratio est ipsi fidem adhibendi, quam ei qui in ipsa occasione actu voluntarie permanet.

Dixi : Si appareat quod sincere proponat illam deserere, si enim id detrectet, quantumvis promittat non amplius in ea peccare, non est audiendus nec absolvendus ; qui enim amat periculum, in illo peribit.

Dico 4° : Quando quis versatur in occasione proxima quam sine gravi detrimento famæ vel fortunæ deserere non potest, ut si officium confessarii, chirurgi, mercatoris, advocati, etc., sit illud exercenti occasio proxima, aut ancilla filio familias in domo paterna quam sine offensione parentum deserere non potest; confessarius non debet prima vice eum adigere ut deserat occasionem, sed debet illi præscribere congrua remedia, quibus occasio proxima mutetur in remotam, et ipsi, si appareat bene dispositus et ad acceptanda remedia promptus, impendere absolutionem, ut ejus beneficio et gratiæ auxilio fortior ad superandas tentationes et occasiones evadat ; si vix aut nevix emendatus redeat, adhibitis tamen remediis, urgentiora præscribat, et iterum absolvat : at si tandem sive adhibitis, sive neglectis remediis, nulla aut vix ulla sit emendatio, non obstante quovis incommodo, non absolvatur priusquam occasionem deseruerit; tunc enim urget Christi sententia Matth. 5: *Si oculus tuus dexter* (id est, si quod tibi summe est utile) *scandalizat te, erue eum et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus eat in gehennam.*

Huic et secundæ conclusioni favent sequentes propositiones damnatæ ab Innocentio XI. Prima : « Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult deserere, quinimo directe et ex proposito quærit aut ei se ingerit » : est 61. Item : « Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa utilis aut honesta non fugiendi occurrit » ; est 62. Item : « Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi » : est 63.

§ VI.

Quomodo se gerere debeat confessarius cum consuetudinariis et recidivis?

Consuetudinarius est qui consuetudinem seu habitum et propensionem peccandi in certo genere peccati ex frequentatis ejus actibus contraxit. Unde fit quod facile et levi pulsatus tentatione illud committat. Recidivus est qui in peccatum jam confessum relabitur, etsi semel; quamvis enim absolute loquendo, sit recidivus qui in idem peccatum sive confessum sive non confessum relabitur ; in ista tamen materia, recidivus dicitur qui supponit confessionem peccati in quod relabitur. Hinc potest dari consuetudinarius qui non sit hoc sensu recidivus, ut qui nunquam confessus est peccatum, in cujus consuetudine jamdiu perseverat; et potest esse recidivus qui non sit consuetudinarius, ut qui post confessionem in peccatum confessum aliquoties relabitur.

Hic nobis est incedendum inter duos scopulos nimiæ laxitatis et nimii rigoris. Quidam

enim volunt absolutionem esse concedendam omnibus consuetudinariis toties quoties accedunt ad tribunal dicendo : Pœnitet me; alii omnibus esse denegandam, quousque per virtutum exercitia et opera satisfactoria pravam consuetudinem penitus extirpaverint. Contra quos utrinque

Dico 1° : Differenda est regulariter absolutio consuetudinario qui semel et iterum monitus et correptus a confessario, neglexit remedia ab ipso præscripta, nec se emendavit, quousque factis emendationem probaverit, quantumvis dicat nunc se pœnitere et se esse ad omnia paratum. Idem dicendum in paribus circumstantiis de recidivis statim et frequenter in idem peccatum, ut patebit ex rationibus sequentibus quæ pariter contra eos militant.

Ratio est igitur quia confessarius non potest formare judicium prudens de legitima dispositione illius qui, pluries monitus, hucusque nullum conatum adhibuit ad præcavendum relapsum et amovendam pravam consuetudinem, quæ illi est occasio proxima peccandi. Neque sufficit quod dicat nunc : Pœnitet me ; hoc pluries dixit et fefellit: idem ergo merito nunc suspicatur confessarius. Aliunde si omnibus qui dicunt : Pœnitet me, conferenda esset absolutio, nullus inabsolutus dimittendus foret; nullus est enim, qui in confessione non dicat : Pœnitet me : non ergo solis verbis et foliis in his circumstantiis, sed ex effectibus et fructibus æstimanda est sinceritas propositi, ut docent Patres in hæc Christi verba Matth. 7 : *A fructibus eorum cognoscetis eos.*

Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc propositio : « Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, non est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere et proponere emendationem ». Nulla autem est spes emendationis in eo de quo conclusio, nisi quod « ore proferat se dolere et proponere emendationem » quod reprobatur in propositione damnata.

Dico 2° : Consuetudinarius qui in prioribus confessionibus nunquam fuit correptus, nec monitus de remediis adhibendis, neque illorum est conscius, si nihil aliud obstet quam consuetudo, et protestetur se de illa, et de peccatis dolere, paratumque se exhibeat ad omnia remedia, etsi dura et difficilia, potest post præmissam, ut plurimum, confessionem generalem statim absolvi, nec est expectandum donec pravam consuetudinem penitus eradicaverit. Item a fortiori dicendum de simpliciter recidivis.

Prob. 1° : Quia videtur quod confessarius possit formare prudens judicium de hujus pœnitentis legitima dispositione ; quid enim obstaret ? Obstat, inquiunt, quod Deus non soleat tam subito convertere hujusmodi inveteratos peccatores. Id quidem verum est de conversione perfecta, quæ pertingat usque ad integram extirpationem pravæ consuetudinis; sed hoc non requiritur ad absolutionem, maxime cum Trid., sess. 14, cap. 8, dicat pravam consuetudinem tolli per pœnas satisfactorias a confessario impositas, et ideo præcedit absolutio. At falsum est de conversione cordis requisita, et sufficienti ad absolutionem ; jubemur enim, Eccli. 5, non tardare converti ad Dominum, et secundum adversarios tenetur peccator statim a peccato commisso conteri, juxta omnes non diu differre : Deus autem impossibilia non jubet. De his iterum in sol. object.

Insuper quidquid sit de œconomia divinæ providentiæ in conversione peccatorum ; saltem is de quo agitur jure supponitur conversus ; nam illi inveterati peccatores non se exhibent paratos ad omnia remedia, sicut iste se exhibet, nec est ratio suspicandi de eo quod fallat, sicut de iis qui sæpe fregerunt fidem, et media præscripta neglexerunt : unde ratio adversariorum non militat contra suppositum conclusionis.

Confir.: Rituale Romanum Pauli V, agens de iis quibus concedenda, vel differenda, vel deneganda est absolutio, inter eos quibus dicit differendam, aut denegandam absolutionem, non numerat consuetudinarios : ergo censet eis esse concedendam ; exceptio enim firmat regulam, nec dici potest argumentum esse negativum ; quia, ut dixi, non agit solum de iis quibus est concedenda.

Prob. 2° : Sacramentum Pœnitentiæ est institutum non solum ad tollenda peccata præterita, sed etiam ad præcavenda futura : ergo non est denegandum illi qui malam habitudinem jam retractavit, et ad illam penitus eradicandam per media præscripta paratum se exhibet ; alioquin ipsum privas præcipuo et efficaciori remedio ad hunc finem, et assimilaris, inquit apte P. Henno, insano medico qui non vellet adhibere præcipuum remedium, nisi ægroto jam sanato.

Dixi 1° : Neque remediorum conscius, ut contingit plerumque inter vulgares, qui nullum aliud agnoscunt remedium, quam exa-

minare conscientiam, omnia peccata confiteri, de illis dolere, proponere non amplius illa committere, et adimplere satisfactionem injunctam. Secus de doctis, qui probe norunt remedia necessaria pravo habitui extirpando, et quæ tamen hucusque neglexerunt; hi namque censendi sunt æquivalenter moniti, neque ideo de illorum sincera conversione ex signis communibus potest magis ferre judicium prudens confessarius, quam de iis qui pluries moniti remedia præscripta neglexerunt, de quibus dictum est in prima conclusione.

Dixi 2° : Si nihil aliud obstet quam consuetudo, quia si præter inolitam consuetudinem adsit occasio proxima, et non auferatur, vel si quis flagitiosæ vitæ per plures annos gentiliter vixisset, absque ullo religionis Christianæ exercitio, et ulla sacramentorum frequentatione, addendo peccata peccatis, videtur in illo requiri plusquam communia signa pœnitentiæ, ut prudenter judicetur conversus et absolvendus ; habet enim plus solito voluntatem obfirmatam in malo, nec ipsum latere potuit orationem et communia religionis officia, præsertim sacramentorum frequentationem, esse media adhibenda contra peccata, et pravos habitus, et quod si ea frequentasset, de aliis necessariis instructus fuisset, sicque sua culpa ignoravit, nec potest ex hoc capite prætendere excusationem : unde habendus est, ut in præcedenti casu, æquivalenter monitus, nec absolvendus, nisi quædam singularia pœnitentiæ signa edat ; atque ita etiam cum eo agendum foret, etsi pravam consuetudinem non contraxisset.

Dixi 3° : Post præmissam, ut plurimum, confessionem generalem ; quia quamvis confessiones factæ durante consuetudine, seu inter frequentes relapsus, potuerint esse validæ ; nihil enim obstat, absolute loquendo, quominus consuetudinarius, aut frequens recidivus, vere doluerit de suis peccatis, et sincere proponat non amplius peccare ; sæpe tamen deest sinceritas in proposito, quod innotescit maxime, si statim post confessionem seu prima occasione, leviter tentatus, et æque facile labitur ac ante ; et in hoc casu, qui frequens est in consuetudinariis, censeo necessariam esse confessionem generalem ; quia probabilius est defuisse verum propositum in prioribus confessionibus. Quod si sit quædam necessitas, etsi non admodum gravis, statim absolvendi, ut si pœnitens habeat domicilium longe distans a confessario, aut confessarius extraneus, et transiens ad pœnitentem redire non possit, vel si timeatur, ne pœnitens amplius non redeat, vel posset difficile instituere confessionem generalem, forte quia simplex aut rusticus, vel quid simile; tunc confessarius potest suis interrogationibus supplere interrogando, primo per singulos annos aut menses de numero peccatorum quæ ex consuetudine nata sunt sequi, deinde de peccatis illius pœnitentis statui propriis, denique percurrendo præcepta Decalogi et Ecclesiæ, ipsumque monere, ut si aliquod peccatum omissum in memoriam redeat, illud ccuset in prima confessione.

Dico 3° : Consuetudinarius qui, post obtentum absolutionis beneficium, diligenter adhibuit remedia præscripta, et est notabiliter emendatus, licet aliquoties relapsus fuerit, debet iterum absolvi. Item a fortiori dicendum de recidivis.

Ratio est quia confessarius, jam non ex foliis, sed ex fructibus potest formare judicium prudens de legitima ejus dispositione, nimirum fuisse prius, et nunc esse sincerum dolorem et propositum ; nec obstant aliquot relapsus ; hi enim vel mutabilitati voluntatis, vel fragilitati, vel reliquiis antiquæ consuetudinis, nondum penitus amotæ, sed tamen retractatæ et involuntariæ, magis adscribendi sunt, quam malitiæ et defectui propositi ; et cum hæc notabilis emendatio sit effectus gratiæ sacramentalis, spes est quod, per sacramenti iterationem, tandem integra et perfecta conversio obtinebitur : et hæc est communis confessariorum doctorum et timoratorum praxis.

Dixi : Qui remedia præscripta adhibuit, et est notabiliter emendatus : si ergo præscripta remedia adhibuerit, sed non sit notabiliter emendatus, præscriberem pro secunda vice remedia urgentiora, et iterum absolverem ; defectus enim veri propositi, magis ex neglectu remediorum, quam ex multiplici relapsu dignoscitur ; quia facilius est adhibere remedia, quam abstinere a peccato propter vehementem in illud propensionem ex consuetudine ; nec obstat quod remedia sint etiam contraria consuetudini ; non enim tam directe illi contrariantur, quam abstinentia a peccato : sic, v. g., jejunare non tam directe contrariatur consuetudini luxuriandi, quam abstinere ab actibus luxuriæ. At vero si tertio accedat, adhibitis quidem remediis, sed non emendatus notabiliter, differrem ad tempus absolutionem, si non ut judex, saltem ut medicus, scilicet, ut gravitatem peccati magis apprehendat, et relapsus magis pertimescat ; aliquando enim

contingit, ut qui per plures absolutiones non fuerunt emendati, absolutionis denegatione territi corrigantur.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° contra primam conclusionem: Matth. 18, Petro interroganti, an fratri in se peccanti deberet condonare septies, respondit Christus: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagesies septies*, id est, sine termino; hoc autem dictum S. Th., 3. p. q. 48, art. 10, in arg., s. c., applicat absolutioni sacramentali, et in corpore articuli dicit quod «misericordia Dei superet omnem numerum et magnitudinem peccatorum, et ideo peccantibus per pœnitentiam veniam præbeat absque ullo termino»: ergo.

Resp. hunc locum Matthæi in sensu litterali non posse applicari sacramento Pœnitentiæ, alioquin sequeretur quod sicut fratri actualiter nobis offenso et inimico debeamus saltem animo condonare, ita peccatori actualiter a Deo averso et in ejus odio perseveranti debeamus beneficium absolutionis impendere. In tantum ergo S. Th. hunc textum in sensu accommodatio applicat absolutioni sacramentali, in quantum, sicut debemus sæpe offensam fratri remittere, sic etiam debemus sæpe absolvere pœnitentem, utique vere pœnitentem; ex quo probat S. Doctor sacramentum Pœnitentiæ esse iterabile, quod unum quærit et resolvit in hoc articulo.

Inst.: Christus, Luc. 17, discipulos alloquens dicit: *Si septies in te peccavit, et septies in die conversus fuerit ad te dicens: Pœnitet me, dimitte illi*: atqui Christus non vult nos esse magis misericordes quam Deus ipse sit; dicit enim, Luc. 6: *Estote misericordes sicut et Pater vester est misericors*: ergo.

Resp. 1° ex hoc argumento probari septies in die lapsum in peccatum mortale, esse septies in die sacramentaliter absolvendum, quo nihil est absurdius: cum ergo nimis probet, nihil probat.

Resp. 2° dist. min. Christus non vult nos esse magis misericordes quam Deus ipse sit, cæteris paribus, conc.; cæteris imparibus, neg. Disparitas est autem quod remittendo fratribus injuriam toties iteratam nihil periclitemur; absolvendo autem consuetudinarium seu recidivum, de quo est quæstio, periculum sit sacrilegii erga sacramentum et impœnitentiæ erga peccatorem, quem in peccatis foveret hæc immoderata indulgentia. Insuper non dixit Christus injuriam fratri esse remittendam, scilicet externe, quoties dicit: Pœnitet me, nec ad hoc tenemur; sed quoties *conversus* dicit: Pœnitet me, in eo autem de quo disputamus, ad minus valde suspecta est conversio.

Obj. 2° contra eamdem: Frequens relapsus tam in consuetudinariis quam in recidivis post plures confessiones, potest oriri ex mutabilitate voluntatis humanæ: ergo non est ratio cur adscribatur defectui veri propositi, consequenter non ideo deneganda est absolutio: unde S. Th., 3. p. q. 84, art. 10, ad 4, dicit: «Quod aliquis postea (id est post pœnitentiam) peccat vel actu, vel proposito, non excludit quin prima pœnitentia vera fuerit, nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem sicut enim vere cucurrit qui postea sedet, ita vere pœnituit qui postea peccat.»

Resp. dist. ant. Frequens relapsus potest oriri ex mutabilitate voluntatis humanæ tantum, neg.; ex mutabilitate voluntatis humanæ et ex defectu veri propositi, conc. Ex quo autem de facto oriatur in præsentibus circumstantiis? Nemo sensatus non judicabit, moraliter et practice loquendo, probabilius oriri ex defectu propositi, maxime si attendat ad judicium ferri solitum de rebus humanis in similibus circumstantiis; saltem negari non potest quin ad minus sit dubium de principio tot relapsuum et negligentiæ remediorum, ideoque non possit haberi judicium prudens de legitima dispositione pœnitentis, in quo casu nequit conferri absolutio, nisi urgente necessitate.

Ad D. Thomam: Ejus verba non sunt ad rem; vult enim ibi S. Doctor quod sequens peccatum non excludat pœnitentiam præcedentem, supposito quod vera fuerit; quia, inquit, «veritas prioris actus non excluditur per actum contrarium subsequentem»: unde «sicut vere cucurrit, qui postea sedet, ita vere pœnituit», si revera pœnituerit, «qui postea peccat», quod enim factum est, infactum fieri nequit; id omnes fatentur; at non negat S. Doctor frequentes relapsus sequentes esse indicia priorem pœnitentiam non fuisse veram, et hoc nos asserimus, si non metaphysice, saltem moraliter et practice loquendo; neque ullus est qui in humanis ita non judicaret, aut saltem non dubitaret, an ille vere promittat qui stantibus iisdem circumstantiis, pluries defuit promissioni de eadem re, nec levissimum conatum adhibuit ut impleret, quamvis implere posset; nullus, inquam, qui credat

aliquem vere pœnitere de injuria illata, si statim post condonationem, nulla alia causa movente, illam iteraret et ita pluries. Quapropter quamvis injurianti, interius et ex animo condonare teneatur offensam, non tamen tenetur illam remittere externa in gratiam receptione, imo nec consultum, ne facilitas veniæ sit incentivum malæ voluntatis.

Inst. 1°: Ridiculus esset qui ex repetita seu diuturniori sessione inferret sedentem non cucurrisse: ergo similiter juxta D. Th. ridiculus est qui ex sequentibus relapsibus infert non fuisse veram pœnitentiam.

Resp. 1° S. Thomam non in eo paritatem facere quod sicut sessio non indicat cursum non præcessisse, sic frequens relapsus non indicat non fuisse veram pœnitentiam; sed in hoc, ut dixi, quod sicut sessio sequens non destruit cursum præcedentem, si revera fuerit, ita peccatum sequens non destruit pœnitentiam præcedentem, si revera fuerit; quia « veritas prioris actus non excluditur per actum contrarium subsequentem. » 2° Neg. conseq. Disparitas est quod qui vere currit non debeat proponere non sedere postea, sed qui vere pœnitet, debet proponere non peccare postea: unde licet ex frequenti sessione non inferatur quod non concurrerit, bene tamen ex frequenti relapsu infertur quod non pœnituerit.

Inst. 2°: Juxta S. Thomam, supp,, q. 8, a. 5, ad 2, in foro confessionis creditur homini pro se et contra se: ergo consuetudinario dicenti in confessione: Pœnitet me, fides est adhibenda.

Respondent plures hoc dictum S. Thomæ intelligendum esse de factis quæ pertinent ad confessionem sacramentalem, ut quod pœnitens hoc vel illud peccatum commiserit, quod fuerit vel non confessus, non autem de dispositionibus quarum confessarius est judex. Quia tamen S. Doctor *Opusc.*22, c. 3, sub finem videtur illud etiam intelligere de dispositionibus pœnitentis, dist. ant.: In foro confessionis creditur homini pro se et contra se, si nihil obstet, conc.; si quid obstet, neg. Obstat autem hic gravis pœnitentis negligentia in adhibentis remediis contra relapsum et inolitam consuetudinem.

Inst. 3°: Juxta eumdem S. Doctorem, dubia de proximo non sunt interpretanda in pejorem partem: ergo.

Resp. 1° hic esse plusquam dubium, ut dictum est. 2° Dato esse dubium, equidem non est interpretandum in pejorem partem definiendo hunc esse malum, bene tamen suppo-nendo aut timendo ne sit malus dum agitur de malo vitando aut bono promovendo, ut in præsenti casu.

Obj. 3° contra eamdem : Per absolutionis dilationem periclitatur salus pœnitentis, si forte interim moriatur : ergo.

Resp. hoc periculum esse remotum, cum ubique adsint confessarii in casu infirmitatis, ideoque cedere debet periculo proximo sacrilegæ absolutionis, quæ magis vitanda est quam mors sine absolutione; sed et mirum est peccatorem timere periculum æternæ damnationis dum salutarem agit pœnitentiam, et ad paucos dies illi differtur absolutio, et non timuisse dum adderet peccata peccatis, et in eis per menses et annos perseveraret.

Obj. 4° contra secundam conclusionem : Juxta communem providentiæ cursum, conversio peccatoris consuetudinarii est difficilis, requirit multos conatus, fitque pedetentim et successive : ergo non debet absolvi nisi postquam suam conversionem multis virtutum actibus probaverit. Ant. patet tum experientia, tum exemplo Lazari quatriduani, qui juxta S. Augustinum, tract. 49, in Joan., fuit figura peccatoris consuetudinarii, quem ut resuscitaret Christus, magna voce clamavit, infremuit et lacrymatus est : hinc addit S. Augustinus : « Quam difficile surgit quem moles malæ consuetudinis premit » : ergo.

Resp. ex dictis in probatione conclusionis, dist. ant. Juxta communem providentiæ cursum conversio peccatoris consuetudinarii perfecta, quæ pertingat usque ad integram eradicationem inolitæ consuetudinis, est difficilis, fit successive, etc., conc. Hæc autem conversio non requiritur ad absolutionem, siquidem, ut dictum est ex Tridentino, obtineatur per satisfactiones medicinales impositas a confessario, ideoque supponit absolutionem ; et de hac conversione intelligitur exemplum Lazari et textus S. Augustini. Conversio cordis quæ sita est in dolore de peccatis et in proposito non peccandi est difficilis, fit successive, etc., neg. Juvante scilicet Dei gratia quam nemini denegat : constat ex probatione conclusionis : hæc autem sufficit ad absolutionem, et sic esse conversum prudenter judicamus consuetudinarium qui nunquam monitus de remediis adhibendis ad illa paratum se exhibet, et de præteritis se dolere profitetur; non enim sic se gerunt qui non sunt conversi, sed, ut advertit ipse S. Aug. citatus in Joan., dicunt : « Non possumus tolli a consuetudine nostra. »

Inst. : Ipse S. Aug. non nisi difficile et post

longum tempus fuit conversus, ut ipse narrat, lib. 8 *Confess.*, cap. 5 : ergo.

Resp. 1° dato ant. neg. conseq. Ex unius enim exemplo non debet concludi de omnibus, cum enim conversio sit opus gratiæ et liberi arbitrii, quidam citius, quidam tardius convertuntur, quidam fortius, quidam imbecillius in suam conversionem nituntur. 2° Loquitur S. Aug., loco citato, de conversione sua plena et perfecta, scilicet de completa victoria concupiscentiarum et malorum habituum, non de conversione cordis sufficiente ad absolutionem seu ad Baptismum, quam nullus dubitat præcessisse in S. Augustino diu antequam susciperet Baptismum, et quem si citius suscepisset, facilius et citius malos habitus plene vicisset : unde ipsemet, lib. 1 *Confess.*, cap. 11, improbat quod diutius distulerit Baptismum. Hac distinctione conversionis perfectæ et imperfectæ, solves plura quæ tum ex eodem Augustino, cum ex aliis Patribus opponi possunt.

Obj. 5° contra eamdem : Secundum antiquos canones, opera satisfactoria præmitti debent absolutioni : ergo.

Resp. ex hoc argumento, quod magno apparatu proferunt rigidioris moralis defensores, nihil expungi posse in illorum favorem. 1° Absolutio de qua in canonibus antiquis, probabilius non erat sacramentalis, sed cæremonialis ad reconciliationem cum Ecclesia, et ad susceptionem Eucharistiæ, ut probabo infra dum de satisfactione. 2° Esto in his canonibus agi de absolutione sacramentali, nihil favet adversariis ; nam 1° pœnitentia illi prævia non imponebatur nisi jam vere pœnitentibus : ergo non in eorum pœnitentiæ experimentum ut volunt adversarii, 2° non imponebatur solis consuetudinariis aut recidivis, sed etiam primo lapsis ; 3° imo multi per plures annos stadium pœnitentiæ decurrebant, quidam usque ad finem vitæ; id autem non requirunt austeriores theologi. Denique, quod præcipuum est, res est disciplinæ quam mutavit Ecclesia, ut constat tum ex ejus hodierna praxi quam improbare nefas est, tum ex sequentibus propositionibus damnatis. Prima : Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex et præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante » : est 16, inter damnatas ab Alexandro VIII, anno 1690 ; secunda : « Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus » : est 17 ; tertia : « Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurium hominum sustentet auctoritas et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu » : est 18.

Obj. 6° contra eamdem : Consuetudinarius de quo agitur, est in occasione proxima; consuetudo enim est illi occasio proxima : ergo.

Resp. dist. ant. Est in occasione proxima voluntaria, neg. ; involuntaria, conc. Hanc enim retractavit per sincerum dolorem et propositum adhibendi remedia contra illam : non denegatur autem absolutio existenti in occasione proxima involuntaria, ut dictum est § præcedenti.

Inst. 1° : Verisimile est quod ex illa consuetudine etsi involuntaria, sed nondum eradicata, adhuc peccabit consuetudinarius : ergo.

Resp. 1° ant. esse incertum et soli Deo notum. 2° Dato ant. neg. conseq. Ut enim homo sit capax absolutionis, non requiritur quod deinceps non peccet, alias nulli pœnitenti danda esset absolutio ; sed requiritur quod hic et nunc habeat verum propositum non peccandi amplius.

Inst. 2° : Atqui non potest prudenter judicari, quod nunc habeat istud verum propositum : ergo. Prob. subsumptum. Sæpius fregit istud propositum factum in prioribus confessionibus : ergo.

Resp. neg. ant. Ad probationem, neg. conseq. Quamvis enim ex hoc quod prius fregerit propositum factum in prioribus confessionibus, in quibus nec correctus, nec monitus fuit de adhibendis remediis, possit esse indicium ejus propositum tunc non fuisse verum, et ideo suadenda sit confessio generalis; inde tamen non sequitur quod propositum quod tunc facit non sit verum, quia mutantur circumstantiæ ; acceptando enim remedia dura et difficilia, dat signa veri propositi, quæ non dedit in prioribus confessionibus.

Inst. 3° : Nemo concrederet bona sua illi qui haberet consuetudinem furandi, quamvis promitteret non amplius furari et acceptaret media proposita ad non amplius furandum : ergo similiter.

Resp. neg. conseq. Disparitas est 1° quod homines in custodia bonorum suorum non solum attendant ad præsens propositum, sed etiam ad damnum quod sequi potest sive ex defectu propositi, sive ex ejus mutatione aut fragilitate : in hoc vero tribunali magis attenditur ad præsentem dispositionem quam ad peccatum quod deinceps committi potest ex mutatione propositi et fragilitate, alioquin

nulli peccatori, ut jam dixi, danda esset absolutio, cum nullus sit qui post absolutionem non relabatur, aut relabi non possit in peccatum; 2° quia concredere bona habenti consuetudinem furandi non est medium ordinatum ad refrænandam hanc malam consuetudinem, quin potius illi favet; at collatio sacramenti est medium ordinatum ad compescendam malam habitudinem et impediendum relapsum.

Obj. 7° contra tertiam conclusionem : Consuetudinarius qui post propositum amplius non peccandi et acceptationem mediorum in priori confessione, adhuc relapsus est, fregit fidem : ergo non est amplius illi adhibenda.

Resp. dist. ant. Fregit fidem ex mutabilitate voluntatis et fragilitate, conc. ant.; ex defectu sinceritatis in priori proposito, neg. ant. et conseq. Si enim sic frangentibus fidem deneganda esset fides et absolutio, cum omnis pœnitens promittat non amplius peccare, deneganda esset absolutio cuicumque recidivo etiamsi semel tantum sive in eodem, sive in diverso genere peccati, quod nullus admittit.

Inst. 1° : Si ille consuetudinarius omitteret remedia præscripta, censeretur non habuisse verum propositum illa adhibendi : ergo dum iterum peccat, censendus est non habuisse verum propositum non peccandi.

Resp. posse negari ant, si ut plurimum observet remedia et aliquoties tantum omittat; sed dato ant. neg. conseq. Disparitas est 1° quod omittendo remedia et iterum peccando, nihil supersit quo possit probare sinceritatem sui propositi; secus si saltem observet media præscripta. 2° Cum media sint facilioris executionis quam abstinentia a peccato, in quod vehementer inducit inveterata consuetudo, ex omissione mediorum magis colligitur defectus propositi, quam ex aliquot relapsibus.

Inst. 2° : Qui semel promisit restituere injuste ablatum et non restituit, non est absolvendus : ergo.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod qui injuste retinet alienum, sit in occasione proxima, non solum quatenus est in continuo statu peccati, retinendo alienum, sed etiam quatenus hæc injusta retentio est illi occasio sæpius iterandi malam voluntatem non restituendi. Secus de simpliciter consuetudinariis aut recidivis.

Petes 1° : quid sit dicendum de frequenter recidivis in peccata venialia ?

Resp. 1°. Suppono hos facilius esse absolvendos quam frequenter recidivos in peccata mortalia, 1° quia cum peccatum mortale sit malum longe gravius, majus exigit odium et firmius propositum, 2° quia frequentiores sunt occasiones peccandi venialiter quam mortaliter; 3° quia dum peccantes venialiter tantum non desinant esse Dei amici, præsumitur gratiam veræ pœnitentiæ facilius illis conferri, quam peccantibus mortaliter.

Resp. 2° : Frequenter recidivis in peccata venialia ex subreptione, potest regulariter conferri absolutio; quia hæc sunt humanæ fragilitatis appendices, quæ stare possunt cum sincero dolore et proposito; frequenter autem recidivi in peccata venialia ex deliberatione, ex affectu, ex consuetudine voluntaria, non sunt absolvendi nisi subjiciant clavibus aliquod peccatum mortale jam confessum, de quo verum concipiant dolorem, ut sit materia certa absolutionis. Idque eo utilius facient quod, ut advertit Auctor [1] : « Quanto aliquis pluries de peccatis confitetur, tanto magis pœna minuitur, ex ipsa natura actus confitentis, qui habet pœnam erubescentiæ annexam. » Et iterum [2] : « In secunda absolutione, gratiæ confertur augmentum, et quanto major gratia recipitur, minus de impuritate præcedentis peccati manet, et ideo minor pœna purgans debetur... unde non est inconveniens si per frequentem confessionem etiam tota pœna tollatur, ut peccatum omnino remaneat impunitum pro quo pœna Christi satisfecit. »

Petes 2° quæ remedia sint præscribenda consuetudinariis et frequenter recidivis ?

Resp. generaliter esse præscribenda remedia contraria malis habitibus; quia contraria contrariis curantur : sic luxurioso præscribendum est jejunium et aliæ corporis macerationes; ebrioso abstinentia per aliquod tempus a vino vel cerevisia, præsertim quoties inebriabitur; blasphemo vel perjuro, quoties blasphemavit aut pejerabit, quædam eleemosyna, vel oratio, vel quid simile; et sic de cæteris. Omnibus vero præscribenda est meditatio quatuor novissimorum, passionis Christi, frequens oratio, invocatio sanctorum, præsertim B. Virginis, angeli custodis, frequentatio sacramentorum, etc.

Petes 3° utrum consuetudinarius teneatur confessario interroganti fateri suam consuetudinem ?

Resp. affirmative : Patet ex hac propositione damnata ab Innocent. IX : « Non tenemur confessaria interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem » ; est 58.

[1] Suppl. 9-10, a. 2, o. [2] Ididem 9-18, a. 2, ad h.

Ratio, quia id est necessarium, ut confessarius cognoscat statum pœnitentis et varia peccata quæ ex consuetudine, tanquam ex causa voluntaria procedunt, et sunt ex hoc capite imputabilia, atque ut possit congrua remedia præscribere.

Advertat autem confessarius quod dum pœnitentem inabsolutum dimittit, non dure sed benigne cum eo debeat agere, ipsique suadere se ægre et nonnisi ex necessitate, atque in bonum ipsius, absolutionem differre, concessurus libenter alias, cum emendatus redierit, ut sic ipsi non fiat sacramentum odiosum, sed facilior et gratior reditus.

§ VII.

Quomodo confessarius debeat se gerere cum moribundo inopinate oppresso et sensibus externis destituto ?

Duplex hic occurrit quæstio resolvenda : Prima, an iste moribundus sit absolvendus ; secunda, quomodo, an absolute vel conditionate sit absolvendus ?

SECTIO I.

Utrum moribundus inopinate oppressus et sensibus externis destitutus debeat absolvi ?

Dico 1° : Absolvendus est moribundus qui priusquam destitueretur sensibus, petiit confessarium, aut aliquod aliud signum pœnitentiæ dedit coram adstante vel adstantibus qui per se vel per alios referant confessario advenienti.

Est communis et certa in variis conciliis et locis juris definita: Can. 12 concilii Arausicani I, dicitur : « Subito obmutescens baptizari aut pœnitentiam agere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu. » Idem concil. Carthaginense IV, can. 7; idem Toletanum XI, can. 12; idem cap. *Qui recedunt*, 26, q. 6, cap. *Is qui*, ibid., cap. *Multiplex*, de Pœnit., dist. 1, et rituale Romanum Pauli V, de moribundo sensibus privato dicit : « Si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est. »

Ratio est quia petitio confessionis seu alia signa pœnitentiæ, sunt quædam confessio generalis et implicita seu virtualis, dum alia haberi non potest, et adstantes sunt interpretes, per quos moribundus confitetur sacerdoti præsenti. De decreto Clementis VIII, quod posset opponi, dicam infra dum de confessione per litteras.

Dico 2° : Moribundus qui professus est religionem christianam, etsi nullum speciale signum doloris dederit antequam privaretur sensibus, est absolvendus.

Huic conclusioni contradicunt plures et graves theologi ; videtur tamen nunc communior.

Prob. auctoritate : 1° S. Aug., lib. 1 *de Adulterinis Conjugiis*, cap. 26, de Catechumenis, qui subito oppressi Baptismum petere non possunt, nec ad interrogata respondere, dicit : « Prosit eis quod eorum in fide christiana jam nota voluntas, ut eo modo baptizentur quomodo baptizantur infantes, quorum nulla adhuc voluntas patuit. » Et postquam dixit non esse condemnandos eos qui non audent tales baptizare, addit: « Sed non solum incredibile est, nec in fine vitæ hujus baptizari catechumenum velle ; verum etiamsi voluntas ejus incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit an nolit sic non apparet, ut tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se potius fuisse dicturum ea sacramenta percipere, sine quibus jam credidit, se non oportere de corpore exire. » Et cap. 28 : « Ego non solum alios catechumenos, verum etiam ipsos qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina conjugia, cum salvos corpore non admittamus ad Baptismum, tamen si desperati jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris regeneratione abluatur. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad Baptismum statuerant detineri ? » Et tandem concludit : « Quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentiam finiendæ vitæ periculum præoccupaverit; nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia. » Nihil videtur expressius pro conclusione nostra. Attamen.

Respondent quidam S. Augustinum loqui de iis qui aliquo speciali signo petierunt Baptismum vel absolutionem.

Verum huic responsioni aperte contradicit textus S. Augustini ; quippe qui loquitur de eo qui, subito oppressus, non potest petere Baptismum, nec ad interrogata respondere, quem dicit esse baptizandum, sicut baptizantur infantes, sine ullo propriæ voluntatis

judicio : de eo, inquam, cujus voluntas « incerta est » , de quo non apparet « an velit aut nolit », et cui satius est dare « nolenti », quam « volenti negare. »

Respondent alii S. Augustinum loqui de catechumenis et pœnitentibus publicis, qui licet aliquo speciali signo tunc non indicaverint actuale suum desiderium suscipiendi sacramentum Baptismi vel Pœnitentiæ, præcesserant tamen hujus desiderii signa per adscriptionem catechumenatui et statui pœnitentium, in eoque perseverantiam.

Sed contra: 1° S. Aug. non facit vim in statu catechumenatus seu pœnitentiæ, sed in hoc quod, cum incertum sit, an catechumenus vel pœnitens « velit aut nolit, satius est nolenti dare, quam volenti denegare. » 2° Quod est in catechumeno et pœnitente professio catechumenatus et pœnitentiæ, hoc est in fideli professio religionis christianæ : unde sicut vi suscepti status catechumenatus seu pœnitentiæ primi præsumuntur velle suscipere sacramentum Pœnitentiæ seu Baptismi, ita ultimus vi suscepti status religionis christianæ præsumitur velle mori cum absolutione more christianorum.

Inferes : Ergo, juxta S. Augustinum, absolvi poterunt qui nullo dato speciali signo pœnitentiæ retinent adulterina conjugia, quod, inquit recentior, nemo unus sanæ mentis affirmat.

Sed quid dicit : «Nemo unus sanæ mentis», cum ipse S. Augustinus id disertissimis verbis, non solum affirmet, sed probet ratione subjungens: «Quis enim, ait, novit utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad Baptismum statuerant detineri ?»

2° Sacerdotale Romanum impressum anno 1560 conclusionem nostram docet ex S. Antonino. Idem Memoriale confessorum editum anno 1623 a Gregorio XV, dum esset archiepiscopus Bononiensis. Idem statuta synodi Lemovicensis, anno 1620, cap. 21, ubi legitur absolutionem posse conferri christiano, « qui judicio omniumque sensuum usu statim captus est non petita Pœnitentia, nulloque signo contritionis edito. » Denique Henricus a S. Ignatio in sua Ethica impressa anno 1709 citat plusquam quadraginta auctores qui eamdem sententiam tenent.

Prob. rationibus : 1° Si non liceret absolvere moribundum in casu conclusionis, ideo esset quia deest materia sensibilis, scilicet confessio dolorosa, sine qua subsistere non potest absolutio sacramentalis : atqui hæc ratio nulla est : ergo. Maj. est tota aut saltem præcipua ratio adversariorum. Prob. min. Professio vitæ christianæ conjuncta cum statu morbi, est quædam confessio generalis et implicita, quia nullus est aut vix ullus inter fideles, qui, instante morte, non velit confiteri et christiane mori. Confir. : Si iste moribundus petiisset confessarium, censeretur sufficienter confessus ad recipiendam absolutionem, ut omnes fatentur ex prima conclusione : atqui qui vitam christianam professus est, censetur pariter petere in morte confessarium, ut mox dicebam : ergo sicut petitio formalis facit, quod in primo ista confessio generalis et implicita sit sensibilis ; petitio virtualis, seu professio vitæ christianæ conjuncta morbo idem facit in secundo.

2° Licitum est uti materia dubia in administratione sacramentorum, quando certa haberi non potest et urget necessitas : atqui in casu conclusionis, materia sensibilis, scilicet confessio dolorosa, est dubia: ergo super illam potest proferri absolutio sacramentalis. Maj. est certa, tum ex traditione Ecclesiæ quæ non denegat absolutionem sceleratis eam in morte petentibus, de quorum tamen pœnitentia merito dubitatur; tum ex communi praxi in aliis sacramentis; tum denique quia cum sacramenta sint propter homines, melius est sacramentum exponere periculo nullitatis, quam animam æternæ damnationi. Prob. min. 1° ex auctoritatum et rationum nostrarum pondere, quod non omnino elevant rationes contrariæ, utpote solubilia argumenta, ut videbimus, proinde remanet dubium de materia. 2° Quia cum quis religionem christianam professus est, jure præsumitur, ut diximus, velle mori christiane et absolvi in morte, ut solent omnes fideles : probabile est, aut saltem dubium an non omnes ejus motus corporales in hoc statu, gemitus, suspiria, intuitus fixus, aspirationes sint signa quibus vellet indicare suum desiderium et suam contritionem; sic enim non semel contigisse narrant Marchantius, Decocq, Gabriel a S. Vincentio, etc. : ergo materia sensibilis seu confessio dolorosa est dubia.

Ex his rationibus et ex testimonio S. Augustini patet conclusionem nostram esse intelligendam non solum de eo qui vitam christianam, ut decebat, duxit, sed etiam de eo qui verbis et factis simpliciter professus est religionem christianam.

Obj. 1° : Rituale Romanum et jura laudata in prima conclusione requirunt ad absolutio-

nem in moribundo signa pœnitentiæ distincta a vita christiana : ergo.

Resp. : Similia signa requirunt ad collationem Baptismi et Extremæ Unctionis, et tamen constat sine illis hæc sacramenta posse conferri : itaque, neg. conseq.; quia rituale et jura præcipiunt quod certum est, non autem impediunt, nec prohibent quod probabile est.

Obj. 2° : Professio vitæ christianæ non est confessio, alias sequeretur quod fideles toto tempore vitæ confiterentur : ergo.

Resp. dist. ant. Professio vitæ christianæ sola non est confessio, conc.; juncta statui morbi, neg. Ex hoc enim quod christiane vixerit, colligitur quod in periculo mortis velit et petat confiteri; et sicut petitio confessionis est materia sufficiens sensibilis ad absolutionem, ita professio christiana juncta morbo.

Inst. 1° : Velle confiteri non est confiteri : ergo.

Resp. 1° hoc argumento probari quod nec sit absolvendus, qui ante alienationem a sensibus petit confessionem; de illo enim pariter dicetur, velle confiteri, non est confiteri : nimium ergo probat argumentum : unde, dist. ant. Velle confiteri non est confiteri explicite, conc.; non est confiteri implicite sive virtualiter et ad sensum Ecclesiæ, neg.; quia Ecclesia a Christo edocta sumit in periculo mortis voluntatem confitendi manifestatam, sive per vitam christianam, sive per aliquod aliud signum speciale pro quadam confessione generali, implicita seu virtuali, quæ in his angustiis sufficiat ab absolutionem. Adde quod iste moribundus forte per suos motus corporales, ut dictum est, conetur exprimere suam confessionem: unde fit confessio dubia, quæ sufficit in necessitate.

Inst. 2° : Nulla est necessitas huic impendendi absolutionem : ergo. Prob. ant. Poterit justificari per Extremam Unctionem, cum, ut probamus alibi, sacramenta vivorum per accidens causent primam gratiam : ergo.

Resp. neg. ant. Ad probationem : Quamvis nobis sit probabilius sacramenta vivorum per accidens causare primam gratiam, id tamen non est certum, ideoque neutrum sacramentum est negligendum; nec forte superest tempus ad Extremam Unctionem, ut sæpe contingit. Possent plura opponi, sed quæ ex dictis facile solvuntur.

Petes utrum moribundus in casu, tam adstantibus, quam confessario ignotus, nec ullum habens apud se religionis indicium, sit absolvendus ?

Resp. hunc casum videri valde dubium, nec dubito quin plures, qui conclusionem nostram sustinent, negaturi sint hunc ignotum esse absolvendum ; attamen quia non est certum non esse christianum, et inde neque certum quod motus ejus corporales non sint signa quibus vellet significare suum desiderium, et inde nascitur aliquod dubium de materia, non auderem condemnare qui illum absolveret; sicut non foret condemnandus qui in necessitate baptizaret in quocumque liquore, de quo dici potest: forte est aqua.

Sectio II.

Utrum iste moribundus de quo sectione præcedenti, sit absolvendus absolute vel conditionate ?

Quæstio non ita pridem orta est in academia Lovaniensi, an sit valida hæc absolutionis forma : Absolvo te si sis dispositus, quam hujus celebris academiæ alumni, ut plurimum, resolvunt negative. De aliis conditionibus, ut, si vivis, si sis baptizatus, etc., non disputant ; quia, inquiunt, sunt conditiones facti, de quibus judicare non debet confessarius, sed per se insunt et ideo inutiliter apponerentur, appositæ tamen nihil obstarent. Hanc autem conditionem : Si sis dispositus, vocant conditionem juris, quia de illa debet judicare confessarius ; et ideo dicunt per eam irritari formam, quia ea adhibita desinit esse forma judicialis, qualis debet esse ex institutione Christi : sicut non esset judicium seu sententia judicialis, si judex forensis sic pronuntiaret : Adjudico hanc domum Petro, si sit ipsius, seu, si ad illam habeat jus.

Suppono ut certum extra casum necessitatis non esse licitum uti hac forma conditionata : Absolvo te si sis dispositus ; tum quia non fert usus et praxis Ecclesiæ ; tum quia præberetur occasio confessariis absolvendi quemlibet, quantumvis scelestum, consuetudinarium, versantem in occasione proxima, imo et aperte indispositum, absque periculo sacrilegii ex hac parte, sicque pessum iret disciplina ecclesiastica in contemptum sacramenti et perniciem animarum. Hoc supposito,

Dico 1° : Absolutio data sub conditione : Si sis dispositus, est valida.

Est longe communior, et ut arbitror extra academiam Lovaniensem communissima ; quod enim opponitur ex theologia morali illustrissimi Genetti non spectat validum, sed licitum.

Prob. 1°: Absolvens sub hac conditione : Si sis dispositus, absolvit absolute, nec suspenditur effectus sacramenti ; purificata enim conditione quæ est de præsenti, forma conditionata transit in absolutam, ut contingit in omnibus propositionibus sub conditione de præsenti : atqui absolvens absolute, valide absolvit : ergo.

Prob. 2° evertendo fundamentum adversariorum : Si esset invalida hæc absolutio, ideo esset quia non foret judicialis, qualis debet esse ex institutione Christi, qui hoc sacramentum per modum actus judicialis instituit : sicut si judex forensis diceret : Adjudico domum Petro, si illius sit, seu, si jus ad illam habeat, non foret judicium validum ; quia supponeret id de quo quæritur et de quo debet judicare : atqui hæc et ratio et paritas nulla est : ergo. Maj. est totum fundamentum adversæ sententiæ.

Prob. min. multipliciter. 1° Hæc propositio conditionata : Absolvo te si sis dispositus, duo importat omnino disparata : primum membrum : Absolvo te, importat actum judicialem quo minister quantum in se potest, absolvit pœnitentem a peccatis. Secundum membrum : Si sis dispositus, importat dubium ministri de dispositione pœnitentis et ejus intentionem non absolvendi, si non sit dispositus ; hæc autem duo sunt omnino disparata, ut patet; consequenter, unum non contradicit alteri, nec illud vitiat aut destruit. Confirm. 1° : Intentio non absolvendi Petrum si non sit dispositus, non destruit intentionem ipsum absolvendi si sit dispositus : ergo neque hæc intentio conditionata expressa cum forma, illam aut actum judicialem destruit. Confirm. 2° : Quando dico : Si non es baptizatus te baptizo, hæc propositio conditionata duo disparata importat, nec conditio pertinet ad formam Baptismi nec est pars illius, alioquin forma Baptismi effectiva gratiæ, esset ab Ecclesia a qua est ista conditio, quod nullus admittit : ergo similiter dum dico : Si sis dispositus te absolvo, conditio expressa non pertinet ad formam Pœnitentiæ, nec est pars illius, proindeque remanet forma judicialis, perinde ac si hæc conditio non exprimeretur.

Prob. 2° eadem min. Ideo sententia judicis forensis prolata sub hac conditione : Adjudico domum Petro, si jus ad illam habeat, est invalida et nulla ; quia judex forensis non est institutus ut conferat jus uni litigantium, sed ut illud declaret, et propter hoc litigantes ipsum adeunt, idque ab eo petunt ; unde si id non declaret, sed supponat, nihil efficit et ejus sententia est nulla. At judex sacramentalis non est institutus ut declaret pœnitenti ejus dispositiones, neque id petit pœnitens, sed ut significet et conferat gratiam remissivam peccatorum, quam significat et confert, non obstante conditione : Si sis dispositus.

Confir. Dum judex forensis dicit : Adjudico domum Petro, si jus ad illam habeat, nullus cognoscit an subsistat conditio, non judex, non litigantes, sicque sententia est inefficax et nulla, resque in eo statu remanet in quo erat antea ; at dum confessarius dicit : Absolvo te si sis dispositus, licet nec ipse, nec pœnitens cognoscat an subsistat conditio, novit tamen principalis absolvens, nempe Christus, qui, per ministerium sacerdotis, confert principaliter gratiam remissivam peccatorum, si conditio, quam novit, subsistat : unde ut esset aliqua paritas inter judicem forensem et sacramentalem, deberet supponi judicem forensem esse sic institutum a rege, ut rex ratum haberet quidquid judex judicaret, si veritate nitatur ; est enim casus judicis sacramentalis ; in hac autem hypothesi judex nesciens pro qua parte stet jus, certus autem id a rege sciri, non invalide dicit : Adjudico domum Petro, si jus ad illam habeat, et rex declaret Petro jus competere : non ergo ideo sententia forensis est invalida præcise, quia est conditionata, sed quia veritas sub conditione expressa est incerta et ignota judici, et partibus ad quas dirigitur ; quod non currit in sententia sacramentali conditionata, quæ non dirigitur ad notitiam pœnitentis, et cujus conditio est nota principali absolventi. Hæc et alia proferunt, qui disputant contra Lovanienses.

At dices : Numquid confessarius debet judicare de dispositione pœnitentis ?

Resp. Equidem debet judicare de dispositione pœnitentis, non solum quoad contritionem et propositum, sed etiam quoad plura alia, ut quod vivat, quod sit baptizatus, etc., si hæc sint dubia et incerta ; debet, inquam, de istis omnibus judicare, ut licite absolvat, sed non ut valide absolvat; quamvis enim de dispositionibus non judicet, imo judicet non esse dispositiones, si tamen absolvat, vere erit pœnitens absolutus, si sit dispositus : quando ergo de dispositionibus non potest judicare, quia omnino sunt incertæ et ignotæ, nec manifestari possunt, ad id non tenetur; et tamen si secundum mentem matris Ecclesiæ in necessitate debeat absolvere, apponit conditionem ; ut sa vet reverentiam debitam sacramento.

Plura non addo, quia, convulso adversæ sententiæ fundamento, nihil est quod reponatur.

Dico 2° : Videtur licitum in casu necessitatis absolvere sub hac conditione mente retenta : Si sis dispositus.

Ratio est 1° quia absolutio sub hac conditione mentali nullibi videtur improbata ab Ecclesia. 2° De ejus validitate non est dubium, cum, ut audio, controversia orta Lovanii non sit de conditione mente retenta, sed verbis expressa in forma. 3° Hanc esse licitam communiter docent theologi. Deinde ratio suadet esse adhibendam in casu necessitatis, quando dignosci non potest dispositio pœnitentis, ne scilicet sacramentum exponatur periculo nullitatis et irreverentiæ.

Quantum vero ad expressionem hujus conditionis in verbis formæ, utrum sit licita? hæret hic mihi calamus. Ex una parte, 1° non videtur quod ullus SS. Patrum, aut Ecclesia unquam in aliquo concilio, aut rituali illam formam probaverit, seu etiam illius mentionem fecerit, licet sæpe minimas sacramentorum cæremonias assignet, et quomodo sacramentum Pœnitentiæ sit moribundis administrandum instruat ; cum tamen conditionatam formam pro Baptismo, et Extrema-Unctione in certis casibus admittat ; et a concilio Tridentino prohibetur, ne vel excogitetur, vel mutetur ritus aliquis a receptis Ecclesiæ ritibus in administratione sacramentorum. Ita illustrissimus Genettus in sua theologia morali, communiter dicta Gratianopolitana. 2° Quia ab aliquot annis acriter validitas formæ sic conditionatæ impugnatur in academia Lovaniensi, ex quo quidam inferunt reddi dubiam hanc formam : illicitum est autem in sacramentis conferendis uti forma dubia, relicta certa, ut constat ex propositione damnata ab Innocentio XI.

Respondent alii ad primum, innumeros theologos omnium nationum, Italos, Gallos, Germanos, Hispanos, Belgas, etc., hanc formam conditionatam docere, ut licitam, et usurpari solitam ; non quidem de illa ex professo tractando, hoc est discutiendo rationes pro et contra, sed dum occasio se offert, eam ut certam et indubitatam asserendo, eamque in quorumdam episcoporum decretis tradi ; ex quo inferunt eam ab Ecclesia saltem tacite probari.

Ad concilium Tridentinum, neque sensum, neque terminos illius in verbis citatis referri : hic est canon 13 concilii, sess. 7 : « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni sacramentum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit. » Declarat ergo concilium receptos ritus non posse in novos mutari per quemlibet sacerdotem, id est, inferiorem, seu parochum ; non enim concilium prohibet episcopis inducere novos ritus pro suis respective diœcesibus, ut patet ex tot diversis ritualibus ; at, inquiunt, ritus absolvendi sub conditione non est inductus per quemlibet pastorem, sed ex communi sensu theologorum, et ex decretis quorumdam episcoporum, Ecclesia tacite approbante. Addunt in sua sententia ritus receptos non contemni, nec omitti, nec in novos mutari; quod enim in aliud mutatur, non manet idem : conditio autem addita in administratione Pœnitentiæ, licet sit nova, cum tamen sit quid disparatum ad formam, eam in se non mutat, sed remanet eadem, ut ante in his verbis : Absolvo te.

Respondent ad secundum, aliquos theologos unius tantum universitatis, etsi celebris, non esse sufficientis ponderis, ut inducant dubium in theologia contra communissimam et receptissimam aliorum theologorum omnium nationum sententiam, maxime si eorum fundamentum sit solide impugnatum. An ita sit, non ego judico, pro mea erga sapientissimos et meritissimos viros reverentia; viderint alii. Hoc unum moneo, quod cum conditio mente retenta æquivaleat verbis expressæ, et in casu sufficiat, neque de validitate formæ sub hac conditione mentali sit controversia, non est cur sine necessitate, formæ verbis conditionatæ, in praxi obstinatius insistamus.

§ VIII.

Quid debeat agere confessarius, quando errorem in confessione admisit?

Dico 1° : Si ex errore confessarii invalidum fit sacramentum, ut si formam non protulit, si absolvit sine intentione, aut jurisdictione, aut indispositum, etc., tenetur, secluso scandalo, monere pœnitentem in confessione sequenti, si redierit ; si autem non redierit, et urgeat necessitas, tenetur monere extra confessionem, petita prius et obtenta illius licentia loquendi de auditis in confessione ; idque cum gravi suo incommodo, si error fuit graviter culpabilis; secus si leviter, aut nullate-

nus fuit culpabilis. Quod si nec redeat pœnitens, nec extra confessionem velit dare licentiam, confessarius de errore, si culpabilis fuit, pœnitentiam agat, rem Deo commendet et quiescat, quia functus est suo munere, quantum debuit et potuit.

Explicantur singula. Dixi 1° : Secluso scandalo; quia si confessarius præsentiat ex monitione, etiam in confessione, graviter commovendum pœnitentem, et inde fieri odiosum sacramentum, sive culpabiliter, sive inculpabiliter erraverit, taceat et relinquat pœnitentem in bona fide, nisi urgeat periculum mortis, et prævideatur pœnitens moriturus in statu peccati; tunc enim, obtenta licentia, monendus est, tum propter extremam necessitatem, tum quia in moribundo non est natum sequi scandalum ex monitione.

Dixi 2° : Teneri monere etiam extra confessionem, si necessitas urgeat, ut si pœnitens defectu absolutionis sit diu mansurus in statu peccati mortalis ; aut, quod urgentius est, si sit in eo statu moriturus; idque cum gravi suo damno, si error fuit graviter culpabilis. Quia recta ratio postulat, ut qui, ex culpa gravi, grave damnum alteri intulit, illud resarciat, etiamsi inde grave damnum patiatur. Unde in primo casu tenetur, v. g., conficere aliquot leucas, non tamen viginti aut triginta, quia id censetur gravius; ad id autem teneretur in secundo casu, quia est extrema necessitas.

Dixi 3° : Secus si leviter, aut nullatenus error fuit culpabilis ; quia nemo tenetur cum gravi suo incommodo subvenire alterius nocumento, quod sine sua culpa, aut sine gravi accidit. Si tamen urgeret dicta extrema necessitas, teneretur monere cum aliquo saltem suo incommodo.

Ex his inferes quod si absit utraque necessitas, puta, si moraliter certum sit quod pœnitens iterum et brevi confitebitur, et ideo a præcedentibus peccatis indirecte absolvetur, non teneatur confessarius ipsum monere, nisi in confessione, si redeat ; quia ex monitione extra confessionem sequitur semper aliquod scandalum in pœnitente, et magna verecundia, ac infamia quædam in confessario, ut recte advertit Nugno hic, a. 4, dub. 5: pœnitens autem propter bonam fidem excusatur ab integritate materiali confessionis secuturæ, in qua speratur justificandus.

Dico 2° : Si ex errore sive culpabili, sive inculpabili confessarii, pœnitens exponatur periculo proximo peccandi, v. g, quia non fuit monitus de occasione proxima deserenda, in qua ideo putat posse remanere, quantumvis sit validum sacramentum, videtur eodem modo loquendum ac in præcedenti conclusione propter easdem rationes. Item propter idem si omiserit injungere restitutionem necessariam, aut dixerit non esse faciendam. An autem si in hoc casu monere non possit pœnitentem, teneatur loco ejus restituere? Respondimus negative, ubi agitur de pura omissione etsi culpabili, dissert. 8, de jure, art. 13, § 7. Vide.

Dico 3° : Si ex errore confessarii non sit invalidum sacramentum, nec sequatur in pœnitente periculum proximum peccandi, nec damnum respectu tertii, sed tantum præjudicium directæ remissioni aliquorum peccatorum, puta quia omisit, etiamsi culpabiliter, interrogare peccatorum species, numerum, circumstantias, etc., tenetur quidem, ut salvetur in quantum potest integritas materialis confessionis, monere pœnitentem in confessione si redeat, et possit fieri absque inconvenienti, quale esset, si ex refricata alicujus peccati memoria pœnitens magno rubore afficeretur, et inde haberet exosum sacramentum, ut facile contingit in mulieribus circa peccata carnis. Extra confessionem autem, secundum communiorem et nobis veriorem sententiam, non tenetur monere; quia judicium sacramentale est jam valide finitum, nec pœnitenti ullum est inde periculum salutis, cum supponatur in gratia, et ab omnibus peccatis saltem indirecte absolutus; ex monitione autem extra confessionem semper natum est sequi, ut jam diximus, scandalum in pœnitente, et in confessario magna verecundia et quædam infamia.

Dico 4° : Si confessarius absolverit pœnitentem a censura a qua absolvere non poterat, et pœnitens ignoret se censura innodatum, confessarius potest obtenta facultate ipsum nescientem aut absentem absolvere; quia absolutio a censura non exigit præsentiam absolvendi, sicut absolutio sacramentalis a peccatis, nisi forte facultas esset restricte concessa ad absolvendum in confessione tantum; quo casu deberet ipsum monere, secluso scandalo, ut ante.

DIGRESSIO HISTORICA

DE VETERI ECCLESIÆ DISCIPLINA CIRCA ABSOLUTIONEM DATAM VEL DENEGATAM CERTIS PECCATORIBUS, TAM SANIS QUAM INFIRMIS.

Ad § 6 art. præced.

De duobus peccatorum generibus est quæstio. 1° De sanis atrociorum criminum reis, præsertim apostasiæ et mœchiæ. 2° De peccatoribus quibusvis in extremo vitæ tantum pœnitentibus: an utrisque denegata fuerit aliquando absolutio?

Sectio I.

Utrum sanis graviorum peccatorum reis pœnitentibus absolutionem sacramentalem aliquando denegaverit Ecclesia?

Dico: Nunquam fuit ea universalis Ecclesiæ disciplina ut denegaret absolutionem sanis atrociorum criminum reis pœnitentibus.

Videtur probabilior et communior contra Petavium, Morinum et quosdam alios.

Ante probationem nota fuisse principium apud catholicos receptissimum adversus montanistas et novatianos, frustra esse pœnitentiam quæ caret venia. Ex quo colligitur quod omnibus qui invitabantur aut admittebantur ad pœnitentiam, ejusve probata indicia proferebant, non fuerit denegata absolutio.

Prob. conclusio: 1° Apost., 2 Cor. 2, absolvit incestuosum Corinthium; S. Joan., Apocal. 2, Thyatirenos stupris et fornicationibus addictos hortatur ad pœnitentiam. Multa alia proferunt auctores ex tribus primis Ecclesiæ sæculis, usque ad tempora Tertulliani circa quæ quidam volunt immutatam fuisse Ecclesiæ disciplinam, præsertim erga apostatas et mœchos.

2° Ex ipso Tertulliano, antequam ad montanistas deficeret, qui lib. *de Pœnit.*, cap. 4, dicit, «omnibus delictis seu carne seu spiritu, seu facto seu voluntate commissis, Deum veniam per pœnitentiam spopondisse»; et cap. 7 : « Offendisti, inquit, sed reconciliari adhuc potes » ; et enumeratis criminibus Thyatirenorum, Sardorum, Pergamenorum, et Laodicenorum, subdit : « Et tamen omnes ad pœnitentiam commonet Spiritus, sub comminationibus quidem : non comminaretur autem non pœnitenti, si non ignosceret pœnitenti. »

3° Zepherinus papa in solemni suo decreto quod refert et vellicat Tertullianus factus montanista, lib. *de Pudicitia*, c. 1, dicit : « Ego et mœchiæ et fornicationis delicta, pœnitentia functis dimitto. » Loquitur tantum de mœchis, quia de his solis consultus fuerat occasione quorumdam episcoporum Africanorum, qui mœchis, teste S. Cypriano, pœnitentiam denegabant, ut dicam infra. Hoc autem decreto, non novam invehit disciplinam, sed antiquam confirmat. Idem pontifex recepit Natalium episcopum de crimine hæreseos pœnitentem, referente Eusebio, lib.5, cap. 27.

4° S. Cyprianus, epist. 52, *ad Antonianum*, ait : « Miror quosdam (novatianos) sic obstinatos ut dandam non putent lapsis pœnitentiam; aut pœnitentibus existiment veniam denegandam... Neminem putamus a fructu satisfactionis et spe pacis arcendum, cum sciamus juxta S. Scripturarum divinarum fidem, auctore et hortatore ipso Deo, et ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, et veniam atque indulgentiam pœnitentibus non denegari. » Ibidem laudat Cornelium papam quod in communionem Ecclesiæ receperit Trophimum et magnam partem populi qui a fide defecerant, et probat decretum quo fuerat statutum libellaticos admittere, sacrificatis « in exitu subvenire »; quod postquam variis rationibus confirmavit, addit exemplum mœchorum : « Nam et mœchis, inquit, a nobis pœnitentiæ tempus conceditur et pax datur. »

Sacrificati dicebantur, qui idolis sacrificaverant; libellatici, qui libellis oblatis magistratibus, obtinebant, sive numerata pecunia, sive favente alicujus patrocinio, litteras attestantes, ipsos idolis sacrificasse, quod tamen non fecerant.

5° Canon 22 concilii Eliberitani quod præcipue opponitur, sic habet : « Si quis de Ecclesia catholica ad hæresim transitum fecerit, rursusque recurrerit, placuit huic pœnitentiam non esse denegandam, eo quod cognoverit peccatum suum, etc. » Observavimus autem supra esse apud catholicos dogma constans, eis quibus concedebatur pœnitentia, non denegandum esse veniam, ne frustra esset pœnitentia.

Obj. 1° : Tertullianus, lib. *de Pudicit.*, c. 1, impugnans decretum Zepherini significat antiquam esse Ecclesiæ disciplinam denegare veniam mœchis, sicut apostatis et idololatris, Zepherinum autem suo decreto eam immutasse pro mœchis. Et cap. 12, scribit : « Hinc est quod neque idololatris, neque sanguini, id est, homicidis, pax ab ecclesiis non redditur »: ergo.

Resp. Tertulliano montanistæ nullam esse fidem adhibendam in iis quæ hic contra Ecclesiam catholicam effutit; tum quia in prioribus operibus contrarium docet, ut vidimus; tum quia in eodem lib. *de Pudicitia*, quem post suam defectionem scripsit, sibi contradicit; agnoscit enim, cap. 1, decretum Zepherini in Ecclesia servari; cap. 2, impugnat sententiam catholicorum qui dicunt omnia delicta esse condonanda, « quia Deus bonus est et non tanti ducit mortem peccatoris quam pœnitentiam »; et cap. 3, refellere conatur hanc alteram eorumdem rationem : « Nihil agendum est frustra : porro frustra agetur pœnitentia si caret venia ; omnis autem pœnitentia agenda est : ergo omnis veniam consequatur, ne frustra agatur » : quibus evidenter patet ipsum agnovisse in Ecclesia nulli crimini veniam denegari. Insuper quod dicit, c. 12, « pacem ab ecclesiis non reddi », non loquitur de ecclesiis catholicorum, sed montanistarum.

Obj. 2°: S. Cyprianus, epist. 14 et 52, *ad Antonianum*, scribit lapsis pœnitentibus qui habebant libellos martyrum, si sint in mortis periculo, « cum pace a martyribus sibi promissa, ad Dominum remittantur », cæteri vero qui non habebant libellos a martyribus, « expectent ante de Domini protectione, Ecclesiæ ipsius publicam pacem » ; ergo iis pœnitentibus qui carebant libellis martyrum, etiam in infirmitate venia denegabatur.

Resp. dist. consequens : Ergo pœnitentibus qui carebant libellis martyrum etiam in infirmitate denegabatur venia, sumpta pro admissione ad Eucharistiam et perfecta reconciliatione cum Ecclesia, conc.; sumpta pro absolutione sacramentali, neg. Discrimen igitur quod ponit S. Cyprianus inter eos qui libellis martyrum erant muniti et alios, est, quod primis in gratiam martyrum aliquid de severitate pœnitentiæ remittebatur, et si in periculo mortis versarentur, concedebatur perfecta reconciliatio cum Ecclesia et participatio Eucharistiæ, quæ denegabantur aliis.

Quod autem scribit S. Cyprianus laudata epistola 52, quosdam episcopos denegare pacem mœchis, hæc fuit singularis aliquorum disciplina quam ipse non approbat, nec approbavit Ecclesia. Et cum ibid. dixit sub finem desertores occisos pro fide non esse admittendos ad pacem Ecclesiæ, loquitur de iis qui occubuerant ab Ecclesiæ unitate præcisi in schismate Felicissimi.

Obj. 3° : Concilium Eliberitanum in Hispania, circa annum 305, pluribus canonibus statuit absolute denegandam esse, etiam in fine communionem apostatis, homicidis, mœchis, relapsis, fœminis quæ, relictis viris, aliis nubunt, lenocinium exercentibus, virginibus sacris in fornicationem lapsis, sacerdotibus mœchis, etc., etiamsi ante infirmitatem petiissent : ergo.

Resp. hoc concilium per communionem non intelligere absolutionem sacramentalem, sed perfectam cum Ecclesia reconciliationem et Eucharistiæ participationem. Patet 1° ex can. 22, ubi, ut diximus, decernit non esse denegandam pœnitentiam hæreticis, redeuntibus ; iis autem quibus concedebatur actio pœnitentiæ, non denegabatur absolutio, ut etiam diximus. Neque refert quod loquatur tantum de hæreticis, quasi innuens aliis pœnitentiam denegari ; ideo enim de hæreticis tantum loquitur, quia quidam episcopi illos a pœnitentia rejiciebant. 2° Patet responsio ex cap. 47, in quo de adultero relapso dicit : « Placuit ulterius illum non edere de communione pacis », alias, « panis. » Et can. 32, diaconis confert facultatem conferendi lapsis communionem, quod non potest intelligi de absolutione sacramentali. Lege insuper can. 3 et 37. Adde quod ita intellexerit Innocent. I, epist. 3, cap. 2.

Cæterum si quis obstinate contendat concilium per communionem intellexisse absolutionem sacramentalem, respondendum est cum Melchiore Cano, *de Locis Theol.*, lib. 5, cap. 4, Bellarmino, lib. 2 *de Imaginibus*, cap. 9, Latomo *de cultu Imag.*, Bannesio, 2 2 q. 1, singularem fuisse hujus provinciæ disciplinam, quam nunquam probavit Ecclesia.

Sectio II.

Utrum peccatoribus quibusvis sero et in exitu tantum pœnitentibus absolutionem sacramentalem aliquando denegaverit Ecclesia?

Dico : Probabile est peccatoribus sero et in exitu tantum pœnitentibus, nunquam ab Ecclesia denegatam fuisse absolutionem sacramentalem.

Videtur communior contra Morinum, Natalem Alexandrum et paucos alios.

Prob. 1° ex concilio generali Nicæno 1, can. 13, ubi sic statuitur : « De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita ut si quis egreditur e corpore, ultimo et maxime necessario viatico minime

privetur..... generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, et poscenti sibi communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter (seu postquam probaverit) dare debebit. »

Neque dicas hunc canonem intelligendum esse de iis qui pœnitentiæ stadium decurrebant, eo quod de iis duo priores canones loquantur. Esto enim prima pars canonis de iis tantum esset intelligenda, secunda pars tamen est generalis et comprehendit quoscumque peccatores sive in sanitate, sive infirmitate tantum pœnitentes, ut patet ex terminis. Idem statuit concilium Carthaginense IV, can. 76, 77 et 78.

2° S. Cœlestinus papa, epist. 2, ad episcopos provinciæ Viennensis et Narbonensis, cap. 2, ait : « Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet ; quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, et periclitantem sub onere peccatorum hominem, pondere quo se expediri desiderat, liberare. Quid hoc rogo aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere ? » Additque exemplum latronis et plura alia. Refertur, cap. *Agnovimus* 26, q. 6, impietatem autem et crudelitatem nunquam probavit aut fecit Ecclesia. Idem S. Leo, epistola laudata ad Theodorum Forojuliensem.

3° In jure causa 26, q. 6, cap. *Si presbyter* ex Julio I, qui obiit anno 351, sic decernitur : « Si presbyter pœnitentiam morientibus denegaverit, reus erit animarum, quia Dominus dicit : *Quacumque die conversus fuerit peccator, vita vivet et non morietur*. Vera enim confessio in ultimo tempore esse potest, quia Dominus non solum temporis, sed etiam cordis inspector est, sicut latro unius momenti pœnitentia meruit esse in paradiso in hora ultima confessionis. »

4° Rem aperte definit concilium Trident., sess. 14, cap. 7, his verbis : « Pie admodum ne hac ipsa occasione (reservationis casuum) aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuslibet peccatis et censuris absolvere possint. »

Verum his duo opponuntur, quæ, ne quid dissimulemus, difficultate non carent : primum ex S. Cypriano qui laudata epist. 52, *ad Antonianum*, dicit : « Ideirco, frater charissime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde et manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis et pacis, si in infirmitate atque periculo cœperint deprecari ; quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum. » Idem decernit concilium Arelatense, anno 314, can. 22.

Secundum ex Innocentio I (obiit 417), qui ab Exuperio consultus quid agendum esset cum peccatoribus qui in extremo vitæ tantum petunt Pœnitentiam et communionem, epistola ad eumdem data respondet : « De his observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit ut concederetur pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa Pœnitentia, ne totum penitus negaretur, et duriorem remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem ecclesiis suis reddidit, jam terrore depulso, communionem dari abeuntibus placuit, et propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis, et ne Novatiani hæretici negantis veniam, asperitatem et duritiam sequi videamur. Tribuitur ergo cum Pœnitentia extrema communio, ut homines hujusmodi, vel in supremis suis pœnitentes, miserante Salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur. »

Resp. utrumque per *communionem*, intelligere vel participationem Eucharistiæ, vel perfectam reconciliationem cum Ecclesia, quoad scilicet societatem fidelium et cum eis participationem in orationibus, oblationibus, etc. Constat enim veteres has voces : Communio, communicatio, pax, reconciliatio, usurpasse promiscue ad significandam vel absolutionem sacramentalem, vel Eucharistiæ participationem, vel reconciliationem cum Ecclesia; ut autem sciatur quo sensu usurpentur, attendendum est ad subjectam materiam et circumstantias. Hoc diverso sensu S. Cyprianum has voces usurpasse constat ex epist. 12, ubi facultatem dandi « pacem et reconciliationem » concedit diaconis, intelligens dubio procul per has voces, non absolutionem sacramentalem, sed communionem euchari-

sticam, vel reconciliationem cum Ecclesia. Similiter Innocentium eodem sensu loco citato accepisse τὸ communionem, liquet; quia dicit iis de quibus agitur, concedi pœnitentiam; per pœnitentiam autem intelligit absolutionem sacramentalem, et non, ut quidam volunt, actionem pœnitentiæ, cujus quippe erant incapaces morientes. Sed esto intelligeret actionem pœnitentiæ, perinde est, frustra enim concessa fuisset pœnitentia quæ esset sine venia, ut notavimus supra ex communi sensu tunc catholicorum : cum ergo negat illis dari communionem, intelligit non de absolutione sacramentali, sed vel de communione eucharistica, vel de reconciliatione cum Ecclesia.

Inst. 1° : Juxta veterem disciplinam, ætate S. Cypriani, non dabatur absolutio sacramentalis nisi post peractam pœnitentiam, et statim datam absolutionem sequebatur communio eucharistica et reconciliatio cum Ecclesia : ergo iis quibus denegabatur communio eucharistica et reconciliatio cum Ecclesia, non concedebatur absolutio sacramentalis.

Resp. 1° neg. maj., cujus contrarium probabimus in Digressione historica post dissert. de Satisfactione; 2° dato majorem esse veram de lege ordinaria, secus tamen in certis casibus, præsertim instante mortis periculo; tunc enim dabatur absolutio sacramentalis, absque vel communione eucharistica, vel reconciliatione cum Ecclesia quæ fiebat per impositionem manuum episcopi et cleri. Patet ex can. 78 concil. IV Carthaginensis, qui sic legitur : « Pœnitentes qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos, sine manus impositione, si supervixerint. » Vides absolutionem canonicam et cæremonialem non datam fuisse cum sacramentali. Item ex can. 3 concilii Arausicani 1, qui sic habet : « Qui recedunt de corpore, pœnitentia acceptata, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicari: quod morientis sufficit consolationi secundum definitiones Patrum, qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. » Habes iterum duplicem communionem : unam quæ viaticum nominatur, et erat communio eucharistica, vel absolutio sacramentalis, sine qua nullus e vita migrabat; alteram quæ dicitur « reconciliatoria manus impositio », quæ erat absolutio canonica et cæremonialis, et quæ ad aliorum terrorem quandoque sacramentaliter absolutis denegabatur.

Inst. 2° : S. Cyprianus asserit negandam esse pacem iis qui impœnitentes « dolorem delictorum suorum toto corde » non testantur, et qui eam rogant, « non delicti pœnitentia, sed mortis admonitione compulsi » : atqui ubi deest dolor et pœnitentia de peccatis non solum communio eucharistica, seu canonica, sed etiam sacramentalis est deneganda.

Resp. S. Cyprianum velle pacem, scilicet ecclesiasticam, esse denegandam iis qui hucusque impœnitentes fuerant, et dolorem suum præviis actibus non significaverant, quique nunc eam petunt, non delicti pœnitentia quæ præcesserit, sed præsenti pœnitentia quam ex admonitione mortis concipiunt. His autem potest concedi absolutio sacramentalis ; quamvis tunc ex severiori disciplina, et ad aliorum terrorem, ut jam dixi, iis denegaretur communio eucharistica et canonica, quæ fuisset ipsis majus solatium.

Inst. 3° : Innocentius communionem quam dicit secundum priorem observationem negatam, et postea concessam, vocat « remissionem et reconciliationem, quod maxime convenit absolutioni sacramentali. 2° Dicit denegatam prius fuisse communionem, « ne communionis facilitas homines de sua reconciliatione securos faceret » , quod etiam proprium est absolutioni sacramentali , quæ nos Deo reconciliat. 3° Dicit secundum posteriorem observationem concessam esse communionem, quam denegabat prior observatio, ne Ecclesia videretur « sequi asperitatem et duritiam novatianorum » : negabant autem novatiani dandam esse absolutionem sacramentalem. 4° Et præcipue dicit posterius concessam fuisse cum Pœnitentia extremam communionem, ut homines hujusmodi « a perpetuo exitio vindicarentur » ; migrantes autem cum absolutione sacramentali, si eam dabat prior observatio, non subiissent perpetuum exitium : ergo.

Resp. ad primum, nomine remissionis et reconciliationis posse vero sensu intelligi reconciliationem cum Ecclesia, et participationem Eucharistiæ propter gratiarum abundantiam. Ad secundum: Recte etiam dicitur participationem Eucharistiæ et reconciliationem cum Ecclesia denegari, ne facilitas communionis reddat homines de sua omnimodo reconciliatione securos. Ad tertium: Novatiani non solum absolutionem sacramentalem, sed etiam Eucharistiam certis peccatoribus denegabant. Ad quartum : Communio eucharistica et canonica hujusmodi homines vindicat a perpetuo exitio, quatenus suo modo eos juvat in opere salutis ; sicut si diceremus

participationem Eucharistiæ, et piorum preces nos præservare a morte æterna.

Cæterum hæc dicta sint probabiliter, et ad concilianda varia traditionis testimonia, quæ alioquin sibi contradicerent, ut patet ex probationibus conclusionis. Sed esto, S. Cyprianum, Innocentium et concilium Arelatense locutos fuisse de absolutione sacramentali, nihil officere sententiæ assertæ § 6 præcedenti de hujusmodi peccatoribus nunc absolvendis, quia hæc prior disciplinæ severitas instante persecutione introducta, (si revera fuerit) persecutione cessante, cessare debuit, ut loquitur Innocentius.

DISSERTATIO VII.

De qualitate confessionis.

D. Th. Suppl. q. 9.

ARTICULUS I.

UTRUM POSSIT ESSE CONFESSIO INFORMIS ET VALIDA?

Confessio dicitur informis quæ caret, vel absolutione valida, quæ est forma sacramentalis, vel gratia quæ est quasi forma ultima et extrinseca, ad quam ordinatur. Quæstio non est de confessione informi primo modo ; constat enim quod sic non possit esse valida, ut pars sacramenti, seu in substantia sacramentali, de quo agitur; siquidem sine valida absolutione non subsistat sacramentum. Quamvis possit dici valida hoc sensu, quod si quis defectu sufficientis dispositionis invalide absolvatur, non teneatur confessionem repetere eidem confessario, si adhuc ejus status recordetur, sed tantum dispositionis defectum confiteri, et iterum absolvi. At, ut dixi, non est hæc præsens quæstio ; sed utrum possit dari confessio valida cum absolutione valida, quæ tamen careat effectu, scilicet consecutione gratiæ; quod est idem ac quærere, utrum possit esse sacramentum Pœnitentiæ informe et validum.

Partem affirmativam videtur asserere Auctor hic, q. 9, art.1, et eam tenent antiquiores thomistæ : quia tamen infra q. 29, a. 8, videtur hanc sententiam retractare, partem negativam tenent hodie ures plthomistæ, et extranei communiter. Unde

Dico : Non videtur posse dari sacramentum Pœnitentiæ informe et validum.

Prob. Juxta Trid., sess. 14, cap. 3, contritio et confessio sunt quasi materia, et partes essentiales sacramenti Pœnitentiæ; contritio scilicet quæ sit de peccato, ut peccatum est, et malum Dei, consequenter cum amore ejus super omnia, ut probavimus dum de contritione ; et confessio qua pœnitens omnia peccata, quorum post diligens examen recordatur, declarat, ut docet idem concilium, cap. 5 : vel ergo illa contritio et confessio adsunt, vel non; si adsunt, infallibiliter sequitur gratia, nihil enim aliud cum absolutione requiritur; si non adsunt, invalidum est sacramentum, utpote carens materia et partibus essentialibus. Et in hoc differt sacramentum Pœnitentiæ ab aliis sacramentis, in quibus quæ necessaria sunt ad eorum constitutionem, non sunt dispositio sufficiens ad gratiam, et ideo possunt esse valida et informia, sic, v. g., Baptismus subsistit sine contritione, quæ tamen requiritur ad ejus effectum, scilicet gratiam.

Confirm. auctoritate D. Th., qui infra q. 29, a. 8, o, agens de Extrema-Unctione, dicit: « Hoc sacramentum (Extremæ-Unctionis) non habet aliquem effectum, qui semper ex operatione ministri consequatur, omnibus quæ sunt de

essentia sacramenti, etiam rite peractis, sicut character in Baptismo et Confirmatione, et transsubstantiatio in Eucharistia, et remissio peccati in Pœnitentia, existente contritione, quæ est de essentia sacramenti Pœnitentiæ, non autem de essentia hujus sacramenti »: ergo juxta S. Thomam, contritio est pars essentialis sacramenti Pœnitentiæ, et ea posita habetur ejus effectus, scilicet remissio peccati, sicque non potest esse validum et informe.

Obj. 1° : S. Th. hic q. 9, art. 1 integro, docet expresse dari confessionem informem et et validam : ergo.

Respondent quidam S. Thomam posse intelligi de confessione quam non sequitur absolutio valida, prout explicuimus ante conclusionem, ideoque S. Doctorem dixisse confessionem informem et validam, non vero sacramentum Pœnitentiæ informe et validum. Verum quia ista explicatio minus conformis videtur textui, ut legenti patebit; ideo melius, resp. cum Sylvio et pluribus aliis thomistis, hanc sententiam tacite retractasse infra, q. 29 citata. Notandum enim quod q. 9 suppl. desumpta sit ex 4 sentent. d. 17, et q. 29 suppl. ex d. 23. Neque dubium est quin S. Doctor accuratius hanc materiam tractasset, si Summam perfecisset.

Obj. 2° : Plus est esse pars sacramenti, et simul dispositio sufficiens ad gratiam, quam esse pars tantum : ergo potest dari contritio quæ sit pars tantum sacramenti, et non sufficiens dispositio ad gratiam.

Resp. dist. conseq. Potest dari contritio quæ sit pars tantum, etc., absolute et seclusa institutione Christi, conc.; supposita institutione Christi, neg. Instituit enim Christus, quod contritio quæ esset pars sacramenti, esset simul dispositio sufficiens ad gratiam, quia requisivit contritionem de peccato, ut peccatum est, et malum Dei : quæ contritio esse non potest, sine amore Dei super omnia, et hoc cum absolutione sufficit ad gratiæ consecutionem.

Inst. 1° : Qui doleret de peccato furti, et non de peccato blasphemiæ, quia illius non recordatur, iste dolor esset pars sacramenti, et tamen non sufficeret ad remissionem peccatorum, quia unum non remittitur sine alio, et nullum remittitur, nisi sit per dolorem retractatum. Item qui doleret de omnibus peccatis dolore supernaturali quem bona fide crederet esse cum amore Dei super omnia, spe veniæ, etc., et tamen non esset, ejus dolor videtur sufficere ad esse sacramenti, alias foret continua anxietas de confessionibus repetendis, et tamen non sufficeret ad gratiæ consecutionem : ergo.

Resp. ad primum: Vel ille doleret de peccato furti, ut peccatum est et malum Dei, et sic doleret implicite de peccato blasphemiæ oblito, quia motivum doloris esset generale, et utrique commune, vel doleret de peccato furti ex motivo particulari, puta propter ejus turpitudinem. Si primum, iste dolor esset pars sacramenti et simul dispositio sufficiens ad gratiam; si secundum, non esset pars sacramenti, consequenter nullum sacramentum.

Ad secundum, neg. ant. Cum enim ex institutione Christi dolor requisitus ad esse sacramenti debeat esse de peccato ut est malum Dei, consequenter cum amore ejus super omnia, si desit, quantumvis credatur adesse, non subsistit sacramentum. Nec ideo sequitur in fidelibus continua anxietas de confessionibus repetendis, magis quam ex defectu, qui potest adesse, absolutionis aut intentionis ministri ; non enim requiritur omnimoda certitudo de validitate confessionis, sed sufficit moralis seu probabilis et fundata existimatio se omnia requisita adhibuisse. Si forte fallantur, excusantur ratione bonæ fidei, et per subsequentem confessionem debito modo factam, justificabuntur.

Inst. 2° : Nemo tenetur confiteri peccatum cujus non recordatur : ergo nec de eo conteri.

Resp. 1° : Concesso integro argumento, sequitur quod sicut illa confessio, quantum est ex se, sufficeret ad consecutionem gratiæ, ita sufficeret illa contritio, et sic non esset sacramentum informe. 2° Neg. conseq.; quia confessio alicujus peccati invincibiliter obliti est impossibilis : Deus autem impossibilia non jubet ; at conteri implicite de peccato oblito ex motivo scilicet generali, illi et cæteris communi, non est impossibile.

Inst. 3° : Qui ignorans invincibiliter scitu necessaria necessitate medii, doleret ut debet de omnibus peccatis, haberet dolorem requisitum ad esse sacramenti, et tamen non consequeretur gratiam peccatorum remissivam : ergo.

Resp. neg. suppositum antecedentis ; Deus enim huic non daret gratiam sufficientis contritionis absque gratia fidei illorum quæ sunt scitu necessaria necessitate medii ; de quo dum de Fide.

ARTICULUS II.

DE INTEGRITATE CONFESSIONIS.

§ I.

Utrum confessio debeat esse integra?

Duplex distinguitur confessionis integritas, una materialis, altera formalis : materialis est quando pœnitens confitetur quidquid per se loquendo est confessioni obnoxium, omnia scilicet et singula peccata post Baptismum commissa, nondum debite confessa, quoad numerum, speciem et circumstantias speciem mutantes, nullum omittendo. Formalis est quando confitetur omnia quæ hic et nunc confiteri potest et debet, licet aliqua omittat ex justa causa.

Dico 1° : Integritas formalis est jure divino necessaria ad validitatem confessionis[1]; ita ut pœnitens in tantum teneatur uni et eidem confessario confiteri omnia et singula peccata quoad numerum, speciem infimam et circumstantias mutantes speciem, in quantum aliqua justa causa non excusat.

Est de fide decisa in concilio Florentino, Lateranensi et præsertim in Tridentino, sess. 14, cap. 5, his verbis : « Constat sacerdotes judicium hoc exercere non potuisse incognita causa, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat et non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint et tantum contra duo ultima præcepta Decalogi commissa..... Qui scienter aliqua retinent nihil divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt; si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina non curat. Colligitur præterea etiam circumstantias in confessione explicandas esse quæ speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, ne judicibus innotescant, etc. » Et can. 7 : « Si quis dixerit in sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant...., anathema sit. »

[1] Suppl. q. 9, a. 2, o.

Prob. insuper. 1° : Confessio est jure divino medium necessarium ad remissionem quorumcumque peccatorum, ut patet ex præcedentibus : ergo quæcumque sunt confitenda[1]. 2° Confessarius est medicus spiritualis in hoc sacramento, proinde debent ipsi aperiri peccata, sicut medico corporali morbi : atqui medicus corporalis non debet tantum cognoscere unum morbum, sed etiam totam habitudinem ipsius infirmi, eo quod unus morbus ex adjunctione alterius aggravatur, et medicina quæ uni morbo competeret, alteri noceret : ergo similiter medicus spiritualis cognoscere debet omnia peccata, quippe quorum unum pariter aggravatur ex adjunctione alterius, et id quod uni peccato esset conveniens medicina, alteri incentivum præstare posset, cum quandoque quis contrariis peccatis sit infectus. 3° Confessarius est non solum medicus, sed et judex pœnitentis : atqui judex non potest recte ferre sententiam, nisi causa integre cognita, et eam non potest in hoc foro integre cognoscere nisi per confessionem omnium peccatorum : ergo. Has duas postremas rationes tangit concilium Tridentinum.

Dices 1° : Reus in judicio forensi non tenetur accusare omnia sua peccata : ergo nec in foro conscientiæ.

Resp. neg. conseq. Disparitas est 1° quod in foro conscientiæ pœnitens sit simul reus, testis et accusator, non sic in judicio forensi. 2° In foro conscientiæ intenditur salus animæ quæ haberi non potest sine remissione omnium peccatorum. In foro autem externo quæritur punitio rei quæ haberi potest, etsi non confiteatur alia peccata pro quibus non punitur.

Inst. : Potest quis absolvi ab una excommunicatione et non alia : ergo similiter ab uno peccato et non alio.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod absolutio a peccatis fiat per infusionem gratiæ, quæ nullum peccatum mortale compatitur; absolutio autem ab excommunicatione fit per condonationem seu relaxationem extrinsecam : unde nihil obstat quominus una sine altera relaxetur.

Dices 2° : Si necesse sit omnia peccata quoad numerum, speciem et circumstantias mutantes speciem confiteri, confessio erit impossibilis et carnificina conscientiarum : ergo. Ita hæretici.

[1] Ibid.

Resp. neg. ant. Quia, ut observat Tridentinum loco citato, sufficit ad integritatem formalem confessionis ea peccata confiteri quæ post diligens, hoc est, humanum et morale examen, memoriæ occurrunt, ut patebit ex sequentibus.

Dico 2° : Materialis integritas non est semper necessaria ad validitatem et fructum confessionis; ita ut pœnitens possit aliquando ex justa causa omittere aliquod peccatum mortale in confessione, stante ejus valore et fructu.

Est communis et traditur a Tridentino, loco citato, his verbis : « Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelligantur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus : Ab occultis meis munda me, Domine. » Eadem autem est ratio de aliis justis causis, de quibus modo, ac de oblivione.

Prob. : Præceptum Christi de integritate confessionis est positivum : ergo non est dubium quin possint dari certi casus in quibus ab hoc præcepto totaliter adimplendo eximatur pœnitens. Confirm. Confessio integra est actus humanus : ergo debet esse moraliter possibilis, nec repugnare aliis præceptis majoribus quæ possunt occurrere, quale est, v. g., præceptum charitatis; quod enim propter charitatem est institutum, non debet contra charitatem exerceri.

Jam de causis excusantibus.

Causæ excusantes ab integritate materiali confessionis : omnes reducuntur ad impotentiam physicam vel moralem.

IMPOTENTIA PHYSICA.

1° Si pœnitens infirmus, incepta confessione, seu ante illam, petito confessario, deficiat loquela, statim est absolvendus. Similiter si timeatur ne subito moriatur, aut mente vel sensibus destituatur, audito uno vel altero peccato, absolvatur.

2° Si sit surdus aut mutus vel idiomatis ignarus, dum urget præceptum aut necessitas aliqua confitendi, exprimat peccata prout moraliter potest, et absolvatur.

3° Si instante naufragio, incendio, pugna, timeatur mors, periclitantes breviter confiteantur aliquod peccatum et absolvantur singuli seorsim, si res patiatur moram ; si non, aliquod signum pœnitentiæ et confessionis exterius ostendant, ut tunsione pectoris, genuflexione, etc., et elicito actu contritionis, omnes absolvantur sub hac forma : Ego vos absolvo a peccatis vestris.

4° Oblivio naturalis et inculpabilis, de qua Tridentinum supra, quando nempe quis adhibita sufficienti diligentia non recordatur alicujus peccati.

5° Ignorantia invincibilis obligationis confitendi aliquod peccatum ; potest enim contingere quod quis vincibiliter ignoret id quod facit esse peccatum, et ideo peccet faciendo, invincibiliter tamen ignoret illud esse necessario confitendum, ideoque non peccet tacendo : 1° quia peccata sæpe sunt contra jus naturæ, quod difficilius ignoratur; obligatio autem confitendi est juris positivi, quod facilius ignoratur; 2° quia peccatum ex ignorantia, licet culpabili, commissum, quasi non esset peccatum, mali speciem non relinquit, sicut illud quod scienter commissum est : unde fieri potest quod etiam post diligens examen, non occurrat. Hinc colliges pueros, rusticos, rudes, etc., qui bona fide in prioribus confessionibus sic aliquod peccatum omiserunt, non semper esse cogendos ad confessionem generalem, maxime si sit ipsis gravis et difficilis, aut timeatur aliquod nocumentum, sed sufficere plerumque ut instruantur, et peccatum omissum confiteantur.

IMPOTENTIA MORALIS.

Est quandocumque ex confessione integra imminet grave damnum, tam spirituale quam corporale, sive ipsi pœnitenti, sive confessario, sive alteri tertio ; censetur enim moraliter fieri non posse quod sine gravi damno sui vel proximi fieri non potest; præceptum autem positivum de integritate materiali confessionis non obligat ad moraliter impossibile, seu ad id quod sine gravi damno fieri non potest, ut jam dixi.

Damnum ipsius pœnitentis, ut si fundate timeat ne confessarius revelet suam confessionem, aut ne confitendo ipsi quædam peccata carnalia, ab eo sollicitetur ad turpia. Item si ob suam fragilitatem veretur ne si diutius hæreat in examine peccatorum carnalium, iis iterum consentiat; tunc enim potest obiter illa peccata examinare, et confessarius obiter interrogare ne pœnitenti infirmo sit occasio scandali. Idem si pœnitens sit morosus et nimium scrupulosus in accusandis et explicandis suis peccatis, cum enim sit ibi magna difficultas confessionis, timeatur damnum pœnitentis et ne fiat illi confessio odiosa, potest

prudens confessarius, quando e re judicaverit pro bono pœnitentis, abrumpere confessionem et absolvere.

Damnum confessarii; ut si ex confessione integra ipsi immineat mors vel morbus, ut tempore pestis, vel quia ipsum insequitur hostis, aut imminet incendium vel naufragium; tunc enim, audito uno vel altero peccato, potest absolvere. Item si timeat ne auditio certi peccati sit sibi occasio scandali, et non sit alterius confessarii copia.

Damnum tertii; ut si periculum sit ne confessarius utatur scientia confessionis in damnum spirituale vel temporale alterius. Item si confessarius non possit peccatum suum confiteri, nisi frangendo sigillum confessionis quam audivit.

Quidam olim inter causas excusantes ab integritate materiali confessionis numerabant magnum populi concursum in certis solemnitatibus; verum hanc opinionem et praxim proscripsit Innocentius XI, damnando hanc propositionem : « Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis, v. g., potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ. » Ratio est quia istud damnum non est tanti momenti ut dimidietur confessio, præsertim cum periculo absolvendi indignos, ratione præcipitationis et celationis quorumdam peccatorum.

Observanda circa prædictas causas.

Observandum 1° ut in his casibus licite fiat celatio peccati, hæc quatuor debere concurrere. Primum, quod periculum scandali, vel damni, vel impotentiæ sit grave et bene fundatum. Secundum, quod non possit haberi alius confessarius cui absque periculo seu damno possit pœnitens integre confiteri. Tertium, quod confessio non possit commode differri, puta quia urget præceptum confessionis seu communionis annuæ, vel quia non potest omitti Missa seu communio sine scandalo, vel etiamsi pœnitens peccato mortali gravatus deberet diu a confessione abstinere. Quartum, quod illud, vel illa sola peccata omittat quæ judicaverit illi periculo vitando necessaria : unde si timeat damnum ex confessione fornicationis et non intentionis, accuset intentionem, omisso actu externo.

Observandum 2° peccata ex justa causa celata, cessante causa, debere accusari in sequenti confessione, ut satisfiat præcepto divino de confessione omnium peccatorum mortalium ; non tamen statim, nec ut videtur, in rigore ante finem anni, quia per priorem confessionem satisfecit præcepto ecclesiastico de confessione annua.

Observandum 3° quod si pœnitens habeat tantum unum peccatum mortale, quod non potest confiteri, melius sit eum venialium aut mortalium jam remissorum confessionem instituere, quam cum sola contritione ad communionem accedere ; quia sic absolutus indirecte a mortali, certior est de statu gratiæ, ad idque teneretur, si de contritione sua dubitaret.

§ II.

Utrum complicis, aut alterius tertii, qui sit objectum peccati confitendi, infamia apud solum confessarium, excuset ab integritate materiali confessionis ?

Duplex ex titulo est quæstio: prima de complice, seu de eo qui fuit particeps criminis accusandi, ut si pœnitens concubuerit cum sorore nota confessario. Altera de eo qui non est complex, sed objectum peccati confitendi, ut si pœnitens sororem innuptam prægnantem, et notam confessario occiderit; vel si crimina gravia et vera objecerit parentibus confessario notis. Prima quæstio facilis, secunda est difficilior.

Suppono neminem ob propriam infamiam apud solum confessarium eximi ab integritate materiali confessionis, quia hæc infamia est ex institutione Christi annexa confessioni faciendæ sacerdoti.

Dico 1° : Infamia complicis apud solum confessarium non excusat ab integritate materiali confessionis.

Ita expresse S. Th., Opusc. 12, *ad lectorem Bisuntinum:* « Prodere, inquit, crimen alterius et lædere famam est peccatum quod maxime vitandum est in confessione..... Si vero speciem peccati exprimere non possit nisi exprimendo personam cum qua peccavit, puta si cum sorore concubuit, necesse est ut exprimendo peccati speciem, exprimat personam, sed, si fieri potest, debet quærere talem confessorem qui personam sororis penitus non cognoscat. » Similia habet in 4 d. 16, q. 3, a. 2, q. 5, ad 5. Ita etiam S. Bonaventura, S. Raymundus, S. Antoninus, Alensis et communiter theologi.

Ratio est, quia complex, voluntarie parti-

cipando crimini et se ejus circumstantiam constituendo, interpretative consensit sui manifestationi apud confessarium, cui sciebat hoc peccatum esse in specie declarandum, nec posse sine sui manifestatione declarari : nullam ergo injuriam facit illi pœnitens, qui ad integritatem suæ confessionis et judicii sacramentalis, illum manifestat confessario; scienti enim et volenti non fit injuria. Magis adhuc constabit hæc conclusio ex sequenti.

Si tamen pœnitens possit facile et commode confiteri alteri confessario cui complex sit ignotus, ad id tenetur, ut docet Auctor. Dixi : Si facile et commode ; non enim videtur ad id teneri cum suo incommodo. Unde non puto quod teneatur conficere aliquot leucas ut quærat alium, imo nec præsentem alium adire, si habeat confessarium ordinarium, quem nonnisi ægre et incommode mutare potest : ex eodem semper principio quod complex censendus sit in id consensisse, et quia alioquin sequeretur quod parochus cui apprime noti sunt omnes sui parochiani, vix ullum ex eis posset audire. Idem dic de quolibet alio confessario cui innotescunt omnes incolæ alicujus loci. Hoc autem videtur inconveniens et contrarium praxi etiam timoratum.

Dico 2° : Infamia apud solum confessarium alterius non complicis, sed qui est objectum peccati, probabilius non eximit ab integritate materiali confessionis. Est plurium contra plures.

Prob. 1° : Christus instituit confessionem per modum veri judicii : atqui in judicio humano hoc ipso quo accusator potest et debet accusare reum, pariter potest et debet declarare circumstantias quas requirit integritas judicii, etsi inde sequatur quædam alterius infamia : sic judex forensis inquirit de stupro vi illato moniali aut ingenuæ puellæ, etsi inde sequatur aliqua illius infamia : ergo similiter pœnitens qui est sui accusator in confessione.

Prob. 2° : Si pœnitens non posset nec deberet revelare crimen alterius, quod est sui peccati objectum, ideo esset quia iste alter infamaretur, fieretque ipsi ideo injuria : atqui hæc ratio nulla est : ergo. Prob. min. Licitum est revelare viro prudenti crimen alterius, ubi id meum vel proximi grave commodum postulat, puta ad capiendum consilium, ad consolationem quærendam, ad vitandum peccatum vel grave detrimentum corporale : sic secundum omnes licitum est revelare hero furta sui domestici, patri meretricium filiæ, magistratui proditorem patriæ, superiori vel amico peccatum inferioris vel alterius ad ejus emendationem, sollicitationes lascivientis adolescentis ad petendum consilium, etc., hac scilicet ratione quod non tenear alterius famæ consulere cum tanto mei vel proximi incommodo ; ita ut tunc non sit diffamatio formalis et injusta, sed materialis et justa : ita docent omnes theologi : atqui commodum grave tum meum cum sacramentalis judicii exigit ut revelem in confessione objectum peccati mei, sine quo non possum integre confiteri, istudque commodum æquivalet pluribus aliis propter quæ theologi communiter censent licitum esse revelare crimen alterius, ut consideranti patebit, et eo potissimum quod ibi secretum sit maximum et infamia quasi nulla : ergo. Si autem licite possim, teneor, quia urget obligatio confitendi integre.

Observandum tamen pœnitentem in casu hujus secundæ conclusionis, majorem cautelam debere adhibere, atque strictius et cum aliquo suo incommodo teneri quærere confessarium,cui ignotus sit alter iste tertius, quam in casu primæ conclusionis, quia iste tertius non complex, non consensit interpretative sui manifestationi, sicut comp[illegible]

Dices 1° : Præceptum naturale fortius obligat quam præceptum divinum positivum : atqui præceptum servandi famam proximi est naturale, præceptum integritatis confessionis est tantum divinum positivum : ergo.

Resp. dist. min. : Præceptum servandi famam proximi, ubi justa ratio aliud non postulat, est præceptum naturale, conc. min. ; ubi justa ratio aliud postulat, neg. min. Alias enim sequeretur quod nec pro avertenda urbis eversione, liceret revelare proditorem, quod est absurdum ; jam autem in nostro casu justa ratio postulat ut pœnitens revelet tam complicem quam objectum sui criminis, ut patet ex probationibus conclusionis.

Repones : Infamatio est intrinsece mala : ergo nullo casu potest cohonestari.

Resp. dist. ant. Infamatio formalis est intrinsece mala, conc. ant. ; materialis, neg. ant. Solutio est D. Thomæ dicentis : « Contingit quandoque quod aliquis dicat aliqua verba per quæ diminuitur fama alterius, non hoc intendens, sed aliquid aliud ; hoc autem non est detrahere per se et formaliter loquendo, sed solum materialiter et quasi per accidens. Et siquidem verba per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum vel necessarium, debitis circumstantiis

observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio. »

Dices 2°: Grave damnum tertiæ personæ excusat ab integritate confessionis, ut dictum est supra: atqui hic ex integritate confessionis oriretur grave damnum in fama proximi: ergo.

Resp. dist. maj. Grave damnum tertii quod oriretur per accidens et extrinsece ex integritate confessionis, puta quia confessarius revelaret crimen confessum, excusat, etc, conc. maj.; grave damnum quod oritur per se et intrinsece ex integritate confessionis, quale est illud de quo in objectione, neg. Alias sequeretur quod non tenerer confiteri peccatum meum.

Inst. 1°: Non licet confessario frangere sigillum confessionis ut integre confiteatur: ergo nec ulli pœnitenti licet revelare crimen alterius maxime non complicis ob integritatem suæ confessionis.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod in nullo casu, nec pro quocumque bono liceat unquam frangere sigillum confessionis, sic volente Christo, ne, si vel unus casus admitteretur, alii fingerentur et odiosa redderetur confessio. At in multis casibus licet revelare crimen alterius, ut dictum est, neque jus naturale prohibet simpliciter revelare crimen proximi, sed revelare sine justa causa.

Inst. 2°: Non est verisimile Christum præcepisse confessionem integram cum tanto proximi dispendio: ergo.

Resp. neg. ant.; tum quia illud dispendium non est tantum, illique prævalet emolumentum quod mihi obvenit ex integritate confessionis; tum quia cum Christus instituerit hoc sacramentum per modum judicii, in judicio autem accusator justus possit et debeat declarare circumstantias criminis, si id requirat integritas judicii, ita in hoc judicio statuisse credendum est.

Dices 3°: Non teneor confiteri per interpretem, ne me infamem: ergo nec teneor confiteri certum peccatum, ne infamem proximum.

Resp. dist. ant. Non teneor confiteri per interpretem ne me infamem præcise, neg.; et quia ex vi præcepti confessionis non nisi solus soli sacerdoti teneor confiteri, ut patet ex praxi Ecclesiæ et canonibus concilii Lateranensis et Trid., conc. De hoc casu infra.

§ III.

Utrum ad integritatem confessionis necessario debeant accusari circumstantiæ notabiliter aggravantes intra eamdem speciem?

Suppono 1° ex tractatu de Actibus humanis, dissert. 4, art. 3, § 2, conclus. 2, circumstantias, alias esse mutantes speciem, ut furari in loco sacro ; alias esse notabiliter aggravantes, intra eamdem speciem, ut furari mille aureos; alias leviter tantum aggravantes, ut furari triginta asses, posito quod materia sufficiens peccati mortalis sint viginti quinque asses; alias tandem impertinentes, ut furari manu dextra vel sinistra.

Suppono 2° circumstantias, mutantes speciem,necessario esse exprimendas, ut patet ex hucusque dictis; leviter aggravantes non esse necessario confitendas, tum quia id est fere impossibile, tum quia leviter variant judicium confessariii, sicque tenent omnes communiter; impertinentes autem nullo modo esse exprimendas. Difficultas ergo restat de solis circumstantiis aggravantibus notabiliter intra eamdem speciem.

Ad dignoscendas circumstantias notabiliter aggravantes intra eamdem speciem, assignatur hæc regula. In materia quantitativa seu quæ consistit in numero, pondere et mensura, censetur circumstantia notabiliter aggravans, quando, seorsim sumpta et ab actu separata, sufficeret ad peccatum mortale, ut qui furaretur quinquaginta asses, supposito quod viginti quinque sufficiant ad peccatum mortale. In aliis vero materiis, censetur notabiliter aggravans quando notabiliter excedit modum ordinarium peccandi in hujusmodi materiis, ut si quis totam noctem transigeret in impudicitiis cum muliere; si quis per menses et annos perseveraret in odio fraterno, si inimicum occideret membratim concidendo, aut in occisum iterum sæviret, etc.; si neutrum ex his occurrat, censetur leviter aggravans, puta quod fur surripuerit triginta asses, quod post rixam quis iratus aliquantulo tempore in odio permanserit, etc.

Sententiæ negantis patroni concedunt quod sit accusanda circumstantia notabiliter aggravans, si importet censuram aut reservationem; item si sit necessaria, ut confessarius cognoscat dispositionem pœnitentis. Est ergo controversia utrum, his etiam seclusis, sit necessario exprimenda: alii negant, alii affirmant.

Dico 1° : Probabile est circumstantias nota-

biliter aggravantes non esse necessario confitendas.

Prob. 1° ex numero et auctoritate doctorum qui illam sententiam tenent. Pro ea citantur omnium princeps, Doctor Angelicus in 4 d. 16, q. 3, a. 2, q. 5, et opusc. 12, *ad lectorem Bisuntinum*, textus referam inter objectiones, S. Bonaventura, S. Antoninus, Scotus, Durandus, Paludanus, Sylvester, Angelus, Navarrus, Joannes Medina, Vasques, Valentia, Toletus, Becanus, Delugo, Lessius, Bonacina, Bassæus, Pontius, et alii plures, ex quibus hæc sententia fit probabilis saltem probabilitate extrinseca.

Prob. 2° : Cum confessio jam sit ex se satis onerosa, non debet gravari majore onere, qualis est obligatio confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, sine aperto præcepto divino vel ecclesiastico : neutrum assignari potest. Non divinum ; ubi enim in S. Scriptura vel traditione? non ecclesiasticum; de hac obligatione silent concilia, præsertim Tridentinum, ut patebit modo, quamvis hanc materiam adamussim expenderit.

Si dicas istud præceptum colligi ex ipsa natura sacramenti, quod, cum sit institutum per modum judicii, exigit ut confessarius judex cognoscat totam criminum gravitatem et malitiam, quæ maxime pendet ex circumstantiis aggravantibus.

Contra : Quamvis Christus instituendo sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii potuerit velle, ut accusarentur circumstantiæ notabiliter aggravantes, potuit etiam velle, ut non accusarentur, et judicium confessarii sisteret in cognitione peccati, quoad numerum et speciem ; quantumvis enim circumstantia aggravans augeat malitiam peccati, pendebat tamen a voluntate Christi, ut nos ad illas accusandas adstringeret, vel non ; primum voluisse Christum, nondum hucusque satis exploratum est, cum de hac voluntate sileant Patres et concilia, atque tot ac tanti viri contrarium doceant. Nec ratio deest, ob quam id noluisse Christum existimemus, nempe maxima difficultas in explicandis illis circumstantiis notabiliter aggravantibus; quamvis enim una vel altera explicari possit, omnes tamen explicare et discernere difficillimum est; leges autem non attendunt ad unum vel alterum casum, sed ad id quod frequentius accidit.

Dico 2°: Circumstantias notabiliter aggravantes esse necessario confitendas tenet tutior, et nunc communior sententia.

Prob. hæc sententia, 1° ex concilio Trident. Quamvis enim concilium hanc quæstionem expresse non definierit, sicut nec plures alias inter theologos controversas, ne scholarum libertatem læderet, ea tamen dixit, ex quibus eruitur ejus mens, et has circumstantias accusandi obligatio.

Imprimis sess. 14, cap. 5, docens circumstantias mutantes speciem esse accusandas, adfert hanc rationem, ut confessarii, « de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam quam oportet pro illis pœnitentibus imponere » : atqui eadem ratio militat pro circumstantiis notabiliter aggravantibus ; circumstantia enim aggravans quandoque magis auget malitiam peccati, quam circumstantia mutans speciem ; quis enim dubitat eum magis peccare qui furatur centum millia aureorum uno actu quam qui furatur stolam aut manipulum vilis pretii ; qui occisurus hominem crudeliter ipsi prius amputat manus, brachia, oculos effodit, ventrem aperit, et tandem enecat, quam qui ex subito iræ motu, uno ictu alium occidit in templo? ergo.

Addit concilium ibidem : « Constat sacerdotes non posse æquitatem servare in injungendis pœnis, si in genere duntaxat, et non potius in specie, ac sigillatim peccata cognoscant » : atqui hæc ratio etiam probat circumstantias notabiliter aggravantes esse necessario confitendas ; namque longe major pœna est infligenda ei qui concubuit cum matre vel sorore, quam cum consobrina in quarto gradu, etsi sit ejusdem speciei incestus secundum communiorem D. Th. sententiam, de qua in tract. de Temperantia ; majorem ei qui furatus est millia aureorum, quam qui unum tantum : ergo. Unde

Prob. 2° ratione fundamentali a concilio insinuata : Sacramentum Pœnitentiæ est institutum per modum veri judicii in quo confessarius est judex et medicus ; pœnitens autem æger, testis et accusator : atqui ut confessarius tanquam judex rectum ferat judicium, pœnamque culpæ proportionatam imponat, et tanquam medicus remedia morbo congruentia assignet, debet cognoscere nedum speciem criminis aut morbi, sed et totam ejus gravitatem et malitiam, quæ, ut dictum est, magis quandoque augetur ex circumstantiis intra eamdem speciem, quam ex mutantibus speciem : ergo.

Confirm. 1° : Circumstantia mutans speciem debet exprimi, non præcise, quia mutat speciem, sed quia novam malitiam addit ; si enim malitiam non adderet, non esset necessario exprimenda : atqui etiam circumstantia nota-

biliter aggravans novam malitiam notabilem addit : ergo.

Confirm. 2° : Eadem est ratio de æquipollentibus : atqui circumstantiæ tantum aggravantes, quandoque æquipollent in malitia mutantibus speciem et multiplicationi numericæ, imo quandoque superant : ergo. Minor, quoad circumstantias mutantes speciem, patet ex dictis. Quoad multiplicationem numericam etiam constat; sic, v. g., unum furtum centum aureorum æquipollet centum furtis unius aurei.

Prob. 3° : Illa circumstantia est necessario confitenda juxta mentem Ecclesiæ quæ esse potest materia reservationis : atqui circumstantia tantum aggravans potest esse materia reservationis, ut sæpe accidit, dum episcopi reservant sibi incestum in primo, aut secundo gradu, non in quarto aut tertio : ergo. Prob. maj. Quia Ecclesia nunquam solet, dato quod possit, sibi reservare materiam liberam confessionis, ut sunt peccata venialia, et mortalia alias debite confessa.

Prob. 4° ab absurdis : Si circumstantiæ notabiliter aggravantes non forent necessario exprimendæ, sequeretur 1° quod qui concubuisset cum matre aut sorore, sufficienter confiteretur dicendo se commisisse incestum; 2° qui aures, nasum, pedes, brachia homini amputasset, oculos effodisset sine occisione tamen, satisfaceret dicendo se graviter aliquem vulnerasse ; 3° qui tota nocte cum meretrice impudica gessisset, et in fine habuisset copulam; qui intensissimo odio tota die prosecutus fuisset inimicum, satisfacerent, primus dicendo : Fornicatus sum; secundus : Odio habui inimicum ; 4° qui furatus fuisset centum millia aureorum, sufficienter confiteretur dicendo: Furatus sum in materia gravi ; imo, ut recte arguit Soto, interrogatus a confessario de quantitate posset sine peccato mortali negare, quia esset materia libera confessionis, non minus quam peccatum veniale. Quæ omnia quam sint absurda, et sanæ morali repugnantia nemo rectæ mentis non sentit.

Si dicas pro ultimo casu qui magis urget, esse exprimendam quidem quantitatem furti, non quia est circumstantia notabiliter aggravans, sed ut possit confessarius injungere restitutionem ; vel, ut ait Valentia, quia quantitas furti non se habet, ut circumstantia furti in individuo spectati, sed est determinatum ejus objectum, adeoque ad substantiam furti in individuo considerati pertinens.

Resp. ad primum, quod pœnitens possit non indigere mandato confessarii, ut restituat, si vel jam restituerit, vel habeat firmum propositum restituendi; secus, sufficit si confessarius simpliciter et absolute dicat: Restitue quantum cepisti, et ad id illum obliget.

Ad secundum : Falsum est quod dicit Valentia contra communem sensum theologorum et D. Th. 1 2 q. 7, art. 3, ad 3, ubi ait : « Conditio causæ ex qua substantia actus dependet, non dicitur circumstantia, sed aliqua conditio adjuncta ; sicut in objecto non dicitur circumstantia furti, quod sit alienum, hoc enim pertinet ad substantiam furti, sed quod sit magnum vel parvum.» Et alias nulla foret circumstantia alicujus actus in individuo, sed omnes pertinerent ad substantiam actus , si ratio Valentiæ valeret.

Solvuntur objectiones contra secundam conclusionem.

Obj. 1°: Trid. sess 14, cap. 5 citato, definiens quæ circumstantiæ sint explicandæ , tantum meminit earum quæ mutant speciem , non aliarum quæ tantum aggravant: ergo illæ solæ sunt confitendæ ; alias doctrina concilii foret diminuta, cum tamen initio hujus sessionis promittat accuratam hujus sacramenti explicationem.

Resp. 1° dist. ant. Non meminit explicite earum quæ tantum aggravant, conc.; implicite, neg. Rationes enim quas adfert pro confessione mutantium speciem, æque probant de notabiliter aggravantibus ut ponderavimus supra : unde catechismus Romanus, de Sacram. Pœnit. § *Quoniam*, ex mente Tridentini hanc sententiam expresse tradit.

Resp. 2° dato ant. neg. conseq. Ad probat. dist. ant. Doctrina concilii foret diminuta ad dirimendas controversias inter theologos catholicos, conc.; nec enim id intendebat. Ad dirimendas controversias inter catholicos et hæreticos eorumque errores compescendos, quod solum intendebat, neg.

Repones : Concilium postquam dixit numerum et species peccatorum debere explicari, subdit: « Nihil aliud a pœnitentibus exigitur»: ergo.

Resp. sensum non esse quod nihil amplius exigatur a pœnitentibus, quam confiteri solum numerum et solam speciem peccatorum ; sed quod non exigatur ab ipsis, quod omnem omnino numerum, neque omnes omnino species confiteantur , si forte in memoriam non redeant, sed ea sola peccata confiteantur, quibus

post diligens conscientiæ examen, « se Dominum Deum offendisse mortaliter meminerint. »

Obj. 2° : S. Th. in 4 d. 16, q. 3, a. 2, q. 5, ait : « Quidam dicunt quod omnes circumstantiæ quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri necessitatis est, si memoriæ occurrant. Alii vero dicunt quod non sint de necessitate confitendæ , nisi circumstantiæ quæ ad aliud genus peccati trahunt ; et hoc probabilius est..... cujus ratio est,quod venialia non sunt de necessitate confessionis, sed solum mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent.»

Et opusc. 12, *ad lectorem Bisuntinum*, q. 6: « Circumstantias aggravantes, inquit, quæ in aliud genus peccati non trahunt, non tenetur homo confiteri, sicut nec peccata venialia, licet sit laudabile quod homo ea confiteatur ; eadem enim ratio videtur esse de hujusmodi circumstantiis et de venialibus peccatis. Circumstantiæ autem dicuntur in aliud genus trahere quæ specialem repugnantiam important ad aliquod præceptum divinæ legis; sicut furtum simplex, repugnat huic præcepto : *Non furtum facies.* Si autem furtum in locro sacro committatur, habet jam repugnantiam ad aliud præceptum, quod est de veneratione sacrorum, et sic additur nova species peccati : unde consequens est quod addat aliam repugnantiam ad legem Dei, ideo et novam deformitatem peccati mortalis, quod ex necessitate confiteri tenebitur. Sic igitur hujusmodi circumstantias aggravantes, quæ non trahunt in aliud genus peccati, non credo quod aliquis teneatur confiteri. » Nihil videtur apertius et expressius pro mente D. Thomæ.

Respondent quidam S. Thomam per circumstantias notabiliter aggravantes intellexisse leviter secundum se aggravantes, sed quæ a quibusdam dicebantur notabiliter aggravantes ; et, per circumstantias mutantes speciem, intellexisse notabiliter secundum se aggravantes : quod ex duplici capite probare nituntur ; 1° quia tempore S. Thomæ erant qui assererent quasdam circumstantias secundum se leves, ut est circumstantia dignitatis personæ peccantis, puta si esset episcopus vel generalis ordinis, esse notabiles. Unde dicebant quod « omne mendacium, v. g., in viris perfectis sit peccatum mortale », ut refert ipse S. Doctor 2 2 q. 110, a. 4, ad 5. De illis ergo circumstantiis secundum istorum opinionem notabiliter aggravantibus, loquitur S. Thomas. 2° Quia in utroque textu dicit circumstantias notabiliter aggravantes non esse necessario confitendas, quia venialia non sunt necessario confitenda, et quia est eadem ratio de istis circumstantiis ac de peccatis venialibus. Porro circumstantiæ notabiliter aggravantes non se habent ut venialia, sed ut mortalia; habent enim ut mortalia quantitatem, seu malitiam quamdam infinitam intra propriam speciem, quatenus tales sunt ut de se sufficerent ad constituendum actum in specie peccati mortalis ; sicque sunt intra lineam peccati mortalis et æquipollenter, quantum ad malitiam scilicet, mutantes speciem. Verum non paucis hæc explicatio videtur de longe quæsita, et textibus parum conformis, maxime quia ipse S. Doctor, opusc. citato, formalissimis terminis explicat quod per circumstantiam mutantem speciem intelligat quæ « specialem repugnantiam importat ad aliquod præceptum divinæ legis, ut furtum in loco sacro, respectu furti simplicis. » Quid clarius ? Unde

Respondent Soto,Sylvius et alii quod quamvis S. Doctor, dum esset junior, hanc opinionem tenuerit, illam senior factus verosimilius revocasset, si Summæ ultimam manum adhibuisset. Idque conjiciunt ex eo quod S. Doctor 1 2 q. 73, a. 9, et 2 2 q. 61, art. 2, ad 3 et art. 4, o, doceat eum gravius peccare, graviorem-que pœnam mereri qui percutit regem quam qui percutit personam privatam. Quomodo autem gravior pœna injungi potest si ista percussi conditio et circumstantia non declaretur?

Obj. 3° : Non est imponendum tam grave onus pœnitentibus sine aperto præcepto et sufficienti fundamento : atqui nullibi legitur tale præceptum, nec invenitur sufficiens fundamentum : ergo.

Resp. neg. min. et dico satis aperte et sufficienter colligi tale præceptum ex natura ipsius sacramenti ; quod est institutum per modum judicii, in quo proinde aperienda est tota criminum gravitas et malitia, quæ maxime pendet ex circumstantiis aggravantibus, ut dictum est in probationibus conclusionis. Neque verisimile est Christum instituisse tribunal cæcutiens in circumstantiis gravibus criminum, et inde necessario imprudens in injungendis pœnis et assignandis remediis.

Repones : Explicatio circumstantiarum tantum aggravantium est moraliter impossibilis : ergo.

Resp. dist. ant. Circumstantiarum leviter aggravantium, conc.; notabiliter et enormiter aggravantium, neg.; posita enim regula, de qua supra, tunc scilicet esse notabiliter aggravantes, vel quando ab actu principali separata (si posset) se sola sufficeret ad constituendum peccatum mortale, vel quando notabiliter excedit ordinarium modum peccandi; non ita difficile est dignoscere notabiliter aggravantes. Aliunde non tenemur confiteri nisi eas quas bona fide apprehendimus notabiliter aggravare, aut de quibus rationabiliter dubitamus. Nec debent angi pœnitentes si qui minus de duratione aut intensione actus exposuerint; licet enim forte dici possit aliquando notabilis circumstantia physice, non tamen moraliter, nisi quando notabiliter variat judicium confessarii.

Obj. 4° : Ideo circumstantiæ mutantes speciem sunt confitendæ, quia constituunt distincta peccata : atqui circumstantiæ tantum aggravantes non constituunt diversa, sed unum tantum peccatum : ergo.

Resp. 1° neg. maj. præcise loquendo, sed quia addunt novam malitiam sive diversam, sive eamdem specie; 2° dist. min. Circumstantiæ tantum aggravantes non constituunt diversa peccata formaliter, conc. min.; æquivalenter et virtualiter, neg. ex probationibus conclusionis.

Inst.: Id solum est confitendum quod habet rationem peccati : atqui circumstantia etiam notabiliter aggravans non habet rationem peccatum, est enim extra rationem et essentiam peccati, cum illi accidat et eam supponat : ergo.

Resp. dist. maj. Id solum est confitendum quod habet rationem, id est, malitiam peccati, conc.; quod habet rationem, id est, præcise speciem et essentiam peccati, neg. Peccata enim sunt confitenda propter suam malitiam.

Obj. 5° : Circumstantiæ notabiliter minuentes non sunt explicandæ : ergo nec notabiliter aggravantes.

Resp. 1° dato ant. neg. conseq. Quia hoc sacramentum non est institutum ad se excusandum, sed ad se accusandum. 2° Neg. ant. Sicut enim pœnitens non potest peccatum minuere, tacendo circumstantias notabiliter aggravantes, ita nec peccatum aggravare tacendo circumstantias notabiliter minuentes, cum inde varietur notabiliter judicium confessarii. Neque ideo pœnitens se excusat, sed debite peccatum suum, sicuti est, exponit, ut de eo confessarius rectum ferat judicium. Pœnitens tamen qui ex ignorantia vel oblivione naturali omisit explicare circumstantiam notabiliter minuentem, non debet angi, nec iterum confiteri, quia nihil omisit de gravitate peccati a quo fuit absolutus.

Quid vero intelligatur per circumstantias, quæ vulgo numerantur septem : Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando; et quid sit ex eis explicandum, require in tract. de Actibus humanis, dissert. 4, art. 3, § 2, inter prænotamina.

§ IV.

Utrum ad integritatem confessionis necessarium sit peccata dubia confiteri?

Dico 1° : Ad integritatem confessionis necessarium est confiteri peccata dubia, ut dubia. Est communis contra Coninck.

Prob. 1° ratione et verbis S. Thomæ [1] dicentis : « Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente. Quia qui aliquid committit, vel omittit in quo dubitat esse peccatum mortale, peccat mortaliter, discrimini se committens. Et similiter periculo se committit qui de hoc quod dubitat esse mortale, negligit confiteri : non tamen debet asserere illud mortale esse, sed dubitative loqui et judicium sacerdotis expectare, cujus est discernere inter lepram et lepram. »

Prob. 2° : Juxta Trident., sess. 14, cap. 5, confitenda sunt omnia peccata mortalia, quorum est memoria et conscientia : atqui peccatorum dubiorum est memoria, ut patet; et est conscientia si non certa, saltem opinativa aut dubia, quæ communi sensu theologorum et canonistarum veniunt nomine conscientiæ, cum dividant conscientiam in certam, opinativam et dubiam. Item concilium ibidem excipit ab obligatione confitendi sola venialia, quia iis a gratia Dei non excludimur : atqui peccatis mortalibus dubiis si vera sunt, a Dei gratia excludimur; et insuper « exclusio unius est inclusio alterius », ut loquuntur jura : ergo. Confirm. ex condemnatione articuli 8 Lutheri per Leonem X, in quo dicebat hæresiarcha, quod « in primitiva Ecclesia solum manifeste mortalia confitebantur fideles. »

Prob. 3° ex communi sensu et praxi Patrum, theologorum et omnium fidelium, quibus semper persuasum fuit peccata dubia, prout in conscientia habentur, esse confitenda : cui

[1] Suppl. q. 6, a. 4, ad 3.

antiquæ et communi praxi ac sensui præjudicium ferre non potest opinio contraria a paucis admodum theologis non ita pridem excogitata et propugnata.

Est autem intelligenda conclusio sive dubium sit de substantia actus, an fecerit vel non fecerit, sive de qualitate an sit mortale vel non, an prius jam confessum sit vel non ; quia ubique eædem rationes currunt. Si tamen pœnitens probabilius existimet se aut non fecisse, aut esse veniale, aut alias recte fuisse confessum, potest judicio probabiliori se conformare, cum non agatur ibi neque de damno tertii, neque de valore sacramenti, sed tantum de ejus integritate materiali. Quid sit autem dicendum de scrupulosis in hac materia diximus dum de Conscientia in tract. de Actibus humanis, non teneri peccata dubia confiteri, deposita conscientia.

Dices 1° : In foro externo non admittuntur delicta dubia. 2° Peccata dubia non sunt materia absolutionis : ergo.

Resp. ad primum, neg. conseq. Disparitas est quod in foro externo agatur de pœna et condemnatione ad quam requiruntur probationes certæ. In foro interno autem de absolutione et liberatione pœnitentis. Et hinc in hoc foro admittitur accusatio peccatorum internorum quæ non admittitur in foro externo.

Ad secundum: Licet peccata dubia sola non sint materia absolutionis absolutæ, possunt tamen saltem in casu necessitatis esse materia absolutionis conditionatæ; et cum aliis certis tam mortalibus quam venialibus sunt materia absolutionis absolutæ.

Plura possent opponi quæ præoccupata sunt in tract. de Actibus humanis dum probavimus in dubiis tutius esse eligendum.

Dico 2° : Si peccatum declaratum ut dubium, postea ut certum deprehendatur, probabilius est et tutius declarandum esse ut certum.

Quia 1°, juxta Tridentinum, peccatum debet declarari, prout est in conscientia : ergo quod non est declaratum ut certum, si postea habeatur in conscientia ut certum, debet ut tale declarari. Confirm. Si peccatum fuisset certum ab initio, debuisset declarari ut certum : ergo similiter si postea deprehendatur certum.

2° Juxta communiorem et tutiorem sententiam, circumstantiæ notabiliter aggravantes seu notabiliter variantes judicium confessarii sunt necessario accusandæ : atqui certitudo respectu peccati antea dubii notabiliter variat judicium confessarii, nam pro peccatis dubiis minus arguitur peccator, longe levior imponitur pœnitentia et minus de remediis curatur : ergo.

Dices : Certitudo est circumstantia se tenens ex parte intellectus, non ex parte peccati ; ergo non aggravat peccatum.

Resp. dist. conseq. Ergo non aggravat peccatum absolute in se, conc.; respective ad judicium confessarii, neg. Fit enim inde quod pœnitens appareat judicio confessarii magis peccator, severiori pœnitentia et acriori correctione dignus, efficaciorique remedio indigens ; necesse est autem quod confessarius rectum de peccatis ferat judicium.

Repones : Qui dubius de voto, censura, vel irregularitate obtinet absolutionem seu dispensationem, postea sublato dubio et cognita certitudine seu voti, vel censuræ aut irregularitatis, non tenetur denuo petere absolutionem seu dispensationem : ergo similiter in nostro casu.

Resp. neg. paritatem . Disparitas est quod qui dispensat in voto vel absolvit a censura, nihil aliud exigat quam ut ipsi sincere exponatur casus secundum præsentem statum et cognitionem, quo posito, absolute absolvit et dispensat, ad nihil amplius obligans. At vero præceptum confessionis obligat quidem explicare peccatum secundum quod scitur quando pœnitens petit absolutionem, sed non cessat ejus obligatio, si postea dignoscatur aliquid in peccato aggravans quod non fuit accusatum; ut patet de aliis circumstantiis quæ ex oblivione fuerunt omissæ : quia præceptum de integritate confessionis obligat confiteri peccatum cum tota sua gravitate in quantum possibile est, vel, ut dicit Tridentinum, prout est in nostra conscientia.

Replicabis : Confessus mortale dubium, est ab eo directe absolutus : ergo. Item confessus est totum peccatum prout erat in conscientia quoad numerum, speciem et circumstantias, ut supponimus : quid ergo plus requiritur ?

Resp. ad primum, dist. ant. Est ab eo absolutus directe cum onere tamen declarandi illud ut certum, si ut tale occurrat, conc.; sine tali onere, neg. Sicut enim qui confessus fuisset peccatum in genere, seu in specie non infima, quia illud memoriæ non occurrit, est ab eo directe absolutus, manet tamen illi obligatio confitendi speciem infimam si in memoriam redeat. Ita similiter in nostro casu. Ad secundum, dist. ant. Confessus est peccatum quoad numerum, speciem et circumstantias ut dubium, conc.; ut certum, neg.

Debet autem confiteri ut certum, si habeatur in conscientia ut certum.

Insistes : Qui accusat se blasphemasse sexies circiter, plus minusve, postea deprehendit se certo septies blasphemasse, non tenetur postea septimam blasphemiam ut certam accusare : ergo nec in nostro casu.

Resp. neg. ant. Quidquid enim quidam in contrarium censeant, est utrinque eadem ratio.

Notandum tamen hanc conclusionem intelligendam esse de dubio circa substantiam actus tantum; si enim certus sit pœnitens actum perpetrasse, illumque integre cum omnibus necessariis circumstantiis exponat, remaneat autem solum dubium penes ipsum vel confessarium, an sit mortale vel non ; nihil est amplius repetendum, etsi forte postea certo dignoscatur esse mortale; quia tunc nulla esset nova circumstantia notabiliter aggravans quæ non fuisset in priori confessione explicata ut suppono, nec ad confessionis integritatem et valorem necessarium est quod pœnitens vel confessarius dicat aut sciat determinate hoc peccatum confessum in individuo esse mortale; id enim etiam doctioribus est valde difficile propter varias circumstantias occurrentes, sed sufficit ut pœnitens exponat factum cum omnibus suis circumstantiis, prout in conscientia habet.

§ V.

Variæ quæstiones circa integritatem et validitatem confessionis breviter resolvuntur.

Petes 1° qualis et qualiter numerus peccatorum sit exprimendus ad integritatem confessionis?

Resp. Exprimendus est numerus certus in quantum sciri potest; ubi autem post diligens examen certus sciri non potest, accusandus est similior et probabilior sub solitis clausulis: circiter plus minusve. Si tandem nullus certus vel probabilis numerus reperiri potest, sufficit si pœnitens exponat suum statum, consuetudinem et moram in peccato.

Hæc responsio est communis et certa, supposito, quod ante probavimus, et constat ex Tridentino, omnia et singula peccata mortalia esse confitenda.

Hinc colliges 1° peccare mortaliter qui sine causa scienter aut ex negligentia crassa omittit unum peccatum mortale; item qui sciens numerum certum, puta se sexies blasphemasse, illum accusat sub dubio cum solita clausula : Sexies circiter plus minusve; sextam enim blasphemiam quam certam habet, confitetur ut dubiam et septimam pariter ut dubiam, quam tamen certo scit esse falsam; et sic dupliciter mentitur. Idem est ferme si dicat : Sexies aut septies, nisi forte sic exprimat bona fide ex nimia scrupulositate et nimiæ securitatis studio; hoc enim casu cum sextam blasphemiam ut certam exprimat, poterit excusari coram Deo a peccato formali.

Damnandi sunt pariter qui absque judicio et sufficienti examine, ac quasi divinando, ad quemlibet peccatorum numerum adjiciunt hanc clausulam: plus minusve, etiamsi forte majorem numerum, quam revera sit, exprimant, falso putantes se sic supplere verum numerum ; suppletio enim numeri incerti debet fieri cum examine et judicio, expendendo quis sit probabilis numerus et vero numero similior. Id ita esse conjicere poterit confessarius, si pœnitens a longo tempore non sit confessus et peccata non admodum singularia confiteatur; secus si a paucis confessus et peccata singularia ac palpabilia confiteatur; ridiculum namque se exhiberet clericus qui confiteretur se hac hebdomada omisisse integrum breviarium ter, plus minusve, vel ter aut quater; et alter qui confiteretur se a quindecim diebus fornicatum fuisse sexies plus minusve.

Sub his autem formulis : Circiter, plus minusve, et similibus, non comprehenditur qualiscumque excessus, vel defectus notabilis, sed modicus, major tamen vel minor proportionate ad numerum expressum, ita ut respective ad quinque, excessus modicus sit unum vel duo; ad decem duo vel tria; ad viginti tria vel quatuor; ad quinquaginta quatuor vel quinque; ad centum quinque vel sex.

Colliges 2° a fortiori eos insufficienter confiteri, qui, ut aliquando accidit in rusticis et rudibus, accusant tantum species peccatorum et non numerum, dicendo: Aliquoties juravi, aliquoties mentitus sum, aliquoties detraxi, etc. Quod si id contingat ex negligentia et defectu examinis, dimittendi sunt inabsoluti et cogendi ad confessionem generalem; si autem id contingat ex ignorantia invincibili, quia sic forte soliti confiteri, nunquam a confessariis indoctis et incuriis fuerunt moniti, et aliunde confessio generalis similibus sit valde difficilis, poterit confessarius interrogando per annos, menses, hebdomadas, supplere confessionem generalem, ut jam alibi dixi, et illos aliunde dispositos absolvere. Ille autem qui

simpliciter dicit se esse peccatorem et nihil aliud, absolute dimittendus est sine absolutione et adigendus ad confessionem generalem, prout poterit; non enim est verisimile quod instructus a confessario non possit exprimere saltem aliquod peccatum.

Quantum ad eos qui sunt in statu, consuetudine et mora peccandi, ut sunt meretrices, concubinarii vel qui quascumque mulieres obvias concupiscunt, qui quavis data occasione blasphemant, furantur, etc., debent in quantum possunt exprimere numerum probabilem et species, dicendo. Toties in anno, in mense, in septimana, in die, toties circiter aut sæpius cum clericis, toties circiter aut sæpius cum conjugatis, etc. Si vero id neque sit possibile, confiteatur, ut dixi, statum, consuetudinem et moram in peccato, v. g., meretrix: Adecem annis me exhibui paratam ad omnes obvios, sive clericos, sive religiosos, sive conjugatos, etc.; concubinarius : A quinque annis usus sum concubina tanquam uxore. De multiplicatione numerica et specifica peccatorum require in tract. de Peccatis, dissert. 2.

Petes 2° an et quale examen requiratur ad confessionem?

Resp. hoc ipso quo pœnitens tenetur omnia et singula peccata quoad numerum, speciem et circumstantias tam mutantes speciem quam notabiliter aggravantes confiteri, sequitur quod super hæc omnia teneatur se examinare; qui enim tenetur ad finem, tenetur et ad media.

Istud autem examen secundum Tridentinum debet esse diligens, non quidem diligentia summa, alioquin difficillima foret hujus sacramenti frequentatio et omnibus ferme odiosa, dareturque occasio hæreticis calumniandi eam esse conscientiarum carnificinam ; sed diligentia humana et morali, qualem adhibere solent viri prudentes in seriis et gravibus negotiis. Qui ergo ex negligentia gravi et mortaliter culpabili in se examinando omittit peccatum mortale in confessione, peccat mortaliter et tenetur iterare confessionem utpote invalidam ; secus si fuerit negligentia levis et venialiter culpabilis : unde cum advertit confessarius pœnitentes accedere ad tribunal omnino imparatos et sine examine, debet illos remittere, donec accuratius se examinaverint.

Examen non est idem et unum pro omnibus. Minori examine indigent qui frequenter confitentur, quam qui raro ; majori indigent qui negotiis gravibus et periculosis implicantur quam qui privatam vitam ducunt. Item rustici et rudes non possunt tam accuratam diligentiam adhibere in sui discussione, quam intelligentes et docti; timoratis autem frequenter confitentibus sufficit modicissimum examen; si enim peccassent mortaliter, peccatum semper præ oculis haberent.

Quando et de quibus confessarius debeat examinare, monere, instruere pœnitentes, diximus dissert. præcedenti, a. 10, § 2 et 3. Vide.

Petes 3° utrum mentiri in confessione sive negando peccatum quod est, sive affirmando quod non est, sit semper peccatum mortale?

Resp. 1° Mentiri negando peccatum mortale nunquam confessum est certo peccatum mortale contra integritatem confessionis, nisi subsit justa causa illud celandi. Patet ex dictis.

2° Mentiri negando peccatum mortale alias legitime confessum per se non videtur plusquam veniale; quia non est materia necessaria sacramenti, et responsio negantis, nisi circumstantiæ aliud postulent, intelligenda est ab ultima confessione. Per accidens tamen poterit esse mortale, si confessarius interroget de illo tanquam de spectante ad præsentem confessionem, scilicet ad injungendam restitutionem vel satisfactionem, ad præscribenda remedia contra relapsus aut occasiones proximas.

3° Pœnitens qui mentitur sive confitendo peccatum mortale quod non habet, sive excedendo in numero peccatorum mortalium, sive accusando, ut certum, peccatum dubium, aut e contra ut dubium, peccatum certum, peccat mortaliter. Patet ex dictis, quia decipit judicem in re gravi pertinente ad judicium. Excusandi tamen videntur, saltem a mortali, ut jam dixi, scrupulosi, rudes et simplices, qui vel ex anxietate, vel ex turbatione, vel ex ignorantia, bona fide se accusant de iis quæ non fecerunt, vel de pluribus quam fecerunt, vel, ut sint securiores, confitentur dubia ut certa.

4° Mentiri confitendo peccatum veniale quod non est, aut negando quod est, probabilius est tantum veniale ; quia tale mendacium non est perniciosum, nec graviter injuriosum sacramento, cum sit in materia levi et non necessaria. Ita Sylvius post Sylvestrum, utrumque Soto, Angelum et alios contra Cajetanum. Excipit tamen laudatus Sylvius casum quo peccatum veniale falso accusatum foret tota materia absolutionis, tunc enim esset peccatum mortale, quia sacramentum redderetur nullum.

Dices contra hanc responsionem : 1° Qui supponeret formæ consecrationis materiam

indebitam, puta panem hordeaceum, etiam cum pane triticeo, peccaret mortaliter: ergo similiter in casu. 2° Forma hic redditur falsa, absolutio enim respicit totam materiam subjectam. 3° Istud mendacium est sacrilegium. 4° Perjurium etiam in re levi est peccatum mortale propter injuriam quam immediate Deo irrogat: ergo pariter in nostro casu qui Deo mentitur in persona confessarii.

Resp. cum eodem Sylvio ad primum, disparitatem esse quod forma consecrationis primo per se designet effectum circa materiam et ideo falsificatur, si materia indebita ei subjiciatur; forma autem absolutionis primo per se dirigitur ad personam, et significat remissionem peccatorum, qui effectus cum possit haberi, etiamsi aliquod peccatum veniale non sit jam remissibile, sive propter falsitatem, sive propter pœnitentis indispositionem, forma manet vera et efficax: unde patet responsio ad secundum. Ad tertium: Sacrilegium in re levi non est plusquam veniale, ut patet in furto rei levis in ecclesia. Ad quartum. Disparitas est quod deformitas perjurii tota refundatur immediate in Deum, qui adhibetur tanquam falsus testis, et auctor falsitatis; deformitas autem mendacii in nostro casu refunditur immediate, partim in sacramentum, quod cum aliquali irreverentia tractatur, partim in confessarium, qui decipitur, in re levi tamen, et non necessaria, iis autem mediantibus, in Deum.

5° Mentiri in confessione in re gravi, sed omnino impertinente ad confessionem, manet peccatum mortale juxta rationem materiæ, et quale fuisset extra confessionem. Et insuper ex circumstantia confessionis sumit augmentum malitiæ, quinimo probabilius inducit novam speciem sacrilegii: casus familiaris mulierculis quæ sive ad suum solatium, sive ad excusationem suorum peccatorum, gravissima de proximo, sive simpliciter mentiendo, sive exaggerando effutiunt.

Prima pars ex se patet. Ratio secundæ et tertiæ partis est 1° quia tales notabilem irreverentiam irrogant sacramento, quo abutuntur ad suas graves detractiones; 2° quia ratione novi peccati mortalis, quod hac detractione committunt, invalidam reddunt confessionem quam ideo cum novo peccato sacrilegæ detractionis repetere tenentur. Hinc viderint confessarii, qui hujusmodi fabulatrices, cum impedire deberent, auscultant, et quod pejus est, suis curiosis interrogationibus ad ejusmodi detractiones alliciunt.

Petes 4° utrum qui culpabiliter reticet aliquod peccatum mortale in confessione, teneatur repetere omnes confessiones ab illa factas?

Resp: Tenetur repetere illam primam confessionem cum accusatione sui sacrilegii, et alias sequentes, si quas fecerit cum memoria hujus peccati non confessi, quia non fuerunt validæ defectu integritatis; alias autem quas bona fide fecit sine memoria hujus peccati, non tenetur repetere, quia fuerunt integræ formaliter, et, ut suppono, alia necessaria adhibuit.

Petes 5° utrum qui instituit confessionem generalem, teneatur explicare aliquod peccatum nunquam fuisse confessum, aut ab ultima confessione fuisse commissum, et quod?

Resp. juxta sententiam communiorem de accusandis circumstantiis notabiliter aggravantibus, probabilius affirmative; quia notabiliter variatur judicium confessarii circa peccata jam confessa, et non confessa, longeque minor pœnitentia injungitur peccatis confessis, quam non confessis.

Petes 6° quid agendum ei qui advertit confessarium dormire, aut dormivisse audiendo confessiones?

Resp. Si confitendo advertat dormire, debet eum excitare, et non audita repetere. Si post confessionem advertat dormivisse, debet in sequenti confessione repetere tantum peccata non audita; quia confessio fuit integra formaliter et valida; si vero non possit scire quæ fuerint non audita, debet omnia repetere.

Petes 7° utrum qui timet ne peccata memoria excidant, teneatur ea scribere, et de scripto vocaliter confiteri sacerdoti?

Resp. id quidem esse laudabile, sed neminem ad id teneri. Ita Cajetanus, Soto, Sylvius, Henriques, Valentia, Tannerus, Sporer, et alii contra Vasquem; 1° quia inde semper est aliquod periculum manifestationis quod nemo tenetur subire propter integritatem materialem confessionis; 2° quia est hæc exquisita diligentia, quam nullus tenetur adhibere; 3° quia non est praxis communis, et in usu etiam apud timoratos et diligentes; 4° quia præceptum confessionis integræ non est minus pro rudibus litterarum quam pro scientibus scribere, et tamen illos non obligat, neque scribere, neque scripturam eo fine discere: ergo nec istos: unde quamvis, supposito debito examine, peccata quædam exciderent, erit nihilominus integra formaliter confessio, quia pœnitens facit quantum prudenter et moraliter debet et potest.

Petes 8° utrum quis possit valide absolvi a peccatis, priusquam ab excommunicatione?

Resp. : Qui nescit aut non recordatur se esse excommunicatum, vel bona fide credit se posse prius absolvi a peccatis, quam ab excommunicatione, valide absolvetur a peccatis, priusquam ab excommunicatione, ideoque non est iteranda confessio ; quia excommunicatio non tollit a sacerdote jurisdictionem in pœnitentem, sed prohibet tantum pœnitenti, ne accedat ad sacramentum, non absolutus ab excommunicatione, quod cum ille, ut suppono, ignoret invincibiliter, excusatur a transgressione prohibitionis, nihilque obstat ex hac parte, quin valida sit absolutio et confessio.

Petes 9° utrum confessio facta ex fine venialiter malo, v. g., ex vana gloria, sit invalida?

Resp. Si finis venialiter malus sit totalis et adæquata ratio, cur eligatur confessio, est invalida ; quia ut probavimus in tractatu de Actibus humanis, diss. 4, art. 4, § 2, actus alias secundum se bonus, sic ad malum finem ordinatus, ex nulla parte est bonus, sed totus malus ; manifestumque est quod in præsenti casu peccator nullatenus intendat remissionem peccatorum, nec proinde de eis doleat, ut debet.

Si vero finis venialiter malus non sit totalis et adæquata ratio cur eligatur confessio, potest esse valida, quia, ut probavimus ibidem, hujusmodi finis non vitiat totum actum, et, in præsenti casu, non impeditur peccator, ut patet, intendere remissionem peccatorum, et dolere, ut debet, de peccatis. Vide locum citatum de Actibus humanis.

Petes 10° quomodo confessio invalida sit iteranda?

Resp. : Confessio invalida, sive defectu pœnitentis, sive defectu confessarii, si fiat apud alium confessarium, ex integro est repetenda, tam quoad numerum peccatorum, quam quoad speciem et circumstantias ; quia prior confessio nulla fuit, et respectu diversi confessarii perinde est ac si non esset facta.

Si vero fiat apud eumdem confessarium qui adhuc recordetur, si non singulorum peccatorum, saltem in confuso status pœnitentis, sic ut pœnitentiam convenientem, et congrua remedia præscribere possit, non est ex integro repetenda quoad numerum, speciem et circumstantias, sed sufficit si pœnitens dicat : Accuso me de omnibus peccatis quæ tibi invalide confessus sum, et insuper de isto sacrilegio in illa commisso. Si scilicet ex defectu ejus fuerit invalida confessio, simul addendo peccata omissa, si omiserit, et alia quæ ab illa confessione commisit. Ratio est quia cognitio distincta singulorum peccatorum non est necessaria, dum profertur absolutio, ut patet dum pœnitentes indispositi remittuntur ad certum tempus, aut dum faciunt confessionem generalem per multos dies ; quamvis enim confessarius non recordetur distincte singulorum peccatorum, absolvit tamen, absque eo quod cogat illas præcedentes confessiones ex integro repetere ; imo sæpe in eadem confessione, præsertim si sit prolixa, confessarius dum absolvit, non meminit singulorum peccatorum confessorum.

ARTICULUS III.

UTRUM QUIS POSSIT PER ALIUM, SEU PER SCRIPTUM CONFITERI ?

Duplex est sensus quæstionis : primus de confessione facta præsenti sacerdoti per scriptum, vel interpretem ; secundus de confessione facta sacerdoti absenti per litteras seu internuntium. Utramque duplici § resolvemus : unde sit

§ I.

De confessione facta præsenti sacerdoti per scriptum seu interpretem.

Dico 1° : Graviter peccat qui sine causa confitetur sacerdoti præsenti [1], scripto aut nutibus, et non voce propria.

Est communis ex c. *Quem pœnitet* 88, de Pœnit., dist. 1. Ratio est quia sine causa recedit ab universali Ecclesiæ praxi in re gravi, quod fieri non potest absque peccato mortali, et ratione hujus peccati in actuali confessione commissi, ipsa confessio redditur invalida.

Hæc autem universalis Ecclesiæ praxis sequentibus congruentiis innititur. 1° Congruum est ut qui peccando non erubuit offendere Deum, erubescat confitendo peccatum. 2° Quia erubescentia in confitendo est pars pœnitentiæ. 3° Quia ex modo confitendi vocaliter confessarius melius cognoscit dispositionem pœnitentis [2]. 4° Quia sicut in Baptismo aqua assumitur, eo quod sit communior usui humano ad abluendum, ita convenienter in Pœnitentia assumitur vox quæ est communior ad manifestandum. Ista comparatio non stat,

1 Supp. q. 9, a. 3, o. 2 Ibid.

nisi quoad convenientiam tantum, et non quoad necessitatem.

Dixi : Sine causa; patebit ex sequenti conclusione.

Dico 2° : Qui non potest sive physice sive moraliter confiteri vocaliter, potest et tenetur, quoties urget præceptum confessionis, confiteri scripto si possit, si non, nutibus et signis.

Quod possit, patet; quia accusatio vocalis non est de essentia confessionis ; Christus enim instituens confessionem nihil aliud intendit, quam dolorosam manifestationem peccatorum, quod fieri absolute potest aliter quam voce, scilicet scripto vel nutibus; idque constat ex Ecclesiæ praxi in mutis et moribundis. Neque refert quod concilium Florentinum requirat confessionem oris; intelligit namque per hæc verba confessionem externam, quam vocat oris, quia ordinarie fit ore.

Unde dixi in prima conclusione id esse illicitum sine causa et in hac : Qui non potest sive physice sive moraliter : physice ut sunt muti et moribundi voce destituti; moraliter ut si ægrotus gutture pressus, non nisi ægre loqueretur, aut si confessarius surdaster non posset excipere confessionem, quin ab aliis audiatur, aut saltem de eo sit periculum, et alius non facile haberi posset; in hoc utroque casu potest pœnitens scripto confiteri modo tamen addat voce si possit, aut si non possit, nutibus indicet hanc scripturam ordinari ad confessionem et absolutionem; quia ad id est de se indifferens. Item a peccato saltem mortali excusant plures theologi, quibus subscribimus, eum qui præ vehementi pudore, ut non raro contingit in puellis, confessionem scriptam legendam traderet confessario, et adderet vocaliter : Accuso me de omnibus quæ in hac charta leges aut legisti; quia vehemens pudor est aliqua excusationis causa, et est confessio aliquo modo vocalis, sicut est in eo qui diceret confessario : Accuso me de peccatis quæ tibi ante confessionem exposui, vel quorum fuisti testis in tali occasione, vel quæ in hesterna confessione invalida accusavi; qui casus communiter admittuntur.

Ratio secundæ partis, scilicet quod teneatur, est; quia modus confitendi scripto, licet sit aliquo modo incommodus, non est tamen adeo difficilis ut censeatur moraliter impossibilis, præsertim cum obviari possit periculo revelationis, adhibitis certis cautelis, puta statim lacerando aut comburendo chartam. Quando autem non possumus uno modo, inquit Auctor[1], debemus secundum quod possumus confiteri, maxime cum istud leve incommodum abunde compensetur gratia et beneficio absolutionis.

Nec obstat quod nemo teneatur scribere sua peccata ne memoria excidant, ut dicebamus superius ; disparitas est quod major sit necessitas et strictior obligatio confitendi simpliciter, quam confitendi integraliter. Vide alias rationes superius.

Dico 3° : Nemo tenetur, saltem per se et vi præcepti confessionis, confiteri per interpretem. Est communis. Quia confessio cum tanto onere nullibi legitur præcepta, sive a Christo, sive ab Ecclesia, nec usu recepta. Quin e contra in concilio Lateranensi cap. *Omnis utriusque*, et in concilio Trid., sess. 14, cap. 5 et can. 6, legitur quod pœnitens solus soli sacerdoti confiteatur. Adde quod talis confessio sit ex natura sua quodam modo publica, licet ex probitate interpretis maneat occulta; non enim certo constat interpretem teneri sigillo confessionis. Neque obstat dictum D. Thomæ, quod quando non possumus uno modo, debemus secundum quod possumus confiteri; id enim intelligitur intra latitudinem præcepti.

Dixi : Saltem per se et vi præcepti confessionis; quia plures volunt, quod si quis in periculo mortis sit incertus de sua contritione, teneatur ex propria charitate sibi in tanto salutis periculo succurrere confitendo per interpretem, ut fiat capax absolutionis. Verum id intelligendum arbitror, si non possit nutibus exprimere aliquod peccatum, quod satis esset ad absolutionem. Cæterum in casu sufficeret accusare per interpretem venialia, aut aliquod mortale non infamans, præcise ut habeatur materia certa absolutionis; idem etiam dicendum est in casu quo non posset fieri confessio, nisi aliis audientibus, ut si in eodem lecto jaceant plures moribundi.

§ II.

De confessione facta sacerdoti absenti per litteras aut internuntium.

Dico 1° : Confessio facta per litteras aut internuntium sacerdoti absenti et in absentia absolventi est illicita et invalida.

Prob. 1° ex decreto Clementis VIII dato ad dirimendam celebrem hac de re controversiam inter theologos magna animi contentione in Hispania agitatam ; est autem hujus tem-

[1] Ibid. ad 2.

ris : « Die vigesima mensis junii, anno a nativitate Domini nostri Jesu Christi 1602..., proposita quæstione, utrum liceat per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere? Sanctissimus Dominus noster auditis votis patrum theologorum, et re, cum illustrissimis et reverendissimis DD. cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus mature ac diligenter considerata, hanc propositionem, scilicet licere per litteras, seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus ut falsam, temerariam et scandalosam, damnavit, ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio publicis, privatisque lectionibus, concionibus et congressibus doceatur neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur aut ad praxim quovis modo deducatur. Quod si quis illam, etc. »

Dices cum quibusdam confessionem, de qua quæstio est, fuisse damnatam a SS. pontifice ut illicitam, non ut invalidam ; quia dixit solum, non licere, seu damnavit propositionem quæ dicebat licere.

Sed contra : 1° Joannes a S. Th. qui circa tempora hujus celebris disputationis in Hispania floruit, testatur, q. 84, disp. 33, a. 4, nunquam fuisse quæstionem circa ipsam confessionem quoad rationem liciti tantum, sed quoad rationem validi ; sic fuisse propositum pontifici et hoc modo ab omnibus doctoribus et fidelibus fuisse intellectam.

2° Ex ipsis verbis decreti aperte colligitur pontificem eam censere et decernere invalidam ; prohibet enim « ne unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut in praxim quovis modo deducatur » opinio scilicet quæ dicebat licere, etc. : atqui si confessio de qua est quæstio, esset quantum ex se valida, foret etiam aliquo casu licita, nimirum in articulo mortis et casu extremæ necessitatis, quo tempore omnia media valida sunt licita, id exigente supremo æternæ damnationis periculo, ita ut nec a summo pontifice talis confessio absenti facta, prohiberi posset in hoc casu cum tanto salutis dispendio.

Prob. 2°: Sacerdos in absentia absolvens est omnino incertus de statu pœnitentis, quippe qui a tempore quo misit litteras vel nuntium, potest vel obiisse, vel mutasse voluntatem, imo et de facto vacare rei mortaliter illicitæ, dum actu sacerdos profert absolutionem : atqui non est verisimile Christum instituisse sacramentum Pœnitentiæ his inconvenientibus obnoxium : ergo.

Dices : Non requiritur certitudo status pœnitentis in confessario ut sit valida confessio, sed tantum ut sit licita. Patet in his imprudentibus confessariis, qui sæpe pœnitentes præsentes, incerti de illorum dispositione, absolvunt, et valide, si revera adsint dispositiones : ergo.

Resp. dist. ant. Non requiritur certitudo status pœnitentis in confessario, etc., et tamen debet esse possibilis ex modo administrandi sacramentum, conc.; et non debet esse possibilis ex modo administrandi sacramentum, neg. Non est autem possibilis cum fit confessio sacerdoti absenti, in absentia absolventi.

Inst. cum Tournely : Sufficit in hoc sacramento certitudo moralis de statu pœnitentis : atqui potest in statu conclusionis haberi ista certitudo moralis et sufficiens ad absolutionem : patet tum exemplo moribundi qui ex testimonio aliorum, quod petierit confessionem, absolvitur ; tum exemplo illorum qui absentes contrahunt Matrimonium : ergo.

Resp. neg. min. Ad prob. ab exemplo moribundi, disparitas est quod non sit verisimile, eum qui in periculo mortis vult confiteri, stante eodem periculo, mutare voluntatem, nullus est enim qui non velit mori christiane ; secus de homine sano. Adde quod in extrema necessitate sufficiat materia dubia, quæ non sufficit extra necessitatem. Ad exemplum de absentibus contrahentibus Matrimonium per procuratores, disparitas est quod non sit unius contrahentis judicare de voluntate interiori alterius contrahentis, sed solum de consensu exterius expresso, quocumque modo exprimatur, ut in omnibus aliis contractibus; quamvis enim contrahentes essent præsentes, posset unus denegare consensum interiorem, sicque nullum fieri Matrimonium. At confessarius debet judicare de voluntate interiori pœnitentis, quod non potest dum absentem absolvit.

Prob. 3° : Vel sacerdos absens proferret absolutionem scripto vel voce : atqui neutro modo stare potest sacramentum : ergo. Prob. prima pars min. : Forma absolutionis debet voce humana et propria exprimi; quod patet, tum ex perpetua Ecclesiæ praxi voluntatem Christi nobis manifestante; tum ex concilio Florent. et Trident., in quibus dicitur formam hujus sacramenti positam esse in his ministri verbis : Ego absolvo te; hæc enim verba intelligenda sunt de verbis proprie dictis; quia

dum concilia dicunt verba esse formam hujus et aliorum sacramentorum, solum excipiunt Matrimonium, ad cujus formam tamen requiruntur verba proprie vel improprie. Adde quod Florentinum subjungat formam sacramenti Pœnitentiæ consistere in verbis « quæ sacerdos profert»: hoc autem intelligitur de verbis proprie.

Prob. secunda pars min. Hæc particula : Te in forma absolutionis, vel æquivalens, dirigitur ad personam præsentem; significat enim et demonstrat præsentem ; sicut hæc verba consecrationis : Hoc est, propter eamdem rationem, diriguntur ad materiam præsentem : ergo sicut ideo sacerdos non potest consecrare materiam absentem, ita nec absolvere personam absentem. Nec refert quod confessarius possit dicere: Absolvo Petrum, seu: Absolvatur Petrus; in tantum enim istæ formæ sunt validæ, in quantum æquivalent huic : Absolvo te qui jam confessus es.

Dices cum Tournely : Hæc forma Matrimonii : Ego conjungo vos, potest dirigi ad absentes : ergo similiter.

Resp. neg. conseq. Disparitas est, 1° quia secundum nos hæc verba sacerdotis : Ego conjungo vos, non sunt forma Matrimonii, sed verba contrahentium; 2° quia procuratores præsentes gerunt vices contrahentium, quod sufficit in contractibus, ut ad illos quasi ad contrahentes præsentes verba dirigantur ; quia in contractibus, ut jam dixi, contrahens non est judex voluntatis interioris alterius contrahentis, sed voluntatis quatenus exterius expressæ, quam exprimit procurator. At in sacramento Pœnitentiæ neque litteræ, neque internuntius gerunt vices pœnitentis quoad præsentem dispositionem ejus interiorem, cujus judex est confessarius.

Confir. conclusio : Nullibi legitur Ecclesiam unquam hanc praxim absolvendi absentes tenuisse, aut in hoc dispensasse, cum tamen non defuerint urgentes occasiones tempore persecutionum, dum non licebat pro libitu adire sacerdotes. Quædam exempla in contrarium refert Morinus; at ista levia sunt, nec probatur in eis agi de confessione et absolutione sacramentali; sed vel de confessione generali, vel de absolutione a censuris, aut pœnis, aut reconciliativa cum Ecclesia, vel de benedictionibus, seu concessionibus indulgentiarum. Qua de re vide Juenin et Tournely.

Ex dictis colliges contra eumdem Tournely et alios invaliditatem confessionis et absolutionis inter absentes peti non ex jure ecclesiastico, sed divino, seu ex ipsa natura et institutione sacramenti.

Dices 1° : In judicio forensi, sententia potest ferri in absentes : ergo et in judicio sacramentali. 2° Absens potest absolvi ab excommunicatione : ergo et a peccatis.

Resp. ad primum, neg. conseq. Disparitas est quod in judicio forensi non agatur de dispositione interiori rei, sed de manifestatione ejus criminis secundum allegata et probata, quæ cognitio haberi potest, etiamsi reus sit absens; at in judicio sacramentali agitur de dispositione interiori pœnitentis, de qua judicare non potest confessarius in absentia.

Ad secundum : Disparitas est quod cum excommunicatio sit ab Ecclesia, etiam ab ea absolvat quomodo ipsi placuerit, nec ac id requiritur quod judicet de dispositione interiori rei; secus in absolutione a peccatis in qua sacerdos est instrumentum Christi agens secundum ejus institutionem, et judex ad absolvendum quos judicare potest interius dispositos et non alios.

Dico 2° : Confessio facta sacerdoti absenti, quamvis in præsentia absolventi, non solum est illicita, sed etiam probabilius invalida.

Esse illicitam, adeoque non nisi in casu extremæ necessitatis usurpandam conveniunt modo omnes post laudatum decretum Clementis VIII et reprobationem interpretationis Suarez de qua modo. Idque ratio suadet; quia est contra communem Ecclesiæ praxim et reverentiam debitam sacramento, quod sine causa exponitur periculo nullitatis.

Esse autem invalidam multi negant propter casum moribundi cui potest et debet impendi absolutio, modo antea, etiam absente confessario, petierit confessionem. Attamen

Prob. 1° ex decreto citato, ubi pontifex decernit neque confessionem absenti factam, neque absolutionem ab absente datam, posse ullo casu defendi ut probabilem, aut quovis modo deduci ad praxim: atqui, ut antea arguebamus, si ex se esset valida, aliquo casu foret probabilis et reducibilis ad praxim, scilicet in casu extremæ necessitatis : ergo.

Dixit quidem olim pater Suarez hoc SS. pontificis decretum non debere intelligi disjunctive, sed copulative ad sensum primæ conclusionis, hoc est, non damnasse confessionem absenti factam seorsim, sed simul confessionem absenti factam cum absolutione ab absente data. Sed illam patris Suarez interpretationem, nedum Clemens VIII, sed ejus successor, Paulus V, reprobavit, et ex ejus libris jussit ex-

pungi, decreto dato 14 julii 1605. Adde quod non esset ratio cur potius una pars quam altera foret damnata si non disjunctive sed copulative foret propositio damnata, sicque nunc posset adhuc sustineri absolutionem ab absente datam esse licitam et validam, quod nemo nunc admittit.

Prob. 2° : Vel pœnitens confessus sacerdoti absenti per litteras, ipsi advenienti et præsenti ratificaret confessionem factam per litteras et absolutionem peteret, vel non. Si primum, cessat difficultas et casus de quo disputamus, quia tunc confitetur præsenti ; si secundum, deest materia præsens, nec magis potest sacerdos certificari de præsenti statu pœnitentis, quam si absentem absolveret ; potest enim pœnitens mutasse voluntatem, carere dolore, habere affectum actualem ad peccatum mortale ; non est autem verisimile, ut jam diximus, Christum instituisse sacramentum his inconvenientibus obnoxium : ergo.

Dices : Moribundus qui absente confessario petiit confessionem, licite et valide ab eo præsente absolvitur : atqui tamen tunc confessio facta est absenti : ergo hujusmodi confessio non est ex se invalida.

Resp. 1° neg. min. Cum enim summus pontifex declaraverit confessionem factam absenti in nullo casu valere, ut probatum est, et tamen hunc casum moribundi a suo decreto exceperit, ut ex ore pontificis testati sunt Lessio, Bellarminus et archiepiscopus Armachanus, ut refert præpositus ad q. 4 suppl., n. 84., dicendum est hanc moribundi confessionem non esse factam absenti, sed præsenti per adstantes ut interpretes.

Si dicas : Ut confessio censeatur facta per interpretem, debet esse locutio præsentis pœnitentis ad præsentem interpretem, et præsentis pœnitentis ad præsentem confessarium, alias non distingueretur interpres ab internuntio : ergo.

Resp. 1° ita etiam fieri in nostro casu ; præsens est pœnitens, præsentes adstantes, præsens confessarius, et per testimonium adstantium præsens ipsa confessio, ea scilicet præsentia quæ sufficit ut confessarius certificetur quantum fieri potest de statu pœnitentis ; cum enim non sit verisimile infirmum in hoc statu et periculo, a tempore quo destitutus est sensibus mutasse voluntatem, prior confessio adhuc moraliter durat et exprimitur ore adstantium. Id autem dici non potest de confessione facta per litteras vel internuntium.

2° Dato hujusmodi confessionem seu confessionis petitionem in moribundo factam esse absenti per adstantes quasi per internuntios, maxime si qui aderant petitioni, nunc absunt, et alii ex istorum relatione tantum referant ; tunc dicimus quod iste moribundus non absolvetur vi præcise istius confessionis, sed quia, cum adstantes fide digni, etiamsi ex aliorum relatione, testentur ipsum petiisse confessionem, aut signa pœnitentiæ dedisse, præsumi potest aut saltem dubitari eum in hoc statu, per signa alioquin naturalia, v. g., gemitus, suspiria, aspirationes, intuitum fixum oculorum, etc., adhuc nunc conari exprimere exterius suam pœnitentiam et sua peccata, sicque confessionem, qualis fieri potest, esse præsentem, et ratione illius confessionis præsentis dubiæ, absolvitur ; in extremis enim extrema sunt tentanda, ut jam dictum est.

ARTICULUS IV.

UTRUM SEXDECIM CONDITIONES REQUIRANTUR AD CONFESSIONEM ?

Sexdecim conditiones a S. Th., et a cæteris theologis post ipsum, ad confessionem requisitæ comprehenduntur versibus sequentibus :

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda et discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta et lacrymabilis, accelerata,
Fortis et accusans, et sit parere parata.

Dico : Sexdecim conditiones[1] assignatæ requiruntur ad confessionem.

Prob. conclusio et simul breviter explicantur præfatæ conditiones[2]. Conditiones requisitæ ad confessionem vel sunt ad bene esse ipsius, vel de ejus necessitate.

Ad bene esse duæ requiruntur : prima quod sit accelerata, ut omnes fatentur ; secunda quod sit frequens ; quia confessio est instituta pro peccatoribus : ergo quo quis sæpius peccat, sæpius ea uti debet. Adde quod non sit tantum in remedium præteritorum, sed etiam in cautelam futurorum.

Huic Angelicæ et communi doctrinæ refragantur quidam his temporibus, qui cum haberi velint cultores et defensores moralis saniores, quam præpostere intelligunt, quosvis peccatores relabentes in peccata etiam diversæ speciei, arcent a confessione per plures menses, quandoque per annum et ultra, eosque interim gravibus operibus addicunt pro expiandis, inquiunt, peccatis præteritis, et cavendis futuris. Verum hi non advertunt, inter

[1] Ibidem a. 4, o. [2] Ibid.

omnia contra peccatum, sive præteritum sive futurum, remedia, præcipuum et efficacissimum esse sacramentum Pœnitentiæ, quod, ut jam dixi, est a Christo contra utrumque peccatum institutum, et ex opere operato confert gratias præteriterum remissivas et a futuris conservativas. Insuper Deus potius audit justos et amicos quam peccatores et inimicos ; facilius autem peccator fit justus et amicus Dei per sacramentum Pœnitentiæ, quam sine illo per contritionem perfectam, quæ, juxta ipsos adversarios, est admodum rara.

Cæterum non intelligimus peccatores in occasione proxima versantes, neque consuetudinarios, aut frequenter in eadem peccata relapsos, qui non curant ut debent suam emendationem, de quibus dixi supra, sed peccatores qui ex humana fragilitate labuntur, etsi frequenter, in diversa peccata, et bona fide se credunt a peccato corde aversos et ad Deum conversos. Confer quæ dixi supra de consuetudinariis et recidivis.

Conditiones quæ sunt de necessitate confessionis, [1], competunt ei, vel secundum quod est actus virtutis, vel secundum quod est pars sacramenti. Confessio, secundum quod est actus virtutis, consideratur vel in ratione virtutis in genere, vel in ratione specialis virtutis, vel in ratione ipsa actus.

Virtutis in genere sunt quatuor conditiones,[2] ut dicitur 2 *Ethic.* Prima est quod aliquis sit sciens, et quantum ad hoc dicitur quod confessio debeat esse discreta, quatenus in omni actu virtutis requiritur prudentia; est autem discretio ut majora peccata majori pondere confiteatur, non aliena miscendo, et propria terminis decentibus explicando. Secunda conditio est quod sit eligens, quia actus virtutis debet esse voluntarius, et quantum ad hoc ponitur libens. Tertia conditio est ut sit propter debitum finem; et quantum ad hoc ponitur pura, ut scilicet recta sit intentio amicitiam Dei recuperandi et cætera bona nobis necessaria obtinendi. Si ergo sit propter finem malum mortaliter, invalida erit confessio ; si propter finem venialiter malum, puta propter vanam gloriam, poterit esse valida, si nempe vana gloria non sit causa totalis et adæquata confessionis, ut dixi supra ; cum peccato enim veniali possunt adesse omnia ad validitatem confessionis necessaria. Quarta conditio est ut immobiliter operetur, et quantum ad hoc dicitur fortis, ut scilicet propter verecundiam veritas non omittatur.

[1] Ibid. [2] Ibid.

Virtutis autem specialis scilicet pœnitentiæ,[1] cujus confessio est actus, sunt tres conditiones. Prima sumit initium in horrore turpitudinis peccati, et quantum ad hoc confessio debet esse verecunda, ut scilicet non se jactet de peccatis propter aliquam sæculi vanitatem admixtam. Secunda progreditur ad dolorem de peccato commisso, et quantum ad hoc dicitur quod debeat esse lacrymabilis, non necessario oculis corporeis, sed corde. Tertia in abjectione sui terminatur, et quantum ad hoc debet esse humilis, ut se pœnitens miserum et infirmum confiteatur, et non quærat excusationes in peccatis, ea imputans tentationi, marito, uxori, etc. Hic etiam impingunt illæ mulierculæ, dictæ vulgo devotariæ, quæ gravia peccata confitentur confessario extraordinario, levia ordinario : quod tamen minus malum est, modo gravia prius confiteantur, quam aliquid notabile subticendo, confessionem sacrilegam facere.

Ex ipsa autem ratione hujusmodi actus,[2] habet confessio quatuor conditiones; quia inde habet quod sit manifestativa; hæc vero manifestatio potest impediri per quatuor : 1° per falsitatem, et quantum ad hoc dicitur quod debet esse fidelis, id est, vera. Quale autem sit peccatum mentiri in confessione dixi supra, art. 2, § 5. 2° Per obscuritatem verborum, et contra hoc dicitur nuda : qui ergo verborum ambagibus et æquivocationibus intendunt occultare circumstantias necessario confitendas, confessionem sacrilegam et nullam faciunt. 3° Per verborum multiplicitatem, et ad hoc ponitur simplex ut non revelet in confessione nisi id quod ad quantitatem peccati attinet; ex quo capite peccant qui contra reverentiam sacramento debitam, impertinentia ad confessionem narrant, sicut et confessarii qui de iis interrogant, aut narrantes tolerant; non tamen graviter, si quæ narrant non sunt perniciosa. 4° Per subtractionem, ut scilicet non subtrahatur aliquid de his quæ manifestanda sunt ; et contra hoc dicitur integra : de qua conditione dixi plusquam satis a. 2.

Secundum autem quod confessio est pars sacramenti,[3] concernit judicium sacerdotis, qui est minister sacramenti, ex quo oportet quod sit accusans ex parte pœnitentis, parere parata per comparationem ad confessarium judicem, et secreta quantum ad conditionem fori, in quo de occultis conscientiæ agitur.

Observandum quod cum Auctor dicit quam conditiones esse de necessitate sacra-

Ibid. [2] Ibid. [3] Ibid.

menti, inter alias quod sit secreta, non intelligat de essentia; quamvis enim Christus instituerit confessionem secretam, non tamen absolute prohibuit publicam, ut patet ex ante dictis, sed quod ordinarie non liceat aliter confiteri quam secreto, præsertim peccata occulta et infamantia; hoc enim esset contra jus naturæ et praxim Ecclesiæ.

DISSERTATIO VIII.

De sigillo confessionis.

Quæ Auctor docet q. 10 de effectibus confessionis, patent ex dictis, dissert. 3, de effectibus Pœnitentiæ.

Sigillum confessionis [1] nihil est aliud quam obligatio celandi audita in confessione, metaphora sumpta a sigillo quo obsignamus quæ velumus esse secreta.

ARTICULUS I.

UTRUM IN NULLO CASU LICEAT SACERDOTI REVELARE PECCATA QUÆ AUDIVIT IN CONFESSIONE?

Dico : Jure naturali [2], divino et humano prohibetur sacerdos revelare, in quovis casu, sive directe, sive indirecte, peccata audita in confessione sacramentali, sine expressa et spontanea licentia pœnitentis.

Prob. prima pars : Contra jus naturale est diffamare proximum, violare religionem secreti et mentiri : atqui qui peccata audita in confessione revelat, diffamat proximum peccata ejus manifestando, violat religionem secreti, quod ipsi fuerat creditum, et quod servare tacite promiserat [3] : ac tandem mentitur, quia dicit ea se scire ut homo, quæ tamen nescit ut homo, sed ut Deus, seu Dei vicarius.

Prob. secunda pars. 1° Nunquam est licitum agere contra significationem sacramenti [4], id enim est sacrilegium contra reverentiam ipsi, ut a Christo instituto, debitam : atqui per confessionem significatur tegenda omnino esse peccata : ergo vi institutionis sacramenti sacerdos tenetur audita in confessione celare, et tanquam violator sacramenti peccat qui ea revelat. Prob. min. Quæ exterius aguntur in sacramentis sunt signa eorum quæ interius aguntur, et ideo confessio qua quis sacerdoti se subjicit, est signum interioris subjectionis qua quis Deo subjicitur : atqui Deus peccata illius qui se sibi subjicit per pœnitentiam, quantum est ex parte sacramenti, omnino tegit, quasi nunquam fuissent. Quod si de facto id non accidat, quia forte non absolvitur confessus, hoc est ex ejus defectu, et non quantum est ex parte sacramenti : ergo per confessionem significatur tegenda esse omnino peccata.

2° Qui præcipit finem, præcipit media necessaria ad illum : atqui Christus præcepit confessionem, et confessio stare non potest, si vel in uno casu liceat eam revelare : ergo præcipit celationem peccatorum confessorum in omni casu. Prob. min. Si vel in uno casu liceret revelare confessiones, homines suspicarentur etiam in aliis similibus casibus licere, aut a confessariis per epiikiam fundatam, vel infundatam, ad alios casus trahi, sicque fieret ipsis odiosa confessio, atque ab ea penitus deterrerentur; vel saltem peccata quæ suspicarentur revelanda non accusarent; nemo enim tenetur accusare peccata quæ jure timet revelanda, et sic opposita doctrina non solum foret injuriosa sacramento, et contra Christi præceptum, sed prorsus inutilis, imo et perniciosa; quia si accusarentur illa peccata, confessarius prudens posset pœnitentes a mala voluntate avocare : ergo.

Adde quod præceptum de non revelanda

[1] Supp. q. 11, a. 3, o. [2] Ibid. a. 1, o. [3] Ibid. [4] Ib.

confessione sit negativum, quod semper et pro semper obligat.

Prob. tertia pars : Cap. *Sacerdos* de Pœnit. dist. 6, sic decernitur : « Sacerdos ante omnia caveat ne de his, qui ei confitentur peccata, recitet...; nam si hoc fecerit, deponatur, et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat. » Et in concilio Lateran. sub Innocentio III: « Caveat sacerdos ne verbo aut signo, aut alio quovis modo, aliquatenus prodat peccatorem..... Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam pœnitentiam perpetuam in arctum monasterium detrudendum » : ergo. Hæ autem pœnæ, ut patet, non sunt latæ, sed ferendæ sententiæ.

Dixi : Directe vel indirecte; item : Sine licentia pœnitentis. Hæc infra explicabuntur. Item : In confessione sacramentali, de quo in fine præsentis articuli.

CONSECTARIA.

Ex his inferes 1° in nullo casu imaginabili, sive agatur de amittenda vita, sive de proditione reipublicæ, sive de subversione fidei in aliqua provincia, licitum esse revelare confessionem; quia, ut dictum est, sigillum est ex ipsa institutione sacramenti, præcepti divini negativi, et agitur de bono spirituali totius Ecclesiæ in servanda frequentatione hujus sacramenti ad salutem omnium instituti, quæ præponderant omni alteri bono. [1] Nec oportet succurrere malis humanis per media quæ nescit homo: id autem quod scit ex confessione, est quasi nescitum; quia illud confessarius nescit ut homo, sed ut Deus, seu Dei personam gerens. Et hinc præoccupantur quædam instantiæ.

Inferes 2° frangentem sigillum triplex peccatum committere, scilicet injustæ diffamationis, infidelitatis ratione violati secreti tacite promissi, et sacrilegii contra significationem et reverentiam sacramenti.

Inferes 3° confessarium interrogatum de auditis in confessione, posse repondere, imo et jurare se nescire, quia interrogatur ut homo, respondet ut homo, et nescit ut homo. Insuper interrogatio est accipienda de iis de quibus interrogans habet jus inquirendi, consequenter responsionis sensus est : Nescio, eo modo quo tibi possim et debeam revelare.

[1] Ibidem ad 1.

Si autem interrogetur de auditis formaliter in confessione, scilicet, num hoc vel illud audiverit in confessione, multi volunt, quod non possit respondere, nec a fortiori jurare se nescire; quia scit eo modo quo interrogatur; sed quod debeat respondere interrogationem hanc impiam esse, cui nec affirmative, nec negative licet respondere.

Inferes 4° duos qui confessionem pœnitentis audierunt, non posse de peccatis auditis inter se loqui, etiamsi in utilitatem pœnitentis, quia licet utrique peccata sint cognita, non tamen sunt cognita extrasacramentaliter, nec ipsi possunt facere extrasacramentalia, sicque clausa manent sub sigillo confessionis. Propter eamdem rationem ille qui peccatum publicum audivit, non potest loqui de illo ut audito in confessione.

Inferes 5° sigillum obligare etiam post mortem pœnitentis; quia in ejus violatione respectu mortui, sequuntur pariter injusta diffamatio, irreverentia sacramenti, et avocatio fidelium ab illius frequentatione, quippe quibus similiter fieret odiosum sacramentum, si scirent post mortem peccata sua posse revelari.

Inferes 6° confessarium qui non potest confiteri peccatum suum sine revelatione confessionis sibi factæ, teneri illud tacere. Item parochum, qui ex sola confessione novit impedimentum inter sponsum et sponsam, teneri illos conjungere, si petant extra confessionem, et multa alia similia.

Inferes 7° revelationem peccati venialis etiam esse peccatum mortale; quia licet inde non fiat gravis injuria pœnitenti, fit tamen sacramento, utpote contra ejus significationem et sanctitatem, redditurque odiosum saltem quoad venialia : unde non datur hic levitas materiæ, et tantum peccatur venialiter ex indeliberatione, ut si sacerdos loquatur de auditis in confessione, non advertens se ea ex confessione scire, sed putans se loqui de aliunde scitis.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° : Integritas confessionis est juris divini, et tamen multiplex ratio ab illa excusat. Item hoc præceptum : Non occides, est juris naturalis et divini positivi, estque negativum; et tamen licitum est in certis casibus occidere : ergo similiter de sigillo confessionis.

Resp. neg. conseq. Quoad primum, disparitas est quod non omnis integritas confessionis

sit juris divini, sed sola formalis, et moraliter possibilis. Similiter quoad secundum, non omnis occisio prohibetur hoc præcepto : Non occides, sed sola occisio injusta et auctoritate privata. At omnis quæcumque revelatio confessionis, quovis casu est prohibita; quia est contraria significationi et fini sacramenti, ut probatum est.

Inst. 1° : Lex naturalis dictat esse revelandum crimen alicujus etiam sub secreto cognitum, quando id est necessarium ad conservationem præsertim fidei aut patriæ : atqui lex naturalis prævalet legi positivæ de non revelanda confessione, aut etiam legi naturali de servando secreto; quia de majori bono agitur : ergo.

Resp. 1° dist. ant. Lex naturalis dictat esse revelandum crimen [1], etc., quod scitur, transeat ant.; quod nescitur, neg. ant. Illud autem quod ex confessione scitur, est quasi nescitum, quia illud sacerdos nescit ut homo, et tamen debet agere ut homo.

2° Dist. idem ant. Lex naturalis dictat revelandum esse crimen alicujus ad conservationem fidei vel patriæ, si majus inde malum non sequatur, transeat ant.; secus, neg. ant. Majus autem malum sequeretur ex revelatione confessionis, quam sit eversio fidei in aliqua provincia aut reipublicæ, scilicet destructio sacramenti in perniciem totius Ecclesiæ. Insuper inutilis aut etiam perniciosa foret hæc revelatio ad evertenda ista mala, si unquam admitteretur licita in his casibus; quia tunc istorum criminum conscii, cum scirent ea esse revelanda, non accusarent. Si e contra sciant non esse revelanda, accusabunt, et adhortationibus atque consiliis prudentis confessarii, forte a mala sua voluntate avocabuntur; aut si confitentes non sint horum criminum rei, sed ea confiteantur ut objecta aut circumstantias sui peccati, adhibitis certis cautelis et mediis a confessario præscriptis, mala ab aliis impendentia, forte poterunt impediri.

Inst. 2° : Potest dari casus in quo pœnitens ipse crimen confessum teneatur revelare : ergo si reveletur a confessario, nulla fit ipsi injuria.

Resp. : Esto non fiat pœnitenti injuria, fiet saltem sacramento in detrimentum omnium fidelium. Insuper, quamdiu pœnitens non facit peccatum suum extrasacramentale, consentiendo libere ut reveletur, remanet nescitum, ut dictum est; quod autem nescitur revelari non potest.

[1] Ibidem, ad 3

Obj. 2° : Cæsarius monachus Cisterciensis, lib. 3. *Historiarum Mirab.*, cap. 32, scribit Innocentium III, consultum a capitulo generali sui ordinis quid deberet agere confessarius qui audiret confessionem unius non sacerdotis, et tamen quotidie celebrantis, respondisse eo in casu revelandam esse confessionem. Item Guillelmus Altisiodorensis, in *Summa*, lib. 4, tract. 6, q. 6, refert theologos Parisienses docuisse licitum esse in certis casibus revelare confessionem. Item fuerunt olim in usu confessio publica et pœnitentia publica; ex his autem revelabatur confessio : ergo.

Resp. ad primum, narrationem Cæsarii non mereri fidem, cum directe contradicat iis quæ ipse Innocentius III definivit in concilio Lateranensi, de sigillo confessionis inviolabiliter servando.

Ad secundum : Nihil nos movent quidam, forte privati, theologi Parisienses contra ea quæ protulimus in probationem conclusionis et contra communem sensum ac constantem praxim totius Ecclesiæ.

Ad tertium : Neque confessio publica, neque pœnitentia publica peccatorum occultorum, unquam fuerunt in præcepto in Ecclesia. De confessione publica jam diximus, de pœnitentia publica dicemus infra. Adde quod publice pœnitentibus pro diversis peccatis, eadem sæpe pœnitentia injungebatur, et plures nullius criminis conscii ex zelo pietatis proprio motu se illis adjungebant : unde ex pœnitentia publica peccata non poterant dignosci.

Petes ex qua confessione oriatur obligatio sigilli ?

Resp. oriri ex omni et sola confessione sacramentali : quia est proprietas confessionis sacramentalis, ideoque omni et soli confessioni sacramentali convenit.

Censetur autem confessio sacramentalis quæ fit illi qui habet aut habere creditur potestatem absolvendi, cum animo se peccatorem accusandi et peccata sua clavibus Ecclesiæ subjiciendi, etiamsi non sequatur absolutio.

Dicitur : Quæ fit illi qui habet aut creditur habere potestatem absolvendi. Unde confessio facta scienter laico, vel sacerdoti qui noscitur carere jurisdictione, non inducit obligationem sigilli, sed tantum secreti naturalis ; secus si sacerdos credatur habere potestatem absolvendi, quia tunc quantum ex parte pœnitentis est sacramentalis, fieretque injuria ipsi pœnitenti et sacramento quod dicitur subsistere, si revelaretur.

Dicitur : Cum animo se accusandi peccato-

rem et peccata sua clavibus Ecclesiæ subjiciendi; quia si quis accedat ad confessarium animo ipsum decipiendi, irridendi, protrahendi in peccatum, aliquid ab eo extorquendi, etc. non est confessio sacramentalis, nec obligat ad sigillum.

Dicitur: Etsi non sequatur absolutio, sive ex defectu pœnitentis qui non apparet sufficienter dispositus, sive ex parte sacerdotis qui caret jurisdictione in certum casum, quia hujusmodi confessio est in ordine ad sacramentum et ideo sacramentalis; obligatio autem sigilli sequitur confessionem sacramentalem, et non solum absolutionem.

Utrum vero, si quis accedat ad confessionem sine ullo dolore et proposito emendæ et sine voluntate absolutionem recipiendi, sed tamen cum animo se subjiciendi sacerdoti tanquam Ecclesiæ ministro, sive ut ab illo, prout poterit, juvetur, sive ut aliquo modo satisfaciat Ecclesiæ præcepto, sit hæc confessio sacramentalis inducens obligationem sigilli? Affirmat Sylvius ex cap. *Quod quidam*, de Pœnit. et Remiss., lib. 5, tit. 38, ubi jubetur admitti confessiones eorum qui volunt confiteri, quamvis dicant se non posse abstinere, eisque crebris et salubribus monitis pœnitentiam esse indicendam. Ratio est, quia quamvis ille accedat voluntarie indispositus, et ex hac parte non ponat materiam absolutionis; quatenus tamen confitetur animo se accusandi peccatorem et se subjiciendi sacerdoti, ut Ecclesiæ ministro, ejus confessio ea ex parte est aliquo modo sacramentalis. Cæterum in dubio favendum est sigillo.

ARTICULUS II.

AD QUÆ SE EXTENDAT SIGILLUM CONFESSIONIS?

Dico: Sigillum confessionis[1] se extendit directe ad illa omnia duntaxat de quibus est sacramentalis confessio, hoc est, ad omnia peccata tam mortalia quam venialia, eorum objecta, complices et quasvis alias circumstantias. Quia sigillum est aliquid annexum confessioni sacramentali; quod autem annexum est alicui sacramento, non extenditur directe ultra illud.

Indirecte[2] autem extenditur ad ea quæ, licet non cadant sub confessione sacramentali, per ea tamen posset deveniri in notitiam peccati, vel peccatoris, et ad ea quæ per se vel per accidens possent confusionem, verecundiam, malam suspicionen vel aliquod nocumentum generare pœnitenti vel alteri; hac scilicet ratione generali, quod alioquin sacramentum redderetur odiosum et desertum.

Hinc cadunt sub sigillo non solum omnia peccata mortalia et venialia, eorum objecta, complices et aliæ circumstantiæ, ut dictum est, sed etiam pœnitentia injuncta, indispositio pœnitentis, negatio absolutionis aut schedæ confessionis, et similia quæ indirecte peccatum revelant. Item defectus tam naturales quam morales et scrupuli ex sola confessione cogniti, ex quorum revelatione gravatur pœnitens.

Explicantur breviter singula.

Omnia peccata mortalia tam in genere quam in specie: unde violat sigillum non solum qui revelat hoc vel illud Titii peccatum, sed qui dicit eum esse confessum mortale vel mortalia, casum reservatum aut censuram. Item si audito in tribunali aliquo gravi peccato, exclamat aut alte ingemiscat, aliis audientibus. Item si de aliquo loco vel communitate non ampla, de collegio, monasterio, vel etiam congregatione integra, dicat ibi perpetrari gravia crimina, quia communitas inde infamatur, quæ infamia redundat in ejus membra et reddit sacramentum odiosum; secus si de populosa civitate, provincia, regno, diceret in eo committi peccata mortalia.

Narrare autem peccata audita in confessione, non indicando neque directe neque indirecte auctores, ita ut moraliter loquendo innotescere non possint, non est violare sigillum, attamen seclusa utilitate instructionis vel consilii petendi, abstinendum est a similibus narrationibus et colloquiis; tum quia simplices scandalizantur, putantes inde frangi sigillum; confessionis, tum propter periculum revelationis, quæ contingere potest et quandoque contingit, ex collatis confessarii dictis in diversis locis et temporibus; ut si dicas, uno tempore, primam tuam pœnitentem confessam fuisse adulterium; et alio tempore, prioris dicti tui immemor, dicas coram iisdem, talem fuisse primam tuam pœnitentem.

Omnia peccata venialia, in specie non in genere: unde frangeret sigillum qui diceret: Talis mihi confessus est hoc vel illud peccatum veniale; quia, ut dixi superius, non datur hic levitas materiæ; secus si diceret: Mihi confessus est venialia; quia inde non gravatur pœnitens, cum notum sit confessionem non fieri

[1] Ibidem a. 2, o. [2] Ibid.

sine saltem venialibus; unde perinde est ac si diceret: Iste mihi confessus est. Non potest tamen dicere : Plura et gravia venialia, quia id non sequitur ex confessione.

Caveat etiam ne loquendo de venialibus præbeat ansam suspicandi mortalia vel de eodem vel de aliis, ut si diceret: Talis hodie nonnisi venialia mihi confessus est,statim audientes suspicarentur alias confessum fuisse mortalia; aut si post auditas confessiones in uno loco, collegio, monasterio, de uno singulariter dicat: Iste non confessus est nisi venialia, præbet ansam audientibus suspicandi alios mortalia fuisse confessos. Idem dicendum, si loquendo de pluribus sibi confessis, unum inter alios singulariter laudet, de probitate, castitate, etc.; inde enim audientes suspicantur alios non esse ita probos, castos, etc.; secus esset, si omni comparatione seclusa, sermo esset de uno tantum.

Objecta peccatorum : ut si pœnitens confiteatur se male locutum fuisse de tali puella gravida, vel de furto, aut homicidio Titii; peccatum puellæ et furtum Titii cadunt sub sigillo tanquam circumstantia peccati confessi; et quamvis quidam dicant quod, si ista peccata confitentis sint publica, non cadant sub sigillo; quia pœnitens supponit illa omnibus nota, neque ideo velit ea includi sub sigillo : non puto tamen confessarium posse de eis loqui, ut cognitis ex confessione: unde improbandos censeo, qui, orto scandalo in aliquo loco, dicunt (ut frequens est) aures confessariorum continuo vexari de oblocutionibus contra istud scandalum. Complices sive juste sive injuste in confessione detecti, et aliæ circumstantiæ, etsi non necessario accusandæ, sed quas pœnitens erronee putat esse accusandas, si illius aut alterius intersit eas celari. Cætera vero in confessione narrata, sed confessioni impertinentia, non cadunt sub sigillo.

Pœnitentia injuncta ; si nempe sit gravis et quæ solet assignari pro peccato mortali, quia ex ejus revelatione dignoscitur pœnitentem peccasse mortaliter. Item indispositio pœnitentis et negatio absolutionis, propter eamdem rationem. Ubi autem consuetum est dare schedam confessionis, confessarius non potest sine fractione sigilli eam denegare pœnitenti quem non absolvit ; non debet quidem scribere, se absolvisse, sed simpliciter, se excepisse confessionem talis.

Defectus tam naturales quam morales ex sola confessione cogniti, ut esse spurium, eunuchum, fictum nobilem, de genere Judæorum aut magorum, ignarum mysteriorum religionis, irregularem sine delicto, pauperem, debitis gravatum, minus expertem in sua arte, scrupulosum, etc., ex eodem semper principio, quod alias confessio redderetur odiosa. Dixi : Ex sola confessione cogniti, quia si aliunde hos defectus cognoscat confessarius, potest de eis loqui secundum cognitionem extrasacramentalem quam habet. Idem dicendum de peccatis, ut fusius dicam infra.

Petes 1° utrum confessarius possit imponere pœnitentiam publicam, ex qua sequitur indirecta revelatio confessionis ?

Resp. negative, nisi ex spontanea acceptatione pœnitentis. Patet ex dictis.

Petes 2° utrum confessarius possit injungere sub comminatione negandi absolutionem, quod judicat necessarium, sive ad reparationem præteriti, sive ad cautelam futuri, v. g., restitutionem, dimissionem officii, concubinæ aut alterius occasionis proximæ, etc., ex quo sequatur indirecta revelatio confessionis ?

Resp. affirmative ; quia tunc non tam confessarius imponit præceptum pœnitenti, quam declarat obligationem quæ in ipso est, ad cujus impletionem habet jus urgendi pœnitentem, etiam denegatione absolutionis, ut ipse suo munere debite fungatur.

Petes 3° utrum secretum creditum et acceptum extra confessionem sub sigillo confessionis, reipsa cadat sub sigillo confessionis ?

Resp. negative [1] ; quia sigillum confessionis exolas sacramentali confessione sequitur. Neque quis de facili potest sic aliquid credere vel recipere ; cum enim nullum secretum æquiparari possit secreto confessionis, id fit difficile absque aliqua irreverentia sacramenti.

ARTICULUS III

QUINAM TENEANTUR SIGILLO CONFESSIONIS ?

Dico : Proprie loquendo seu primario et principaliter tenetur solus sacerdos [2] ; quia ipse solus est minister hujus sacramenti cui annexum est sigillum. Secundario autem et per participationem tenentur omnes ad quos confessionis notitia quovis modo pervenit ; quia sicut hi ad quos notitia confessionis pervenit, participant aliquid de actu confessionis, ita participant aliquid de sigillo confessioni annexo.

Hinc inferes 1° sigillo teneri non solum verum confessarium, sed etiam fictum, ut si lai-

[1] Id. ad 2. [2] Ibid. a. 3. o.

cus aut sacerdos carens jurisdictione, se simulans confessarium, confessionem excipiat; quia hujusmodi confessio ex intentione pœnitentis est sacramentalis, et ad absolutionem sacramentalem ordinata, licet errore facti revera non sit.

2° Tenetur interpres communicans cum confessario in ipso actu confessionis. Similiter scribens confessionem alicujus rudis aut amici.

3° Tenentur audientes, sive casu, sive voluntarie et ex industria, non sine gravi sacramenti injuria, confessionem alterius, et ii quibus illam sacrilege revelant, etiamsi revelatio ad innumeros transiret; quia res transit cum suo onere. [1] Idem dic de iis quibus confessarius, etiam cum licentia pœnitentis, revelat, nisi aliter se explicet pœnitens.

Quidam volunt etiam teneri sigillo eum sive confessarium, sive alium virum doctum, etsi laicum, cui pœnitens aliqua de suis peccatis communicat in ordine ad confessionem faciendam, idque innotescit consulto; quia, inquiunt, cum sæpe contingat pœnitens indigere consultatione ante confessionem, si illi non adstringerentur sigillo, confessio fieret odiosa. Verum aliis negantibus assentior; quia ista notitia neque est confessio inchoata, neque procedit ex confessione facta. Ad rationem oppositam resp. non teneri pœnitentes ad hujusmodi consultationem, si timeant ne consulti sua peccata revelent; absque ea enim poterit esse confessio formaliter integra. Et alioquin nimium extenderetur sigillum confessionis, cum frequentissime et passim sæculares consulant viros doctos, in ordine ad suas confessiones, nec id lateat consultos, absque eo quod consulentes cogitent aut intendant illos obligare ad sigillum confessionis, sed ad secretum naturale tantum.

4° Tenetur superior a quo pœnitens per se vel per confessarium petit extra confessionem licentiam absolvendi a reservatis, quia illa petitio licentiæ est inchoata confessio, et illa notitia quam superior accipit a confessario, ipse accepit ab inchoata confessione.

5° Tenetur secundum plures, qui casu vel ex proposito legit descriptam alicujus confessionem, sive factam, sive faciendam; quia illa scriptura est quasi internuntia peccatorum, estque vel inchoata confessio, vel confessionem factam gerens. Alii tamen id etiam probabiliter negant; quia hæc scriptura non est proprie confessio sacramentalis, sed instrumentum aut præparatio ad illam pro juvanda memoria facta; sicut si quis se præparans ad confessionem alta voce recitaret sua peccata, aut, ut modo dicebamus, consuleret pro confessione facienda, audiens aut consultus non teneretur sigillo confessionis. Equidem ita videtur rem physice considerando, at forte aliter videbitur, si res moraliter consideretur et attendatur ad sensum communem. Judicet prudens lector.

Petes an ipse pœnitens teneatur sigillo?

Resp. negative. Et primo quoad sua peccata, in tantum tenetur ea celare, in quantum tenetur se non infamare, quod est juris naturalis. Quoad ea vero quæ spectant confessarium, tenetur secreto naturali, si ea revelare nequeat absque ejus aut alterius, seu sacramenti præjudicio; alias non tenetur.

ARTICULUS IV.

UTRUM DE LICENTIA CONFITENTIS POSSIT SACERDOS EJUS PECCATUM ALTERI PRODERE?

Dico: Potest sacerdos de licentia expressa et spontanea confitentis ejus peccatum alteri prodere. [1]

Prob.: Ideo sacerdos tenetur peccatum confessum occultare [2]; quia occultatio est de necessitate sacramenti, in quantum scit illud ut Deus, seu Dei personam gerens: atqui confitens per licentiam quam dat illud prodendi, sive illam det intra, sive extra confessionem, facit quod id quod sacerdos sciebat ut Deus, seu Dei personam gerens, jam sciat ut homo; non quod accipiat novam notitiam, ut recte observat Sylvius, sed quia est novus notitiæ modus, quo fit ut id quod sciebat sacramentaliter et ut Dei vicarius, jam humana notitia teneat; sicut qui habet aliquid sub secreto naturali, si ille qui illud commisit, liberet a vinculo secreti, absque eo quod rem iterum narret, potest alter sine peccato prodere.

Confirm.: Qui potest aliquid per se facere, potest etiam per alterum facere [3]: atqui confitens potest peccatum suum per se alteri revelare: ergo potest per sacerdotem.

Dixi: De licentia expressa et spontanea; quia non sufficit implicita, dubia, interpretativa aut præsumpta, neque vi, dolo, precibus importunis aut metu reverentiali extorta.

Dices: Quod est institutum propter bonum totius Ecclesiæ et reverentiam sacramenti, non potest ex arbitrio unius irritari, sicut clericus non potest cedere privilegio concesso in favo-

[1] Ib. a. 4 ad. 4.

[1] Ibid. a. 4, o. [2] Ibid. [3] Ib. in a. s. c.

rem status clericalis : atqui celatio confessionis est instituta ad bonum totius Ecclesiæ, ut homines confidentius ad confessionem accedant, et ad honorem sacramenti : ergo.

Resp. dist. min. Celatio confessionis quatenus remanet sacramentalis[1] est propter bonum Ecclesiæ et reverentiam sacramenti, conc.; quatenus fit extrasacramentalis per licentiam confitentis, neg. Supposita igitur licentia pœnitentis non tollitur quod est institutum propter bonum commune et honorem sacramenti, quia sigillum non frangitur, cum dicatur id quod alio modo scitur et est extrasacramentale.

Ex his inferes contra quosdam scotistas confessarium de licentia expressa pœnitentis posse revelare, non solum illius peccata, sed etiam peccata complicis ad aliquem bonum finem, puta ad ejus correctionem; 1° quia sigillum est præsertim et primario in favorem confitentis; si ergo is cedat juri suo, non est cur peccatum complicis gaudeat jure sigilli : 2° quia pœnitens per licentiam datam facit peccatum suum extrasacramentale, ideoque non amplius obnoxium sigillo, nec consequenter peccatum complicis.

Attamen, quia, ut dicit Auctor[2], imminet sacerdotibus probare licentiam datam, si de fractione sigilli accusentur, et quia gravissima incommoda possunt sequi ex revelatione peccatorum, tum pœnitentis, tum complicis, per confessarium; is non debet facile acceptare istud onus, sed tantum si urgeat necessitas aut magna utilitas, et ipse pœnitens aut alter id præstare non potest : quo casu hanc licentiam, quantum fieri potest, non acceptet in confessione, sed extra et in scriptis.

Petes 1° utrum confessarius possit loqui cum ipso pœnitente de auditis in confessione, absque ejus licentia ?

Resp. 1° posse in eodem tribunali, hoc est, in confessione sequenti, si id expediat ad rectitudinem præsentis confessionis et judicii; quia licet sola peccata præsentia sint materia directa præsentis confessionis, præterita tamen, quatenus rectitudini præsentis confessionis et judicii expediunt, ad illud indirecte pertinent; et hæc est praxis timoratorum confessariorum, qui, v. g., pœnitentes ob relapsus arguunt; atque incassum adhortaremur pœnitentes eodem semper confessario uti, si is deberet se gerere, ac si nesciret præcedentes confessiones.

Dixi tamen : Si expediat ad præsentis confessionis et judicii rectitudinem; quia alias, cum præcedens judicium sit absolutum, nec præterita peccata pertineant, ut suppono, ad præsentem confessionem, non video quo jure confessarius possit refricare memoriam illorum, maxime cum id natum sit causare ruborem pœnitenti, et inde horrorem sacramenti.

Resp. 2° : Confessarius non potest extra confessionem loqui cum pœnitente de auditis in confessione sine ejus licentia; quia quamvis id non sit proprie frangere sigillum; fractio enim sigilli est violatio secreti, non violat autem secretum, qui loquitur cum illo qui secretum commisit, sed qui cum aliis; est tamen natum causare verecundiam pœnitenti et odiosum reddere sacramentum, et ideo arbitror contra quosdam, id etiam non licere quamvis ageretur de defectu confessionis præcedentis reparando. Sed in hoc casu debet confessarius revocare pœnitentem ad tribunal, aut petere licentiam loquendi de confessione.

Observandum tamen 1° quod si pœnitens ipse extra confessionem primus loquatur cum confessario de peccatis confessis, possit etiam confessarius de illis loqui cum illo, quia tunc licentiam concedit in actu exercito.

Observandum 2° quod immediate post absolutionem confessarius possit sine ulteriori licentia loqui cum pœnitente de auditis in confessione, quia moraliter adhuc durat idem judicium; secus si pœnitens recesserit, aut de aliis sermo intervenerit.

Petes 2° utrum de auditis formaliter in confessione liceat confessario loqui cum licentia pœnitentis, dicendo, v. g.: Hoc iste mihi dixit in confessione, is erat indispositus, hunc non absolvi, etc.

Scotistæ respondent negative, nec improbabiliter, quia, inquiunt, sigillum est primario institutum in reverentiam sacramenti, et secundario tantum in favorem pœnitentis : unde licet iste possit cedere juri suo faciendo peccatum suum extrasacramentale, non tamen juri sacramentali.

Doctissimus Sylvius, hic a. 4, ad 3, negat hanc rationem et dicit sigillum esse primario præceptum in favorem pœnitentis, ne scilicet confessio sit illi odiosa et formidabilis, et consequenter tantum ac secundario in honorem sacramenti, ne, si non servaretur sigillum, sacramentum maneat desertum et destruatur : unde cum, posita licentia pœnitentis, confessio non fiat ipsi odiosa, cessat etiam periculum irreverentiæ et destructionis sacramenti, adeoque nullum videtur esse jus in sacramento, ut

[2] Ibidem ad 2. [3] Ibidem ad 3.

audita in confessione formaliter ut talia non revelentur; et hoc probabilius nobis videtur.

Nec refert quod obligatio sigilli sit ex virtute religionis; quamvis enim obligatio juramenti promissorii tota sit in favorem illius cui fit, ratio tamen obligationis est ipsa virtus religionis.

ARTICULUS V.

UTRUM LICEAT UTI NOTITIA EX SOLA CONFESSIONE SACRAMENTALI HAUSTA ?

Dixi : Ex sola confessione sacramentali hausta;[1] quia si confessarius notitiam peccati confessi aliunde habeat, potest illa notitia uti, non quidem dicendo : hoc audivi in confessione; quia sic novit tantum ut Deus, et ideo sigillum frangeret, sed: Illud vidi, ab aliis præsentibus audivi, etc.; sic enim nullam facit injuriam pœnitenti aut sacramento, cum non teneatur celare peccata, nisi quatenus audita in confessione, et hic loquatur perinde ac si non audivisset confessionem. Insuper præcluderetur via justitiæ, et homines fierent audaciores ad peccandum, si scirent se non posse puniri aut accusari ab iis, quibus confiterentur. Debet tamen confessarius se gerere narrando, ac si non audivisset confessionem, nihil addens ad ea quæ aliunde novit nec firmius asserens, quam extra confessionem novit; alias violaret sigillum. Neque etiam hac notitia uti debet extra necessitatem propter scandalum. Hoc præmisso,

Dico 1° : Nunquam est licitum uti notitia confessionis, si subsit periculum revelationis directæ vel indirectæ, aut si sequatur gravamen pœnitenti vel alteri; quia inde confessio redderetur odiosa et formidabilis.

Et ita resolvit S. Congregatio universalis Inquisitionis 18 novembris 1682, statuens usum scientiæ confessionalis cum gravamine pœnitentis, etiamsi non esset periculum revelationis, omnino esse prohibendum, quamvis ex non usu talis scientiæ majus gravamen obveniret alteri, aut etiam pœnitenti. Textum hujus decreti habes apud Tournely, Henno, etc. Et hac de causa Clemens VIII, decreto dato 26 maii 1594, mandavit ut « tam superiores pro tempore existentes quam confessarii, qui postea ad superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur..... atque ita per quoscumque regularium superiores, quicumque illi sint, observari mandamus. » Agitur in eo decreto, ut patet, de solis regularium superioribus.

Dico 2° : Si non sit periculum revelationis, neque sequi possit ullum gravamen pœnitenti vel alteri, licitum est uti scientia ex sola confessione sacramentali hausta. Quia talis usus non repugnat sigillo, et sacramento ac pœnitenti obesse non potest, prodesse autem potest : unde confessarii quotidie ea notitia utuntur, puta, ut orent pro pœnitentibus, ut casus auditos dubios et intricatos examinent et instruantur, ut ipsi se muniant adversus lapsus similes, etc.

Ex prima conclusione inferes superiorem aut confessarium, ex sola notitia confessionis, non posse exercere actus pœnitenti vel alteri ingratos, sive spectent justitiam, sive charitatem, sive misericordiam, sive urbanitatem, ut vultum austeriorem ostendere, durius alloqui, fugere ejus colloquium, mittere ad alium locum, recusare licentiam exeundi, beneficium, ordines, expellere domo, puta furem domesticum, amovere ab officio, denegare suffragium in aliqua electione et similia

Neque refert quod pœnitens forte non advertat id fieri ex notitia confessionis, et non frangatur sigillum; sufficit quod patiatur gravamen, si namque scirent fideles hæc licite fieri posse ex sua confessione, ab ea omnino deterrerentur. Et quamvis olim plures et insignes theologi aliter censuerint, præsertim quoad actiones quæ non lædunt jus strictum pœnitentis, sic tamen nunc videtur dicendum post laudata decreta. Unde quod dixit Auctor, hic a. 1, ad 3 et 4, superiorem posse amovere ab officio, seu denegare suffragium ei quem ex confessione novit indignum propter alios defectus, puta, scientiæ, ætatis, vel alicujus hujusmodi, intelligendum est si indignitas, seu defectus extra confessionem innotescant, et quod propter eos sic egisset superior, etiamsi confessionem non audivisset.

Augetur difficultas si agatur de actibus qui non exercentur directe circa pœnitentem, sed circa extrinseca ejus peccati impedimenta, ut diligentius res suas servare, seras mutare, claves apud se servare, obstruere fores, vel fenestram et similia. Multi hæc licere dicunt; quia hujusmodi actus non debent censeri ingrati pœnitenti, ad quos ipse, si vere sit pœnitens, cooperari tenetur, et ideo inde nulli confessio redditur rationabiliter odiosa: quoad decretum Clementis VIII, dicunt eo tantum prohiberi actus versantes directe contra perso-

[1] Ibid. a. 5, o.

nas confessas de quibus ante. Hæc quidem probabiliter dicuntur; at non minus probabile est oppositum, tum quia per hæc tacite exprobrantur peccata pœnitenti si advertat, et inde erubescit; si non advertat, obstare videtur decretum Clementis VIII, quod non distinguit inter actus et actus, sed generaliter prohibet ne hujusmodi notitia superiores utantur ad exteriorem gubernationem; et ita certo tenendum in praxi arbitror, præsertim a superioribus regularium, de quibus explicite loquitur decretum. Quidam illud etiam extendunt ad alios superiores, propter, inquiunt, identitatem rationis; quia pontifex dicit: «Quemadmodum enim humanum rerum regimen ab hoc sacramento distat, ita etiam nullatenus ab eo debet dependere.» Quæ ratio currit de omnibus superioribus. Id tamen non ita constat.

Inferes 2° e contra ex secunda conclusione confessarium posse ex sola notitia confessionis exercere actus gratos pœnitenti, ut benigniorem vultum ostendere, familiarius cum ipso agere, gratias speciales concedere, ab austeriori regimine, aut a verbis, seu factis offensionis abstinere, etc., etiamsi pœnitens advertat hæc fieri ex notitia confessionis; quia, ut dictum est, nulla est ibi fractio sigilli, et hæc ipsi grata sunt, consequenter non redditur confessio odiosa, quin e contra.

Item si confessarius ex confessione unius complicis noverit vinum paratum ad missam esse venenatum, structas sibi insidias in via, potest abstinere a celebratione, vel alia via pergere, etiamsi alii complices suspicentur, aut advertant hæc agi ex notitia confessionis. Quia 1° cum actiones illæ sint ex se indifferentes, et fieri possint ex diversis motivis, non est ratio, cur adstantes credant fieri ex notitia confessionis; alioquin si justa causa mutandi consilium superveniret confessario, ut si recordaretur se non esse jejunum, abstinere non posset a Missa. Quod autem alii complices ita suspicentur, aut credant, non oritur ex actione confessarii, sed ex eo quod aliunde sciant peccatum, et hoc esse confessum. Suppono, ut vides, quod si tales essent circumstantiæ ex quibus adstantes suspicarentur hæc fieri ex notitia confessionis, confessarius non posset retrocedere, propter violationem sigilli, nisi aliquo prætextu, aut æquivocatione suspicionem amoliretur: at extra hanc suppositionem, altera ratio consectarii est; quia nulla in casu proposito sequitur revelatio sigilli, nullum gravamen pœnitenti aut alteri, sed sequitur tantum quod complices advertant confessarium uti scientia confessionis in sui indemnitatem, quod ipsi licet, et quod crimen, quod aliunde sciunt, sit confessum, in quo nullum est inconveniens: sicut si videas me absolventem personam cum qua hac nocte peccasti, non est inconveniens, quod inde colligas eam hoc peccatum esse confessam.

At quid si inde gravamen sequeretur pœnitenti, puta, quia alii complices ipsum occident propter revelatum crimen, et id significat confessario? Multi volunt, in hoc casu, confessarium debere potius mortem oppetere quam retrogradi cum tanto pœnitentis detrimento, ex quo redderetur odiosa confessio. Alii tamen negant; quia nulla est ibi revelatio sigilli, et jure naturæ potest anteponere vitam suam alienæ; sicut, inquiunt, si herus hæreticus minaretur mortem confessario, nisi declararet quem ex suis domesticis audivit in confessione, posset confessarius declarare, etiamsi inde mors immineat isti domestico. Neque putant confessionem reddi inde simpliciter odiosam, sed solum in talibus circumstantiis, quæ rarissime et vix unquam occurrunt. Primum est laudabilius et tutius.

Petes an confessarius vocatus ad pœnitentem, cujus conscientiam ex prioribus confessionibus novit valde intricatam, possit sub alio prætextu recusare, aut se abscondere ne accedat?

Resp. 1°: Potest, si neque pœnitens, neque alii advertant id oriri ex prioribus confessionibus; quia nulla est tunc revelatio sigilli, neque ullum gravamen pœnitenti, cum, ut suppono, non desint alii confessarii; neque ex eo quod aliquoties audiverim confessionem alicujus, contraho obligationem ulterius audiendi.

2° Si advertant alii id oriri ex prioribus confessionibus, vel inde suspicentur de pœnitente aliquid mali, non potest, quia esset revelare indirecte confessionem cum gravamine pœnitentis.

3° Si solus pœnitens id advertat, quidam dicunt non licere; quia hoc esset peccata præterita illi implicite objicere. Alii volunt licere; quia ex una parte non est ibi revelatio sigilli, et ex altera non gravatur pœnitens; quia est ipsi minus grave, quod sic se subtrahat confessarius, quam si ipsi dicat in tribunali, sicut licite potest: Tua conscientia est nimis intricata, quære alium confessarium, nolo amplius te audire. Neque ex tali recusatione, aut subtractione, fideles a confessione deterrentur, sed magis ad eam excitantur, ut experientia constat. Et id mihi videtur probabilius.

DISSERTATIO IX.

De satisfactione.

D. Th. suppl. qq. 12, 13, 14 et 15.

ARTICULUS I.

QUID ET QUOTUPLEX SIT SATISFACTIO?

Satisfactio, secundum vim generalem nominis, est omnis illa actio qua quis facit quantum debet, sive solvendo debitum, sive respondendo expectationi de se conceptæ, sive reddendo sufficientem rationem eorum de quibus rogatur. Interdum etiam qui se defendit et excusat quantum potest, dicitur satisfacere, quo sensu S. Ambros., lib. 10 *in Lucam*, dicit : « Lacrymas Petri lego, satisfactionem (id est, excusationem seu defensionem) non lego. » Strictius autem sumpta satisfactio significat compensationem, quæ si fiat ad ponendam æqualitatem in rebus ex damno illato debitis, proprie vocatur restitutio ; si ad compensandam offensam seu injuriam illatam, dicitur satisfactio ; et sic sumitur hic pro compensatione injuriæ Deo per peccatum illatæ ; et adhuc specialius pro compensatione pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo per peccatum illatam. Duo sunt enim in peccato, culpa et pœna æterna; pro culpa et pœna æterna homo non potest satisfacere de condigno, uti nec justificationem, peccatorumque remissionem mereri; culpa autem et pœna æterna sublatis, sæpe remanet reatus pœnæ temporalis, de cujus satisfactione hic potissimum agitur.

Observandum est aliam esse rationem meriti, aliam satisfactionis· Meritum respicit præmium obtinendum a præmiante, adeoque bonum merentis, aut alterius cui meretur. Satisfactio respicit jus alienum læsum resarciendum adeoque bonum offensi, non satisfacientis. Vide de Incarnat., diss. 16, art. 5, in Prænotaminibus.

Dico 1° : Satisfactio [1] pro peccato secundum se, recte definitur : Compensatio injuriæ Deo illatæ, secundum justitiæ æqualitatem.

Dicitur : Compensatio, intellige voluntariam; si enim renitenti et invito ab alio infligatur, non erit satisfactio prout est actus virtutis, sed satispassio; nec obstat quod satisfactio sacramentalis injungatur a sacerdote, quia pœnitens ei voluntarie se subjicit et eam voluntarie sibi infligit.

Dicitur : Secundum justitiæ æqualitatem, non strictam, quia talis non potest esse inter Deum et hominem, sed secundum quamdam proportionem, ut infra explicabitur.

Satisfactio autem pro pœna temporali restante post remissionem culpæ et pœnæ æternæ definitur : Solutio pœnæ temporalis peccato debitæ per opera bona et pœnalia a confessario taxata, si nempe sit sacramentalis, vel sponte suscepta, si sit extrasacramentalis; et ita differt hæc satisfactio a virtute pœnitentiæ ut pars a toto, quia Pœnitentia adæquate sumpta est ad remissionem culpæ et totius pœnæ.

Dico 2° : Satisfactio est actus virtutis justitiæ [2]. Quod sit actus virtutis, patet; quia de ratione virtutis est quod servet medium seu mediocritatem: hoc autem importat satisfactio ; τo *satis* enim dicit medium seu æqualitatem. Quod sit actus justitiæ, etiam constat ex supra dictis, quia est actus pœnitentiæ; Pœnitentia autem est pars potentialis justitiæ, ut dictum est.

Dico 3° : Satisfactio alia æquivalens seu sufficiens, alia insufficiens ; sufficiens duplex,

[1] Suppl. q. 12, a. 3, o. [2] Ibid. a. 1 et 2.

una ex parte materiæ, altera ex parte formæ. Sufficiens ex parte materiæ seu pretii, quæ dicitur communiter de condigno, est quando valor rei oblatæ adæquat ex se in recompensatione debitum ; ut si quis debeat centum, et rependat centum seu rem valentem centum. Si vero res oblata non habeat ex se valorem adæquantem debitum, dicitur satisfactio imperfecta seu imperfecte sufficiens ex parte materiæ seu pretii : unde ut sit sufficiens, debet suppleri quod deest ex acceptione et gratia creditoris, quatenus illo modico est contentus, reliquum remittens.

Sufficiens et perfecta ex parte formæ seu modi justitiæ est quæ non solum offert valorem debiti, sed quæ etiam servat conditiones strictæ justitiæ; communiter assignantur quinque. Prima est ut illa bona seu materia ex qua fit compensatio, nedum adæquent valorem debiti, sed sint etiam propria ipsius debitoris. Secunda, quod ita sint propria ut nullo modo sint sub dominio creditoris. Tertia, quod non sint alio titulo debita. Quarta, quod intercedat vera ratio ad alterum. Quinta, quod teneatur creditor talem satisfactionem acceptare, ita quod aliam non possit exigere. Si ergo serventur quinque assignatæ conditiones, dicitur sufficiens et perfecta ex parte formæ, vel communiter, de toto rigore justitiæ. Insufficiens autem et imperfecta ex parte formæ, si aliqua conditio deficiat.

2° Alia est satisfactio quæ a sacerdote injungitur, et dicitur sacramentalis; alia quæ a pœnitente sponte suscipitur, et dicitur extrasacramentalis.

3° Alia publica, alia privata.

Et ex his omnibus, sola ista satisfactio est pars sacramenti quam sacerdos tanquam Dei minister in hujus sacramenti dispensatione injungit; hæc enim sola est quæ a clavibus proficiscitur. Ita observat Catechismus Romanus p. 2, cap. 5, n. 54.

ARTICULUS II.

DE POSSIBILITATE ET NECESSITATE SATISFACTIONIS.

Dico 1° : Homo non potest Deo satisfacere pro culpa secundum æqualitatem quantitatis [1], potest secundum æqualitatem proportionis.

Prob. prima pars [2] : Sicut non possumus Deo reddere æquivalens secundum quantitatem pro debito beneficii accepti, ita nec pro debito peccati commissi. Confirm. : Injuria per peccatum irrogata Deo est infinita, eo quod offendat personam dignitatis infinitæ, honor autem quem satisfactio hominis exhibet Deo, est finitus et longe inferior, quia est personæ dignitatis finitæ : ergo. Hanc potissimam rationem latius deductam require in tract. de Incarnat., dissert. 3, a. 2, § 2.

Prob. secunda pars : [1] 1° Deus non præcipit impossibilia : atqui præcipit satisfactionem, ut dicam modo : ergo. 2° Dum reddimus Deo quod possumus pro beneficiis acceptis, fit illi satis, quia non exigit impossibile, estque ibi æqualitas, non secundum quantitatem, sed secundum proportionem, in quantum, sicut Deus nobis benefacit, secundum quod decet ejus bonitatem et potentiam, ita nos ipsi reddimus secundum possibilitatem nostram : ergo similiter dum illi reddimus pro offensa compensationem quam possumus et exigit, fit illi satis, et est pariter æqualitas proportionis, in quantum sicut per peccatum ex toto offenditur, et ex toto illi compensatio debetur, ita ipsi ex toto, seu ex tota possibilitate redditur.

Dices : Ille cujus totum quod habet non sufficit ad unum debitum exsolvendum, non potest pro alio debito satisfacere. Sed quidquid homo est et potest et habet, non sufficit ad exsolvendum debitum pro beneficio creationis: unde, Isaïæ 40, dicitur : *Ligna Libani non sufficiunt ad holocaustum* : ergo nullo modo potest satisfacere pro debito offensæ commissæ.

Resp. dist. maj. Ille cujus totum quod habet [2] non sufficit ad unum debitum exsolvendum, non potest pro alio debito satisfacere, si totum quod habet exigatur ad unum debitum, conc.; si totum non exigatur ad unum debitum, subd. Non potest satisfacere secundum æqualitatem quantitatis, conc.; secundum æqualitatem proportionis et sufficienter, neg. Et distincta min. ad sensum maj., pariter dist. conseq. Ergo homo non potest satisfacere Deo pro debito offensæ commissæ ad æqualitatem quantitatis, conc.; ad æqualitatem proportionis et sufficienter, neg. Igitur quamvis totum suum posse homo Deo debeat, non tamen ab eo exigitur de necessitate salutis, ut totum quod potest faciat; quia est ipsi impossibile secundum statum præsentis vitæ, ut totum posse suum in aliquid unum expendat, cum oporteat eum circa multa esse sollicitum. Sed est quædam mensura homini a Deo adhibita quæ ab eo requiritur, scilicet impletio manda-

[1] Suppl. q. 13, a. 1, o. [2] Ibid.

[3] Ibid. in a. s. c. [1] Ib. ad 3.

torum Dei, et super ea potest aliquid erogare ut satisfaciat pro aliis debitis.

Dico 2° : Culpa et pœna æterna remissis potest homo satisfacere de condigno pro pœna temporali peccato debita, non tamen secundum rigorem et apices justitiæ. Supponit hæc conclusio post remissionem culpæ et pœnæ æternæ, posse remanere reatum pœnæ temporalis, de quo modo.

Prob. prima pars : Satisfactio dicitur de condigno quæ est æqualis et perfecta ex parte materiæ seu pretii, hoc est, quæ tantum exhibet quantum debetur, ut si quis debeat centum solvat centum : atqui satisfactiones nostræ possunt esse æquales ex parte materiæ pœnæ temporali peccato debitæ : ergo. Prob. min. Pœna illa est finita : ergo potest adæquari per satisfactionem finitam.

Dices : Pœna temporalis debita peccatis est pœna purgatorii ; hæc autem pœna est alterius et superioris ordinis ad pœnas hujus vitæ : atqui qui solvit pretium ordinis inferioris, non solvit condigne : ergo.

Resp., et simul instauratur ratio facta, dist. maj. Pœna purgatorii est alterius et superioris rationis ad pœnas hujus vitæ in esse physico, conc. maj.; in esse moris, neg. maj. Nostræ enim pœnæ satisfactoriæ in hac vita valorem moralem sumunt ex gratia et meritis Christi, qui valor coæquari potest pœnis purgatorii solvendis et redimendis, dignusque cujus intuitu Deus ulteriores pœnas non infligat.

Prob. secunda pars : Ut satisfactio sit de rigore justitiæ, non tantum requiritur quod sit perfecta et æqualis ex parte materiæ, sed etiam ex parte formæ, hoc est, quod non fundetur in gratia creditoris, quod fiat ex bonis debitori propriis, quæ non sunt sub dominio creditoris, et quæ creditor alio titulo exigere non potest : atqui illæ conditiones reperiri nequeunt in nostris satisfactionibus, cum fundentur in gratia Dei creditoris, fiant ex bonis quorum ipse est Dominus, et quæ possit, si vellet, alio titulo quam satisfactionis, a nobis exigere : ergo.

Dico 3° : Necessaria est peccatoribus satisfactio, non solum ad aliorum exemplum, ædificationem et satisfactionem Ecclesiæ, atque præcavenda peccata futura, ut volunt lutherani et calvinistæ, sed etiam ad reparandam injuriam per peccata præcedentia Deo illatam, et ad redimendam pœnam temporalem quæ post remissionem culpæ et pœnæ æternæ remanet luenda in hoc sæculo, vel in purgatorio.

Prob. 1° ex S. Scripturis : Joel 2 : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, fletu et planctu;* Job ultimo : *Ago pœnitentiam in favilia et cinere*: Daniel 4 : *Peccata tua eleemosynis redime et iniquitates tuas misericordiis pauperum*; *forsan ignoscet delictis tuis;* Matth. 3 et Luc. 3, Joannes Judæis ad se pœnitentiæ causa accedentibus dicebat: *Quis vobis ostendit fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ;* 1 Cor. 11 : *Dum judicamur, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Ex his itaque constat satisfactionem esse præceptam et necessariam, non solum ad aliorum exemplum et Ecclesiæ ædificationem, sed ad redimenda peccata, ad placandam Dei iram et ad vitandam damnationem. Insuper, et potissimum, secundum S. Scripturam, SS. Patres et Trid., post dimissam culpam et pœnam æternam, remanet ordinarie pœna temporalis in hoc vel altero sæculo luenda, ut ex professo probavimus dissert. 3 hujus tractatus art. 1, § 3. Require : ergo necesse est illi satisfieri.

Prob. 2° ex definitionibus Ecclesiæ. Trid., sess. 6, cap. 14, dicit : « Docendum est christiani hominis pœnitentiam post lapsum, multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non modo cessationem a peccatis et eorum detestationem aut cor contritum et humiliatum; verum etiam eorumdem sacramentalem confessionem saltem in voto et suo tempore faciendam, et sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes et alia spiritualis vitæ exercitia : non quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramento vel sacramenti voto, una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ, ut sacræ Litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt ingrati, Spiritum Sanctum contristaverunt et templum Dei violare non sunt veriti. » Et sess. 14, can. 12, 13, 14 et 15, sub anathemate definit post dimissam culpam et pœnam æternam, sæpe remanere temporalem, eique satisfieri pœnis a Deo inflictis, vel a sacerdote injunctis, vel sponte susceptis, neque iis satisfactionibus obscurari satisfactionem Christi : item datas esse Ecclesiæ claves non solum ad solvendum, sed etiam ad ligandum per injunctionem satisfactionum, quod constat ex ipsa institutione sacramenti. Lege etiam de Pœnit. dist. 1, cap. *Porro illi* 7, et cap. *Nullus* 13. Item S. Pius V et Greg. XIII damnaverunt hanc propositionem inter baianas 76 : « Satisfactiones laboriosæ iustificatorum, non valent

expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.»

Probat. 3° ex Patribus: Tertullianus, lib. *de Pœnit.*, cap. 6: «Pœnitentiæ compensatione, inquit, redimendam proponit Deus impunitatem»; cap. 9: «In quantum non peperceris tibi, in tantum Deus, crede, parcet»; S. Cyprianus, tract. *de Lapsis*: «Dominus nostra satisfactione placandus est»; S. Ambrosius *ad Virginem lapsam*, cap. 8: «Grande scelus, grandem habet necessariam satisfactionem»; et lib. 7 in Luc., n. 156: « Sicut qui pecunias solvunt, debitum reddunt, nec prius evacuatur fœnoris nomen, quam totius sortis ad nummum usque quocumque solutionis genere, quantitas universa solvatur; sic compensatione charitatis actuumque reliquorum, vel satisfactione quacumque, peccati pœna dissolvitur»; S. Aug., serm. 351, alias 50, inter 50: «Non sufficit mores in melius commutare et a factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleemosynis.» Plures non refero, quia omnes fere nobis concedit Calvinus: «Parum me movent, inquit, lib. 3 *Institut.*, cap. 4, § 38, quæ in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos dicam simpliciter omnes fere quorum libri extant, aut in hac parte lapsos esse, aut nimis aspere et dure locutos.» Sic modeste religionis reformatæ austerus parens.

Solvuntur objectiones contra ultimam conclusionem.

Plures et præcipuas objectiones huc spectantes proposuimus et solvimus dissert. citata 3, a. 1, § 3. Vide et habeto pro hic propositis et solutis.

Obj. insuper: Quæ protulimus ex S. Scripturis et Patribus, nimium probant: ergo nihil. Prob. ant. Probant, si quid probent, imponenda esse opera satisfactoria pro culpæ et pœnæ æternæ remissione: atqui juxta Trident. citatum, sess. 6, cap. 14, non imponitur satisfactio pro culpæ et pœnæ æternæ remissione: ergo.

Resp. neg. ant. Ad probat. dist. min. Non imponitur satisfactio pro remissione culpæ et pœnæ æternæ, tanquam illius meritoria et satisfactoria de condigno, conc.; tanquam præparatoria, et impetratoria, neg. Opera ergo quæ præcedunt reconciliationem et quæ commendantur a SS. Patribus, cum sint facta extra gratiam, non merentur de condigno ipsius culpæ et pœnæ æternæ remissionem, ut probavimus dum de Gratia; si tamen fiant ex gratia actuali convertente cor a peccato ad Deum, se habent per modum præparationis et impetrationis ad ipsam remissionem culpæ et pœnæ æternæ, ut docet Trident., sess. 6, cap. 6, et sess. 14, cap. 1, 2, 3 et 4. Operibus autem quæ ipsam reconciliationem sequuntur, nihil deest ut satisfaciant de condigno pro pœna temporali, ut probatum est.

Inst.: Per Baptismum remittuntur peccata sicut per Pœnitentiam: atqui in Baptismo nulla satisfactio præscribitur; ergo. Item sacerdotes absolvunt a culpa et pœna æterna: quidni a temporali?

Resp. ad primum: Disparitas est quod Baptismus conferatur per modum regenerationis in novam vitam, in qua nihil de veteri debet remanere: sicque remittitur et culpa et omnis pœna; at sacramentum Pœnitentiæ est institutum per modum judicii, cujus est punire delicta. Insuper æquum est, ut qui ante Baptismum ignorantes peccaverunt, cum majori indulgentia recipiantur, « quam qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum Sanctum contristaverunt et templum Dei, violaverunt», ut loquitur Trid. citatum.

Ad secundum, sacerdotes remittunt peccata ut instrumenta et ministri Dei consequenter secundum ejus voluntatem et institutionem: placuit autem Deo instituere sacramentum ad solvendum et ligandum, nec semper remittere totam pœnam, sed partem servare luendam operibus satisfactoriis.

CONSECTARIA.

De satisfactione necessario injungenda a sacerdote.

Ex dictis colliges[1] 1° confessarium posse et teneri injungere satisfactionem pœnitenti: posse quidem; tum quia ex institutione sacramenti, Matth. 15 et 18, habet potestatem non solum solvendi, sed etiam ligandi ad pœnam; tum quia operatio sacerdotis in usu clavium est conformis operationi Dei cujus est minister; Deus autem potest ligare ad pœnam: ergo.

Teneri vero etiam constat; quia sacerdos in hoc tribunali est Dei minister, et pœnitentis judex et medicus. Ut dei minister, tenetur quantum est ex se, efficere ut sacramentum sit

[1] Suppl. q 18. a. 3. o.

integrum per satisfactionem quæ est ejus pars integralis, ut alibi diximus ; ut judex debet servare æquitatem inter Deum et peccatorem, ejus peccatum vindicando ; ut medicus debet pœnitentis vulnera curare et futura præcavere. Utramque consectarii partem definivit Trid., sess. 14, cap. 8, et can. 15

Colliges 2° quod cum satisfactio non sit pars essentialis, sed integralis tantum sacramenti, non sit necessaria necessitate sacramenti, scilicet ut subsistat, sed necessitate præcepti tantum, seu, si vis, necessitate sacramenti, ut sit integrum ; ita ut si satisfactio esset impossibilis, ut in agonizante, aut ex revelatione sciretur nullam amplius deberi peccatis satisfactionem, et pœnitentem esse sufficienter præmunitum contra relapsus, posset licite administrari sacramentum absque satisfactionis injunctione ; non enim dicitur mutilum sacramentum, nisi cum privatur integritate debita et possibili.

Colliges 3° extra hunc duplicem casum, obligationem injungendi satisfactionem esse gravem ; quia gravis est irreverentia sacramenti quod maneat mutilum dum integrari potest et debet, graveque nocumentum infertur pœnitenti, qui inde manet obnoxius pœnis longe gravioribus luendis, et privatur remedio contra futura peccata : unde peccaret mortaliter confessarius, qui non solum pro peccatis mortalibus, sed etiam pro venialibus aut mortalibus jam confessis nullam injungeret satisfactionem, nisi ex inadvertentia excusaretur. Neque refert quod satisfactio pro solis venialibus, aut mortalibus jam confessis videatur quid leve ; esto sit ita secundum se, est tamen respectu sacramenti quod manet mutilum, quid grave in ratione irreverentiæ : unde confessarius pro novo peccato oblito addito post absolutionem, si novam conferat absolutionem, debet novam injungere satisfactionem.

Quod vero quidam dicunt posse etiam omitti satisfactionis injunctionem, si prudenter judicetur pœnitentem per prævia opera plene satisfecisse, aut satisfacturum per indulgentias mox lucrandas, non admittimus saltem in praxi ; quia videtur quod neutrum possit prudenter judicari ; quis enim sine revelatione scire potest quanta pœna debeatur peccatis, aut an sit plene lucraturus indulgentiam ? In his ergo casibus semper injungenda est satisfactio, levior tamen.

ARTICULUS III.

QUANDO SIT IMPLENDA ET IMPONENDA SATISFACTIO ?

Dico 1° : Non est necesse adimplere satisfactionem ante absolutionem, et confessarius per se loquendo nec potest, nec debet ad id cogere pœnitentem confessum aliunde rite dispositum.

Prob. prima pars. 1° Quia satisfactio non est pars essentialis sacramenti, sed integralis tantum, sine qua ideo subsistere potest, et quæ illi jam constituto advenire potest. Adde quod contritio et confessio, quæ præmittuntur absolutioni, habeant aliquam rationem satisfactionis.

Prob. 2° ex veteri Ecclesiæ disciplina. Dato nunc gratis, quod alibi expendemus, in prioribus sæculis, satisfactionem ordinarie præmissam fuisse absolutioni ; certum est saltem in pluribus casibus contrariam disciplinam observatam fuisse, et absolutionem satisfactioni præivisse, 1° instante periculo mortis, ex can. 13 concilii I Nicæni ; 2° instante persecutione, ex S. Cypriano epist. 54 ; 3° cum periculum erat ne per dilationem absolutionis pœnitentes ad hæreticos deficerent, ex S. Cypriano epist. 52, vel spes ex indulgentia plures reversuros ad Ecclesiam, ex Cornelio papa, epist. inter Cyprianicas 46 ; 4° cum pœnitentes vehementem de peccatis dolorem ostendebant, ex S. Greg. Niss. *Epist. Canon.*, can. 5 ; denique cum pœnitentes muniti erant libellis martyrum, ex S. Cypriano, epist. 16. Hæc, inquam, conclusionem probant, etiam in hypothesi quam plures sustinent, olim de lege ordinaria præmissam fuisse satisfactionem absolutioni sacramentali, quam tamen hypothesim impugnabimus in Digressione historica inferius subjicienda.

Prob. 3° ex præsenti Ecclesiæ disciplina, quæ si non semper viguit, saltem a pluribus sæculis ubique viget, conferendi absolutionem ante adimpletam satisfactionem, ut omnibus pervium est. Hanc autem Ecclesiæ praxim tanquam abusum inculpare damnandæ temeritatis est, contra quam non semel insurrexerunt summi pontifices, ut patet ex sequentibus propositionibus damnatis : prima : « Pœnitentes non sunt absolvendi, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta» : est Petri de Osma damnata a Sixto IV, anno 1478 ; secunda : « Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia aut

institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex et præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante » ; est decima sexta inter damnatas ab Alexandro VIII, 20 decembris 1690 ; tertia : « Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus » ; est decima septima ab eodem damnata ; quarta : « Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu » : est decima octava ab eodem proscripta ; quinta : « Modus plenus sapientia, lumine et charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, et sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ et contritionis, et incipiendi ad minus, satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur » : est 87 inter quesnellianas ; sexta : « Ignoramus quid sit peccatum et vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detractamus separationis istius ferre confusionem » : est 88 inter easdem.

Ex his sequitur secunda pars conclusionis, scilicet confessarium, per se loquendo, nec posse, nec debere cogere pœnitentem confessum, et rite dispositum ad præmittendam satisfactionem absolutioni ; 1° quia non licet privato a communi Ecclesiæ praxi in re tam gravi recedere ; 2° quia pœnitens confessus, et aliunde rite dispositus, habet jus ad absolutionem statim recipiendam, nec absque gravi injustitia illi denegari, aut differri potest, cum ipsius maxime intersit non diutius manere in statu peccati, et statim in Dei amicitiam redintegrari ; 3° quia satisfactio post absolutionem in statu gratiæ peracta, est meritoria, Deo gratior, et longe efficacior ad satisfaciendum pro peccatis præteritis, et ad præcavenda futura, quam ante absolutionem in statu peccati.

Dixi : Per se loquendo et aliunde rite dispositum ; quia si confessarius advertat pœnitentem esse negligentem in adimplendis satisfactionibus, aut dubitet de ejus legitima dispositione, ut contingere potest in consuetudinariis, et frequenter recidivis, potest, nulla urgente necessitate, ipsum ad præmittendam satisfactionem saltem ex parte adstringere.

Dices : Juxta SS. Patres absolutio peccatorum est fructus operum pœnitentiæ ; dicunt enim iis iram Dei placari, misericordiam conciliari, peccata condonari et similia : ergo sunt absolutioni præmittenda.

Resp. neg. conseq. ad sensum argumenti. Si enim SS. Patres loquantur de remissione peccatorum quoad culpam et pœnam æternam, nihil aliud intendunt, quam inculcare necessitatem pœnitentiæ, sive ut est virtus, sive ut est sacramentum ; hanc enim remissionem non concedit Deus, nisi vel perfecte contritis corde, vel confessis ore per absolutionem sacramentalem ; et hæc vera sunt et præcipua pœnitentiæ opera. Quod si videantur loqui etiam de aliis operibus satisfactoriis, ea requirunt, non ut absolute necessaria huic remissioni, sed ut congrua ad ejus præparationem et impetrationem, ut dixi art. præcedenti. Si tandem loquantur de remissione peccatorum quoad pœnam temporalem, huic fatemur præmittendam esse satisfactionem.

Dico 2° ; Satisfactio potest imponi ante, vel statim post absolutionem ; quia utroque modo censetur moraliter cunjungi cæteris partibus sacramenti, et in eo fieri. Convenientius tamen imponitur ante absolutionem ; quia sic materia præsupponitur expressius formæ.

Dico 3° : Implenda est satisfactio injuncta quamprimum commode fieri potest ; si nullum tempus sit præfixum ; quia id postulat, tum sacramenti integritas, tum ratio medicinæ, tum justa sententia judicis. Si vero aliquod tempus sit præfixum, intra illud est adimplenda. Quod si tempore statuto non sit adimpleta, non ideo cessat obligatio, quia principale quod in ea spectatur, non est circumstantia temporis, sed opus præscriptum.

In utroque autem casu in unum vel alterum diem differre, non videtur quid grave, nisi forte in termino præfigendo circumstantiam temporis æque principaliter intendat confessarius, ut, v. g., jejunium in vigilia alicujus festi in ejus cultum et honorem.

ARTICULUS IV.

UTRUM PŒNITENS TENEATUR ACCEPTARE PŒNITENTIAM INJUNCTAM, ET ACCEPTATAM ADIMPLERE, EAVE POSSIT AB ALIQUO COMMUTARI ?

Dico 1° : Tenetur pœnitens sub gravi peccato acceptare pœnitentiam rationabilem, et acceptatam implere, sive sit in vindictam præteriti, sive in medicinam futuri.

Prob. 1° : In sacerdote est potestas ligandi, seu obligandi ad satisfactionem, ut patet ex dictis art. præced., et ex concilio Trident., sess. 14, cap. 8, ubi dicitur esse in confessariis

claves « ad ligandum, non solum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem » : atqui potestas obligandi in uno supponit obligationem parendi in subdito, alias frustranea esset ista potestas : ergo. 2° Pœnitens tenetur in quantum est ex se efficere non secus ac confessarius, ut sacramentum sit non mutilum, sed integrum : atqui satisfactio est de integritate sacramenti : ergo. 3° Unusquisque tenetur parere judici recte judicanti : ergo.

Dices : Liberum est pœnitenti hic vel in purgatorio satisfacere : ergo.

Resp. dist. ant. Ex suppositione quod non subjiciat peccata sua clavibus, transeat ant. ; ex suppositione quod peccata subjiciat clavibus, neg. propter rationes allatas.

Repones : Pœnas purgatorii redimere per pœnas hujus sæculi est privilegium pœnitenti concessum : ergo potest ipsi renuntiare.

Resp. dist. ant. Est privilegium purum in suppositione præcedentis solutionis, neg. ; est privilegium mixtum præcepto parendi justæ sententiæ et efficiendi integrum sacramentum, conc. et neg. conseq. Patet ex dictis.

Dixi 1° : *Sub gravi peccato.* Scio quosdam censere non esse plusquam veniale recusare aut omittere levem satisfactionem pro solis venialibus, aut mortalibus jam confessis injunctam; quia, inquiunt, est levitas materiæ; verum id multis et nobis non probatur, quamvis enim sit secundum se materia levis, non est tamen levis respectu sacramenti cui gravis injuria irrogatur, quod sine causa maneat mutilum, et carens sua principali parte integrante, ut jam diximus artic. præced. Aliud esset si adimpleta satisfactione pro majori parte, aliqua ejus levis pars omitteretur.

Dixi 2° : Rationabilem pœnitentiam; irrationabilem enim vel aperte injustam, vel impossibilem, ut jejunium in pane et aqua pro verbo otioso, aut peregrinationem infirmo decumbenti, nec acceptare, nec adimplere tenetur.

Sed quid si pœnitens oblitus fuerit pœnitentiæ injunctæ?

Resp. Debet eam inquirere a confessario, si non longius distet. Quod si ipse confessarius non recordetur, censetur facta ipsi imposibilis, adeoque ab ea excusatur ; sicut ab observantia aliarum legum excusatur qui eas ignorat. Neque tenetur sua peccata eidem confessario vel alteri repetere pro nova satisfactione obtinenda, etiamsi oblivio fuerit culpabilis, puta quia diutius distulit; quia nemo tenetur bis confiteri peccata directe remissa, sed sufficit si oblivionem culpabilem confiteatur. Non eximitur tamen ab aliqua alia satisfactione, sibi ipsi prudenter, attentis peccatis injungenda ; quia debet Deo satisfacere. Consulunt quidam ut in proxima confessione petat sibi injungi aliam pœnitentiam congruam peccatis, qualia confiteri solet.

Dico 2° : Ipse pœnitens non potest commutare pœnitentiam a confessario injunctam, nequidem in aliam difficiliorem.

Ratio est quia opus a confessario impositum virtute clavium elevatur ad hoc ut sit opus sacramentale et satisfactorium *ex opere operato*, quale non potest esse illud a Pœnitente subrogatum: unde maneret mutilum sacramentum. Adde quod inferior non possit commutare etiam in melius opus a lege seu superiore præceptum, ut patet in præceptis seu legibus de jejunio, confessione, etc.: ergo similiter. Et hinc patet disparitas de voto quod vovens potest in melius commutare ; quia votum non elevatur ad esse sacramentale, et idem est vovens et votum mutans.

Dico 3° : Nullus confessarius sive idem, sive alter potest satisfactionem mutare extra confessionem ; tum quia impositio satisfactionis pro peccatis confessis est actus jurisdictionis et potestatis clavium, qui non nisi in solo foro conscientiæ exercetur; tum quia satisfactio non foret sacramentalis, ideoque maneret mutilum sacramentum.

Dico 4° : Idem confessarius potest mutare satisfactionem, eodem sacramento moraliter durante ; quia tunc commutatio censetur pertinere ad idem judicium et intra illud fieri, ut si antequam discedat pœnitens, immemor sit pœnitentiæ, aut si discessus statim redeat. Quidam longiorem moram plurium horarum aut dierum assignant, sed sine fundamento.

Eodem vero sacramento non amplius moraliter durante non potest idem confessarius mutare pœnitentiam in alia confessione, nisi iteretur, et prior confessio, saltem in communi, et absolutio, propter rationes tertiæ conclusionis ; quia scilicet alias injunctio satisfactionis pro prioribus peccatis nunc non confessis non foret actus judicialis, nec ipsa satisfactio sacramentalis.

Dico 5° : Alter confessarius sive superior sive inferior potest ex justa causa mutare satisfactionem injunctam a priori confessario, si tamen habeat æqualem jurisdictionem in ea

peccata, et ipsi ex integro repetatur prior confessio.

Est praxis communis, quam firmat auctoritas S. Raymundi, S. Antonini, et omnium ferme theologorum, quorum ratio est, quod cum Christus instituerit hoc sacramentum pro bono animarum, et ad id quandoque requiratur, quod mutetur satisfactio injuncta, præsumitur Christum hanc potestatem sacerdotibus contulisse.

Confir. argumento ad hominem. Pauci, qui tenent sententiam contrariam, concedunt hanc potestatem superiori respectu pœnitentiæ injunctæ ab inferiori : atqui supposita sufficienti jurisdictione, inferior est æqualis potestatis in hoc tribunali cum superiore, æqualem enim potestatem uterque accepit in sua ordinatione: ergo.

Si dicas inde sequi, quod par in parem exerceat jurisdictionem quam non habet, resp. neg. sequelam ; non enim secundus confessarius exercet jurisdictionem in primum, sed in pœnitentem, cui ex institutione sacramenti liberum est eadem peccata secundo confessario subjicere, de iis ab eo judicari, et absolvi mediante satisfactione, qua posita cessat obligatio prioris satisfactionis, cum pro iisdem peccatis non teneatur ad duplicem satisfactionem ; sicque prior sententia non revocatur proprie et directe, quod esset exercere jurisdictionem in ipsam, sed indirecte et improprie, ex positione scilicet secundæ sententiæ.

Neque etiam sequitur, quod primum sacramentum maneat mutilum ; quia cum secundum sit correctio primi, utrumque censetur quodam modo unum, saltem in ratione sententiæ vindicativæ, ita ut pro utroque valeat una satisfactio. Vel dicendum sacramentum non censeri mutilum, nisi quando privatur satisfactione debita; in nostro autem casu, non deberetur primo sacramento; quia, ut supponitur, secunda sufficit pro vindicatione peccatorum.

Dixi 1° : Ex justa causa, quia non censetur hæc potestas a Christo collata in destructionem, sed in ædificationem ; justa causa autem censetur necessitas, utilitas notabilis, gravis difficultas in adimplenda priori pœnitentia, periculum transgressionis, excessus evidens prioris pœnitentiæ, etc., quibus in casibus nedum potest, sed etiam aliquando debet prudens confessarius priorem pœnitentiam, pœnitente licet non postulante, commutare.

Dixi 2° : Si tamen habeat æqualem jurisdictionem in ea peccata; multorum enim sententia est, quod si secundus confessarius non habet jurisdictionem in reservata, non possit mutare pœnitentiam pro reservatis a primo confessario impositam ; quia licet, facta legitima confessione peccatorum habenti jurisdictionem, desinant esse reservata, sic quod absolvi possint a communi confessario (et hoc est fundamentum oppositæ sententiæ), non tamen sic desinunt esse reservata, ut pœnitentia injuncta a superiore, seu priori confessario, possit immutari a communi confessario ; quia peccata reservantur, non solum ut difficultate absolutionis obtinendæ, ab illis homines deterreantur; sed etiam, ut a peritioribus medicis morbi periculosiores curentur, ut loquitur Tridentinum, qui finis frustraretur, si communis et imperitior confessarius corrigeret et mutaret pœnitentiam superioris et peritioris. Hæc saltem sententia videtur communior, et est tutior.

Dixi 3° : Et ipsi ex integro repetatur confessio ; quod est probabilius contra quosdam qui existimant sufficere, si pœnitens, declarata priori pœnitentia, afferat rationes propter quas est sibi nimis gravis. Ratio est 1° quia in tantum secundus confessarius potest mutare pœnitentiam, in quantum potest eamdem causam judicare: quod fieri non potest, nisi peccata exponantur ; 2° quia incognita causa non potest convenientem satisfactionem injungere, sive pro expiandis præteritis peccatis, sive pro cavendis futuris.

Petes utrum, facta commutatione pœnitentiæ, liberum sit pœnitenti redire ad primam ? Resp. communius affirmative; quia ista commutatio tota est in favorem pœnitentis, cui cedere potest, et ea videtur intentio confessarii.

ARTICULUS V.

UTRUM UNUS POSSIT PRO ALTERO SATISFACERE?

Satisfactio, ut jam sæpe dictum est, ad duo ordinatur [1], scilicet ad solutionem debiti, et ad medicinam pro vitando peccato. Item considerari potest, vel ut sacramentalis, vel ut extrasacramentalis.

Dico 1° [2] : Abstrahendo a satisfactione sacramentali et extrasacramentali eamque spectando ut solutionem debiti, unus potest pro altero satisfacere ; spectando autem ut medicinam non potest nisi per accidens.

Prima pars quam negant hæretici constat ex

[1] Suppl. q. 13, a. 2, o. [2] Ibid.

illo Galat. 6 : *Alter alterius onera portate,* et ex 2 Corinth. 8, ubi Apostolus hortatur Corinthios ad sublevandam suis eleemosynis corporalem sanctorum paupertatem, ut subleventur in sua spirituali paupertate per abundantiam et bona opera sanctorum; item ex articulo Symboli, quo profitemur communionem sanctorum. Insuper

Prob. ratione theologica : Omnes sumus unum in Christo et unius corporis, ipso Christo capite, membra : atqui in corpore humano unumquodque membrum non in suam tantum, sed etiam in aliorum utilitatem operatur; sic oculus non sibi tantum videt, sed et pedibus et toti corpori, pedes oculis ambulant, etc. : ergo similiter in corpore mystico Ecclesiæ, juxta illud Davidis : *Particeps ego sum omnium timentium te et custodientium mandata tua.*

Confirm. : Charitas magis potest apud Deum quam apud homines [1] : atqui unus potest apud homines, ex alterius amore, debitum ejus solvere : ergo multo magis id in divino judicio fieri potest.

Prob. secunda pars [2] : Sicut in corporalibus medicina accepta in uno corpore non sanat morbum alterius, nec illi prodest; ita in spiritualibus satisfactio unius, ut medicina, non prodest alteri: sic ex jejunio unius, v. g., caro alterius non domatur, nec ex actibus bonis unius alter contrahit habitum bene agendi; potest tamen, et est tertia pars conclusionis, unus mereri alteri de congruo gratiam quæ est efficacissimum remedium pro vitandis peccatis, sed hoc est magis per modum meriti quam per modum satisfactionis.

Dices 1° contra primam partem : Apostolus, Galat. 6, dicit : *Unusquisque onus suum portabit :* ergo.

Resp. quod cum Apostolus ibidem paulo ante dixerit : *Alter alterius onera portate,* nec sibi contradicat, manifestum est ipsum loqui de diversis oneribus : igitur in posteriori loco objecto loquitur de onere reddendæ rationis; quia unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo ; in priori autem loco loquitur de oneribus mutuæ charitatis, secundum quam alter alterum hic juvare debet. Ita S. Aug., *de Consensu Evang.*, cap. 30.

Dices 2° : Unus non potest alteri mereri gloriam beatitudinis : ergo nec pro altero satisfacere.

Resp., dato ant., neg. conseq. Disparitas [3] est quod præmium essentiale seu, gloria beatitudinis, ex divina ordinatione reddatur secundum meritum et dispositionem cujusque, quia secundum capacitatem videntium erit plenitudo visionum; et ideo sicut unus non disponitur formaliter per actum alterius, quia dispositio debet esse in disponibili : ita unus alteri non meretur præmium essentiale, nisi meritum ejus habeat efficaciam infinitam sicut Christi; sed pœna temporalis, peccato debita post culpæ remissionem, non taxatur nec redditur secundum præsentem dispositionem ejus cui debetur; quia quandoque ille qui nunc est melior habet majoris pœnæ reatum propter plura peccata remissa; et ideo quantum ad pœnæ remissionem, unus alteri potest mereri et actus unius effici alterius mediante charitate per quam omnes unum sumus in Christo.

Omisi ant., quia si intelligatur de merito de congruo et mediate, potest unus alteri gloriam mereri, in quantum justus potest de congruo mereri alteri gratiam, qua mediante iste alter meretur gloriam.

Dices 3° : Unus non potest pro alio conteri aut confiteri : ergo nec satisfacere.

Resp. neg. conseq. [1] Disparitas est quod cum contritio et confessio directe ordinentur contra culpam, pertineant ad dispositionem ipsius hominis: unus autem non disponitur per actum alterius, ut jam dictum est. At pœna temporalis, contra quam ordinatur satisfactio, non taxatur secundum præsentem dispositionem illius cui debetur, ut etiam dictum est in solutione præcedenti.

Dices 4° : Nemini redundant sua bona opera, juxta illud 1 Pet. 4 : *Justus vix salvabitur ;* et Matth. 25 : *Ne forte non sufficiat nobis et vobis* : ergo.

Resp. dist. ant. Nemini redundant sua bona opera, hoc sensu quod quisque pro meritis recipiat plenam mercedem, conc. ; hoc sensu quod unus non possit pro altero mereri vel satisfacere, neg. Nam potest merendo sibi, alteri mereri ; item potest offerre pro altero opus satisfactorium, quod, secundum modum quem Deus servat in pœnis, non requiratur ad propriorum peccatorum satisfactionem ; vel si requiratur, ex fervore tamen charitatis potest alteri applicare, in quo licet forte sibi non satisfaciat, sibi tamen meretur. Ad locum S. Petri sensus est : Justus vix, id est, ægre et per multos labores et multas tribulationes salvabitur. Ad locum S. Matth.: Ibi agitur de ultimo judicio, in quo peccatores frustra implorabunt opem justorum: Quod dicitur :

[1] Ibid. in a. s. c. [2] Ibid., o. [3] Ibidem, ad 1.

[1] Ib., ad 2.

Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, etc., additum est ad ornatum parabolæ; non enim tunc dubitabunt justi, sed certissime scient sua bona opera sibi sufficere.

Dico 2°: Satisfactio sacramentalis uni injuncta non potest qua sacramentalis per alium impleri : quia juxta Florentinum et Trid., sess. 14, cap. 3, materia hujus sacramenti sunt actus pœnitentis, qui virtute clavium ad esse sacramenti elevantur : atqui satisfactio per alium adimpleta, quamvis sit pœnitentis hoc sensu, quod ejus nomine, et ipso petente fiat, simpliciter tamen non est ejus actus : ergo non est materia elevabilis virtute clavium ad esse sacramenti, nec consequenter satisfactio qua sacramentalis.

Dixi : Qua sacramentalis; quia licet confessarius possit ex legitima causa injungere pœnitenti satisfactionem per alium ad ejus petitionem exequendam, v. g., peregrinationem, opus tamen satisfactorium, ut est ab alio, non est sacramentale, seu pars sacramenti, sed solum ut fit ex petitione pœnitentis, seu formaliter ut ab eo imperatum : sicque ipsa petitio est formale in hac satisfactione ; opus autem alterius, materiale.

Porro non debet esse facilis confessarius in transferenda satisfactione ad alium ; tum quia, cap. *Omnis utriusque sexus*, dicitur : « Et injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere » pœnitens ; tum quia satisfactio ordinarie non est solum in solutionem debiti, sed in remedium peccati futuri, sub qua ratione unus non potest pro alio satisfacere, ut diximus ; et ideo quando confessarius nihil explicat, sed simpliciter pœnitentiam injungit, semper censendus est obligare pœnitentem, ut per se illam adimpleat, maxime si sit actus omnino personalis et qua talis afflictivus. Pœnitens vero qui sine licentia confessarii curaret suam pœnitentiam per alium adimpleri, graviter peccaret nec satisfaceret. Unde merito Alexander VII, 24 septembris 1664, condemnavit hanc propositionem : « Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat. »

Dixi : Maxime si sit actus omnino personalis et qua talis afflictivus ; quia alias videtur posse pœnitens alteri committere : ut si debeat pro satisfactione dare eleemosynas, perinde est si per se vel per alium mandatarium id faciat, etiamsi mandatarius ex propriis daret; quia tunc idem est, ac si ipse mandatarius pœnitenti mandanti daret pecunias ad eleemosynam, ac proinde pœnitens censetur semper in hoc principalis minister.

Petes 1° utrum etiam pro defunctis in purgatorio aliquis possit satisfacere ?

Resp. affirmative ; quia hi etiam pertinent ad communionem sanctorum.

Petes 2° utrum satisfactio unius pro alio sit de condigno ?

Resp. cum Sylvio quod de congruo tantum acceptetur a Deo, sed, posita illa acceptatione, est de condigno ; quia, ut supponitur, satisfaciens offert æqualitatem ex parte pretii seu materiæ.

Petes 3° utrum aliquis, satisfaciendo pro altero, satisfaciat etiam pro se ?

Resp. quod si agatur de satisfactione extrasacramentali, [1] sibi mereatur, sed non sibi satisfaciat ; quia in satisfactione seu solutione debiti attenditur quantitas pœnæ, et in merito charitatis radix. Unde ille qui ex charitate pro alio meretur, scilicet merito congrui, etiam sibi magis meretur : non autem qui pro alio satisfacit, etiam pro se satisfacit, quia illa quantitas pœnæ non sufficit ad utrumque peccatum ; tamen satisfaciendo pro alio sibi meretur aliquid majus quam sit dimissio pœnæ, scilicet vitam æternam.

Si vero agatur de satisfactione sacramentali, [2] satisfaciens pro alio etiam satisfacit pro se, quia opus quod quis facit ex injunctione sacerdotis dupliciter valet pœnitenti, uno modo *ex opere operantis*, alio modo *ex opere operato*, seu ex vi clavium. Pœnitens itaque jussus a confessario tale opus facere pro vivis vel defunctis, illis applicat valorem sui operis ex opere operantis de quo disponere potest ; valor autem ejusdem operis ex opere operato sibi manet, utpote quem pro suo arbitrio alienare non potest.

Unde colliges opus satisfactorium posse a confessario imponi pro sublevamine sive vivorum, sive defunctorum. Idque confirmat praxis confessariorum et commendat catechismus Romanus p. 2, cap. 5, n. 63.

ARTICULUS VI.

QUANTA SIT SATISFACTIO PŒNITENTI INJUNGENDA A CONFESSARIO ?

§ 1.

Prænotanda.

Suppono 1° [3] pœnam purgatorii taxari radi-

[1] Ib. ad 3. [2] Quodl. 3, q. 13, a. 1. [3] Supp. q. 8, a. 7.

caliter a Deo, antequam aliquid de ea remittatur, secundum quantitatem culpæ; quia ista pœna ordinatur tantum ad debitum solvendum et non ad remedium præstandum, sicut ordinatur pœna hujus sæculi. Pœna autem quæ ordinatur tantum ad debitum solvendum debet taxari juxta quantitatem culpæ, alioquin non servaretur æqualitas justitiæ inter culpam et pœnam; non sic de pœnis hujus sæculi, quæ non solum ordinantur ad debitum solvendum, sed etiam ad remedium præstandum; non enim idem remedium, etiam æqualiter infirmis, est præstandum, ut dicemus modo. Dixi: Radicaliter et antequam aliquid de ea remittatur; quia secundum quod plus vel minus remittitur per sacramentum, vel per alias satisfactiones hujus vitæ, minus restat in altera solvendum.

Suppono 2° olim per canones qui dicuntur pœnitentiales, certis peccatis certas fuisse taxatas pœnitentias, præsertim quoad tempus; hos canones collegerunt auctores, partim ex conciliis, tum generalibus tum particularibus; partim ex rescriptis et decretis summorum pontificum, partim ex SS. Patribus. Multi referuntur in fine decreti Gratiani, longe plures a Natali Alexandro, *Theol. moral.*, lib. 2, cap. 6, art. 7, et ab aliis. Paucos hic referam quæ peccata frequentiora spectant.

Canones pœnitentiales.

Primus, qui fidem catholicam deseruerit, pœnitentiam aget decem annis.

Secundus, qui diabolicas incantationes fecerit, pœnitens erit annos septem.

Tertius, qui magos consuluerit, in pœnitentia erit annos quinque.

Quartus, si quis clericus vel monachus, postquam Deo voverit, ad sæculum redierit, pœnitentiam aget annos decem, quorum tres in pane et aqua.

Quintus, quicumque sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane et aqua et septem sequentes annos pœniteat, et nunquam sit sine pœnitentia.

Sextus, si quis per capillum Dei aut per caput ejus juraverit, si semel nesciens fecerit, pœnitens aqua et pane septem dies victitet: si secundo ac tertio monitus idem fecerit, dies quindecim.

Septimus, si quis Deum vel B. Mariam Virginem, vel aliquem sanctum publice blasphemaverit, præ foribus ecclesiæ diebus dominicis septem in manifesto, dum missarum solemnia aguntur, stet, ultimoque ex illis die sine pallio et calceamentis, ligatus corrigia circa collum; septemque præcedentibus feriis sextis in pane et aqua jejunet, ecclesiam nullo modo tunc ingressurus.

Octavus, qui opus aliquod servile die dominico festove fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane et aqua.

Nonus, si quis ante ecclesias vel die festo saltationes fecerit, emendationem pollicitus, pœnitentiam aget tribus annis.

Decimus, si quis pransus Missæ interfuerit, pœnitens erit dies tres in pane et aqua.

Undecimus, si quis in ecclesia confabuletur, cum divina fiunt, pœnitens erit dies decem in pane et aqua.

Duodecimus, si quis jejunia a S. Ecclesia indicta violaverit, pœnitentiam aget dies viginti in pane et aqua.

Decimus tertius, qui parentibus maledixerit, quadraginta dies pœnitens sit in pane et aqua; qui injuria affecerit, tres annos; qui percusserit, annos septem.

Decimus quartus, si qua mulier sponte abortum fecerit, pœnitentiam aget tres annos; si nolens, quadragesimas tres.

Decimus quintus, si quis sponte hominem occiderit, ad januam ecclesiæ semper erit, et in obitu communionem recipiet; si casu necaverit, pœnitentiam aget annos septem: secundum alium canonem, pœnitens erit quadraginta dies in pane et aqua et quinquennio communione privabitur.

Decimus sextus, si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget uno anno per legitimas ferias.

Decimus septimus, si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, tridui pœnitentiam aget in pane et aqua; clericus, unius anni et mensium sex.

Decimus octavus, si laicus solutus cum fœmina soluta concubuerit, pœnitens erit annos tres.

Decimus nonus, vir solutus si cum alterius uxore adulterium commiserit, pœnitentiam aget annos septem, mulier quinque; mulier soluta cum alterius marito adulterium patrans, pœnitentia afficietur decennali.

Vigesimus, qui cum uxore sua turpiter concubuerit, pœnitens erit quadringinta dies.

Vigesimus primus, qui puellam aut mulierem libidinose obtrectaverit, si clericus est, quinque dies; si laicus est, tres dies pœnitentiam aget; monachus vel sacerdos a ministerio suspensus, pœnitens erit dies viginti.

Vigesimus secundus, qui incestum fecerit, aliqui canones septem, alii decem, alii duodecim, alii quindecim annorum pœnitentiam constituunt.

Vigesimus tertius, qui concupiscit mente, sed non potuit, dies decem pœnitentiam aget.

Vigesimus quartus, si quæ mulier cerussa, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, pœnitentia afficietur annorum trium.

Vigesimus quintus, clericus, furtum capitale faciens, septennii pœnitentiam explebit; laicus quinquennii. Si quis furtum de re minori semel aut bis fecerit, restituta re, pœnitentiam aget annum unum.

Vigesimus sextus, si quis usuras exegerit, pœnitentiam aget annis tribus, uno in pane et aqua.

Vigesimus septimus, qui affirmaverit verum esse quod falsum est, pœnitentiam aget ut adulter, ut homicida.

Vigesimus octavus, si quis contra proximum lingua lascivus erit, triduana pœnitentia expiabitur.

Vigesimus nonus, si quis facile detraxerit, falsumque in hoc dixerit, pœnitens erit dies septem in pane et aqua.

Trigesimus, qui falsitatem fraudemve in ponderibus et mensuris admiserit, pœnitens erit in pane et aqua dies viginti.

Trigesimus primus, rem alienam nefarie concupiscens avarusque pœnitens erit annis tribus.

Trigesimus secundus, si quis concupiscit fornicari; si episcopus, pœnitens erit annos septem; si presbyter, quinque; si diaconus vel monachus, tres: e quibus unum in pane et aqua; si clericus aut laïcus, annos duos.

Trigesimus tertius, pro crimine capitali eoque mortali, pœnitentia decem annorum indicitur.

Trigesimus quartus, sacerdos imprudenter ebrius factus, pane et aqua pœnitentiam aget dies septem: si negligenter, dies quindecim; si per contemptum, dies quadraginta.

Trigesimus quintus, qui humanitatis gratia alium inebriare cogit, pœnitentiam agat septem dies.

Trigesimus sextus, si gutta sanguinis Christi in terram cadit, sacerdos in pœnitentia sit quinquaginta diebus; si super altare, et ad unum pannum transit, diebus duobus.

Trigesimus septimus, qui vir faciem suam transformaverit habitu muliebri, et mulier habitu viri, emendationem pollicitus, annis pœnitens sit tribus.

Cæterum hos canones referimus, non quod confessarii adstringantur ad injungendas pœnitentias, secundum illorum præscriptum et rigorem, siquidem nec antiquitus semper stricte observarentur, ut videbimus modo, et aliunde refrigescente charitatis fervore, de hac severiori disciplina Ecclesia remiserit, ne quos vult salvare per pœnitentiam, difficultate pœnæ territi desperent et damnentur; sed, ut quando id e re judicaverint, eos pœnitentibus exponant, quo et gravitatem suorum peccatorum magis intelligant, et efficacius ea detestentur, et ad congruam satisfactionem facilius disponantur.

§ II.

Resolvitur quæstio.

Dico[1]: Pœnitentia injungenda non est ita in arbitrio sacerdotis posita ut, seclusa omni lege et regula, eam pro mero libitu injungat, sed ita quod, non semper servata lege canonum, et gravitate criminum, possit eam injungere secundum arbitrium prudentia et divino instinctu regulatum, attentis variis circumstantiis negotiorum et personarum.

Prob. 1° ex jure, causa 26, q. 7, cap. *Tempora* 2, ex S. Leone, epist. 79, nunc 129, *ad Nicetum episcopum Aquileiensem*, ubi dicitur: « Tempora pœnitudinis, habita moderatione, constituenda sunt tuo judicio, prout conversorum animos prospexeris esse devotos, pariter etiam habens ætatis senilis intuitum, et periculorum quorumcumque, aut ægritudinis respiciens necessitates. » Ibid., cap. *Pœnitentibus* 5, ex concil. Carthag. 3, anno 424: « Pœnitentibus secundum differentiam peccatorum episcopi arbitrio, pœnitentiæ tempora decernantur. » Ibid., cap. *Hoc sit* 8, ex S. Basilio in Reg. brev., interrogat. 106 et 194, quamvis aliter citetur apud Gratianum: « Hoc sit in judicio positum eorum qui præsunt, vel quanto tempore, vel quali modo pœnitere debeant qui delinquunt; quia ætas et conditio multam habere facit differentiam pœnæ. » Similiter, cap. *Mensuram*, de Pœnit., d. 1. Ex quibus habes quod jam observavi, nec antiquitus canones pœnitentiales secundum litteram et rigorem fuisse observatos; sed, ut legitur in prologo ad illos canones apud Gratianum, sic fuisse intellectos « quod instituerunt in generali quomodo est pœnitentia imponenda, sed descensum ad singularia presbyteris di-

[1] Supp. q. 18. a. 4, o.

scretis relinquerent, qui considerarent circumstantias personarum, attendentes ad canones, sicut ad regulas directivas. »

Prob. 2° ex concilio Trid., sess. 14, cap. 8 : « Debent, inquit, sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserint, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. » Similiter S. Carolus in *Institut. Confessariorum :* « In satisfactionibus, inquit, vel pœnitentiis injungendis confessarius circonspectus esse debet, ne adeo leves illæ sint et faciles, ut potestas clavium in contemptum veniat, ipseque particeps fiat, et consors aliorum peccatorum ; neque nimis graves, aut longæ jubeantur, ut, vel recusent eas exequi, vel etiamsi acceptas habeant, postea tamen plene non perficiant. »

Prob. 3° ratione [1] : Pœnæ satisfactoriæ injungendæ, sunt medicinæ : atqui prudens medicus non semper et omnibus dat medicinas ab arte determinatas, quia non semper nec omnibus competunt; neque semper dat ita efficaces, quæ ad morbi curationem omnino sufficiant, ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur, sed eas variat, et distribuit secundum arbitrium prudentia et scientia medicinæ regulatum : ergo similiter medicus spiritualis, seu confessarius, non debet semper injungere pœnas satisfactorias in canone determinatas, quæ non semper omnibus competunt; nec semper totam pœnam quæ uni peccato debetur, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ desperet, et a pœna totaliter recedat ; sed eas debet injungere secundum arbitrium prudentia et divino instinctu regulatum, attentis omnibus circumstantiis negotiorum et personarum, item acerbitate contritionis, erubescentiæ, etc.

Confirm. Pœnæ satisfactoriæ sunt medicinæ [2], non solum pro sanandis præsentibus vulneribus, sed etiam pro cavendis futuris : atqui minus peccatum aliquando difficilius vitatur in uno, puta in juvene quam in sene, aliquando est periculosius in uno, puta in sacerdote quam in laico; item multitudo potest esse magis prona ad minus peccatum, a quo per pœnam unius est deterrenda, quam ad aliud gravius : ergo idem quod ante.

[1] Ibid. [2] Ibid. q. 8, a. 7.

CONSECTARIA.

Ex his colliges 1° confessarium in pœnitentia injungenda debere attendere, non solum ad qualitatem et quantitatem majorem vel minorem peccatorum, sed etiam ad periculum majus vel minus relapsus aut scandali, ad rationem contritionis et erubescentiæ, per quam plus aut minus pœnæ remissum est, ad pœnitentis facultatem et conditionem, hoc est, ad ætatem, sexum, convictum et infirmitatem, sive corporalem, sive spiritualem : unde non sunt injungenda jejunia infirmis aut opificibus gravi et continuo labore defatigatis, non ea opera per quæ revelaretur confessio, ut simul conviventibus, v. g., filiisfamilias abstinentia a carnibus, potus in aqua, etc., non diuturnæ orationes servis et ancillis in fraudem temporis quod in obsequium dominorum impendere debent : minuenda est pœnitentia quando confessarius præsentit pœnitentem eam non acceptaturum, aut acceptatam non perfecturum.

Colliges 2° in hac materia incedendum esse media via inter utrumque extremum nimii rigoris et nimiæ laxitatis, magis tamen sectandam esse misericordiam, quam severitatem ; tum quia juxta Trid., loco citato, sacramentum Pœnitentiæ non est forum iræ et pœnarum, sed veniæ et misericordiæ; et causa 26, q. 7, cap. *Alligant,* legitur : « Si erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Ubi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus, ut quid sacerdos ejus austerus? Vis apparere sanctus? Circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus. » Tum quia satius est, quod pœnitens cum leviori pœnitentia adimpleta, residuum pœnæ luat in purgatorio, quam graviori neglecta damnetur in inferno. Unde S. Antoninus, p. 3, tit. 17, cap. 20, dicit : « Confessor nullo modo debet permittere peccatorem desperatum recedere a se, sed potius imponat ei unum *Pater,* vel aliud leve »; et : « Si sacerdos non possit gaudere de omnimoda purgatione, ejus saltem gaudeat quod liberatum a gehenna transmittat ad purgatorium. »

Ubi tamen confessarius ex justa causa imposuerit pœnitentiam leviorem, moneat pœnitentem per hanc non esse plene satisfactum pro peccatis, ideoque quod superest, luendum esse in hoc vel altero sæculo, ut inde pœnitens excitetur ad graviorem pœnitentiam sponte

suscipiendam, et ne ex levitate pœnitentiæ, leviora existimet peccata.

Petes utrum confessarius possit imponere pœnitentiam publicam pro peccatis publicis?

Respondetur communius, quod non possit vi hujus tribunalis Pœnitentiæ, quod ex divina institutione est secretum; si tamen pœnitens ex ipso peccato obligationem publice satisfaciendi contraxit, puta ad reparandum scandalum, ad injuriam reparandam, restitutionem faciendam, deserendam occasionem proximam, etc., possit, et debeat confessarius hanc obligationem illi declarare et ad illam implendam cogere, sicque cogere concubinarium ad expellendam concubinam, usurarium ad deserendas usuras, publicum calumniatorem, aut hæreticum, ad retractandas publice calumnias aut hæreses. Ad hæc enim independenter a præcepto confessarii, ipso jure naturæ tenetur, et ea adimplere debuisset, antequam se tribunali sisteret.

ARTICULUS VII.

UTRUM OPERA IN STATU PECCATI MORTALIS FACTA, SATISFACIANT?

Suppono 1° distinctionem inter meritum et satisfactionem de qua initio hujus dissertationis, scilicet, quod meritum respiciat bonum merentis, satisfactio bonum creditoris. Vide.

Suppono 2° quod sicut distinguitur triplex meritum, nimirum : de condigno, quod importat in merente jus justitiæ ad præmium; de congruo stricte, quod importat in merente aliquod jus amicabile ad præmium; et de congruo late, quod non importat in merente aliquod jus ad præmium, sed aliquam tantum decentiam bonitatis et liberalitatis in præmiante ad præmiandum : ita potest distingui triplex satisfactio in ordine ad remissionem pœnæ : una de condigno, quæ importat in satisfaciente jus justitiæ ad remissionem pœnæ; secunda de congruo stricte, quæ importat jus amicabile; tertia de congruo late, quæ importat decentiam ex parte creditoris ad remittendam pœnam.

Suppono 3° aliquem posse esse in statu peccati dupliciter : 1° dum actu vel affectu peccat; 2° dum, transacto actu et deposito affectu ad peccatum, remanet adhuc macula et reatus pœnæ æternæ; de quo dum de peccatis. His suppositis,

Dico 1° : Opus in actu vel affectu peccati factum nullo modo satisfacit[1].

[1] Ibid. q. 14, a. 2.

Prob. : Opera nostra non sunt satisfactoria[1] apud Deum secundum eorum æquivalentiam sed secundum ejus acceptationem : atqui absurdum est dicere quod Deus acceptet opera illius qui actu vel affectu ipsum offendit : ergo. Prob. maj. 1° ex Trid., sess. 14, cap. 8, ubi dicit satisfactiones nostras vim habere a Christo, ab illo Patri offerri, et per illum acceptari a Patre; et cap. 9, dicit esse munificentiæ et amoris divini argumentum quod Deus satisfactiones nostras acceptet. 2° Pœnæ hujus vitæ quantumvis graves, nullatenus æquivalent pœnis peccato debitis et in purgatorio luendis. 3° Omnia opera nostra sunt Dei qui est supremus omnium Dominus, eaque variis aliis titulis potest exigere : ergo ut nobis prosint ad satisfactionem et redemptionem pœnarum peccatis nostris debitarum, debent ab eo acceptari. Nec alia ratio adferri potest cur animæ in purgatorio gravissimis pœnis, et ferventissimis charitatis et contritionis actibus non satisfaciant, et statim evolent in cœlum, nisi quia cum sint extra viam, Deus eorum actus et pœnas in hunc finem non acceptet. Observandum tamen quod hoc ipso quo Deus viatoribus gratiam sanctificantem confert, acceptet opera ex ea manantia ad meritum et ad satisfactionem.

Confirm. conclusio : Satisfactio est opus pœnitentiæ et includit studium placandi Deum : atqui opus in actu vel affectu peccandi, neque est opus pœnitentiæ, neque includit studium placandi Deum, quem de facto offendit : ergo. Unde, Eccli. 34 : *Homo qui jejunat in peccatis suis et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se?*

Hinc sequitur quod, si sit opus injunctum a confessario in satisfactionem, debeat iterari, ut satisfiat ejus præcepto et integretur sacramentum.

Dico 2° : Opus in reatu peccati factum,[2] si, deposito affectu ad peccatum, procedat ex gratia actuali, ut in pœnitentibus, satisfacit, non de condigno, nec de congruo stricte, sed de congruo late, cum hoc discrimine, quod respectu peccati quoad culpam dimissi, obtineat aliquam diminutionem pœnæ, respectu vero peccati nondum quoad culpam dimissi, disponat tantum ad majorem contritionem, et ut inde Deus in justificatione abundantius cedat juri suo, atque ampliorem faciat pœnæ remissionem.

Prob. prima pars : Satisfactio de condigno, sicut meritum, importat jus justitiæ ad re-

[1] Ibid. [2] Ibid.

missionem pœnæ, satisfactio de congruo stricte jus amicabile : atqui homo in reatu peccati mortalis non potest habere neque jus justitiæ, neque jus amicabile ad hoc, ut Deus ejus opera acceptet ad satisfactionem et ipsi concedat pœnarum remissionem, cum sit extra gratiam sanctificantem et charitatem, unde profluit condignitas nostrarum satisfactionum et amicitia cum Deo : ergo.

Prob. secunda pars : Sicut ad meritum de congruo late sufficit actus, non per quem efficitur ut agens habeat jus, sed per quem efficitur ut in dante sit aliquale debitum decentiæ secundum ejus bonitatem et liberalitatem, ita ad satisfaciendum de congruo late : atqui divinam bonitatem et liberalitatem decet ut operibus satisfactoriis ex sua gratia actuali procedentibus, aliquam pœnæ remissionem concedat pro peccatis quoad culpam dimissis; pro peccatis vero nondum quoad culpam dimissis, propter meliorem dispositionem, abundantius in ipsa justificatione cedat juri suo et minorem requirat pœnam : ergo. Atque ita docet Auctor[1] his verbis : « Quanto major est contritio, tanto magis diminuit de pœna, et quanto aliquis plura bona facit in peccato existens, magis se ad gratiam contritionis disponit, et ideo est probabile quod minoris pœnæ sit debitor; et, propter hoc, deberet a sacerdote discrete computari, ut ei minorem pœnam injungat, in quantum invenit eum melius dispositum. »

Hinc probabile est per opus in casu conclusionis satisfieri præcepto confessarii, nec esse iterandum; quia est aliquo modo satisfactorium. Est saltem sententia communior, et communis sensus fidelium, qui non solent se accusare quod satisfactionem impleverint extra charitatem, eaque videtur intentio confessariorum, præsertim dum pœnitentias diu duraturas imponunt; quia tamen non est absolute certum, Deum acceptare hæc opera ad satisfactionem, consultum est ut confessarii aliquam saltem pœnitentiæ partem statim implendam semper injungant.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° contra primam conclusionem : Damnati in malo obfirmati satisfaciunt divinæ justitiæ : ergo.

Resp. dist. ant. Satisfaciunt in pœna, conc.; satisfaciunt pro pœna, neg. Satisfacere in pœna est luere pœnam in rigore debitam peccato, et a lege taxatam, ut dum homicida suspenditur; et hoc non est proprie satisfacere, sed satispati; quia satisfactio dicit commutationem seu redemptionem pœnæ per aliquid levius, ut si quis se redimat a pœna mortis per mulctam pecuniariam, aut per aliquid aliud pœnale morte inferius : hoc autem modo non satisfaciunt damnati.

Obj. 2° : Qui in actu vel affectu peccati jejunat, satisfacit præcepto Ecclesiæ, nec tenetur iterum jejunare: ergo similiter de jejunio injuncto a confessario.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod Ecclesia præcipiat jejunium quoad substantiam tantum, non sub certo modo qui cadat sub præcepto : confessarius autem præcipit jejunium qua satisfactorium ut integretur sacramentum et redimantur pœnæ graviores; idque patet ex formula consueta, dicit enim : « Pro pœnitentia seu satisfactione hoc facies, vel recitabis. » Satisfactio autem esse non potest cum actu vel affectu peccati, ut probatum est.

Obj. 3° : S. Th., hic a. 3, ad 3. docet quod si ex satisfactione injuncta a confessario et peracta in statu peccati remaneat aliquis effectus, ut ex jejunio debilitatio corporis, ex eleemosyna diminutio substantiæ, hujusmodi satisfactio non sit iteranda; secus de satisfactionibus quæ non relinquunt aliquem effectum in satisfaciente ut sunt preces: ergo priores satisfactiones saltem debemus excipere.

Resp. neg. conseq. Sensus enim D. Thomæ non est quod hujusmodi opera ex quibus remanet aliquid in agente, peracta in statu peccati, adveniente charitate vivificentur et valeant ad satisfactionem injunctam a confessario; cum enim non processerint a charitate, ideoque nunquam fuerint viva, impossibile est quod ab ea procedant et vivificentur; sed sensus est, quod si effectus qui ex illis remanent de novo offerantur Deo in satisfactionem, ista oblatio facta in statu gratiæ, seu deposito affectu ad peccatum et ex animo placandi Deum, ab illo acceptetur in aliquam pœnæ remissionem; ideoque confessarius, ad quem postea accedit pœnitens, possit aliquid minuere de pœnitentia prius injuncta et in peccato peracta; et hoc sensu non est ex integro iteranda. Si vero nihil de ea minuatur, tota est iteranda non secus ac illa quæ nihil post se relinquit.

Obj. 4° contra secundam conclusionem : Pœna temporalis peccato remisso debita est finita; opus autem bonum extra charitatem factum, maxime si procedat ex gratia specialis

[1] Ib. a 3, ad 1.

auxilii, est alicujus valoris,et,ut suppono, pœnale : ergo adæquare potest debitum solvendum adeoque satisfacere de condigno.

Resp. opera nostra nullius esse valoris apud Deum, nisi quantum ab eo acceptantur, ut dictum est: opera quæ procedunt ex gratia habituali et charitate, habent perfecte in se principium hujus acceptationis, ut etiam dixi; quæ vero procedunt ex sola gratia actuali, non habent nisi imperfecte, quatenus scilicet fiunt ex motione Spiritus Sancti cum studio placandi Deum, per ejus inimicos tamen : unde quod a Deo acceptentur in satisfactionem, nullo jure vel debito, sed ex mera Dei liberalitate et bonitate contingit.

Repones : Ergo bona pure naturalia etiam poterunt sic de congruo satisfacere; quia etiam possunt acceptari a Deo in satisfactionem.

Resp. neg. illationem : ad probat. dist. Possunt acceptari a Deo in satisfactionem de potentia extraordinaria, conc.; ordinaria, neg.; quia in naturalibus non est etiam imperfecte principium acceptationis divinæ, sicut in supernaturalibus ex gratia actuali, quæ proinde habent cum remissione debiti aliqualem, licet imperfectam, proportionem et dispositionem.

Obj. 5° : Saltem satisfactio sacramentalis facta extra charitatem habet valorem condignum pœnæ temporali : ergo de condigno satisfacit. prob. ant. Valor satisfactionis sacramentalis est valor meritorum Christi ; hoc ipso enim quo satisfactio est elevata virtute clavium ad esse sacramentale, operatur ex opere operato, hoc est, meritis Christi : ergo, etc.

Resp dist. ant. Satisfactio sacramentalis extra charitatem facta habet valorem condignum pœnæ temporali, absolute et quantum est ex se, conc. ant.; respective ad subjectum, neg. Licet igitur merita Christi sint infiniti valoris, non tamen semper et omnibus etiam per sacramenta efficaciter applicantur, sed juxta dispositiones subjectorum et non ponentibus obicem, ut patet in ipsa gratia sacramentali : dispositio autem ut efficaciter ex debito ac jure Deus remittat alicui pœnam, est amicitia: unde fit quod licet satisfactio Christi sit plenissima absolute et in se, ac quoad substantiam, non tamen quoad efficaciam respective, hoc est, pro eo qui est extra charitatem et Dei amicitiam, nisi ex congruo late.

Repones : Defectus charitatis non est obex characteri sacramentali: ergo nec satisfactioni sacramentali.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod collatio characteris non sit opus amicitiæ Dei ad hominem, cum id nihil eum juvet ad vitam æternam ; secus effectus satisfactionis, qui est remissio pœnæ,et relaxatio juris quod Deus habet ad illam: unde cum Deus relaxat aliis quam amicis, non ex debito, sed ex mera liberalitate relaxat.

Replicabis : Debitor satisfacit de condigno creditori dando ipsi quantitatem debitam , sive sit amicus, sive non : ergo similiter erga Deum.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod homines in solutione debitorum solum considerant externa, Deus autem intuetur cor. Insuper homo tenetur acceptare quantitatem debito æqualem : merita autem Christi, licet Deo sint acceptissima quantum est ex se et quoad sufficientiam, non tamen quoad efficaciam remissionis pœnæ pro omnibus, saltem ex debito et condigno, sed solum pro amicis, pro aliis autem ex congruo late.

Obj. 6° : Ex nostra sententia sequitur quod homo possit in æternum puniri pro peccato remisso, ut si homicida post obtentam veniam et ante factam satisfactionem fornicetur, eam autem in hoc statu factam, cum sit de congruo late tantum, Deus non acceptet, sicque moriatur : atqui videtur consequens nimis durum : ergo.

Resp. 1° idem sequi ex omni sententia, casu quo talis homo, post obtentam homicidii veniam et lapsum in aliud mortale, moriatur antequam perfecerit ullam satisfactionem , pro priori peccato.

Resp. 2° neg. conseq.; quia etsi talis non possit placare Deum ut illi pœnam restantem relaxet, nihilominus quando erit passus tantam pœnam , quanta restabat, non amplius pro illo peccato punietur, sed solum pro aliis. Neque inde sequitur quod in inferno sit redemptio, aut quod damnati possunt pro peccatis satisfacere Deo, sed tantum quod possint satispati, ac satisfacere in pœna, non pro pœna, ut explicatum est superius.

Inferes : Ergo per mala quæ peccatores in hoc mundo patiuntur, etiam satispatiuntur inchoative, seu satisfaciunt in pœna, adeoque diminuitur ipsis aliquid de pœna inferni.

Resp. neg. illationem; quia ut aliquis censeatur satispati, seu satisfacere in pœna, debet subire pœnam a lege vel a judice in tale crimen latam et taxatam, ut patet in judiciis humanis : hæc autem pœna respectu peccatorum a Deo puniendorum est pœna inferni seu purgatorii respective.

Petes utrum homo possit satisfacere pro uno peccato et non pro alio ?

Resp. non posse satisfacere pro uno peccato[1] quoad culpam et offensam et non pro alio; quia non potest tolli offensa, nisi per redintegrationem in amicitiam Dei, quæ per quodlibet peccatum mortale læditur: posse vero si agatur de satisfactione quoad pœnam temporalem; quia unicuique peccato, certa pœnæ temporalis mensura est debita, potestque homo applicare suam satisfactionem pro uno et non pro altero, sicut potest applicare alteri et non sibi.

ARTICULUS VIII.

DE QUALITATE OPERUM PER QUÆ FIT SATISFACTIO.

§ I.

Utrum satisfactio fieri debeat per opera pœnalia?

Difficultas in aliquo opere potest esse duplex[2]: subjectiva et objectiva, seu ex genere et natura operis; sic quod aliquis cum tædio oret, difficultas et pœna est tam ex parte subjecti quam ex parte objecti; si autem oret ex fervore charitatis prompte et delectabiliter, erit tantum difficultas objectiva sine subjectiva. Difficultas objectiva iterum potest considerari dupliciter : 1° quatenus confert ad bonitatem actus virtutis, et sic pertinet ad meritum; 2° ut ex genere suo pœnam et laborem infert operanti, et sic confert ad satisfactionem, ut dicemus modo.

Dico : Opera satisfactoria debent esse pœnalia[3].

Prob. 1° auctoritate : Joel 2 dicitur : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et fletu, et planctu, et scindite corda vestra et non vestimenta vestra;* Matth. 11 : *Regnum cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud*; Trid., sess. 14, cap. 8, vocat opera satisfactoria « pœnas satisfactorias »; et can. 13, « pœnas sponte susceptas, vel a Deo inflictas, vel a sacerdote injunctas[4] »; S. Greg. 4 *Moral.*, c. 21 : « Justum est ut peccator tanto majora sibi inferat lamenta per pœnitentiam, quanto majora sibi intulit damna per peccatum. » Similiter alii Patres.

Prob. ratione[5] : Satisfactio, ut prius dictum est, ordinatur ad præteritam offensam compensandam et vindicandam, et ad futuram culpam cavendam : atqui ad utrumque requiritur quod fiat per opera pœnalia : ergo. Prob. prima pars min. Compensatio offensæ Dei fieri debet per hoc quod subtrahatur aliquid peccatori quod cedat in honorem Dei, quia homo peccando plus justo sibi tribuit, et, in quantum in ipso est, honorem Deo subtraxit : atqui hæc subtractio est pœnalis, pœna enim nihil est aliud quam privatio boni utilis vel delectabilis : ergo. Prob. secunda pars min. Homo facile non redit ad peccatum ex quo pœnam expertus est. Unde philosophus 2 *Ethic.*, c. 3, pœnas vocat medicinas; et Trid. citatum dicit quod pœnæ satisfactoriæ magnopere a peccato revocant et quasi fræno quodam coercent.

Dices 1° : Deus non delectatur pœnis nostris : ergo.

Resp. dist. ant[1]. Deus non delectatur pœnis nostris ut pœnæ sunt, conc.; ut justæ sunt, neg.

Dices 2° : Quanto aliquod opus ex majori charitate procedit, tanto minus est pœnale : si ergo oporteat opera satisfactoria esse pœnalia, quanto magis sunt ex charitate facta, tanto minus sunt satisfactoria, quod falsum est,

Resp. dist. ant[2]. Quanto aliquod opus ex majori charitate procedit, tanto minus est pœnale subjective, conc. ant; objective et ex genere suo, neg. ant. et conseq. Sicut igitur in satisfactione consideratur pœnalitas, ita et in merito consideratur difficultas, seu arduitas conferens ad bonitatem actus. Diminutio autem difficultatis objectivæ, seu quæ est ex parte ipsius actus, diminuit, cæteris paribus, meritum; sed diminutio difficultatis subjectivæ, seu quæ est ex promptitudine voluntatis, non diminuit meritum, sed auget. Similiter diminutio pœnalitatis subjectivæ, seu quæ est ex promptitudine voluntatis quam facit charitas, non diminuit efficaciam satisfactionis, sed auget. Itaque cæteris paribus, opus magis pœnale objective est magis satisfactorium; si vero cætera non sint paria et opus minus pœnale fiat ex longe majori charitate, erit magis satisfactorium, quam opus magis pœnale minori charitate factum ; quia Deus, qui magis pensat affectum quam effectum, et ex cujus acceptatione pendent satisfactiones nostræ, in majorem satisfactionem et compensationem acceptabit pœnam minorem ex majori charitate ipsi oblatam, ita tamen quod si per impossibile nullo modo foret pœna, non foret et satisfactio, sed meritum solum; sicque re-

[1] Ibid. q. 14, a. 1, o. [2] Suppl. q. 15, a. 1, ad 2. [3] Ibid. [4] Ibid. in a. s. c. [5] Ibid.

[1] Ibidem ad 1. [2] Ibidem ad 2.

missionem pœnæ obtineret non via satisfactionis sed meriti.

Dices 3° : Satisfacere est honorem debitum Deo impendere, ut dicit S. Anselmus, lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 11 : atqui hoc fit omni opere bono, etsi non sit pœnale : ergo.

Resp. dist. maj. Satisfacere est impendere honorem Deo debitum ex peccato commisso, conc.; debitum et beneficio collato aut mandato injuncto, neg. Et ad hunc sensum, distincta min., neg. conseq. S. Anselmus autem intelligit de honore Dei debito ex peccato commisso, cujus compensatio non fit nisi per opus pœnale, ut patet ex probatione conclusionis.

Dices 4° : Omnis actus virtutis est satisfactorius ; sed dantur aliqui actus virtutum qui non sunt pœnales, ut actus temperantiæ quem quis exercet comedendo cibos delicatos, aut bibendo vinum suave : ergo.

Resp. neg. min. Pro cujus argumenti ampliori solutione sit

§ II.

Utrum omnis actus virtutis sit pœnalis, et consequenter satisfactorius ?

Dico : Omnis actus virtutis est pœnalis et satisfactorius ; quia omne opus quo Deo servitur, et mens ad cœlestia erigitur, natum est causare homini carnali et terrenis assueto lassitudinem et afflictionem : unde iste actus, de quo in objectione, non est actus virtutis temperantiæ, nec moraliter bonus in genere satisfactionis, nisi moderate fiat, et ad finem bonum et supernaturalem ordinetur ; sub ista autem ratione habet pœnalitatem annexam, scilicet carentiam majoris delectationis, quæ esset in ampliori comestione, et elevationem ad supernaturalia.

Inferes : Ergo confessarius poterit injungere pœnitenti in satisfactionem, ut comedat cibos delicatos, et bibat vinum delectabile, quod est ridiculum.

Resp. dist. illatum : Confessarius poterit, etc., nullam exprimendo pœnalitatem, v. g., dicendo simpliciter : Comedes cibos delicatos, neg. illationem ; hoc enim absque dubio foret ridiculum ; exprimendo pœnalitatem, v. g., dicendo : Comedes cibos delicatos moderate, conc. illationem ; tunc enim veram injungeret pœnitentiam ; peccaret tamen graviter, maxime si ageretur de peccato mortali, eo quod sit indecens et incongruum, maxime pro gravi peccato, injungere opus, quod est simpliciter delectabile, et pœnale tantum secundum quid.

Ex his colliges 1° quod licet diversa sit ratio meriti et satisfactionis, de facto tamen omne opus meritorium sit satisfactorium, et e contra. Ratio primi est quia cum omne opus meritorium sit actus virtutis, habet semper adjunctam aliquam difficultatem et molestiam, ut dictum est, licet ex alia parte possit esse delectabile. Ratio secundi est, quod ad opus meritorium requiritur, et sufficit, quod sit liberum, bonum et supernaturale, quod totum convenit operi satisfactorio, ut jam diximus et dicemus.

Colliges 2° nedum opus externum, sed et opus internum etiam per se sumptum esse satisfactorium ; quia actus interiores, ut contritionis, charitatis, orationis mentalis, etc., etiam per se sumpti, sunt optimi, difficiles et pœnales secundum se, licet per accidens ob bonam dispositionem subjecti, de facto laborem aliquando non causent : unde etiam possunt injungi in pœnitentiam a confessariis ; nec refert quod non videantur sensibiles ; sicut enim contritio sufficienter fit sensibilis ad rationem sacramenti per confessionem, ita actus internus pro pœnitentia injunctus fit sufficienter sensibilis per impositionem confessarii, et acceptationem pœnitentis.

Opus autem ipsum externum, quatenus ab interiori procedit, licet interiori non addat bonitatem intrinsecam, ut dicitur de actibus humanis, nec ideo addat ad meritum, quod attenditur penes bonitatem actus, quia tamen addit pœnam distinctam ab interiori, addit vim satisfaciendi ; quia satisfactio attenditur penes pœnam et laborem: et ideo jejunare est magis satisfactorium, quam velle jejunare, quia est magis pœnale.

§ III.

Utrum opera alias debita sint satisfactoria, possintque imponi a confessario in pœnitentiam ?

Dico : Opera alias debita sunt satisfactoria, et per se loquendo imponi possunt a confessario in pœnitentiam ; id tamen regulariter non licet.

Prob. prima pars : Opus habet quod sit satisfactorium, ex eo quod sit bonum et pœnale : atqui per hoc quod sit alias debitum, puta ex voto vel præcepto, non desinit esse bonum et pœnale : ergo.

Confirm. 1° : Jejunia Ecclesiæ sunt præcepta, et nihilominus satisfactoria; in id enim instituta sunt 2° Martyrium, etiam eo casu quo cadit sub præceptum, maxime Deo satisfacit. 3° Ex Tridentino, sess. 6, cap. 10 et 16, opera bona, etsi ex præcepto debita, sunt meritoria : ergo a fortiori satisfactoria. Est etiam D. Thomæ qui art. sequenti docet flagella divinitus immissa esse satisfactoria, cum tamen aliunde teneamur ea patienter ferre.

Secunda pars sequitur ex prima ; si enim vere sint satisfactoria, nihil obstat quominus possint injungi in pœnitentiam.

Prob. tertia pars : Qui peccavit, ad aliquid novi est obligandus, tum ut sentiat vindictam suorum peccatorum, tum quia plus requiri debet ab eo quam ab innocente ; unde intentio Ecclesiæ est, ut unusquisque satisfaciat pro peccatis suis aliquo peculiari opere, ac proinde quando confessarius injungit certas preces, jejunia, eleemosynas, etc., nihil addendo, intelligendum est de illis, ad quæ pœnitens nulla alia ex causa tenebatur, nisi forte constaret de contraria intentione confessarii.

Dixi : Regulariter ; quia aliquando justis ex causis liceret imponere opus alioquin præceptum, ut recitationem officii, jejunium ecclesiasticum, illi qui non haberet opportunitatem aliter satisfaciendi.

Dices 1° : Nemo potest duplici debito satisfacere per unum et idem pretium : ergo.

Resp. dist. ant. dupliciter : 1° cum Coneto sic : Nemo potest duplici debito satisfacere per unum et idem pretium, habens tantum unum valorem, transeat; habens duplicem valorem, neg. Opus autem satisfactorium habet duplicem valorem : primus est valor moralis desumptus ex objecto et circumstantiis, et per hunc satisfit debito præcepti vel voti ; alter est valor satisfactorius petitus ex pœna et labore, qui in ejus exercitio reperitur ; et per hunc satisfit Deo pro pœna temporali peccato debita. 2° Dist. aliter idem ant. cum Nugno et Sylvio : Nemo potest duplici debito humano satisfacere per unum et idem pretium, conc.; duplici debito divino, seu quoad Deum, neg. Disparitas est, quod in debito humano attendatur tantum æqualitas rei ad rem ; impossibile est autem quod una res, seu unum pretium, puta decem floreni, sit æquale duplici debito, quorum unumquodque est decem florenorum. At in debito, quoad Deum, minus attenditur æqualitas rei ad rem quam gratia Dei, qui magis respicit dignitatem et intentionem operantis quam id quod exterius exhibetur, ita quod aliquando solo actu voluntatis illi satisfiat. Ex hoc autem quod quis uni præcepto satisfacit, nihil de illius dignitate, aut intentione detrahitur ad satisfaciendum alteri præcepto, aut debito pœnæ, cum unum actum possit ordinare ad diversos fines. Utraque solutio est bona.

Dices 2°: Opus satisfactorium debet subtrahere aliquam utilitatem, aut delectationem, alias non erit pœnale ; sed opus, debitum aliunde, non est hujusmodi, quia illa utilitas, aut delectatio, erat jam subtracta per antecedens præceptum : ergo.

Resp. dist. ant. Opus satisfactorium debet subtrahere aliquam utilitatem, vel delectationem absolute, conc.; novam et distinctam, neg. Sufficit enim quod sit pœnale simpliciter, non autem quod sit pœnale nova pœna ; sed etsi id requireretur, etiam reperiretur, siquidem nova obligatione ligetur homo ad actum illum exercendum, et ad ordinandum ad illum novum finem. Fatemur quidem hanc pœnam esse minimam : unde diximus ordinarie non licere hujusmodi opera imponere in satisfactionem sacramentalem.

§ IV.

Utrum flagella præsentis vitæ sint satisfactoria?

Dico : Flagella præsentis vitæ[1], si patienter tolerentur, sunt satisfactoria. Est Tridentini, sess. 14, cap. 9, ubi ea vocat « maximum amoris Dei argumentum.»

Prob.[2] 1° : Rom. 5, dicitur : *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem*, id est, a peccato purgationem, ut Glossa ibid. licit : ergo.

Prob[3]. 2°: Hoc ipso quo homo acceptat flagella præsentis vitæ ad purgationem peccatorum, eis utens patienter, fiunt aliquo modo ipsius patientis : ergo sunt satisfactoria. Prob. conseq. Quia si quid obesset, ne forent satisfactoria, esset quia non forent a nobis, sed ab alio, scilicet a Deo, quod pertinet ad rationem vindicationis: unde si homo omnino eis per impatientiam dissentiat, tunc non efficiuntur ipsius, et ideo non habent rationem satisfactionis sed vindicationis.

[1] Ib. [illegible] o. [2] [illegible] [3] Ibid. o.

§ V.

Utrum convenienter enumerentur opera satisfactoria, scilicet eleemosyna, jejunium et oratio?

Dico : Convenienter enumerantur opera satisfactoria [1]: eleemosyna, jejunium et oratio.

Prob. Satisfactio [2], ut dictum est, habet respectum et ad culpam præteritam conpensandam et ad futuram cavendam: atqui ad utrumque convenienter assignantur illa tria opera : ergo. Prob. min. pro prima parte : Satisfactio quatenus est compensatio et vindicatio culpæ præteritæ, debet esse talis per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei, ut dictum est : atqui non habemus nisi tria bona, scilicet bona fortunæ, ex quibus subtrahimus nobis aliquid per eleemosynam ; bona corporis ex quibus subtrahimus nobis aliquid per jejunium ; et bona animæ, ex quibus non oportet quod aliquid subtrahamus nobis quantum ad essentiam, vel quantum ad diminutionem ipsorum, quia per ea efficimur Deo accepti, sed quantum ad hoc quod ea submittimus Deo totaliter, et hoc fit per orationem : ergo satisfactioni quatenus respicit culpam præteritam, etc.

Prob. min. pro secunda parte. Satisfactio quatenus respicit culpam futuram ut cavendam definitur a S. Augustino quod sit peccatorum causas excidere et eorum suggestionibus aditum non indulgere : atqui sub utraque ratione ei convenienter assignantur tria illa opera : ergo. Prob. prima pars min. : Radices peccatorum tres ponuntur, 1 Joan. 2, scilicet *concupiscentia carnis*, *concupiscentia oculorum et superbia vitæ* : atqui contra concupiscentiam carnis ordinatur jejunium, contra concupiscentiam oculorum eleemosyna et contra superbiam vitæ ordinatur oratio : ergo. Prob. secunda pars min. : Omne peccatum committimus vel in Deum, et contra hoc ordinatur oratio; vel in proximum, et contra hoc ordinatur eleemosyna; vel in nos ipsos, et contra hoc ordinatur jejunium : ergo.

Verum observandum est illa tria opera posse accipi stricte et specifice prout significant tres species virtutum [3], vel large ac generice. Si primo modo, tunc conclusio non est sic intelligenda, quod illa sola sint opera satisfactoria, sed tantum quod inter alia sint aptissima et præcipua, singulariter in S. Scripturis et SS. Patribus commendata, et quæ facile veniunt in usus hominum. Si secundo modo, tunc vera est universaliter conclusio, quod illa sola sint satisfactoria; quia omnia alia ad illa possunt reduci : sic quidquid ad afflictionem corporis pertinet, ut vigiliæ, asperitas victus ac vestitus, peregrinationes, lacrymæ, solitudo et similia, totum ad jejunium refertur. Quidquid in proximi utilitatem expenditur, eleemosynæ rationem habet. Et similiter quæcumque latria exhibetur Deo, ut sacrificium, laus, gratiarum actio, contemplatio, etc., orationis rationem accipit.

[1] Ib. a. 3, o. [2] Ibid. [3] Ibidem ad 5.

ARTICULUS IX.

DE CONDITIONIBUS ET EFFECTIBUS SATISFACTIONIS.

Quamvis in tota hac dissertatione plures satisfactionis conditiones hinc et inde assignaverimus, eas cum quibusdam aliis summatim hic refero, in majus commodum lectoris : unde

Dico 1° : Conditiones requisitæ ad satisfactionem, quædam se tenent ex parte satisfacientis, quædam ex parte operis, quædam ex parte Dei.

Conditiones ex parte satisfacientis sunt: prima, quod sit in gratia, ut satisfaciat de condigno, vel quod deposuerit affectum ad peccatum, ut satisfaciat de congruo late : patet ex art. 7; secunda, quod sit in statu viæ, quia eodem modo quoad hoc loquendum est de satisfactione ac de merito : ad meritum autem requiritur status viæ ; et defectu hujus conditionis animæ in purgatorio non satisfaciunt, sed satispatiuntur.

Conditiones ex parte operis sunt: prima, quod sit liberum, quia est actus humanus; secunda, quod sit bonum, quia per opera mala potius meremur pœnam, quam pœnæ remissionem; tertia, quod sit supernaturale, quia remissio pœnæ pertinet ad ordinem supernaturalem, pœnæ enim debitum retardat nos a fine ultimo supernaturali consequendo ; quarta, quod sit pœnale; constat ex art. præced. § 1.

Conditio ex parte Dei est quod acceptet tale opus in satisfactionem : constat ex art. 7, concl. 1.

Dico 2° : Satisfactio sacramentalis (de ea sola hic agitur) causat *ex opere operato* remissionem pœnæ temporalis; ad id enim est instituta ; unde Trid., sess. 14, cap. 3, dicit contritionem, confessionem et satisfactionem esse partes materiales Pœnitentiæ, « quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad ple-

nam perfectamque peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur. » Et S. Th., *Quodl.* 3, a. 28 : « Cum satisfactio, inquit, a sacerdote absolute injuncta sit pars Pœnitentiæ, manifestum est, quod in ea operatur vis clavium; ita ut amplius valet ad expiandum peccatum, quam si proprio arbitrio homo faceret idem opus. » Magis adhuc constabit ex seq. conclus. Unde

Dico 3° : Probabile est quod satisfactio sacramentalis causet ex opere operato gratias actuales et augmentum gratiæ habitualis.

Prob. : Satisfactio sacramentalis id causat ex opere operato quod significat; est enim pars sacramenti pœnitentiæ, ut modo dicebam ex Trid. et S. Th.: pars autem debet participare naturam totius sacramenti cujus est causare quod significat, quia est signum practicum: atqui satisfactio sacramentalis non solum significat remissionem pœnæ temporalis, sed etiam gratias actuales et augmentum gratiæ habitualis: ergo. Prob. min. Satisfactio sacramentalis potest considerari, vel ut est pars sacramenti præcise, vel ut est talis pars, scilicet satisfactio; si hoc secundo modo, non solum significat remissionem pœnæ pro peccatis præteritis, sed etiam majorem facilitatem cavendi futura, quæ facilitas ex auxiliis gratiæ potissimum provenit. Si primo modo, significat gratiam; id enim proprium est omnibus sacramentis, et cum primam supponat in absolutione collatam, non nisi secundam, seu primæ augmentum significat et causat.

Eaque videtur expressa sententia Auctoris 3 p. q. 90, a. 2, ubi cum secundo loco sibi objecisset: «In sacramentis novæ legis confertur gratia, sed in satisfactione non confertur aliqua gratia : ergo satisfactio non est pars sacramenti », respondet sic: « Ad secundum, dicendum quod satisfactio confert gratiam prout est in proposito, et auget eam prout est in executione, sicut etiam Baptismus in adultis, ut supra dictum est. » Neque potest intelligi de satisfactione, ut est opus meritorium, et non ut est satisfactio sacramentalis, ut contendit Henno; alioquin non responderet argumento, quod est de satisfactione ut satisfactio est. Insuper eodem modo loquitur de satisfactione in executione ac de satisfactione in intentione: satisfactio autem sacramentalis in proposito cum acceptatur, qua talis causat gratiam: unde si quid aliud tenuerit S. Doct. in 4 dist. 16, q. 1, a. 1, debet censeri hic revocatum.

Dices: Per unum sacramentum non confertur nisi una gratia: unde in sacramento Eucharistiæ, species vini non causant novum gradum gratiæ distinctum ab eo quem species panis prius causaverant: ergo.

Resp. quod gratia quam causat satisfactio, cum sit complementum illius quæ fuit causata in absolutione, non ponat in numero cum illa. Ad id autem quod objicitur de sacramento Eucharistiæ, disparitas est quod cum species panis totam virtutem hujus sacramenti, scilicet totum Christum, contineant, totum ejus effectum producunt: unde non mirum si postea species vini nullum novæ gratiæ gradum conferant, cum totam collatam supponant; at vero confessio et absolutio non sic totam virtutem sacramenti continent; sed cum sint cum satisfactione partes disparatæ et quasi heterogeneæ, unicuique sua virtus correspondet. Alia argumenta videri possunt apud Gonet, disp. 13, a. 3, § 2.

Cæterum quidquid sit de istis duobus ultimis effectibus, cum saltem constet satisfactionem sacramentalem esse majoris efficaciæ ad remissionem pœnæ quam sponte susceptam, maxime interest quod confessarius illam injungat et pœnitens adimpleat; consultumque est quod confessarius post injunctam satisfactionem determinatam, simul injungat in satisfactionem sacramentalem omnia bona opera futura pœnitentis saltem ad certum tempus, ad octiduum, ad mensem, etiam ad annum. Quidam id putant fieri per ea quæ adduntur post absolutionem: « Passio Domini nostri Jesu Christi, etc. Quidquid boni feceris, etc. » Verum hæc, eo modo quo proferuntur, videntur potius esse oratio sacerdotis deprecantis omnia bene esse pœnitenti; non enim elevat ad esse sacramentale passionem Christi, merita B. Virginis, et omnium sanctorum; si tamen id intenderet de bonis futuris pœnitentis, et id ipsi indicaret, non video quid obstaret, etiamsi id fieret pro toto vitæ tempore.

Præter hos effectus satisfactionis sacramentalis, sunt plures ejus utilitates, quas recenset concilium Trid., sess. 14, cap. 8. : 1° ne leviora reputentur peccata, tam duris pœnitentiæ laboris expianda ; 2° ut deterreantur pœnitentes a peccatis futuris, et in iis cavendis vigilantiores reddantur ; 3° per illas satisfactiones eradicantur habitus vitiosi ; 4° imminentem Dei iram avertunt ; 5° nos Christo capiti conformes efficiunt ; 6° sunt in exemplum et ædificationem aliorum.

DIGRESSIO HISTORICA

DE VETERI ECCLESIÆ DISCIPLINA CIRCA PŒNITENTIAM PUBLICAM, SEU SOLEMNEM.

D. Th. suppl. q. 28.

AD DISSERTATIONEM PRÆCEDENTEM.

SECTIO I.

De origine, variis gradibus, ritu et abrogatione pœnitentiæ solemnis.

Dico 1° : Fuit olim in Ecclesia usus triplicis pœnitentiæ, scilicet privatæ, solemnis et publicæ. Privata in secreto agebatur ex præscripto confessarii, qualis nunc peragitur, dum confessarius injungit certis diebus per mensem aut annum, jejunium, orationem, aut aliquid aliud. Hanc olim viguisse constat ex eo quod non omnia peccata subjicerentur pœnitentiæ publicæ, ut dicemus infra, et tamen sunt omnia pœnitentia expianda. Pœnitentia solemnis erat, quæ peragebatur cum certis solemnitatibus, et secundum varios gradus, de quibus statim. Publica erat, quæ quidem publice agebatur, sed sine solemnitatibus et gradibus : talis erat pœnitentia eorum qui, v. g., plectebantur peregrinatione, exilio, detrusione in monasterium : unde omnis pœnitentia solemnis erat publica, sed non e contra.

Notat Auctor [1] quod quia antiqui canones et Patres de pœnitentia solemni sub hac voce non meminerint, auctores quandoque utrumque confundant, et pœnitentiam solemnem pro publica accipiant.

Qui pœnitentiæ solemnis stadium decurrebant, ii proprie et simpliciter dicebantur pœnitentes, ut ait S. Aug. Ep. 265, *ad Seleucian.*, et serm. 392.

Dico 2° ; Ab exordio Ecclesiæ ad Montanum circa medium secundi sæculi, fuit aliqualis usus pœnitentiæ publicæ, sed non solemnis.

Prima pars constat exemplo Corinthii incestuosi; item mulierum a Marco præstigiatore oppressarum, de quibus S. Irenæus, secundo sæculo, l. 1, *Adversus Hæreses*, c. 9.

Secunda pars iisdem exemplis patet; quamvis enim horum pœnitentia fuerit publica, non tamen fuit secundum cæremonias, gradus et tempus pœnitentiæ solemnis. Item ex libro Hermæ, seu Pastoris, in quo sæpe fit mentio pœnitentiæ, absque ulla designatione temporis, cæremoniarum, aut graduum ; ex Eusebio, l. 5 *Hist.*, c. ultimo, ubi refert juvenem prædonem a S. Joanne evangelista, et Natalium episcopum a Zepherino, statim absque diuturniori pœnitentia ad Ecclesiæ communionem receptos fuisse. Quod vero posset opponi ex can. 24 inter apostolicos nullius est ponderis ; quia notum est hos canones non esse ab Apostolis; et quamvis sint antiqui, non omnes tamen pari antiquitatis jure gaudent.

At cum montanistæ exprobrarent catholicis, quod indulgerent idololatris, mœchis, et homicidis, Ecclesia cum iis severius agere cœpit, durioremque et diuturniorem pœnitentiam injunxit, nondum tamen solemnem.

Exorta vero, circa medium tertii sæculi, hæresi novatianorum qui montanistis juncti, peccatoribus quibuscumque quantumvis pœnitentibus veniam et communionem denegandam esse contendebant, atque sub specioso disciplinæ zelo, contra Ecclesiam quasi pollutam debacchabantur, eo quod idololatria et gravissimis criminibus reis communionem, et pacem redderet, hacque facilitate veniæ incentivum peccandi præberet : Ecclesia ex una parte horum hæreticorum crudelitatem detestans, et ex altera ipsis querelarum occasionem auferre volens, prudenter statuit omnibus peccatoribus vere conversis veniam quidem esse concedendam nocentiores tamen severiori pœnitentia esse mulctandos ; ideoque pro istis instituit pœnitentiam solemnem secundum quatuor gradus, qui sunt fletus, audientia, substratio, et consistentia.

Hos expressit S. Greg. Thaumaturgus circa idem tempus Epist. canonica, can. 11; et dato, ut quidam arbitrantur, hunc canonem epistolæ S. Gregorii esse assutum, saltem can. 7, 8 et 9, exprimuntur gradus audientiæ, substrationis, et consistentiæ. Insuper in concilio Ancyrano, an. 314, can. 4 et 5, referuntur hi gradus, tanquam in Ecclesia jam antea recepti; illosque distincte exprimit S. Basil., circa annum 370, in epist. *ad Amphiloc.*, can. præsertim 75.

Dico 3° *Flentes* habitu sordido induti, cilicio circa collum cooperti, cinere in capite deturpati, et per manuum impositionem ab episcopo ad pœnitentiam admissi, stabant in porticu extra ecclesiam, sua peccata deflentes et detestantes, et ingredientium preces implorantes. Inter eos quidam dicebantur hyemantes, ii nempe qui ob crimen bestialitatis extra porticum sub dio, instantius aliorum commiserationem deprecabantur : his, ut quidam volunt, jungebantur energumeni.

[1] Sudp. q. 28. a. 3

Audientes stabant intra fores ecclesiæ in pronaoilæo, ubi audiebant lectionem Scripturarum, et sacras conciones, indeque exire cogebantur, antequam inchoaretur missa catechumenorum.

Substrati stabant a foribus ecclesiæ, usque ad ambonem, seu pulpitum, in quo legebantur epistola et evangelium, et ibi prostrati, seu genuflexi, variis pœnis et laboribus exercebantur, ita ut hæc statio antonomastice vocaretur pœnitentia. Frequenter super hos fiebant manus impositiones et orationes : cum catechumenis exibant ad offertorium.

Consistentes stabant ab ambone usque ad sanctuarium, non egrediebantur cum catechumenis , sed precibus et sacrificiis cum aliis fidelibus usque ad finem assistebant, sola Eucharistiæ participatione privati. Ea omnia compendio commemorat S.Greg. Thaumaturgus, epist. citata.

Præter hæc, et pœnas cuilibet peccato assignatas in canonibus, pœnitentes non poterant ad sacros ordines promoveri, nec Matrimonium contrahere, neque ad uxorem accedere, et ideo conjugatis non injungebatur pœnitentia solemnis, nisi altero conjuge consentiente ; item non poterant militare, arma gestare, comas nutrire; tenebantur pedibus incedere, et mortuos sepelire.

Dico 4° : Ritum in imponenda pœnitentia publica, [1] et in reconciliatione servari solitum describit S. Th. ex Decreto d. 50, cap. 65, his verbis : « In capite quadragesimæ (feria quarta cinerum) tales pœnitentes præsentant se cum presbyteris suis episcopo civitatis ante fores ecclesiæ, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, coma deposita, et eis in ecclesiam introductis, episcopus cum omni clero septem psalmos pœnitentiales dicit, et postmodum eis manum imponit, aquam benedictam super eos spargit, et cinerem super capitibus superponit, cilicio colla eorum operit, et denuntiat eis lacrymabiliter, quod sicut Adam ejectus est de paradiso, ita ipsi de Ecclesia ejiciuntur; postea jubet ministris, ut eos ab ecclesia pellant, clero eos prosequente cum hoc responsorio : *In sudore vultus tui*, etc. In Cœna Domini, quolibet anno a suis presbyteris in ecclesiam reducuntur ; et erunt ibi usque ad octavas paschæ, ita tamen quod non communicabunt, nec pacem accipient; et sic fiet quolibet anno, quousque aditus ecclesiæ fuerit eis interdictus. Ultima autem reconciliatio reservatur episcopo, ad quem solum spectat solemnis pœnitentiæ impositio. » Huc usque S. Doctor.

[1] Ibid.

Dico 5° : Rigor pœnitentiæ solemnis, a tempore Nectarii circa finem quarti sæculi, qui, ut alibi diximus , pœnitentiarium exauctoravit, minui cœpit in ecclesia orientali. Secundum nostrum Goar in suis notis ad Eucologium Græcorum, tres primi gradus, scilicet : fletus, audientiæ et substrationis , fuerunt extincti, sola consistentia, seu privatione Eucharistiæ, retenta. Volunt tamen alii quod post illud factum, adhuc viguerit quoad omnes gradus, sed rarius et propter atrociora tantum crimina a solo episcopo imponenda; quia canoni 87 concilii Trullani, anno 692, de maritis qui legitima uxore repudiata aliam ducunt, dicitur : « A Patribus enim nostris statutum est, ut qui sunt ejusmodi, annum defleant, biennio audiant, triennio substernantur, et septimo cum fidelibus consistant, et sic oblatione digni habeantur. » Nisi forte dicas patres hujus concilii revocare quidem in mentem quod olim hac in re statutum fuerit, at ejus observationem non præcipere.

In ecclesia occidentali diutius substitit rigor pœnitentiæ solemnis, nec nisi post septimum sæculum antiquari cœpit ; ab hoc enim tempore in pœnitentialibus et ritualibus nulla amplius fit mentio solemnium graduum, nec impositionis manuum qua pœnitentes reconciliabantur ; et loco pœnitentiæ solemnis, injunctæ sunt peregrinationes, recessus in monasteria, eleemosynæ et alia pia opera. Hujus mutationis occasio tribuitur Theodoro episcopo Cantuariensi, qui cum esset natione Græcus, ecclesiæ suæ ritum in suo pœnitentiali inseruit.

SECTIO II.

Quæ peccata fuerint pœnitentiæ solemni subjecta?

Dico 1°: Peccata [1] omnino occulta, nunquam vi canonum pœnitentiæ publicæ seu solemni fuerunt obnoxia, sed ea tantum quæ aliquo modo erant publica.

Dixi : Vi canonum; quia non negamus plures peccatores occultos ex fervore contritionis sponte vel motu proprio, vel hortante, non cogente confessario, pœnitentiam solemnem suscepisse ; quinimo plures innoxii et moribus spectatissimi ex zelo pietatis se illi voluntarie addicebant. Ista constant ex Origene,

[1] Ibid.

hom. *in Psal.* 37; S. Aug. serm. 144, *de Tempore*, et epist. *ad Seleucian.;* ex S. Cæsario Arelat., hom. 1, et exemplis Fabiolæ de qua S. Hieron, epist. 30 et 84, *ad Oceanum;* Wambæ, Gothorum regis, de quo concil. Tolet. 12; S. Gaudentii de quo concil.Tolet. 13, et aliorum.

Dixi etiam : Quæ erant aliquo modo publica; quia non solum quæ erant apud judicem delata et probata, sed etiam quæ cum plurium scandalo erant commissa, licet nec probata, pœnitentiæ solemni fuisse addicta concedimus.

Prob. conclusio : Concilium Neocæsariense, can. 4, eximit a pœnitentia publica peccata cogitationis; S. Basil., epist. *ad Amphiloc.*, mulieres adulteras; S. Greg. Niss., epist. *ad Letojum,* can. 6, furtum occultum; concil. Vasense, anno 442, can. 8 : « Si episcopus, inquit, se tantum alieni sceleris conscium noverit, quamdiu probare non potest, nihil proferat, sed cum ipso ad compunctionem ejus secretis correptionibus elaboret »; S. Aug. serm. 82, alias 16, *de Verbis Domini*, c. 7 : « Ergo, inquit, corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus : ipsa vero corripienda sunt secretius quæ peccantur secretius »; et cap. 8 : « Novit nescio quem homicidam episcopus, et alius illum nemo novit. Ego volo publice corripere, at tu quæris inscribere. Prorsus nec prodo, nec negligo : corripio in secreto, pono ante oculos Dei judicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo pœnitentiam : hac charitate præditi esse debemus..... Sunt homines adulteri in domibus suis, in secreto peccant, aliquando nobis produntur ab uxoribus suis, plerumque zelantibus, aliquando maritorum salutem quærentibus, nos non prodimus palam, sed in secreto arguimus : ubi contingit malum, ibi moriatur malum. »

Non itaque existimandum est pœnas per canones pœnitentiales latas semper esse publicas, sed publicas pro peccatis publicis, secretas pro secretis, ut docet S. Aug. de adulterio cognito et incognito, serm. 392, alias hom. 49, inter 50, c. 5.

Quæ opponunt Natalis Alexander, Juenin, Witasse et alii, diluuntur ex duplici observatione post conclusionem posita; intelligenda sunt enim vel de peccatis, quæ licet non essent delata et probata, innotescebant tamen pluribus, et sic aliquo modo erant publica ; vel de pœnitentia publica, sponte sive motu proprio, sive suadente confessario suscepta; vel tandem de pœnitentia sumpta pro sacramento, quæ potest dici publica, quatenus administratur prostratis et gementibus in conspectu Ecclesiæ et a ministro publico.

Dices insuper : Homicidium subjiciebatur pœnitentiæ publicæ : atqui intelligi non potest de homicidio publico ; alioquin in illud capitali supplicio sæviisset judex sæcularis : ergo de occulto.

Resp. neg. min. et ejus probationem ; poterat enim, etsi aliquo modo publicum, effugere animadversionem judicis sæcularis; quia vel delatum non erat, vel non satis probatum, vel a principe, mediante pecunia, aut intercessione episcopi, ut tunc sæpe fiebat, condonatum, vel immunitate ecclesiæ, ad quam ut ad azylum reus confugerat, jurisdictioni sæculari subductum.

Dico : 2° : Non omnia peccata mortalia, etiamsi publica, subjiciebantur pœnitentiæ solemni, sed atrociora tantum, præsertim idololatria, mœchia et homicidium, et quæ ad ea manifeste reducuntur, quibus postea quædam alia adjuncta sunt.

Prob. 1° : Apud Patres et synodos tertii et quarti sæculi, Tertullianum, S. Cyprianum, Origenem, S. Gregorium Thaumaturg., synodum Eliberitanam, Ancyranam, Neocæsariensem, nonnisi hæc tria assignata et eorum species, pœnitentiæ solemni addicuntur.

2° Concilium Laodicenum, anno 330, can. 7, a pœnitentia solemni eximit hæreticos, S. Basil. epist. *ad Amphil.*, can. 14 et 30 ; S. Greg. Niss., epist. *ad Letojum*, can. 6, eximunt usurarios, avaros, fures et raptores. S. Aug., epist. 22, alias 64, *ad Aurelium*, eximit comessationes et ebrietates quæ a rudiori plebe committebantur ad sepulchra martyrum ; et serm. 352, alias hom. 27, inter 50, pœnitentiæ luctuosæ, in qua proprie vocantur pœnitentes, subjicit tantum gravissima delicta, scilicet adulterium, homicidium, et sacrilegium ; S. Leo, epist. 2, alias 92, *ad Rusticum Narbonensem*, idololatriam, homicidium et adulterium addicit pœnitentiæ publicæ, usum immolatiorum secretæ.

Dices : Tertullianus, lib. *de Pœnit.*, cap. 4, dicit : « Omnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem et veniam per pœnitentiam spopondit » : atqui ibi loquitur de pœnitentia publica et solemni quam cap. 9 et 10 describit : ergo.

Resp. neg. min. In prioribus enim capitibus usque ad septimum agit Tertullianus de pœnitentia ut sic, prout est communis baptizatis

et non baptizatis; et in sequentibus tantum a septimo, agit de pœnitentia publica.

Sectio III.

Utrum clerici majores, scilicet sacerdotes et diaconi, subjicerentur pœnitentiæ solemni?

Morinus, Natalis Alexander, Juenin et alii censent subjectos fuisse tribus primis sæculis, quarto autem sæculo ab ea fuisse liberos. Negant alii pro quovis sæculo, cum quibus et Auctore,

Dico: Sacerdotes et diaconi[1], quamvis possent sponte suscipere pœnitentiam solemnem, nunquam tamen ad eam subeundam lege lata fuerunt obnoxii.

Prob. 1°: Can. 11 concilii Carthaginensis V, anno 392, statuitur sic: «Confirmatum est, ut si quando presbyteri vel diaconi in aliquo graviori culpa convicti fuerint, qua eos a ministerio necesse fuerit removeri, non eis manus tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laicis imponatur.» Quibus verbis, ut patet, concilium non inducit novam disciplinam, sed priorem confirmat. S. Leo, epist. 92, *ad Rusticum Narbon.*, anno 443: «Alienum est, inquit, a consuetudine ecclesiastica, ut qui in presbyterali honore, aut diaconii gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo, per manus impositionem, remedium accipiant pœnitendi: quod sine dubio ex apostolica traditione descendit.» Quod autem alienum est a consuetudine ecclesiastica, nunquam viguit, et quod ex apostolica traditione descendit, semper viguit in Ecclesia.

2° S. Petrus Alexand., inter canones quos edidit canon. 10, et S. Basilius, can. 51, assignant pro pœnitentia clericis, amotionem a suo ministerio, et communionem laicam; alioquin, inquit S. Basilius, si clericus insuper subjiceretur pœnitentiæ solemni, duplici supplicio puniretur.

3° Optatus Milev., lib. 2 *contra Parmen.*, et S. Augustinus, lib. 1 *de Bapt.*, cap. 1, redarguunt donatistas, qui lapsis clericis majoribus manus imponebant; et addit Optatus id ad usque sua tempora non esse factum.

Quæ opponunt adversarii de pœnitentia Felicis, Trophini, Victoris, Fortunatiani et Basilidis, qui erant majores clerici, recensita in epist. Cypr. 19, 52, 59, 64 et 68, et de pœnitentia Natalii episcopi apud Eusebium, l. 5 *Hist.*, cap. ult., una distinctione, de qua initio hujus digressionis, inter pœnitentiam solemnem et publicam solvuntur. Non equidem negamus majores clericos publice lapsos, publicam pœnitentiam, non solum primis tribus sæculis, sed quovis tempore subiisse, nimirum amotione a suo ministerio, degradatione, ergastulo, detrusione in monasteria, eleemosynis et aliis piis operibus; postulat enim recta ratio, ut qui scandalum præbuit, illud reparet, maxime in clericis. At negamus eos lege lata subiisse pœnitentiam solemnem antea descriptam de qua est conclusio. In exemplis autem quæ proferunt, erat pœnitentia publica non solemnis, aut si solemnis, erat sponte suscepta, ut pœnitentia Natalii.

[1] Ibid.

Sectio IV.

De unitate pœnitentiæ solemnis, et de multiplici tum manus impositione, tum pœnitentium reconciliatione.

Dico 1°: Pœnitentia solemnis semel tantum concedebatur[1].

Prob. ex S. Ambrosio qui, lib. 2 *de Pœnit.*, cap. 10. ait: «Sicut unum Baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publice agitur.» S. Aug., epist. 54, *ad Macedon.*, nunc 163, dicit «locum humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedi.» Siricius papa, desinente sæculo 4, epist. 1 *ad Himericum Tarracon.*, cap. 5, a quo consultus fuerat quomodo esset agendum cum iis qui post pœnitentiam solemnem peractam relaberentur, respondet sic: «De quibus, quia jam suffragium non habet pœnitendi (scilicet publice), id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint; a Dominicæ autem mensæ convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, et ipsi in se sua errata castigent, et aliis exemplum tribuant, quatenus ad obscenis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere cum ad Dominum cœperint proficisci per communionis gratiam volumus subveniri. Quam formam et circa mulieres quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus.»

Hujus disciplinæ rationes sunt:[2] 1° ne ex iteratione, pœnitentia solemnis vilesceret; 2° propter significationem, quia significat expul-

[2] Ibid. a. 2, o. [3] Ibid.

sionem primi hominis de paradiso, quæ semel tantum facta est; 3° quia solemnizatio est quasi quædam professio pœnitentiam perpetuo servandi, et ideo iteratio solemnitati repugnat.

Qui tamen sive in eadem,[1] sive in graviora peccata post peractam pœnitentiam solemnem, erant relapsi, omni remedio non destituebantur, sed ad pœnitentiam privatam poterant et debebant recurrere, ut docet Siricius supra; nullum enim peccatum est aut fuit aliquando irremissibile, ut probavimus initio hujus tractatus contra montanistas et novatianos.

Neque inde sequitur relapsos esse melioris conditionis quam primo peccantes; quia relapsi in ea peccata quæ pœnitentiæ solemni erant obnoxia, tenebantur toto tempore vitæ pœnitentiam agere, nec eis nisi in exitu Eucharistia concedebatur; quod erat durius quam post certum solemnis pœnitentiæ tempus, ad absolutam et completam reconciliationem admitti.

Dico 2°: Multiplex erat in pœnitentia solemni manus impositio.

Prima erat dum pœnitentes ad pœnitentiam ab episcopo admittebantur: ex can. 15 concil. Agath.; cano. 12, conc. Tolet. 11; ex S. Leone, epist. *ad Rusticum*, prius laudata. Secunda, et sæpius iterata erat in substratione: ex can. 80 concil. Carthag., anno 368; ex cap. 11 concil. Tolet. anno 589, et S. Augustino, serm. 232, *de Tempore*, alias 144. Tertia erat dum de gradu substrationis pœnitentes ad consistentiæ gradum transibant: innuitur in epistolis S. Cypriani 10, 11, 12. Quarta demum erat dum, finito pœnitentiæ tempore, pœnitentes perfecte reconciliabantur, et ad perceptionem Eucharistiæ admittebantur: ex can. 78 concilii Carthag. IV, et 3 concilii Araus. 1, et hæc a solo episcopo fiebat, ut mox dicam.

Dico 3°: Duplex erat reconciliatio pro pœnitentibus solemnibus: una minor et prima; altera major et secunda. Prima fiebat post substrationem seu tertium gradum, et per eam pœnitentes reconciliabantur cum Ecclesia quoad communionem precum et sacrificii, cui adesse poterant cum aliis fidelibus usque ad finem. Secunda fiebat post consistentiam seu quartum gradum, et per eam pœnitentes reconciliabantur Ecclesiæ, etiam quoad participationem Eucharistiæ, ad quam libere sicut alii fideles poterant accedere.

Primam concedere poterant simplices presbyteri, vel intra ecclesiam de consensu episcopi, vel extra ecclesiam in casu necessitatis, etiam inconsulto episcopo, si adesset. Secundam nunquam concedebant simplices presbyteri, nisi in casu mortis ex mandato episcopi post informationem de statu pœnitentis periclitantis, quoad corpus et animam; ita ut aliquando pœnitentes etiam in morte, communione eucharistica privarentur, si episcopus absens consuli non posset. Vide cap. *Presbyter*, causa 26, q. 6, et cap *Si jubet*, ibid. can. 4 conc. Carthag. 2.

Hæc ultima reconciliatio fiebat feria quinta majoris hebdomadæ saltem in ecclesia Romana, et in omnibus ferme ecclesiis occidentalibus. Episcopus pœnitentibus occurrebat ad ostium ecclesiæ, et apprehensa unius manu, introducebat eos in medium templi, ubi præmissis certis precibus et imposita manu eos reconciliabat. Reconciliati vero, depositis sordidis vestibus, barba et crinibus, mundius ornati procedebant.

Sectio V.

Utrum hæc ultima et solemnis reconciliatio, post peractam pœnitentiam, esset reconciliatio cum Deo per absolutionem sacramentalem; an solum reconciliatio cum Ecclesia per admissionem ad Eucharistiæ et aliorum sacramentorum participationem?

Dico: Probabilius est hanc ultimam reconciliationem non fuisse reconciliationem cum Deo per absolutionem sacramentalem quam supponebat, sed tantum reconciliationem cum Ecclesia quoad oblationes et participationem Eucharistiæ.

Prob. 1°: Sozomenus, lib. 7, cap. 16, loquens de pœnitentiario ejusque officio, dicit: « Ad quem accedentes ii qui deliquerant actus suos confitebantur; ille vero pro cujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, pœnæ loco indicens, absolvebat confitentes, a seipsis pœnas criminum exacturos. » En aperte absolutio sacramentalis data ante satisfactionem, quæ injuncta fuerat, adimpletam. Deinde postquam descripsit ritum in pœnitentia solemni servari solitum, significat absolutionem finalem quæ peracta pœnitentia conferebatur, esse tantum reconciliationem cum Ecclesia et relaxationem a pœnis canonicis: « Ubi vero, inquit, præstitutus dies advenit tanquam debito quodam persoluto, a pœna commissi

[1] Ibid.

sceleris liberatur et reliquo Ecclesiæ populo sociatur. »

Respondet Tournely Sozomenum hac in parte allucinatum fuisse. At quo fundamento id asserit? Nullum profert, nisi quod dicat hunc historicum errasse, cum supposuit in ecclesia Romana institutum fuisse ab initio pœnitentiarium sicut in ecclesia Constantinopolitana; verum esto (quod non certo constat) Sozomenum natione Græcum errasse circa id quod fiebat Romæ, ob locorum distantiam; non sequitur quod erraverit circa id quod a paucis annis factum fuerat in sua ecclesia Constantinopolitana, cui præsens aderat et cujus facti, quod referebat, testes oculatos consulere adhuc poterat; et a quibus, si quid falsum scripsisset, mendacii argui potuisset; scripsit enim triginta, vel, ut plus, quadraginta annis post factum Nectarii.

Prob. 2°: Can. 72 concilii Eliberitani, anno 305, sic legitur: « Si qua vidua fuerit mœchata, eumdem postea habuerit maritum, post quinquennii tempus, acta legitima pœnitentia, placuit eam communione reconciliari; si alium duxerit relicto illo, nec in fine dandam esse communionem. Vel, si fuerit ille fidelis, quem accepit, communionem non accipiat, nisi post decem annos acta legitima pœnitentia, nisi infirmitas coegerit velocius dare communionem » : atqui reconciliatio per communionem in hoc canone non est cum Deo per sacramentalem absolutionem, sed cum Ecclesia per Eucharistiæ participationem seu jus ad illam: ergo. Prob. min. 1° Viduæ pœnitenti post quinquennium concedit concilium quod denegat in fine vitæ illi quæ, relicto priore viro, alium duxerat: atqui communio, in fine vitæ deneganda, non erat absolutio sacramentalis, quippe quæ nunquam ulli in fine vitæ ab Ecclesia denegata est, secus communio eucharistica: ergo. Prob. 2° prima min. Eodem modo intelligendum est in hoc canone τo *communione reconciliari, et* τo *communionem non accipiat:* Atqui per τo *communionem non accipiat,* non intelligitur absolutio sacramentalis, sed Eucharistica, ut patet ex can. 3 et 78, in quibus concilium hanc communionem vocat Dominicam; et can. 47, de adultero relapso dicit: Placuit ulterius illum non edere de communione pacis: ergo. Confer Digress. hist., post dissert. 6. sect. 1, obj. 3.

Omitto canonem 78 concilii Carthag. 4, Canonem 3 concil. Araus. 1, canonem 28 concil. Arelat. 2, quibus probatur periclitantibus concessam fuisse Eucharistiam, consequenter præivisse absolutionem sacramentalem, qui tamen si superviverent, debebant adhuc solemniter reconciliari; quia vero adversarii fatentur ita fieri extraordinarie et in periculo mortis, sed non de lege communi et ordinaria.

Prob. 3°: Absolutio seu reconciliatio sacramentalis cum Deo poterat concedi a simplicibus sacerdotibus sine speciali mandato episcopi: ultima reconciliatio non poterat concedi nisi ab episcopo aut a presbyteris de ejus speciali mandato: ergo hæc non erat sacramentalis. Item, nunquam licuit diacono reconciliare sacramentaliter; licuit autem diacono ex dispensatione episcopi hanc ultimam reconciliationem facere: ergo idem quod ante. Min. patet ex S. Cypriano epist. 13, in qua mandat ut, deficientibus presbyteris in periculo mortis, diaconi « manu pœnitentibus imposita in pœnitentiam », hoc est, loco pœnitentiæ seu in signum pœnitentiæ condonatæ, ipsos reconcilient. Vide locum integrum dissert. 6, a. 1, object. 3. Item ex conc. Eliberit., can. 32. Vide Digress. hist. proxime citatam.

Prob. 4°: Ex canone 22 concilii Ancyrani, anno 314, subibant pœnitentiam solemnem qui coram Deo non erant culpabiles, scilicet qui casu et involuntarie homicidium perpetraverant, eo fere modo quo nunc qui juste concurrunt ad mortem alicujus, a susceptione ordinum et eorum ministerio per irregularitatem arcentur; hi autem, expleta pœnitentia, non secus ac alii pœnitentes reconciliabantur, quia per solam solemnem reconciliationem ab episcopo factam terminabatur pœnitentia solemnis: atqui hæc reconciliatio non erat cum Deo per absolutionem a peccatis, quod nullum erat, sed cum Ecclesia in cujus conspectu fiebat ista pœnitentia: ergo.

Prob. 5°: Pœnitentia solemnis pertrahebatur aliquando ad decem, ad viginti annos, aliquando usque ad finem vitæ: atqui prorsus incredibile est absolutionem sacramentalem, quæ est remedium a Deo institutum ad remissionem peccatorum, tamdiu differri iis qui tam duram pœnitentiam agebant, et qui ipsa tantæ pœnitentiæ susceptione se vere pœnitentes probabant: ergo.

Confirm. Ad pœnitentiam solemnem non admittebantur nisi qui vere et sincere erant pœnitentes: ita fert canon 11 concilii I Nicæni, anno 325: « Quicumque ergo, inquit, germane et vere pœnitentia ducuntur, tres annos inter auditores exigent ut fideles, et septem annis prosternentur supplices, duobus autem annis

absque oblatione erunt orationum cum populo participes. » Unde Isaac Lingonensis in suis canonibus, cap. 16 : « Pœnitentes, inquit, qui ex gravioribus commissis pœnitentiam gerunt, si ex corde pœniteant, sicut Nicæna synodus de lapsis constituit, tribus annis sint inter audientes », etc. Vel ergo isti vere et sincere pœnitentes perfecta contritione erant justificati, vel attritione ad absolutionem sacramentalem sufficienter dispositi. Si primum, ut quid minister negasset aut distulisset absolutionem, quam concessisset Dominus ? Si secundum, et ideo absolutio sacramentalis esset necessaria ad eorum justificationem, utpote medium ad id a Deo institutum, crudelitas et barbaries fuisset a mente benignæ matris Ecclesiæ prorsus aliena, nec ulla utilitate compensanda, denegare vel tamdiu differre sufficienter disposito, hoc medium sine quo manet Dei inimicus, diaboli tyrannidi subjectus, atque frustratus merito ac satisfactione certa tot laborum, jejuniorum, orationum et humiliationum : ergo.

Obj. 1° cum Honorato Tournely : S. Leo, epist. 91, *ad Theodorum Forojuliensem* episcopum, edit. Paris. 1661, dicit : « Mediator Dei et hominum, homo Jesus Christus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. » S. Leonem vero loqui de reconciliatione per absolutionem a peccatis constat; quia, in eadem epistola, jubet ut qui ante acceptam reconciliationem moritur, non possit habere mortuus quod non accepit vivus, id est, non fruatur communione ecclesiastica, nec consequenter preces et sacrificia pro ipso publice offerantur, et hujus disciplinæ rationem subjungit : « Nec, inquit, necesse est nos eorum qui sic obierint, merita actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, justitiæ suæ reservaverit, ita potestatem suam timeri volens, ut hic error omnibus prosit, et quod quibusdam tepidis ac negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim utile ac necessarium est ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur » : ergo.

Resp. S. Leonem ibi non agere de pœnitentia solemni, sed de necessitate Pœnitentiæ ut sic, et absolutionis sacramentalis, quam « tepidi et negligentes » tempore opportuno non requirunt, et sine qua, casu interveniente, moriuntur : patet ex his terminis : « tepidis et negligentibus » et ex toto epistolæ contextu. Nec refert quod dicat : « Si aliquis eorum pro quibus Domino supplicamus » ; officium enim sacerdotis est supplicare, non solum pro publice pœnitentibus, sed pro omnibus peccatoribus ; non etiam obstat quod dicat : « Salubri satisfactione purgatos » ; per satisfactionem enim ibi non intelligit pœnitentiam solemnem, de qua non agit, sed quamcumque pœnitentiam veram et sinceram, qualis est cordis contritio, oris confessio, aliaque pœnitentiæ interioris indicia, quæ quamdam satisfactionem includunt : sic ipse objiciens ibidem explicat similia loca SS. Patrum contra eos qui volunt nunc necessario esse præmittendam satisfactionem absolutioni : idque aperte liquet ex textu epistolæ S. Leonis; dicit enim petentibus in morte pœnitentiam et reconciliationem « nec satisfactionem interdicendam esse, nec reconciliationem esse denegandam » ; ubi certum est quod per satisfactionem, non intelligat opera laboriosa pœnitentiæ, quorum morientes non sunt capaces, sed contritionem cordis et exteriora ejus signa.

Reponit Tournely : Siricius papa, epist. 1, cap. 3, de Christianis idololatria pollutis et subinde pœnitentibus ait : « Si resipiscentes aliquando fuerint ad lamenta conversi, his, quamdiu vivunt, agenda pœnitentia est, et in ultimo fine suo, reconciliationis gratia tribuenda; quia, docente domino, nolumus mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. » Quibus ultimis verbis significat hanc reconciliationem non esse cæremonialem tantum, sed etiam sacramentalem.

Resp. neg. subsumptum. Siricius enim profert S. Scripturæ verba, ut probet Ecclesiam in sua praxi non denegandi reconciliationem ecclesiasticam pœnitentibus in fine vitæ, imitari misericordiam Dei, qui non vult mortem peccatoris.

Instat ex Cypriano qui sæpe conqueritur quod iis qui libellos martyrum habebant, pax concederetur ante sufficienter peractam pœnitentiam solemnem: atqui S. Cyprianus hanc pacem intelligebat absolutionem sacramentalem et reconciliationem cum Deo: ergo. Prob. min. Hanc pacem intelligebant quam martyres suis libellis postulabant, quam lapsi ardenter optabant, et cum qua se ad Dominum ituros confidebant : atqui illa pax est absolutio a peccatis : ergo.

Resp. neg. min. Ad probat. neg. min. Pax enim quam martyres libellis deprecabantur,

erat relaxatio pœnæ, cui pœnitentes erant addicti, et vera indulgentia, ad cujus normam nunc conferuntur indulgentiæ pœnitentibus sacramentaliter absolutis, in remissionem pœnæ temporalis luendæ post dimissam culpam.

Urget ex S. Ambrosio qui l. *de Pœnit.*, cap. 3, dicit : « Quotiescumque peccata donantur, corporis ejus sacramentum sumimus, ut per sanguinem ejus fiat peccatorum remissio » : ergo absolutio a peccatis non conferebatur nisi cum concederetur Eucharistia. Subsumo : Atqui hæc non conferebatur nisi peracta pœnitentia : ergo.

Resp. neg. conseq. ad sensum instantiæ : non enim loquitur S. Ambrosius de pœnitentibus publice et solemniter, sed de peccatoribus generaliter quos hortatur ad pœnitentiam sub spe veniæ, exemplo filii prodigi ; dicitque vere pœnitentibus concedi a Deo et remissionem peccatorum et participationem corporis Christi, sicut fit regulariter et fiebat olim extra pœnitentiam solemnem : unde subjungit : « Ergo evidentissima Domini prædicatione mandatum est, etiam gravissimi criminis reis, si ex toto corde et manifesta confessione peccati pœnitentiam gerant, sacramenti cœlestis refundendam gratiam. » Quibus verbis manifestum est ipsum non agere de pœnitentia solemni ; siquidem nonnisi contritionem cordis et confessionem oris requirat ad sacram communionem.

Plura alia Patrum testimonia objicit Tournely, sed quæ facile explicantur de reconciliatione cum Ecclesia quantum ad participationem sacramentorum.

Ex his colliges olim sicut nunc collatam fuisse absolutionem sacramentalem statim ac pœnitentes sufficienter dispositi, satisfactionem injunctam acceptassent ; discrimen vero hac in re inter nostra et priora tempora in hoc situm esse, quod delicta severius tunc punirentur, quam nunc.

TRACTATUS

DE

CENSURIS ET IRREGULARITATE

D. Th. Suppl. a Q. 21 ad 25.

DISSERTATIO I.

De censuris in communi.

ARTICULUS I.

QUID ET QUOTUPLEX SIT CENSURA?

Censura olim apud Romanos significabat sententiam censoris deputati ad corrigendos mores. Translata est a scriptoribus ecclesiasticis ad significandum, non ipsam sententiam, sed pœnam ab Ecclesia peccatoribus inflictam. Unde

Dico 1° : Censura est pœna ecclesiastica medicinalis et temporalis privans baptizatum delinquentem et contumacem usu communium bonorum spiritualium. Explicatur ;

Dicitur 1° *pœna;* quia non infligitur nisi propter peccatum, illudque externum, cum Ecclesia non judicet de internis; et mortale, quia cum sit gravissima pœna, non infligitur nisi propter grave peccatum : et hinc excluditur cessatio a divinis, quæ prout distinguitur ab interdicto, non est proprie pœna, ut dicam modo.

Dicitur 2° *pœna ecclesiastica*, quia ferri non potest nisi per superiores ecclesiasticos, cum primo versetur circa privationem rei spiritualis ; circa vero res temporales, non nisi secundario et quatenus referuntur ad spiritualia.

Dicitur 3° *medicinalis;* quia per eam non tam intenditur punitio peccati, quam peccatoris emendatio : unde eo emendato, ordinarie tolli debet censura ; et ideo additum est, *temporalis*. Ita expresse in jure, cap. 1, de Sentent. excomm., in 6, et cap. *Ex litteris* de constitut. Ex quo sequitur quod ubi non est spes emendæ, regulariter non debeat infligi censura. Dixi *regulariter*, quia per accidens si esset necessaria bono communi ad terrendos et coercendos alios, etiam sine spe emendæ illius qui peccavit, posset infligi, quia licet sit præcipue medicina, est tamen etiam pœna.

Dicitur 4° *privans baptizatum*, quia Ecclesia non habet potestatem nisi in subditos : fit autem homo subditus Ecclesiæ per Baptismum.

Dicitur 5° *et contumacem*, sive perseverando in peccato, sive non obediendo mandatis superiorum. Ita in jure cap. *Ex parte* 1, de Verb. signific., et cap. 1, de Sentent. excomm. in 6. Colligitur ex cap. 18 Matth. : *Si Ecclesiam non audierit,* id est, si non obediens ei fuerit, *sit tibi sicut ethnicus et publicanus;* atque sequitur ex hoc quod censura sit medicinalis. Vide infra art. 4.

Dicitur 6° *privans*..... usu communium bonorum spiritualium, qualia sunt publica Eccle-

siæ suffragia, spiritualis jurisdictio, sacrificium et sacramenta, officia et beneficia ecclesiastica, quorum omnium dispensatio est Ecclesiæ commissa, ita ut eorum usum activum et passivum possit alicui propter culpam et contumaciam interdicere. Quantum autem ad bona spiritualia privata, ut sunt dona gratiæ, virtutes et bona opera, iis Ecclesia neminem spoliare potest, nec eorum usu privare.

Dico 2° : Est tantum triplex censura ecclesiastica, scilicet excommunicatio, suspensio et interdictum. Est communior.

Prob. 1°: Quoties in jure fit mentio de censuris infligendis aut tollendis, tantum istæ tres nominantur, cap. 1, cap. *Statutum*, et cap. *Is cui* de Sentent. excom. in 6. Unde Innocentius III, cap. *Quærenti*, de verborum significat., dicit : « Quærenti quid per censuram ecclesiasticam debeat intelligi, cum hujusmodi clausulam in nostris litteris apponimus, respondeo quod per eam, non solum interdicti, sed suspensionis et excommunicationis sententia valeat intelligi. »

Prob. 2° : Neque cessatio a divinis, neque depositio, neque degradatio, neque irregularitas etiam ex delicto, sunt censuræ : ergo sunt tantum tres assignatæ. Patet conseq. a sufficienti enumeratione in antecendente; non enim aliæ assignantur ab adversariis.

Prob. ant. per singulas partes : 1° Cessatio a divinis, quæ etiam dicitur suspensio organorum, est prohibitio ecclesiastica facta clericis celebrandi divina officia, et ministrandi sacramenta in aliquo loco, nisi necessitas urgeat; et quamvis videatur coincidere cum interdicto, differt tamen, 1° quia non est proprie pœna, sed simplex prohibitio divinorum ad significandum gravissimum mœrorem Ecclesiæ, ob gravissimam injuriam illi illatam, puta profanationem Eucharistiæ : interdictum autem est pœna. 2° Interdictum semper afficit aliquam personam quæ interdicto causam dedit, non cessatio a divinis : unde tempore cessationis in uno loco, omnes etiam nocentes possunt adesse divinis officiis in alio loco; non sic in interdicto. 3° Qui violat interdictum, incurrit irregularitatem, non qui violat cessationem a divinis, licet graviter peccet : ergo cessatio a divinis non est censura.

2° Depositio est prohibitio facta in perpetuum clerico per se et directe exercendi suos ordines, et indirecte ascendendi ad altiores. Degradatio addit depositioni privationem perpetuam clericatu et ejus privilegiis, ita ut degradatus reducatur ad statum laicalem, quod fit cum magna solemnitate, qua peracta clericus traditur brachio sæculari, secundum rigorem legum puniendus. Irregularitas ex delicto, de qua est major difficultas, est similiter canonicum impedimentum, seu perpetua inhabilitas primo et directe suscipiendi sacros ordines, secundario et consequenter in susceptis ministrandi; sicque neque depositio, neque degradatio, neque irregularitas ex delicto, sunt medicinales, seu ad emendationem sicut censuræ, sed meræ pœnæ in vindictam. Item non solo usu spiritualium privant ut censuræ, sed in quantum fieri potest, privant habilitate ad illa. Denique censura tollitur per absolutionem; depositio autem, degradatio et irregularitas etiam ex delicto non tolluntur nisi per dispensationem in lege quæ ex natura sua petit esse perpetua.

Dico 3° : Quælibet species censuræ dividitur in censuram *a jure*, quæ a lege lata est contra omnes subditos qui tale crimen commiserint, et censuram *ab homine* quæ fertur per sententiam sive generalem sive particularem superioris seu judicis : per generalem, ut si dicat superior : Si quis tale crimen commiserit, sit excommunicatus ; per particularem, ut si dicat : Si Petrus non restituat intra mensem, sit excommunicatus. Est autem discrimen inter censuram a jure et censuram ab homine, quod censura a jure semper duret, nisi lex revocetur; censura autem ab homine, vim suam amittit per mortem aut depositionem ferentis, sic ut nemo deinceps illam incurrat. Qui tamen antea incurrit, remanet ligatus donec absolvatur : unde si judex excommunicationem ferat in Petrum, nisi intra mensem restituat, et ante mensem elapsum moriatur aut deponatur, Petrus, etsi non restituat, non incurrit excommunicationem ; si autem mense elapso moriatur vel deponatur, censura quam contraxit Petrus, durat, donec per absolutionem tollatur; quia jure communi nemo liberatur a censura, quam semel contraxit, nisi per absolutionem.

Dico 4°: Item quælibet censura dividitur in censuran *latæ sententiæ*, quam scilicet lex vel judex per sententiam actu infligit, adeoque ipso facto seu criminis admissione, absque alia sententia incurritur; et censuram *ferendæ sententiæ*, quam lex aut judex minatur tantum se inflicturum, aut jubet infligi, sicque non ipso facto seu delicto, sed per aliam judicis sententiam debet infligi.

Sed difficultas est dignoscere quando sen-

tentia seu lex contineat censuram latæ vel ferendæ sententiæ.

Imprimis constat esse censuram latæ sententiæ, quando lex aut judex dicit : « Qui hoc fecerit, sit ipso facto, ipso jure excommunicatus, suspensus, » etc. Item si dicat : « Excommunicamus eum qui hoc fecerit. » Item quando jus significat se velle reum incurrere censuram et non dirigit verba ad aliquem judicem qui illam infligat, seu quando non jubet fieri, sed significat fieri aut futurum esse posita conditione, videtur censura latæ sententiæ, ut cum dicitur : « Qui hoc fecerit sit excommunicatus, sit anathema, se excommunicatum noverit seu agnoscat, excommunicatus maneat, excommunicationem incurrat », etc.

Neque obstat quod dist. 30, in 16 canonibus legatur : « Qui hoc fecerit, anathema sit »; qui tamen canones non videntur intelligendi de excommunicatione latæ sententiæ, ut, v. g., quod mulier sibi comam amputaverit, quod vir vivens in continentia pallio utatur, etc. Non obstat, inquam, quia, in antiquis canonibus, anathema non semper sumitur pro excommunicatione, sed sæpe pro detestatione et execratione. 2° Quia probabilius est in citatis canonibus esse veram censuram latæ sententiæ. Non enim ibi dicitur anathema iis qui simpliciter certa quædam faciunt, sed qui ex superstitione hæretica manichæorum faciunt, ut indicat rubrica initio distinctionis, et patet ex ipsis canonibus, si legantur, atque ex concilio Gangrensi ex quo excerpti sunt.

At vero cum dicitur : « Qui hoc fecerit, volumus, jubemus eum excommunicari, suspendi», etc., vel, «ut excommunicetur, suspendatur», etc.; item cum dicitur: « Prohibemus hoc fieri sub interminatione anathematis, sub pœna excommunicationis», etc., est censura ferendæ et non latæ sententiæ.

Quidam existimant his formulis : « Qui hoc fecerit, sciat se excommunicationem, suspensionem, etc., incursurum», vel « erit excommunicatus, suspensus », etc., vel, « excommunicationem, suspensionem incurret», importari censuram latæ sententiæ; quia, inquiunt, talia verba non significant talem debere per judicem excommunicari, sed significant jus habere vim sententiæ: quare verba futuri temporis «erit, incurret», etc., non significant censuram post factum commissum esse ferendam ab alio, sed ab ipso jure infligendam esse, hoc ipso quo tale factum committetur : ita Coninck, nec improbabiliter, licet alii de hoc dubitent.

Cæterum advertunt communiter auctores quod in æquali dubio, quando termini sunt absolute ambigui, debeat potius judicari censura ferendæ sententiæ quam latæ; quia juxta regulam juris 49 in 6 : « In pœnis benignior facienda est interpretatio. »

ARTICULUS II.

AN SIT IN ECCLESIA POTESTAS FERENDI CENSURAS, ET QUI POSSINT EAS FERRE?

Dico 1° : Est in Ecclesia potestas ferendi censuras.

Est definita in concilio Constantiensi, sess. 8, errore 30 Wicleffi, et sess. 15, errore 19.

Prob. 1° ex cap. 16 et 18 Matth., ubi Christus confert Apostolis potestatem ligandi atque solvendi, ita ut quidquid ligaverint aut solverint in terris, sit ligatum aut solutum in cœlis : quod esse intelligendum de potestate ligandi etiam per censuras, non solum docent SS. Patres, sed aperte colligitur ex hoc quod Christus addit, Matth. 18, habendum esse ut ethnicum et publicanum eum qui Ecclesiam non audierit, ita ut sit exclusus a communione fidelium, sicut ethnici et publicani erant tunc exclusi a communione Judæorum.

2° Ex Apostolo qui usus est hac potestate 1 Cor. 5. tradens incestuosum satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit. Et 1 Timoth. 1 dicit se Hymæneum et Alexandrum tradidisse satanæ, ut discant non blasphemare.

3° Ex praxi totius Ecclesiæ, in qua a temporibus Apostolorum semper viguit usus ferendi censuras, ut constat ex antiquissimis canonibus qui dicuntur Apostolorum, et ex canonibus conciliorum, atque summorum pontificum scriptis. Vide in jure, causa 24, q. 3.

4° Ratione : In omni republica bene ordinata debet esse potestas privandi subditos bonis communibus quando id ipsi merentur et bonum commune exigit, id per se patet : atqui Ecclesia a Christo instituta est respublica bene ordinata, et censura nihil aliud est quam privatio bonorum communium spiritualium, ut patet ex art. præced. : ergo.

Dices : Maledicere christiano peccatori, ipsum tradere satanæ hosti infensissimo, et ipsum privare mediis resipiscendi, sapit crudelitatem et vergit in destructionem, non in ædificationem : atqui ista fiunt per censuras, præsertim per excommunicationem : ergo potestas Ecclesiæ, quæ est ad ædificationem et non ad destructionem, non est ad ferendas censuras.

Resp. dist. maj. Ista sapiunt crudelitatem, etc., si in iis sistatur, conc.; si ordinentur ad salutem peccatoris et bonum commune, neg. Ad cujus sensum distincta min. neg. conseq [1]. Itaque 1° Ecclesia, maledicendo peccatori per censuras, non sistit in malo quod irrogat, sed illud ordinat ad bonum illius, sicut medicus aliquod nocumentum infert infirmo, ut sectionem per quam ab infirmitate liberatur [2]. 2° Non est inconveniens quod qui non est desperatus, hosti tradatur, non damnandus, sed corrigendus, præsertim cum sit in potestate Ecclesiæ ex hostis manu ipsum, cum voluerit, eripere. 3° Non privatur excommunicatus omnibus mediis resipiscendi, sed aliquibus tantum, et hoc quandoque expedit ejus bono, ut pudore suffusus humilietur et agnoscens suam miseriam ab ea resipiscat [3]. Sic Deus aliquando hominem relinquit, ut subtractis auxiliis quibus a malo præpediebatur, suam infirmitatem cognoscat, et humilis ad Deum redeat, a quo superbus recesserat; sic in humanis infirmus qui non vult obedire medico, ab eo deseritur, ut desertus, premente necessitate, ipsum requirat et obediat.

Si quidam SS. Patres videantur improbare censuras, loquuntur de iis qui non intuitu boni, sed ex odio aliquos separant ab Ecclesia sine spe redeundi.

Dico 2° : Omnis et solus prælatus, habens jurisdictionem spiritualem in foro externo, potest jure ordinario ferre censuras in subditos contumaces.

Dicitur 1° : Solus habens jurisdictionem spiritualem in foro externo; quia [4] quæ obligant hominem comparative ad alios homines et important pœnas publicas coercitivas, pertinent ad forum publicum exterioris judicii.

Dicitur 2° : Omnis habens, etc.; quia cum potestas ecclesiastica fori interni sit ad servandam disciplinam per leges, præcepta et sententias, infirma foret et inermis, si non posset pœnis et censuris rebelles coercere, et ad obediendum compellere. Cæteræ particulæ patent ex articulo præcedenti.

Hi sunt itaque qui jure ordinario possunt ferre censuras : Summus Pontifex et concilia generalia in tota Ecclesia : episcopi respectu eorum qui in sua diœcesi commorantur; archiepiscopus in diœcesibus suorum suffraganeorum, solum tamen quando eas visitat, aut causa per appellationem est ad eum devoluta; vicarii episcoporum qui habent unum tribunal cum episcopo; capitulum sede vacante ejusque vicarius; quia succedit in locum episcopi; quidam archidiaconi et archipresbyteri ex consuetudine; cardinales in Ecclesia sui tituli; ac tandem ex privilegio prælati religionum habentes jurisdictionem quasi episcopalem.

Secundum S. Thomam citatum et cap. *Cum ab Ecclesiarum* de Officio Judic. ordin. id in certis casibus olim erat a jure concessum parochis, sed hoc in dissuetudinem abiit. Neque etiam id possunt abbatissæ, quia non habent jurisdictionem spiritualem, sed œconomicam tantum, sicut patet in familia.

Neque obstat quod cap. *Dilecta* de Majorit. et Obedient., Papa jubeat observari suspensionem qua abbatissa quosdam clericos sibi subditos ab officio suspenderat; suspensio enim ibi non sumitur stricte pro censura cujus violatio inducit irregularitatem, sed pro præcepto quo illa clericis sibi subditis et inobedientibus exercitium sui officii interdixerat; quod patet evidenter ex ipso eodem capite ubi pontifex jubet cuidam abbati, ut per censuras compellat hos inobedientes parere abbatissæ, quod clare ostendit ipsam censuram ferre non potuisse.

Dico 3° : Qui habent potestatem ordinariam ferendi censuram, possunt illam aliis delegare : cap. *Cum episcopus* de Officio ordinarii, in 6.

Potest autem hæc potestas delegari cuivis clerico clericalibus privilegiis gaudenti; quia hic est capax jurisdictionis spiritualis, ad quam non requiritur potestas ordinis.

Non potest committi laicis, cap. *In nona* 16, q. 7, cap. *Decernimus* de Judic., cap. *Judicatum*, dist. 89, nisi a Papa ex plenitudine potestatis, quia hoc est juris humani in quo potest dispensare.

An autem ab eodem Summo Pontifice possit committi fœminæ, disputant theologi : quidam affirmant; quia, inquiunt, id non repugnat juri divino; alii negant, et, ut videtur, verisimilius; quia jure divino fœmina est incapax omnis jurisdictionis exercendæ per claves; potestas enim clavium jure divino data est Apostolis tantum, et eorum successoribus: fœminæ autem nullo modo succedunt Apostolis. Et ita sentire videtur Innocent. III, cap. *Nova* de Pœnit. et Remiss., dicens quod « licet Beatissima Virgo dignior et excellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves regni cœlorum commisit. »

Cæterum omnes fatentur Ecclesiam nun-

[1] Supp. q. 21, a. 2, ad 1. [2] Ibid. ad 3. [3] Ibid. c.
[4] Ibid. q. 22, a. 1, o.

quam alicui fœminæ hanc potestatem commisisse, neque id expediens et decens fore.

Petes utrum censura debeat ferri in scriptis, causa censuræ expressa?

Resp. affirmative : Ita decernitur cap. *Cum medicinalis* de Sententia Excommunicat. in 6. Et qui aliter fecerit, per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ et divinis officiis suspenditur ; non tamen declaratur censura nulla, sed facile a superiore relaxanda. Citatur in contrarium can. *Statutis* et cap. *Legum*, causa 2, q. 1, quibus declaratur quod censura sine scripto lata, *Nec nomen sententiæ habere mereatur ;* sed jus quod citavimus istis est posterius.

ARTICULUS III.

In quos possit ferri censura?

Dico : Solus homo viator baptizatus ratione utens qui habet superiorem in Ecclesia, potest ligari Censuris. Jam patet ex definitione censuræ art. 1: magis adhuc explicatur.

Dicitur 1°: Solus homo viator ratione utens; quia is solus est capax delicti contumaciæ et emendationis, quæ sunt solæ causæ ob quas potest ferri censura, ut jam diximus, et dicemus a. seq. Insuper tam dæmones quam defuncti sunt extra forum ecclesiæ militantis.

Unde quando legimus aliquos post mortem fuisse excommunicatos, id intelligitur, vel de declaratione excommunicationis quam viventes incurrerant, et in qua sunt defuncti, vel de excommunicatione impropria et indirecta quæ nihil est aliud quam prohibitio facta viventibus dare mortuis sepulturam ecclesiasticam, et pro ipsis offerre sacrificia et suffragia publica; idque ad terrorem viventium, et in detestationem alicujus gravis sceleris : quo etiam sensu possunt absolvi mortui, permittendo viventibus, ut ipsis concedant sepulturam ecclesiasticam, et pro illis offerant sacrificia et suffragia publica ; vel intelligitur de execratione et detestatione: quo sensu, etiam hi qui non habent potestatem ferendi censuras, dicere possunt : Anathematizamus hæreticos, id est, illos detestamus et execramus tanquam alienos ab Ecclesia.

Dicitur 2° : Baptizatus ; quia, ut jam dictum est, Ecclesia non potest ferre censuram nisi in subditos : homo autem fit Ecclesiæ subditus per Baptismum.

Dicitur 3° : Habens superiorem in Ecclesia, quia par in parem aut superiorem non habet auctoritatem ; et ideo Summus Pontifex non potest incurrere censuram.

Petes utrum peregrinus subjiciatur censuris diœceseos, per quam transit, et subditus existens in aliena diœcesi censuris suæ diœceseos? Utraque quæstio controvertitur. Juxta probabiliorem mihi sententiam,

Resp. ad primam quæstionem, hujus resolutionem pendere ab altera quæstione, utrum peregrini subjiciantur legibus territorii per quod transeunt, quam resolvimus affirmative in tract. de Legibus, dissert. 4, art. 8. Illuc recurre.

Ad secundam : Subditus non incurrit censuram in propria diœcesi latam per legem seu statutum generale, si contra illud agat in alia diœcesi, seu etiam in sua diœcesi, sed in loco exempto. Ita expresse in jure cap. *Ut animarum*, de Constitutionibus in 6, ubi legitur : « Statuto episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius diœcesim committentes, minime ligari noscuntur ; cum extra territorium dicenti non pareatur impune. »

Dixi 1° : Per legem seu statutum generale ; quia dubium est de censura per præceptum seu sententiam particularem lata, ut si episcopus prohibeat Joanni clerico peregrinaturo sub pœna suspensionis, ne ludat alea ; quidam volunt eum non incurrere censuram, si ludat in alia diœcesi, vel sua quidem, sed in loco exempto, quia ratio canonis est generalis, scilicet : « Dicenti extra territorium impune non paretur. »

Alii volunt eum incurrere censuram ratione discriminis quod dicunt intercedere inter legem seu statutum generale, et præceptum seu sententiam particularem ; lex enim seu statutum generale tendit ad territorium, illique cohæret, atque idcirco neminem ligat extra territorium, præceptum vero seu sententia particularis immediate tendit ad personas subjectas, earumque ossibus cohæret quocumque terrarum discesserint : ita Layman. Addunt veram causam cur episcopus in aliena diœcesi sententiam ferre nequeat, eam solam esse, ne alienum territorium invadere et violare videatur ; quæ ratio cessat dum fert censuram sine strepitu incurrendam. Verum reponi potest id pariter contingere in censura per statutum lata. Cæterum quod probabilius reputabit lector eligat.

Observandum est autem hanc difficultatem non currere de prælatis religiosorum quorum

jurisdictio non circumscribitur certis locorum limitibus, sicut jurisdictio episcoporum, sed est immediate in personas. Quapropter ubicumque sint, eodem modo eis sunt subjectæ, et eodem modo ab eis coerceri et puniri possunt.

Dixi 2° in secunda responsione : Vel in loco exempto; quod plures intelligunt de aliqua parochia, vel oppido, a jurisdictione episcopi omnino exempto, non de monasteriis mendicantium ; quia cum horum superiores non possunt illos externos apud se delinquentes corrigere, si neque id possent episcopi, tales manerent impuniti et nulli foro subjecti.

ARTICULUS IV.

OB QUAM CAUSAM POSSIT FERRI CENSURA?

Dico : Censura non fertur nisi ob peccatum externum mortale in sua specie consummatum et involvens inobedientiam seu contumaciam contra Ecclesiam.

Quamvis, ut præcedens, jam pateat pro majori parte ex definitione censuræ, art. 1, magis adhuc explicatur.

Dicitur 1° : Ob peccatum mortale externum; quia, ut dictum est in definitione censuræ, Ecclesia non judicat de internis, nec infligit gravissimam pœnam, qualis est censura, nisi pro gravi peccato; pœna enim debet proportionari culpæ. Excipe nisi sit suspensio aut interdictum in re levi.

Dicitur 2° : In sua specie consummatum quia licet Ecclesia possit ferre censuram contra peccatum non consummatum, v. g., contra mandantem homicidium, effectu etiam non secuto, si tamen illud non exprimat, intelligitur de opere consummato, ex regula generali, quod odiosa sint restringenda : unde qui conatur percutere clericum, et non percutit, non incurrit excommunicationem. Si esset censura lata in homicidam, qui vulneraret aliquem lethaliter, non incurreret censuram, si vulneratus non moriatur ex vulnere.

Dicitur 3° : Et involvens inobedientiam et contumaciam contra Ecclesiam. Patet, ut jam diximus 1° ex verbis Christi, Matth. 18 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*; 2° ex cap. *Ex parte* 1, de Verbor. significat., ubi referuntur tantum duæ causæ propter quas potest ferri excommunicatio seu interdictum in aliquem (idem dicendum de suspensione), vel quia, citatus et monitus, non vult a peccato abstinere, vel quia pro peccato commisso jussus satisfacere renuit. 3° Cap. *Qua fronte* de Appellat., dicitur quod ligatus excommunicatione aut interdicto, statim ac est paratus obedire judici et dat cautionem, sit absolvendus; idem cap. *Ex litteris*, de Constitut. : ergo si non est contumax, sed paratus obedire, non est censura ligandus. 4° Cap. 1 de Sentent. Excommun. in 6, dicitur quod censura non sit pura pœna seu vindicta, sed pœna medicinalis, disciplinans, non eradicans; quare caute provideat « ecclesiasticus judex ut in ea ferenda ostendat se prosequi quod corrigentis atque medentis est » : atqui inhumanum et irrationabile foret, darè alicui medicinam asperam, qualis est censura, quando aliter sanari et emendari potest, qualis præsumitur quivis, donec mandatis et monitionibus Ecclesiæ renuat obedire.

Hinc inferes 1° censuram non posse ferri pro peccato omnino præterito, id est, quod penitus cessavit, nec habet præsentem inobedientiam conjunctam.

Inferes 2° censuram non posse ferri sine prævia monitione, cum hoc tamen discrimine, quod ad censuram per legem aut præceptum sive generale, sive speciale superioris factum sub comminatione censuræ de peccato futuro, v. g.: Quicumque hoc fecerit, vel si hoc feceris, ipso facto sis excommunicatus, suspensus, etc., non requiratur alia monitio quam ipsius legis aut præcepti, quod vi sua continuo admonet, modo tamen prohibeatur aliquid fieri; quia si præcipiatur aliquid fieri, videtur opus esse monitione, ut appareat delinquentem fuisse pertinaciter in mora et nullo legitimo impedimento excusari.

Sed ad censuram ab homine infligendam pro peccato præterito aut præsente, in quo reus pertinaciter perseverat et pro quo satisfacere recusat, requiritur expressa monitio cap. *Reprehensibilis* de Appellat., cap. *Romana* et cap. *Constitutionem* de Sentent. excommunicat. in 6. Ratio est quia, ut diximus, non fertur censura nisi in contumaces: contumaces autem non sunt, nisi qui præcedente monitione sub censura obedire recusant; et hæc ratio probat censuram sine prævia monitione, non solum esse injustam, sed etiam invalidam; atque ita declaratur in jure, cap. *Constitutionem* citato, et cap. *Statutum* ibid., ubi dicitur hujusmodi censuram non tenere.

Triplex debet esse monitio, cap. *Omnes decimæ*, causa 16, q. 7, et c. *Illicita*, causa 24, q. 3; item cap. *Romana* et cap. *Constitutionem* citato : attamen, juxta lib. *Contumacia*, ff. de

Re Judicata, potest fieri unica monitio pro trina, præfixo eo temporis spatio, quod pro trina sufficiat, dicendo, v. g.: Moneo te semel pro tribus vicibus, ut intra tres dies hoc facias, concedendo tibi singulos dies pro singulis monitionibus, vel totum illud tempus pro tribus monitionibus. Imo si periculum immineat, nec res patiatur moram, secundum communem sensum theologorum, judex potest statim rem aggredi, excommunicationem comminari, et contra inobedientem ferre.

Item hæc canonica monitio debet fieri a judice, aut ejus nomine et immediate ipsi reo, si fieri potest, sin minus in ejus domo, vel in loco publico, unde possit ad ejus notitiam pervenire. Item debet fieri coram testibus idoneis, per quos possit probari, cap. *Sacro*, de Sentent. Excommun.

Petes 1° utrum si censura non sit latæ, sed ferendæ sententiæ, judex possit statim procedere contra reum convictum, et in ipsum ferre censuram absque monitione?

Resp. probabilius negative cum Covarruvias, Cajetano, Layman et pluribus aliis contra alios. Ratio est 1° quia cap. *Reprehensibilis* citato, de Appellat. dicitur : « Nec prælati, nisi canonica commonitione præmissa, suspensionis vel excommunicationis sententiam proferant in subjectos, nisi forte talis sit culpa, quæ ipso suo genere, id est, ipso facto, ut ait Glossa ibid., suspensionis vel excommunicationis pœnam inducat. » Exceptio autem firmat regulam in aliis : ergo ad omnem censuram, quæ non ipso facto incurritur, sed est a judice infligenda, requiritur canonica monitio. 2° Ob crimen præteritum et emendatum censura ferri non potest, ut patet ex præcedentibus : atqui si judex possit censuram sententiæ ferendæ exequi contra reum nulla monitione præmissa, sæpe ferretur censura propter crimen præteritum et emendatum : ergo. Confirm. : Si is qui est censura ligatus se paratum exhibeat a peccato desistere et satisfacere Ecclesiæ, debet absolvi a censura, ut dictum est : ergo non debet censura ligari si pariter sit paratus a peccato desistere et satisfacere Ecclesiæ : id autem sciri non potest nisi moneatur.

Petes 2° utrum ignorantia excuset a censura?

Resp. Ignorantia etiam vincibilis, modo non sit crassa et supina, sive juris sive facti, sive censuræ facto annexæ, excusat a censura. Pro quo vide tract. de Peccatis, dissert. 5, a. 7.

Petes 3° utrum qui ex gravi metu facit actionem prohibitam sub censura, eam incurrat?

Resp. negative regulariter loquendo; quia ad censuram requiritur contumacia quæ sit interpretativus contemptus potestatis ecclesiasticæ; qui autem ex metu gravi violat legem ecclesiasticam, non censetur hanc potestatem contemnere : ergo. 2° Quia leges ecclesiasticæ regulariter non obligant cum tanta severitate.

Dixi : Regulariter loquendo; quia si ratione prohibitionis ecclesiasticæ actio prohibita reddatur intrinsece mala, metus gravis non excusat a censura, v. g., si sacerdos excommunicatus et publice denuntiatus ex metu gravi exciperet confessiones et absolveret; aut si quis metu gravi adigeretur ad communicandum cum excommunicatis in contemptum religionis; in his, inquam, et similibus casibus, transgrediens legem ecclesiasticam incurreret censuram; quia in primo casu ratione prohibitionis ecclesiasticæ confessiones sunt invalidæ, et fit gravis injuria sacramento; in secundo eadem ratione gravis injuria irrogatur religioni. Et hoc sensu intelligendum est caput *Sacris* de his quæ vi metusve causa fiunt, ubi dicitur quod qui per vim et coactionem communicat cum excommunicato, non incurrat excommunicationem, qui autem communicat ex metu, incurrat; quia qui per vim et coactionem communicat, nunquam incurrit; qui autem ex solo metu, quandoque incurrit: scilicet in casibus positis et similibus, licet non regulariter. Vel loquitur canon de metu abstrahendo a gravi et levi; qui autem agit ex metu levi, incurrit censuram.

ARTICULUS V.

UTRUM CENSURA INJUSTE LATA HABEAT ALIQUEM EFFECTUM?

Censura potest esse injusta dupliciter [1] : 1° ex parte ferentis, ut si illam ferat ex odio, vel ira, servatis aliunde servandis, et sic dicitur injusta eo modo quo omne peccatum dicitur injustitia; 2° ex parte ipsius censuræ, si vel causa sit indebita, vel prætermissus fuerit ordo juris. Est autem duplex ordo juris. unus accidentalis, ut si censura non sit lata in scripto, si non præcesserit trina monitio, etc.; alter substantialis, ut si ferens careat jurisdictione, si causa non sit legitime probata, si censura feratur post legitimam appellationem, vel nulla præmissa monitione, etc.

Suppono 1° censuram ex parte ferentis tan-

[1] Supp. q. 21, a. 4, o.

tum injustam, aut latam prætermisso ordine juris accidentali esse validam et consequi omnes suos effectus ; quia nihil deest essentiale.

Suppono 2° censuram injustam ratione causæ indebitæ, aut defectu ordinis substantialis, si injustitia sit notoria, sic esse invalidam ut nullum habeat effectum, neque per se cum sit nulla, neque per accidens ratione scandali vitandi ; quia cum injustitia sit notoria, nulli potest esse scandalum si non servetur.

Difficultas ergo restat de censura occulte injusta ratione causæ indebitæ, ut si feratur in innocentem probatum juridice nocentem ; injustitia enim ex aliis defectibus potest facile innotescere.

Dico [2] : Censura lata in innocentem probatum juridice nocentem, reipsa et in foro conscientiæ est invalida, nec ullum habet ex se effectum ; per accidens tamen ratione scandali vitandi habet aliquos.

Prob. prima pars : Ecclesia nec vult nec potest excedere limites suæ potestatis : atqui potestas ferendi censuras data est Ecclesiæ contra nocentes inobedientes, non contra innocentes : ergo.

Prob. secunda pars : Censura de qua agitur, ex parte judicis est justa, atque ad publicam utilitatem et disciplinam lata : ergo juridice reus tenetur illi parere in quantum necessarium est ad publicam utilitatem, et ut judicis et Ecclesiæ auctoritas non veniat in contemptum.

Hinc inferes hujusmodi censura ligatum, reipsa et coram Deo non privari suffragiis et orationibus Ecclesiæ, jurisdictione in foro interno et externo, potestate conferendi et accipiendi beneficia ecclesiastica, usu activo et passivo sacramentorum, neque communione fidelium, ita ut posset occulte et coram scientibus ejus innocentiam, absolvere, celebrare sacrum, illud audire, communicare cum aliis tam in spiritualibus quam in temporalibus; secus autem publice, seu coram nescientibus ejus innocentiam propter scandalum.

Et ideo merito damnata est hæc propositio 91 Quesnelli : « Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro » : siquidem injusta excommunicatio, cujus injustitia non est nota, impediat excommunicatum celebrare missam, illam audire, adesse divinis officiis et alia ex quibus nasceretur scandalum, juxta ea quæ diximus superius de scandalo. Adde hanc propositionem fuisse damnatam in sensu auctoris ; intendebat autem auctor hac propositione obfirmare contumaciam eorum qui damnationi Jansenii subscribere renuebant, ut testantur episcopi Galliæ in sua institutione pastorali. Verius ergo dixit S. Gregorius : « Sententia pastoris sive justa sive injusta fuerit, timenda est. »

[2] Ibid et ad 1.

ARTICULUS VI.

QUIS POSSIT ABSOLVERE A CENSURA?

Suppono censuram tolli duntaxat per absolutionem legitimi judicis, non per ejus mortem aut depositionem ; quia pœna, per legitimam judicis sententiam inflicta, transit in rem judicatam, et ideo eadem auctoritate publica qua contracta est, debet dissolvi.

Dico 1° : A censura ab homine lata per sententiam particularem, is solus absolvere potest qui eam tulit, vel superior, vel successor, aut delegatus.

Colligitur 1° ex canone Arabico 47 concilii Niceni qui sic habet : « Nullus episcopus solvat quem alius episcopus ligavit, quamdiu ille qui ligavit vixerit » ; 2° ex hac regula communiter recepta : « Ejusdem est solvere et ligare » ; 3° ex cap. *Prudentia*, § *sexta* de Officio et Potest. judicis delegati. Ratio est ; quia censura sic particulatim lata est sententia judicis quam nullus alius, nisi superior, aut successor, aut delegatus rescindere potest sine violatione illius jurisdictionis.

Dico 2° : A Censura juris seu sententiæ generalis reservata, is solus absolvere potest qui sibi reservavit, vel superior, vel successor, vel delegatus : patet ex præcedenti conclusione.

Dico 3° : A censura juris, si non sit reservata, potest absolvere quilibet confessarius, cap. *Nuper* de Sentent. Excommunicat. Et ideo solent confessarii præmittere absolutionem a censuris absolutioni a peccatis. Item videtur dicendum de censura lata ab homine per generale statutum, si non sit reservata; quia censura sic generatim lata non continet proprie sententiam judicis. cujus rescissio per alium foret violatio suæ jurisdictionis ; sed potius continet præceptum sub tali censura impositum ; ideoque ex hac parte censuræ juris æquiparatur.

Ex his colliges quod censura ligatus per sententiam particularem a suo episcopo propter crimen et contumaciam, si domicilium mutet, aut ingrediatur religionem, non possit absolvi ab alio episcopo vel prælato, quia episcopus

qui censuram tulit propter causam in suo tribunali cœptam, et nondum finitam, retinet jus in eum quem censura ligavit, juxta hanc regulam juris : « Præventus a judice forum ipsius in ea causa declinare non potest. » Et colligitur ex cap. *Proposuisti,* de Foro competenti : secus autem propter contrariam rationem, si censura sit a jure vel ab homine, per statutum generale lata ; poterit enim tunc absolvi ab alio episcopo præsentis domicilii, vel prælato, imo a quolibet confessario, si non sit reservata in loco domicilii.

Petes 1° utrum ad validam absolutionem a censuris requiratur determinata verborum forma ?

Resp. negative ; quia id nullibi necessario requiritur ad validitatem absolutionis, sed sufficit, si proferatur verbis aut signis exprimentibus voluntatem absolventis ; non potest tamen fieri actu mere interno sine verbis aut signis, quia est actus jurisdictionis exterioris.

Petes 2° utrum absens, vel invitus possit absolvi a censura ?

Resp. affirmative[1] ; quia sicut absens, aut invitus potest censura ligari, multo magis potest ab ea absolvi sola voluntate potestatem absolvendi habentis, modo tamen humano significata.

Nec obstat[2] quod censuræ causa motiva sit contumacia, quæ videtur maxime esse in invito ; quia superior, etiam manente contumacia, potest discrete censuram juste latam remittere si videat saluti illius expedire, in cujus medicinam fuerat lata.

DISSERTATIO II.

De censuris in particulari, nec non de irregularitate.

D. Th. Suppl. qq. 21, 22, 23, 24.

ARTICULUS I.

DE EXCOMMUNICATIONE.

§ I.

Quid sit excommunicatio, et qui ejus effectus ?

Excommunicatio, quasi extra communicationem, generaliter sumpta, est censura ecclesiastica separans ab aliqua communione Ecclesiæ.

Est duplex, minor et major. Minor est censura ecclesiastica separans a participatione passiva seu susceptione sacramentorum, Cap. *Si celebrat,* de Clerico excommunicato.

Excommunicatio major[1] est censura ecclesiastica separans a qualibet licita communione fidelium, consequenter a participatione tam passiva quam activa sacramentorum, a suffragiis publicis Ecclesiæ, et a fidelium convictu. Et hæc semper intelligitur, quando est sermo de excommunicatione sine addito, cap. *Si quem* de sentent. Excom.

Ad intelligentiam definitionis datæ observandum[3] est triplicem esse fidelium communionem : unam pure internam qua fideles per gratiam et charitatem inter se et cum Christo uniuntur ; secundam pure externam consistentem in convictu, colloquio, commerciis, cæterisve actionibus ad humanam societatem pertinentibus ; tertiam mixtam consistentem in actionibus et cæremoniis exterioribus, sed interiorem et spiritualem fructum habentibus ex propria institutione, ut sunt usus, tum activus, cum passivus sacramentorum, suffragia

[1] Suppl. q. 21, a. 1, o.

[1] Suppl. q. 24, a. 2, o. [2] Ibidem ad 2. [3] Ibid. et ad 1.

publica quæ in sacrificiis et publicis officiis pro universa Ecclesia fiunt, satisfactiones Christi et sanctorum, quæ per indulgentias applicantur, etc.

Excommunicatio itaque non tollit nec tollere potest communionem pure internam, sed supponit per peccatum mortale propter quod fertur, sublatam: tollit autem mere externam et mixtam, ut mox articulatim explicabo. Et ita differt a suspensione quæ est tantum privatio usus sacri ministerii et beneficii, spectatque solum ecclesiasticos, et ab interdicto quod privat tantum participatione rerum sacrarum, ut sacræ sunt.

Explicantur effectus excommunicationis.

Primus [1] est privatio susceptionis sacramentorum extra casum necessitatis, cap. *Cum illorum* et cap. *Si quem* de Sentent. Excom. Quia in sacramentis participandis fideles communicant; valide tamen suscipiuntur, quia cum validitas sacramentorum pendeat ex institutione Christi, posita materia et forma, atque intentione ministri, non potest ab Ecclesia impediri. Excipe sacramentum Pœnitentiæ quod indirecte impeditur propter indispositionem subjecti. Si tamen pœnitens bona fide procedat, non se reputans excommunicatum, aut putans excommunicationem non impedire absolutionem, vel confessarius obliviscatur absolvere ab excommunicatione priusquam a peccatis, valide absolvitur a peccatis remanente censura; quia excommunicatio pœnitentis non tollit a confessario jurisdictionem, sed tantum prohibet pœnitenti ne accedat ad sacramentum non absolutus ab excommunicatione, quod cum ille, ut suppono, ignoret invincibiliter, aut credat confessarium debite suo munere fungi, excusatur a transgressione hujus prohibitionis, nihilque obstat ex hac parte, quominus sit valida confessio et absolutio a peccatis.

Dixi: Extra casum gravis necessitatis; quia in casu gravis necessitatis, puta ad vitandum periculum imminens mortis, mutilationis, infamiæ, jacturæ bonorum, aut scandali, excommunicatus non peccat suscipiendo sacramenta, quia lex ecclesiastica non obligat cum tanto rigore.

Secundus effectus est privatio suffragiorum communium Ecclesiæ, quæ a publicis ministris pro tota Ecclesia, seu pro fidelibus tanquam pro membris Ecclesiæ fiunt: item et satisfactionum quæ ab Ecclesia conferuntur fidelibus per indulgentias; est enim in his maxima fidelium communicatio, et colligitur ex cap. *A nobis* 2 et cap. *Sacris* de Sentent. Excomm. Atque expresse docet S. Greg., l. 2 *Dialog.*, c. 23, ita ut nemini liceat orare pro excommunicatis, tanquam pro membris Ecclesiæ; orare autem pro ipsis, non tanquam pro membris Ecclesiæ, sed ut ad Ecclesiam redeant, licet et publice et privatim, sicut docui in tract. de Religione, dissert. 2, art. 6. Vide.

Tertius effectus: Excommunicatus prohibetur celebrare divina officia, aut iis interesse, hoc est enim communicare cum fidelibus; colligitur ex cap. *Significavit*, cap. *Nuper*, cap. *Responso* de Sentent. Excom., et cap. *Alma*, eodem tit., in 6.

Divina autem officia dicuntur sacræ functiones quæ ab Ecclesia solemniter fiunt, ut missæ sacrificium, publica recitatio horarum canonicarum, quævis alia oratio publica, processio, benedictio, consecratio, etc., ita ut si excommunicatus non toleratus seu vitandus, de quo infra, adsit divinis officiis, præsertim missæ, moneri debet ut discedat; si jussus discedere renuat, incurrit novam excommunicationem Papæ reservatam, Clement. *Gravis* de Sentent. Excomm., et est expellendus per laïcos, aut etiam per clericos, si desint laici. Quod si expelli non possit, omnes fideles debent recedere, sacerdos autem debet abrumpere sacrificium, si nondum inceperit canonem juxta plures, aut consecrationem juxta alios, alioquin debet pergere usque ad sumptionem calicis inclusive, et iterum monito excommunicato ut recedat, si nolit, debet sacerdos recedere ab altari, et missam perficere in sacristia vel alibi. Observant tamen canonistæ hæc intelligenda esse de sacrificio missæ respectu istius altaris tantum cui excommunicatus non toleratus adest; si enim in eadem Ecclesia sint alia altaria, nihil prohibet missam in eis peragi, etiam præsentibus fidelibus.

Non prohibetur autem excommunicatus privatim orare, nec audire concionem in Ecclesia: unde si sit adstrictus Breviario, tenetur illud recitare, etiamsi ratione excommunicationis fructibus beneficii privetur; quia cum per eum stet, quominus resipiscendo absolvatur et fructus percipiat, « Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare », reg. 86 juris in 6; dum autem recitat officium, non debet dicere: Dominus vobiscum, quia

[1] Ibid. o.

hoc importat communicationem sacram cum populo, sed debet dicere : Domine, exaudi orationem meam : in recitatione tamen privata officii, videtur materia levis, et ideo peccatum veniale.

Petes utrum qui voluntarie remanet in excommunicatione, dum potest ab ea absolvi, peccet contra præceptum audiendi missam, confitendi annue, et communicandi in Paschate ?

Resp. probabilius affirmative. Quantum ad confessionem annuam, et communionem paschalem est communis sententia, quia ista præcepta per se obligant ad munditiem animæ, consequenter ad tollenda vincula peccati et excommunicationis. Quantum ad auditionem missæ, negat Navarrus, Suarez, etc., quos citat et sequitur Layman ; quia, inquiunt, quamdiu est in excommunicationem non debet audire missam, sed neque ratione hujus præcepti videtur obligatus, ut se disponat, et impedimentum tollat, cum ea dispositio sit valde remota. Quemadmodum nec is qui sua culpa in vinculis detinetur, contra præceptum de audienda missa die festo delinquit. At totum hoc negandum arbitror ; quia quo jure teneor observare legem, eo teneor tollere, cum possum, impedientia observationem legis. Fateor quidem, quamdiu quis subjacet excommunicationi, eum non teneri audire missam, sicut nec quamdiu quis detinetur in vinculis ; at cum uterque potuerit, et ideo debuerit tollere hoc impedimentum, omissio missæ est utrique voluntaria, et imputabilis in causa, negligentia scilicet, tollendi hoc impedimentum ; sicut qui posset habere Breviarium, et negligeret, omissio recitationis Breviarii esset ipsi voluntaria, et imputabilis in causa, scilicet in ipsa sua negligentia comparandi sibi Breviarium.

Quartus effectus est privatio administrationis sacramentorum. Colligitur ex cap. *Si celebrat* de clerico excommunicato, et patet ex notione excommunicationis : quæ enim major communicatio cum fidelibus quam illis ministrare sacramenta? Attamen sacramenta ab excommunicato collata sunt valida ; quia, ut jam dixi, eorum valor pendet ab institutione Christi, quam impedire non potest Ecclesia. Excipe sacramentum Pœnitentiæ collatum ab excommunicato non tolerato ; quia ad illud requiritur jurisdictio qua privatur excommunicatus non toleratus. ut dicam infra, nisi interveniat publicus error cum titulo colorato, ut dictum est alibi, aut nisi agatur de pœnitente in articulo mortis. Quantum ad hunc et præcedentem effectum, excipiendus est casus necessitatis, ut dictum est de primo effectu.

Quintus effectus est inhabilitas ad suscipiendum quodvis beneficium, dignitatem aut munus ecclesiasticum, ita ut præsentatio aut electio excommunitati, item institutio seu confirmatio ipso jure sit nulla : colligitur ex cap. *Postulastis*. Et ratio est, tum quia assumptio ad quodvis munus ecclesiasticum est magna eaque ecclesiastica communicatio, tum quia, prohibito exercitio actus, censetur prohibitum illud omne per quod pervenitur ad illud ; prohibetur autem excommunicato exercitium muneris ecclesiastici.

Petes 1° utrum excommunicatus sit etiam inhabilis ad pensionem recipiendam ?

Resp.: Est inhabilis ad pensionem clericalem spiritualem, quæ scilicet datur ratione alicujus ministerii spiritualis, ut concionatori, coadjutori episcopi, etc., quia eadem est ratio de illa ac de beneficio seu officio ecclesiastico. Non est inhabilis ad pensionem laicalem quæ datur ratione alicujus ministerii temporalis, ut ædituo, quia potius rationem stipendii temporalis habet quam beneficii aut officii spiritualis. Pluribus etiam non videtur inhabilis ad pensionem clericalem mixtam, quæ quidem non datur ratione ministerii spiritualis præstandi, requirit tamen statum clericalem, ut quæ datur pastori seni, resignanti, etc., in cujus probationem profertur declaratio cardinalium super sess. 14 concilii Trid., cap. 7, de Reformatione ; quam etiam refert Gallemart ad idem caput, in qua dicitur, quod incapacitas homicidæ ad beneficia « non extendatur ad pensiones » : quæ verba intelligi non possunt de pensione mere spirituali cujus est incapax homicida irregularis : ergo de omni alia pensione. Triplicem hanc pensionem distinctius explicatam require in tract. de Religione, dissert. 11, a. 6, concl. 5.

Petes 2° utrum clericus excommunicatus possit percipere fructus sui beneficii ?

Resp. 1°: Clericus excommunicatus non videtur ipso facto privatus fructibus sui beneficii ; nullibi enim in jure id exprimitur. Equidem cap. Pastoralis § *Verum* de Appellat., dicitur : « Illi proventus ecclesiastici merito subtrahuntur cui Ecclesiæ communio denegatur » ; sed his verbis non videtur significari excommunicatum ipso jure esse fructibus sui beneficii privatum, sed per judicis sententiam privandum ; unde

Resp. 2° : Si excommunicatus per se vel per alium præstat officium, quamvis præstando peccet, probabile est quod possit fructus percipere ; quia, ut dictum est, nullo jure est ipso facto iis privatus.

Resp. 3° : Si vero neque per se, neque per alium præstat officium, et per eum stat quominus absolvatur, videtur quod ex ipsa justitiæ lege non possit percipere fructus ; quia hi dantur propter officium, quod potest præstare, et non præstat. Quod si a contumacia recesserit, et per eum non stat quominus absolvatur, etiamsi non præstet officium, quia non potest, videtur quod possit recipere et retinere fructus ; sic enim se habet sicut qui ex sua culpa infirmus non potest præstare officium, et tamen fructus percipit.

Sextus effectus : Excommunicatus non toleratus privatur omni usu jurisdictionis spiritualis, cap. *Audivimus* 24, q. 1, cap. *Si is cui* de Officio delegati in 6, cap. 1 de Officio vicarii in 6. Item privatur communicatione forensi, ita ut non possit esse judex, tabellio, advocatus, actor aut testis etiam in civilibus : cap. *Ad probandum* de Sent. et Re Judic. et cap. *Decernimus* de Sent. excommunic. in 6.

Dixi : Excommunicatus non toleratus ; quia licet jure antiquo omnis excommunicatus his privaretur, attamen jure novo post concilium Constantiense ex bulla Martini V *Ad evitanda scandala*, solis excommunicatis non toleratis hæc prohibentur. Potest tamen pars in civilibus excipere contra excommunicatum toleratum. Si vero actor aut advocatus, aut testis, etsi excommunicatus non toleratus non repellatur a judice, aut non excipiatur a parte adversa, valent eorum acta ; secus de judice excommunicato non tolerato, quia, ut dictum est, caret jurisdictione.

Septimus effectus : Rescriptum Papæ, non tamen aliorum prælatorum ab excommunicato impetratum, est ipso jure irritum, cap. 1. de Rescrip. in 6, et ideo solet inseri absolutio ad cautelam, ad effectum duntaxat rescripti consequendum.

Octavus effectus est privatio sepulturæ ecclesiasticæ et officii ecclesiastici funebris, si excommunicatus non toleratus moriatur in excommunicatione, cap. *Sacris* de Sepult. Si tamen ante mortem signa pœnitentiæ dederit, nec per illum steterit quominus absolveretur, debet post mortem absolvi ad consequenda Ecclesiæ suffragia, et sepultura ecclesiastica donari post absolutionem.

Nonus effectus est privatio omnis communicationis civilis cum fidelibus etsi hæreticis : colligitur ex cap. 2 de Except., cap. *Nuper* et cap. *Si quem*, de Sent. Excommunic., cap. *Ad mensam*, causa 11, q. 3. Et hæc obligatio non communicandi est reciproca, quamvis enim principaliter et directe afficiat excommunicatum, ne in communicationem cum fidelibus se ingerat, consequenter et indirecte afficit etiam ipsos fideles, ne excommunicati communicationem admittant; intellige tamen pro fidelibus de excommunicato non tolerato ex bulla *Ad evitanda*, ita ut possint communicare cum excommunicato tolerato. Non sic de excommunicato, qui licet sit toleratus, non potest tamen se ingerere in societatem fidelium, nisi a fidelibus requisitus ; quia bulla « non intendit excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari. » Excipe semper casum necessitatis, ut de primo casu dictum est : unde si occulta sit excommunicatio, non tenetur excommunicatus se prodere cum detrimento famæ.

Omnis autem communicatio civilis prohibita continetur hoc versu :

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Per *os* [1] intelliguntur oscula, amplexus, colloquia, litteræ, munera, etc. Per *orare*, prohibetur ne oremus cum excommunicatis. Per *vale*, prohibentur mutuæ salutationes verbo, signo, vel scripto. Per *communio*, prohibetur omnis communicatio, non solum in spiritualibus, ut explicatum est anterius, sed etiam in civilibus per contractus, commercia, cohabitationem, iter, etc, Per *mensa*, prohibetur in eadem mensa comedere, in eodem lecto decumbere. Hæc duo ultima. *Communio* et *Mensa*, intellige de sociis formaliter et ex intentione; secus si præter intentionem excommunicatus incidat in eamdem domum, idem hospitium, idem balneum, etc. Item intellige hæc omnia de excommunicato non tolerato seu vitando respectu fidelium, non respectu ipsius excommunicati : hoc est, fideles non tenentur vitare in his omnibus excommunicatum toleratum, ex bulla *Ad evitanda* ; excommunicatus tamen, etsi toleratus, non potest in his communicare cum fidelibus, nisi ab eis requisitus.

Causæ excusantes communicationem cum excommunicatis.

Sunt autem causæ [1] excusantes communi-

[1] Suppl. q. 21, a. 1. o, [1] Ibid. q. 23, a. 1. o.

cationem fidelium cum excommunicatis non toleratis, et excommunicatorum cum fidelibus; quæ ex Greg. VII in cap. *Quoniam multos*, causa 11, q. 3, comprehenduntur hoc versu:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Utile: Excusat notabilis utilitas, sive nostra, sive excommunicati [1]: unde licitum est conferre excommunicato etiam non tolerato subsidium tam spirituale quam corporale quo indiget: sic, cap. *Responso* de Sent. Excommunic., conceditur ut coram excommunicato verbum Dei publice in ecclesia prædicetur. Cap. *Cum voluntate*, eodem titulo declaratur eum non incurrere excommunicationem minorem «qui excommunicato in his quæ ad absolutionem, vel alias ad salutem animæ pertinent, in locutione participat, licet etiam alia verba incidenter, ut apud eum magis proficiat, interponat»: Vice versa, licet fidelibus accipere ab excommunicato etiam non tolerato subsidium temporale vel spirituale quo indigent, si non sit alius qui ita commode possit præstare.

Lex, scilicet matrimonialis, excusat [2]; ita ut si alter, vel uterque conjux sit excommunicatus, possunt tamen petere et reddere debitum et inter se communicare in aliis, scilicet in gubernatione domus, mensa, colloquio, etc., colligitur ex citato cap. *Quoniam multos*.

Humile: Excusat humilitas subjectionis [3] quam habent filii non emancipati ad parentes, famuli sive urbani, sive rusticani ad dominos, religiosi ad prælatum, clerici ad episcopum, qui cum excommunicatis etiam non toleratis communicare possunt, «ut vitetur periculum animarum», sicut dicitur citato cap. *Quoniam*. Ex quo inferunt plures juris interpretes, parentes et dominos posse reciproce communicare cum filiis et famulis excommunicatis: « Sicut enim, inquit Auctor, inferiores obligantur ad obsequia superiorum, ita superiores ad providentiam inferiorum.»

Dixi: *Filii non emancipati*; quia qui sunt extra potestatem parentum [4], tenentur eos excommunicatos vitare, nisi in aliquibus signis reverentiæ, quæ jure naturali debentur parentibus a filiis emancipatis.

Res ignorata: Excusat ignorantia, sive juris, sive facti, modo non sit affectata aut supina.

Necesse: Excusat necessitas tam spiritualis quam corporalis, sive propria, sive excommunicati; neque illa debet esse extrema, sufficit rationalis; colligitur ex cap. *Inter alia* de Sent. Excom. et cap. *Si vere* eodem titulo: unde si ex contractu debeam excommunicato, aut ille mihi, possum et teneor illi solvere debitum et vicissim possum ab illo exigere. Item possum a quocumque excommunicato emere aut accipere necessaria, si nullus sit alius qui vendat aut præstet.

Ex dictis colliges excommunicationem inter omnes pœnas ecclesiasticas esse gravissimam, ideoque non esse ferendam, nisi quando aliis pœnis levioribus et præviis monitionibus, nihil obtineri potuit, et est spes per illam emendæ in peccatore aut boni communis promovendi.

§ II.

Variæ quæstiones circa excommunicationem breviter resolvuntur.

Petes 1° qui sint excommunicati non tolerati et vitandi?

Resp.: Jure antiquo, ut jam dixi, omnes excommunicati erant vitandi, publice si excommunicatio erat publica, occulte si erat occulta; at nunc jure novo post concilium Constantiense ex bulla Martini V, *Ad evitanda scandala*, hi sunt tantum vitandi: 1° qui sunt nominatim excommunicati et publice denuntiati ut tales: unde non sufficit quod quis nominatim excommunicetur, etiamsi constet omnibus esse excommunicatum, sed debet esse publice denuntiatus ut talis, ita ut cum in bulla dicitur: «publicata vel denuntiata» то *vel* non sumatur disjunctive, sed ad explicandum quomodo debeat esse publicata. Ita communiter auctores bullam interpretantur, et talis est praxis.

2° Notorii percussores clericorum, sic quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, neque alio suffragio excusari. Verum cum sit admodum difficile discernere an factum possit vel non possit aliqua tergiversatione celari, vel aliquo juris suffragio excusari, et sic hærendo notorietati facti, non satis obviaretur scrupulis et anxietatibus timoratorum, quod tamen intendit Pontifex in sua bulla; ideo jam dixi alibi ex theologis Gallis non sufficere in Gallia notorietatem facti, sed requiri notorietatem juris, hoc est, quod quis per sententiam judicis declaretur hoc crimen admisisse, seu hanc censuram incurrisse: quod absolute et sine restrictione ad locum, asserit Daelman, doctor Lovaniensis, scribens sic, observat. 4, de Censuris: « Nequidem publicus clerici per-

[1] Ibid. [2] Ibid. [3] Ibid. [4] Ibid.

cussor, cujus crimen nulla tergiversatione celari potest, aut nullo juris suffragio muniri, moderna praxi vitandus est, nisi sit denuntiatus, et merito; quia labor infinitus et scrupulus fidelibus suboriretur, quinam nullo juris suffragio muniri possunt, etc. » Textum bullæ cum ejus assertione vide in tract. de Sacramentis in genere, dissert. 5, a. 6. De excommunicatione autem ob percussionem clerici specialiter infra § 3.

Utrum eum qui est publice denuntiatus excommunicatus in uno loco, tenear vitare in altero loco, ubi non est nota ejus excommunicatio? Resp. me teneri vitare occulte, et quamvis forte possem salva justitia ipsum vitare etiam publice; tum quia sententia judicis potest absque injustitia ubique vulgari; tum quia lex vetat communicari cum excommunicato non tolerato; videtur tamen quod non tenear, imo forte non possim salva charitate, cum novo ejus famæ detrimento, nisi subsit justa causa; quod enim tibi non vis fieri alteri ne feceris: quantum autem ad legem ecclesiasticam vetantem communicationem cum excommunicato, convenit eam benigne interpretari, ut non obliget cum nova infamia excommunicati. Confer quæ dixi dissert. 15, de Justitia, art. 2, § 5, concl. 1.

Petes 2° quodnam sit peccatum et quæ pœna communicantis cum excommunicato?

Ante responsionem observandum est triplicem esse communicationem cum excommunicatis: una est in crimine contumaciæ, ut si quis sit excommunicatus propter detentionem rei alienæ, et tu illi suades ut non restituat, quod in jure dicitur communicare *in crimine criminoso;* secunda communicatio est in rebus sacris, seu quæ christianis, ut sunt christiani, competunt; et sunt duplicis generis: quædam sunt primario et proprie sacræ, ut sacramenta, sacrificium Missæ, divina officia, etc.; aliæ sunt secundario sacræ, ut collatio beneficii, præsentatio, electio ad illud, officium judicis ecclesiastici, etc. Tertia communicatio est in mere civilibus et politicis. His positis,

Resp. 1°: Qui communicat cum excommunicato in crimine criminoso, sciens ipsum ob illud esse excommunicatum, peccat mortaliter et incurrit parem excommunicationem, cap. *Nuper*, et cap. *Si concubinæ*, de Sent. Excom.

Resp. 2°: Qui communicat cum excommunicato non tolerato[1] in his quæ sunt primario divina et sacra, peccat mortaliter; quia id repugnat graviter, tum auctoritati ecclesiasticæ censuræ, tum dignitati rerum sacrarum, nisi levitas materiæ a mortali excuset, ut recitare privatim et sine scandalo aliquas horas cum excommunicato, adesse cum illo missæ usque ad evangelium. Idem probabiliter dicendum de communicatione in rebus secundario sacris; collatio enim beneficii, præsentatio, electio ad illud, est gravis functio ecclesiastica, et graviter est indecens beneficium Ecclesiæ haberi a membro ab Ecclesia præciso. Idem dicendum videtur de judice; non tamen de advocato procuratore, teste, etc., quia non sunt tam graves functiones, nec tam repugnantes fini excommunicationis.

Resp. 3°: Qui communicat cum excommunicato non tolerato in mere civilibus, peccat tantum venialiter; quia ista communicatio videtur levis, nec multum repugnans fini excommunicationis qua primario et directe prohibetur communicatio in rebus sacris et spiritualibus, secundario et indirecte in civilibus. Excipe nisi communicatio sit frequens et pertinax; tunc enim cederet in contemptum Ecclesiæ.

Resp. 4°: Qui sine justa causa communicat cum excommunicato non tolerato[1] in rebus sive sacris sive civilibus, incurrit excommunicationem minorem, cap. *Statuimus* de Senten. Excom. in 6. Clericus autem qui scienter et sponte recipit in divinis officiis excommunicatum non toleratum, incurrit majorem excommunicationem Papæ reservatam, cap. *Significavit* de Sent. Excom.

Petes 3° quid sit excommunicatio minor?

Resp. quod sit, ut jam dixi, censura ecclesiastica[2] per se et directe privans susceptione sacramentorum, cap. penult. de Sentent. Excom. et cap. ultimo de Clerico Excom. Unde qui hac excommunicatione ligatus sacramentum reciperet, peccaret mortaliter, non tamen irregularitatem incurreret. Ab hac autem excommunicatione absolvere potest in foro interno quilibet confessarius; in foro externo quilibet ordinarius judex ecclesiasticus, cap. *Nuper* de Sentent. Excom.

Dixi: Per se et directe privans, etc., quia juxta communem sententiam, indirecte etiam privat sub peccato veniali administratione sacramentorum, quatenus indecens videtur excommunicatum, cui prohibitum est suscipere sacramenta, ea administrare. Item indirecte prohibet excommunicatum eligi ad be-

[1] Ibid. q. 23, a 3, o.

[2] Ibid. a. 2, o. [1] Ib. q. 24, a. 1, o.

neficia ecclesiastica, non quod electio sit ipso facto irrita; sed si *scienter*, id est, conscius suæ excommunicationis et inhabilitatis electus fuerit, ejus electio est irritanda, ut habetur cap. ultimo de clerico Excommunicato, et ex his patet excommunicationem differre a peccato mortali; qui enim est in peccato mortali, prohibetur sub peccato mortali non solum recipere, sed etiam administrare sacramenta, et non est inhabilis ad beneficia.

Petes 4° utrum aliqua universitas seu communitas possit excommunicari?

Resp. negative[1]: ita expresse in jure cap. *Romana* de Sent. Excom. in 6, ubi Innocentius IV dicit: «In universitatem vel collegium proferre excommunicationis sententiam penitus prohibemus, volentes animarum pericula vitare, quod exinde sequi posset, cum nonnunquam contingeret innoxios hujusmodi sententia irretiri, sed in illos duntaxat de collegio vel universitate quos culpabiles esse contigerit promulgetur.» Quibus verbis ipsa ratio legis continetur[2]; cum enim excommunicatio non feratur nisi propter peccatum mortale conjunctam habens contumaciam, non est verisimile totam communitatem, nullo excepto, consentire contumaciter in peccatum; sicque, ut dicit canon, periculum foret ne innocentes excommunicarentur. Sed quia ista lex prohibet tantum et non irritat hujusmodi excommunicationem, videtur quod lata, licet illicite, foret valida quantum ad nocentes.

Si tamen constaret omnes et singulos esse reos et contumaces, possent, præmissa monitione, omnes sigillatim determinate excommunicari. Item valida et licita foret excommunicatio, si omnes de communitate qui sunt rei et contumaces excommunicarentur, quia sic caveretur periculum involvendi innocentes.

Petes 5° utrum qui semel est excommunicatus, possit ulterius excommunicari?

Resp. posse ulterius excommunicari[3], vel per ejusdem excommunicationis iterationem, ad majorem sui confusionem, ut sic a peccato resiliat, vel propter alias causas; et tunc tot sunt principales excommunicationes, quot causæ pro quibus aliquis excommunicatur.

Neque dicas semel excommunicatum privari suffragiis et communione Ecclesiæ[4], privationem autem non admittere magis et minus. Equidem privatio secundum se, non admittit magis et minus, admittit tamen ex parte causæ, et secundum hoc excommunicatio potest iterari, magis enim est elongatus a suffragiis Ecclesiæ qui pluries est excommunicatus quam qui semel. Insuper sufficit quod excommunicatio nata sit causare hujusmodi privationem, etsi de facto non causet, quia causatam reperit; sicut ad peccatum mortale sufficit quod natum sit privare gratia, licet quando advenit subjecto jam per prius peccatum gratia privato, de facto non privet.

Petes 6° utrum qui est pluribus excommunicationibus ligatus possit absolvi ab una et non ab omnibus?

Resp. affirmative: Quia excommunicationes[1] non habent inter se connexionem. Qui tamen est ab eodem pluribus excommunicationibus ligatus, quando ab illo absolvitur ab una, censetur ab omnibus absolvi, nisi contrarium exprimatur; vel nisi ab uno tantum casu absolutionem impetret. Similiter si sit excommunicatus a pluribus, qui tantum primam excommunicationem confirmaverunt, absolutus a primo est absolutus ab omnibus (Sylvius excipit, si papa confirmaverit excommunicationem, tunc ab ipso petenda est absolutio, et ab ipso generaliter absolutus est absolutus ab omnibus excommunicationibus inferiorum). Quando autem quis est excommunicatus pluribus excommunicationibus a diversis principaliter agentibus, absolutus ab una non est propterea absolutus ab aliis, nisi omnes alii excommunicantes ad ejus petitionem, absolutionem datam confirmaverint, vel nisi omnes uni demandaverint absolutionem.

Item dum confessarius absolvit indefinite pœnitentem dicens: « Si teneris aliquo vinculo excommunicationis », etc., censetur absolvere ab omnibus censuris a quibus absolvendi habet potestatem; absolvit enim in quantum potest; ita ut si pœnitens alicujus peccati cui annexa est censura, oblitus fuerit, aut ipse, vel confessarius nesciat huic peccato annexam esse censuram, absolvitur nihilominus ab omnibus censuris a quibus confessarius potest absolvere, sicque dum recordatus fuerit peccati obliti, poterit absolvi a quolibet confessario, quia censura et reservatio sunt ablatæ.

Qui possint excommunicari, quam ob causam, quis possit absolvere ab excommunicatione, patet ex dictis de censuris in communi.

Id unum duntaxat hic est observandum circa absolutionem ab excommunicatione, eam scilicet non esse conferendam, nisi primo reus præstet juramentum se velle parere Ecclesiæ, id est, abstinere in posterum ab hujusmodi

[1] Ibid. q. 22, a. 5. o. [2] Ib. [3] Ib. a. 6,o. [4] Ib ad 2.

[1] Ib. q. 24, a. 3, o.

crimine ; secundo nisi prius satisfaciat parti læsæ, vel si hic et nunc non possit, det cautionem ; si neque id possit, præstet saltem juramentum satisfaciendi quando poterit.

Iis tamen omissis, absolutio quamvis illicita, erit valida, nisi feratur a delegato qui habet facultatem absolvendi cum hac limitatione : « Alias absolutio sit nulla », vel « aliter non absolvat nisi præstito juramento et satisfactione peccati præstita. » Quod si simpliciter in delegatione ponatur : « Committimus facultatem absolvendi præstito prius juramento aut satisfactione peccati », probabile est, his omissis, absolutionem fore validam, quia quando in commissione exprimitur aliquid quod jure communi inest, non inducitur nova forma pertinens ad subtantiam actus, aut conditio sine qua non; sed admonetur tantum delegatus quid debeat facere.

§ III.

De excommunicatione ob percussionem clerici.

Quia ista excommunicatio est frequentior, præter ea quæ de illo jam hinc et inde diximus, juvat eam paulo latius exponere.

Habetur cap. *Si quis suadente*, causa 17, q. 4, his verbis : « Si quis suadente diabolo in clericum vel monachum manus violentas injecerit, anathematis vinculo subjaceat; et nullus episcoporum præsumat illum absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat. » Explicatur.

Dicitur : Si quis suadente diabolo ; per quod significatur injuriam illatam clerico debere esse peccatum mortale in ratione sacrilegii ; ita quod intentio lædendi sit mortalis, et læsio exterior gravis ; si enim adsit intentio graviter lædendi, sed læsio sit levis, non incurritur excommunicatio ; et, vice versa, si læsio exterior sit gravis et intentio lædendi non sit mortalis, non etiam incurritur excommunicatio, quia Ecclesia intendit punire peccatum mortale externum gravis injuriæ illatæ clerico quale non est nisi internum peccatum mortale, et gravis injuria exterior existat.

Dicitur : In clericum. Nomine clerici intelliguntur etiam prima tonsura initiati, si tamen aliunde privilegio clericatus non exciderint. Pro quo vide quæ scripsi in tract. de Ordine, dissert. 1, a. 4, pet. 5.

Dicitur : Vel monachum. Nomine monachi comprehenduntur omnes utriusque sexus religiosi etiam conversi et conversæ, quamvis in aliquibus religionibus proprie dictam professionem non emittant. Item tertiarii et tertiariæ quæ collegialiter vivunt sub habitu et voto aliquo expresso ; non vero quæ in propriis domibus habitant, sicut declaravit Leo X, apud Rodriguez, tom. 2, qq. reg. q. 65, a. 5. Item, juxta plures, eremitæ qui emisso voto paupertatis, vel alia obligatione suscepta apud prælatum ecclesiasticum, alicui ordini vel ecclesiæ sunt addicti; non vero ii qui nullum hujusmodi obligationem profitentur.

Dicitur : Manus violentas injecerit. Hæc manus injectio debet esse gravis, ut jam dictum est, si non in ratione læsionis, saltem in ratione injuriæ, ut spuere in clericum, sicut latius explicavi in tract. de Pœnit., dissert. 6, a. 6, § 2, circa casus papales, ubi etiam dixi mandantes, consulentes et ratihabentes incurrere pariter excommunicationem. Vide ibi plura. Addo nunc, etiamsi clericus consentiat suæ percussioni, excommunicationem a percutiente incurri, quia canon non est tam in favorem clerici, quam clericalis ordinis, qua ratione videtur eamdem excommunicationem incurri a clerico qui se malitiose occideret aut mutilaret.

Sunt autem plures causæ excusantes ab hac excommunicatione. Prima est ignorantia ; ut si ignores eum quem percutis esse clericum, vel si volens percutere Petrum clericum, ipsum non attingis, sed præter intentionem percutis Joannem præsentem aut illac transeuntem, quia non percutis ex intentione clericum. Secus si putans percutere Petrum clericum, percutis Joannem etiam clericum ; quia in isto casu percutis voluntarie et ex intentione clericum.

Secunda causa excusans est, si quis percutiat clericum in sui corporis, famæ, pudicitiæ, bonorum, aut alterius defensionem, cap. *Si vero*, et cap. *Ex tenore* de Sentent. Excom.

Tertia : Qui clericum cum uxore, matre, sorore, vel propria filia turpiter agentem percutit in incontinenti, quamvis peccet, non incurrit excommunicationem, cap. *Si vero* citato.

Quarta : Prælatus aut magister causa disciplinæ percutiens clericum etiam in sacris constitutum, non incurrit excommunicationem, cap. *Si vero*, et cap. *Ex tenore*, citatis : intellige tamen de percussione moderata, attenta ratione tum culpæ cum percutientis et percussi ; si enim excessus foret enormis et valde indecens, non evitaretur excommunicatio.

Quantum ad patrem, certum est etiam non incurrere excommunicationem percutiendo causa disciplinæ eos « qui sunt de familia aut propinquos inferiorum graduum », in minoribus constitutos, cap. *Cum voluntate*, de Sent. Excom. Sed dubium est de filio in sacris constituto. Quidam volunt ex hujus percussione non incurri excommunicationem a patre, quia, inquiunt, major est potestas patris in filium, quam magistri in discipulum ; jura autem concedunt magistro castigare discipulum etiam in sacris constitutum : ergo. Alii dicunt in hoc casu incurri excommunicationem a patre, quia cum jus prohibens percussionem clerici sit favorabile ordini clericali, non debet restringi, nisi expresse restringatur in jure ; nullum autem jus concedit expresse patri facultatem castigandi filium in sacris constitutum, sed tantum in minoribus constituum : argumenta autem a pari in positivis nihil probant. Et hæc sententia mihi videtur probabilior, et est tutior.

Ultima denique causa excusans est imperfectio actus qui non attingit usque ad culpam mortalem, ut prius dictum est ; qua ratione si clerici vel religiosi jocando se invicem percutiant, et interim subrepat aliquis motus iræ, non incurrunt excommunicationem. Quidam idem censent de pueris clericis rixantibus in ecclesia vel alibi, etiam cum effusione sanguinis e naribus, vel modica effusione ex alia parte corporis ; verum id eatenus videtur admittendum, quatenus factum excusari potest a peccato mortali.

Dicitur tandem in textu canonis : Et nullus episcoporum ipsum absolvere præsumat : quod intelligi debet de percussione enormi aut saltem gravi, non de levi seu modica, quæ juxta quosdam theologos, nec membri mutilationem, nec dentium, aut multorum capillorum avulsionem, nec immodicam sanguinis effusionem, nec corporis lacerationem attulit ; ab excommunicatione enim propter talem percussionem absolvere potest episcopus, cap. *Pervenit*, de Sent. Excom., saltem secundum communem doctorum interpretationem, contra quosdam qui volunt in hoc canone contineri speciale privilegium, non jus commune. Notant etiam plures canonistæ, omnes ferme ordinum prælatos hodie posse ex privilegiis absolvere suos sunditos, etiamsi percussio sit enormis.

ARTICULUS II.

DE SUSPENSIONE.

Dico 1° : Suspensio est censura ecclesiastica privans clericum usu potestatis seu juris ecclesiastici.

Dicitur : Censura ecclesiastica, hoc est pœna medicinalis, ut patet ex art. 1 dissert. præced. Unde privationes in perpetuum vel ad certum tempus, non sunt proprie censuræ ; manifestum est enim quod privatio perpetua non sit medicinalis, sed pœna in meram vindictam ; neque privatio ad determinatum tempus, quia medicina debet cessare ubi cessat morbus : potest autem reus a contumacia recedere ante tempus determinatum. Neque refert quod in jure privationes perpetuæ aut ad certum tempus vocentur suspensiones ; sunt equidem suspensiones, sed non sunt proprie censuræ ecclesiasticæ.

Dicitur : Privans usu; quia suspensio non aufert ipsam potestatem sive ordinis sive jurisdictionis, neque jus beneficii ecclesiastici, sed impedit tantum ejus usum et exercitium ; non in ordine ad communicationem cum fidelibus, hoc pertinet ad excommunicationem, ut dictum est ; neque in ordine ad divina officia ut sunt res sacræ, hoc pertinet ad interdictum, ut dicetur art. seq.; sed præcise quatenus est usus potestatis seu juris ecclesiastici, ut hac privatione reus resipiscat ; et ideo suspensio fertur tantum in clericos.

Dico 2° : Suspensio alia est totalis ab officio et beneficio ; alia partialis ab officio tantum, vel a beneficio tantum.

Suspensio ab officio, vel est a toto officio, ordinis scilicet et jurisdictionis, vel ab officio ordinis tantum aut jurisdictionis tantum. Item suspensio ab officio, vel est a toto officio sive ordinis sive jurisdictionis, vel ab aliquo actu tantum aut ordinis aut jurisdictionis, seu quasi jurisdictionis, ut est collatio beneficii, vox suffragii, etc. Similiter suspensio a beneficio, vel est a toto beneficio, vel a parte beneficii tantum, puta a lucrandis distributionibus, a medietate fructuum, etc.

Quando suspensio fertur absolute et absque limitatione, neque ex adjunctis limitatio colligi potest, censenda est totalis ab officio et a beneficio. Similiter quando fertur absolute ab officio, censenda est totalis ab officio ordinis et jurisdictionis. Item quando fertur absolute beneficio, intelligenda est totalis respectu beneficii. Horum ratio est, quia propositio indefi-

nita æquivalet universali, et non est ratio cur intelligenda sit de una specie potius quam de alia.

Ex dictis sequentia collige : Suspensus totaliter ab officio tam ordinis quam jurisdictionis prohibetur exercere omnes illas actiones quæ clericis sunt propriæ, quales sunt omnes actiones jurisdictionis ecclesiasticæ et omne exercitium ordinis aut officii quod solis clericis competit.

Suspenso totaliter ab officio illicite confertur beneficium, cap. *Cum dilectus*, de Consuetud. Ratio est quia cum beneficium detur propter officium, illicite confertur ei qui non potest præstare officium, cap. ultimo *De Clerico excommunicato*.

Suspensus totaliter ab officio, non est propterea suspensus a beneficio, quia istæ pœnæ sunt diversæ et una potest mandari executioni sine altera; potest enim suspensus ab officio gerere administrationem sui beneficii et fructus percipere; officio autem satisfacere quantum potest, sive per se recitando horas, sive per vicarium ad alia munia ecclesiastica deputatum.

Suspensus ab ordine tantum, potest exercere omnes actus jurisdictionis qui ordinis actualem usum non requirunt: sic episcopus suspensus ab ordine, licet nec celebrare nec excipere confessiones possit, potest tamen alteri dare facultatem excipiendi confessiones.

Suspensus a jurisdictione tantum potest vice versa exercere omnes ordinis actus qui non requirunt jurisdictionem : sic potest celebrare, dare communionem ut communis sacerdos, non potest autem confessiones excipere, quia ad hoc requiritur jurisdictio, neque cætera sacramenta suis subditis ut pastor ordinarius conferre.

Suspensus ab ordine inferiori non est suspensus a superiori, v. g., suspensus ab officio diaconatus non est suspensus ab officio sacerdotis, nisi quatenus exercet actum sacerdotii qui requirat actum diaconatus; sicut, juxta quosdam, si celebret missam in qua legitur evangelium quod pertinet ad diaconum. Vice versa, suspensus ab ordine superiori non est suspensus ab inferiori: sic suspensus ab officio sacerdotis potest fungi officio diaconi.

Suspensus ab aliquo tantum actu ordinis aut jurisdictionis potest alios exercere: sic suspensus a missa, potest confessiones audire, et e contra.

Suspensus totaliter a beneficio non potest gerere ejus administrationem, nec percipere ullos fructus, sive quotidianos, sive principales, nisi in quantum sunt necessarii ad victum, si tamen ab eo non pendeat ut absolvatur, alioquin sibi imputet ; et si se administrationi beneficii ingerat, ipso jure beneficio privatur, cap. *Cupientes*, § *Cæterum de Electione* in 6.

Non tamen suspensus totaliter amittit jus quod ipsi ratione beneficii competit conferendi aut eligendi; quia hæc non sunt proprie fructus beneficii, sed actus officii seu jurisdictionis quæ ipsi competunt ratione beneficii, quo non privatur per suspensionem.

Nota finaliter quod cum suspensio, sicut et excommunicatio, immediate afficiat personam, ipsam ubivis locorum comitetur : unde suspensus aut excommunicatus in uno loco, ubique est ligatus, donec absolvatur.

ARTICULUS III.

DE INTERDICTO.

Dico 1°: Interdictum est censura ecclesiastica prohibens usum quorumdam sacramentorum, omnium divinorum officiorum et sepulturæ ecclesiasticæ.

Differt a suspensione quæ prohibet tantum usum potestatis seu juris ecclesiastici, et ab excommunicatione, non solum quia excommunicatio privat rebus tam sacris quam civilibus, sed etiam quia privat rebus sacris prout continent communicationem cum fidelibus ; interdictum vero rebus assignatis, præcise quatenus sacræ sunt. Unde licet hæ tres censuræ in hoc conveniant quod privent rebus spiritualibus, differunt tamen quatenus eis privant sub diversa ratione formali.

Dico 2°: Interdictum aliud locale quod immediate locum afficit prohibendo fieri in illo sacras functiones; aliud personale quod immediate personam afficit prohibendo ipsi participare his sacris functionibus. Si utrumque et locum et personas afficiat , est mixtum.

Tam locale quam personale subdividitur in generale et particulare. Generale locale est quod fertur in regnum, provinciam, civitatem, parochiam, villam, castrum, etc.; particulare quod fertur in hanc vel illam ecclesiam.

Quando interdicitur civitas, castrum, aut villa, interdicuntur etiam suburbia, licet alterius diœcesis; et quando interdicitur ecclesia, interdicuntur capellæ contiguæ et cæmeteria contigua, cap. *Si Civitas*, de Sent. Excom., in 6.

Interdictum generale personale est quod fertur in totum aliquod corpus politicum, v. g., in totam gentem unius regni, in populum alicujus civitatis aut pagi, in collegium, capitulum, academiam, etc. Afficit omnes partes communitatis etiam innocentes. Particulare personale est quod fertur in aliquos particulares, puta in episcopum, in prætorem, parochum, etc,, vel etiam in omnes et singulos qui tale crimen commiserint.

Si dicas videri injustum innocentes pœna interdicti puniri, resp. innocentes per se interdicto non ligari, sed per accidens quatenus sunt in tali loco interdicto, vel sunt membra communitatis interdictæ: unde si locum mutent, cessat in illis interdictum. Quapropter non proprie puniuntur per interdictum, licet per accidens damnum sentiant, quatenus id est bono communi necessarium.

Nota quod interdicto clero, non sit interdictus populus, nec e converso, cap. *Si sententia* de Sent. Excom. in 6: unde clero interdicto potest populus advocare alios clericos qui divina officia celebrent.

Dico 3°: Effectus interdicti totalis sunt tres, scilicet privatio usus tam activi quam passivi certorum sacramentorum, omnium divinorum officiorum et sepulturæ ecclesiasticæ. Patet ex ejus definitione. Dixi: Totalis, quia potest ferri interdictum quantum ad aliquem tantum effectum, ut dictum est de suspensione; interdicti enim et suspensionis effectus non sunt inter se connexi, sicut in excommunicatione.

Circa primum effectum, dicitur: Certorum sacramentorum; quia tempore interdicti et in ecclesia interdicta possunt conferri sacramenta Baptismi et Confirmationis, cap. *Responso* de Sent. Excom. et cap. *Quoniam* eodem titulo in 6. Item potest conferri Eucharistia morituris per modum viatici, cap. *Permittimus* de Sentent. Excom. Item sacramentum Pœnitentiæ potest tempore interdicti administrari omnibus, præter quam iis propter quorum culpam interdictum latum est, vel qui ad perpetrandum delictum auxilium aut consilium præbuerunt, nisi de delicto satisfecerint, aut satisfaciendi cautionem dederint; aut si non possint, juramentum præstiterint, cap. *Alma* de Sent. Excom. in 6.

Quantum ad sacramenta Extremæ Unctionis et Ordinis ministrari non possunt tempore interdicti; quia, cap. *Si Sententia* de Sent. Excom. in 6, generaliter prohibetur suscipere sacramenta in interdicto, nisi in asibus a jure exceptis: nullibi autem excipiuntur sacramenta Extremæ Unctionis et Ordinis. Propter eamdem rationem videtur multis Matrimonium etiam non posse contrahi tempore interdicti; quia quamvis contrahentes sint ministri, est nihilominus sacramentum, et nullibi excipitur in jure; verum id plures alii negant; quia cum Matrimonium sit maxime necessarium communitati, Ecclesia non intendit illud interdicere. Equidem non diffiteor esse inconveniens, si saltem in interdicto generali Matrimonium impediretur.

Secundus effectus est prohibitio celebrationis et auditionis divinorum officiorum, cap. *Si Sententia* et cap. ultimo de Sent. Excom. in 6.

Nomine divinorum officiorum intelliguntur missa, omnis publica et solemnis oratio instituta ab Ecclesia ut a clericis celebretur, publica horarum canonicarum recitatio, non privata : unde qui breviario tenentur, ab ejus obligatione non eximuntur, possuntque illud recitare bini et bini etiam in ecclesia, modo recitationis privatæ modum servent.

Hujus autem legis rigorem temperavit Bonifacius VIII, cap. *Alma* de Sent. Excomm. in 6, ubi postquam exposuit mala quæ sequuntur ex interdicto secundum rigorem antiqui juris, et indulsit posse administrari sacramentum Pœnitentiæ ut supra dictum est, sic prosequitur : « Adjicimus præterea quod singulis diebus in ecclesiis et monasteriis missæ celebrentur, et alia dicantur divina officia, sicut prius (ante interdictum), submissa tamen voce et januis clausis, excommunicatis ac interdictis exclusis, et campanis non pulsatis (nequidem campanula ad elevationem)... In festivitatibus vero natalis Domini, paschæ ac pentecostes et assumptionis Virginis gloriosæ, campanæ pulsentur, et januis apertis alta voce divina officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis....; sic tamen quod illi propter quorum excessum interdictum hujusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent. »

Circa quod decretum notant juris interpretes 1° intelligendum esse de interdicto generali; si enim ecclesia esset specialiter interdicta, non possent modo dicto in ea celebrari divina officia.

2° Hoc decretum quantum ad 1 part. respicere tantum clericos et eorum vicarios, non laicos, etsi sint clericorum domestici, quibus audire divina officia hoc decreto non conceditur.

3° Divina officia voce ita submissa debere peragi, ut ab iis qui foris sunt percipi non possint : non tamen prohibetur campanarum sonus ad concionem et ad *Angelus*.

4° Si interdicti specialiter et denuntiati officio divino adsunt, et expelli non possint, clerici debent cessare, et sacerdos, si nondum inceptus sit canon, ab altari recedere. Colligitur ex his verbis canonis: *Interdictis exclusis*.

5° Plures et graves auctores, Paludanus, Soto, Avila, etc., existimant nomine nativitatis, paschatis et pentecostes, non unum diem, sed duos vel tres dies festos sequentes intelligi, ipsamque festivitatem resurrectionis et pentecostes inchoari a missa vigiliæ quæ cantatur sabbato præcedenti.

Tertius effectus est privatio sepulturæ ecclesiasticæ, cap. *Quod in te*, de Pœnit. et remiss., ubi additur : « Concedimus tamen ex gratia, ut clerici decedentes qui tamen servaverunt interdictum, in cæmeterio ecclesiæ (non in ecclesia) sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulentur. » Excipe quatuor solemnitates assignatas, in quibus solemnes exsequiæ clericorum possunt fieri, sicut alia divina officia.

Quantum ad interdictum personale, videtur quod si interdictus non sit denuntiatus, aut ejus communitas, si communitas sit interdicta, possit post bullam *Ad evitanda* sepeliri in loco sacro ; nam « quibus vivis communicamus etiam mortuis communicare possumus », cap. *Sane* 24, q. 2.

Petes utrum violatio interdicti sit semper peccatum mortale ?

Resp. 1° : Clericus violans interdictum, sive locale, sive personale, peccat mortaliter, quia lex interdicti directe clericos respicit, et est materia gravis. Idem dicendum est de laico qui violat interdictum personale quod pariter directe illum afficit.

Resp. 2° : Si laicus personaliter non interdictus violet interdictum locale, vi vel fraude ac mendaciis se ingerens divinis officiis, videtur quod peccet etiam mortaliter propter injuriam quam in re gravi infert ministris Ecclesiæ. Idem videtur dicendum si etiam, sine vi vel fraude, accipiat Eucharistiam in loco interdicto, quia saltem cooperatur peccato mortali clerici.

Resp. 3° : Si laicus sine vi vel fraude tempore interdicti localis adsit divinis officiis, peccat quidem, quia lex interdicti licet directe respiciat clericos, ne laicos admittant ad divina officia, cap. *Responso* de Sent. Excom., consequenter tamen et indirecte respicit laicos ne se ingerant : sicut licet excommunicatio directe afficiat excommunicatum ne communicet cum aliis, consequenter tamen afficit alios ne communicent cum excommunicato; et colligitur ex cap. *Si sententia* de Sent. Excom. in 6, ubi dicitur laicos tempore interdicti posse audire divina extra locum interdictum : ergo a contrario non possunt audire divina in loco interdicto. Istud tamen peccatum non videtur mortale, quia, ut dictum est, lex interdicti non afficit directe et principaliter laicos, ideoque non tam stricte adstringuntur ac clerici.

De cessatione a divinis, depositione et degradatione sufficienter dixi, art. 1 præced., dissert.

ARTICULUS IV.

DE IRREGULARITATE.

§ I.

Quid et quotuplex sit irregularitas.

Dico 1° : Irregularitas est impedimentum canonicum impediens per se primo et directe susceptionem ordinum ecclesiasticorum ; secundario et indirecte eorum exercitium.

Dicitur : Impedimentum, id est, inhabilitas moralis ex se perpetua alicujus personæ ad suscipiendos ordines ecclesiasticos, et, si susceperit, ad eos exercendos ; per quod distinguitur a censura quæ ex propria ratione infligitur propter culpam, ut pœna medicinalis et temporalis, sicut prius diximus.

Dicitur : Impedimentum impediens, non irritans : unde irregularis valide, licet illicite, suscipit ordines, et eos exercet ; et quia per irregularitatem non privatur jurisdictione, valide etiam absolvit sacramentaliter, illicite tamen, quia ibi intervenit actus ordinis.

Dicitur : Impedimentum canonicum ; quia solo jure ecclesiastico, eoque communi potest induci irregularitas : unde nulla irregularitas adstruenda est nisi sit in jure expressa, vel inducta generali et constanti consuetudine quæ habeat vim legis ; nec in hoc valent argumenta a paritate. Quapropter neque mulier, neque non baptizatus, sunt proprie irregulares, quia non jure humano, sed divino, sunt inhabiles ad ordines ecclesiasticos.

Dicitur : Impediens per se primo et directe

susceptionem, etc., per quod specialiter differt a suspensione, cum qua videtur habere aliquam similitudinem, suspensio enim per se primo impedit exercitium ordinum susceptorum, et afficit tantum clericos; irregularitas autem per se primo impedit susceptionem ordinum, et secundario tantum illorum exercitium, et afficit tam laicos quam clericos. Per ordinem ecclesiasticum hic intelligitur autem prima tonsura.

Hinc sequitur irregularem posse licite obire omnia munia sacra quæ a laicis exerceri possunt, ut sunt actus minorum ordinum, inservire sacrificanti, canere in ecclesia, suscipere sacramenta, excepto sacramento Ordinis et prima tonsura.

Sequitur 2° irregularem non privari administratione et fructibus sui beneficii, si per vicarium præstet officium; si tamen dispensatio non sit brevi impetranda, aut tale sit beneficium cujus officium per se præstare debet, ipse tenetur sponte resignare, aut debet illo privari cap. *Ex litteris*, de Excess. Prælat.

Utrum vero collatio beneficii facta irregulari etiam occulto sit ipso jure nulla, ita ut in conscientia teneatur illud resignare, disputant theologi. Communior et tutior sententia affirmat, tum quia hoc est conformius naturæ irregularitatis qua homo videtur reddi inhabilis ad jura ecclesiastica, tum quia beneficium datur propter officium; irregularis autem sæpe non potest exercere officium annexum beneficio; tum et maxime quia sic videtur declaratum in Trid., sess. 14, cap. 7, de Reform., ubi dicitur quod qui homicidium commiserit « nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit, nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat; sed omni ordine ac beneficio et officio ecclesiastico (scilicet nondum adeptis) perpetuo careat. »

Dico 2° : Dividitur irregularitas in irregularitatem ex delicto et in irregularitatem ex defectu qui non sit delictum. Irregularitas ex defectu, alia est ex defectu corporis, alia ex defectu animæ, alia ex defectu lenitatis, alia ex defectu significationis seu sacramenti, quas infra explicabimus. Similiter irregularitas ex delicto est multiplex ratione plurium delictorum, ut etiam mox exponemus.

Item dividitur irregularitas in totalem et partialem. Totalis est quæ privat omni ordine suscipiendo, et omni ordinum exercitio, ut quæ oritur ex homicidio, bigamia, etc. Partialis est quæ privat tantum aliquo actu ordinis; ut si, v. g., sacerdos amittat pollicem, est irregularis ad celebrandum, non ad confessiones excipiendas, et alia munia sacerdotii.

§ II.

Expenduntur irregularitates ex delicto.

Prima irregularitas ex delicto est ea quæ contrahitur ex homicidio voluntario aut mutilatione; et hæc est non solum ex delicto, sed etiam ex defectu lenitatis, si homidium sit justum. De utraque abundantissime dixi, dissert. 10, de Justitia, art. 1, per plures §§. Videat lector; tædiosum enim foret hæc omnia repetere.

Secunda irregularitas ex delicto contrahitur ex iteratione absoluta Baptismi : unde absolute rebaptizans, rebaptizanti ministrans, si crimen utriusque sit notorium, est irregularis ad superiores ordines suscipiendos. Item qui se absolute rebaptizari sinit, est similiter irregularis. De ministrante rebaptizanti constat ex cap. 2, de Apostatis. Ex quo communiter infertur idem a fortiori de rebaptizante, quia nec alibi, nec aliter in jure exprimitur hujus irregularitas, sed est talis praxis Ecclesiæ, quæ est optima legum interpres aut aliunde habet vim legis. De rebaptizato constat ex cap. *Afros*, d. 98, cap. *Qui in qualibet* 1, q. 7, et cap. *Eos quos*, de Consec., d. 4.

Dixi 1° : Absolute rebaptizans et ejus minister, item absolute rebaptizatus ; quia lex pœnalis intelligitur effectu secuto: qui autem baptizat, aut baptizatur sub conditione, si jam sit baptizatus, non vere rebaptizatur.

Dixi 2° : Si crimen rebaptizantis et minitrantis sit notorium. De ministramte habetur expresse citato, cap. 2 de Apostatis. Ex quo plures idem inferunt de rebaptizante, cum ejus irregularitas alibi non exprimatur : quod tamen ab aliis etiam pluribus non admittitur.

Dixi 3° : Ad superiores ordines suscipiendos. Ita de ministrante, cap. 2 citato *De Apostatis*. Ex quo videtur majorem pœnam non esse imponendam rebaptizanti, ut modo dicebam de notorietate criminis, et aliunde odiosa sunt restringenda.

Ad hanc classem reducitur irregularitas quam incurrit, qui ab hæretico se baptizari sinit, citato cap. *Afros*, et cap. *Qui in qualibet*. Item neophytus seu novitius in fide suscepta

per Baptismum ordinari non debet ex Apostolo 1 Tim. 3, et ex can. 2 concilii Nicæni I.

Tertia : Clericus exercens actum ordinis quem non habet, suspenditur ad biennium vel triennium, pro beneplacito episcopi, ab ordine quem habet, et fit irregularis ad suscipiendos ulteriores ordines, cap. *Si quis*, et cap. *Ex litteris*, de Clerico non ordinato ministrante.

Dixi 1°: Clericus ; quia dubium est an etiam laicus exercens actum ordinis incurrat hanc irregularitatem. Parti affirmanti favet cap. *Si quis* ; dicitur enim generaliter: Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, etc. Parti neganti favet rubrica quæ sic est: « De Clerico non ordinato ministrante», et titulus dicti capitis *Si quis*, qui sic legitur : « Clericus ministrans in pertinentibus ad ordinem quem non habet, deponendus est, et amplius non ordinandus. » Hinc divisi sunt auctores; quia tamen laicus non exprimitur in dicto capite, et ipsi favent rubrica et titulus, atque odiosa sunt restringenda, sententia negans videtur aliquatenus probabilior.

Dixi 2°: Ad suscipiendos ulteriores ordines,et non ad eos exerçendos; quia, licet cap.*Si quis*, dicatur absolute: Abjiciatur de Ecclesia, videtur iste rigor temperatus per caput sequens *Ex litteris*, ubi de diacono qui celebraverat, statuitur «quod ad sacerdotis officium non poterit promoveri : a diaconatu quoque biennio vel triennio, pro tua (Episcopi) maneat provisione suspensus. »

Quarta : Clericus qui censuram, hoc est, excommunicationem majorem,suspensionem ab Ordine et interdictum sive personale, sive locale violat exercendo actum sui ordinis, sit irregularis, cap. *Cum æterni* de Sent. et re Judic. in 6, cap. *Is qui*, § *Is vero*, et cap. *Is cui*, de Sentent. Excom. in 6. Estque unanimis doctorum sententia et communis Ecclesiæ praxis.

Dixi : *Exercendo actum sui ordinis*, id est, qui sit tali ordini proprius,ut ab alio qui hunc ordinem non habet, exerceri non possit : unde minoristæ exercendo actus suorum ordinum, vix hanc irregularitatem contrahere possunt cum ubique ex consuetudine exerceantur a laicis. Item qui censura ligatus exercet simpliciter actum jurisdictionis, ut si episcopus det facultatem excipiendi confessiones, non fit irregularis, neque qui cantat cum aliis in choro, modo officiatorem non agat.

Quinta: Hæretici, eorum fautores et receptatores, et hæreticorum filii usque ad secundam generationem , contrahunt irregularitatem, cap. *Ventum est* 1, q. 1, cap. *Convenientibus*, cap. *Saluberrimum* 1, q. 7, et cap. *Quicumque*, § *Hæretici* de hæreticis in 6. Et quamvis quidam ista jura interpretentur de hæreticis occultis, alia tamen jura loquuntur de hæreticis publicis, et Bonifacius VIII, cap. *Statutum* 2, de Hæreticis in 6, exponens cap. *Quicumque*, videtur illud intelligere de hæreticis qui probantur esse tales, aut tales decessisse.

Idem Bonifacius eodem capite *Statutum*, declarat filios hæreticorum tantum qui descendunt per lineam paternam, contrahere irregularitatem usque ad secundam generationem ; descendentes autem per lineam maternam usque ad priman tantum. Item declarat id esse intelligendum de filiis hæreticorum qui « probantur esse tales, vel etiam tales decessisse » : secus si ante mortem fuerint Ecclesiæ reconciliati. Cæterum in provinciis in quibus vivunt permixti catholici cum hæreticis, aut quæ hæreticis sunt vicinæ, videtur hæc lex non esse in usu pro filiis hæreticorum, quos episcopi ordinant non secus ac alios.

Sexta irregularitas ex delicto contrahitur ex infamia, cap. *Infames* 6, q. 1, et cap. *Omnipotens* de Accus.

Infamia est duplex, juris et facti. Infamia juris est quæ per sententiam judicis incurritur, vel contrahitur per crimen publicum, aut conditionem cui a jure annexa est infamia, qualia sunt perjurium in judicio, simonia, sodomia, sacrilegium, improbum fœnus in quo usuræ usurarum exiguntur, hæresis, raptus mulieris et utriusque favor, crimen læsæ majestatis, et hostilis persecutio cardinalium, quorum duorum ultimorum infamiam transit ad filios et nepotes per lineam masculinam ab eis qui hæc committunt descendentes, histriones, et in pluribus nationibus carnifices. Ex his itaque omnibus contrahitur irregularitas, si tamen sint publica,quia peccatum occultum non infamat; et habetur cap. ultimo de Tempore ordinandorum.

Infamia facti est publica opinio commissi criminis per quod fama graviter læditur, ut est adulterium, concubinatus, furtum, etc. Hæc infamia non inducit proprie dictam irregularitatem, sed tantum aliquod impedimentum temporale suscipiendi Ordines, aut in iis ministrandi ob indecentiam durante infamia, quæ tollitur per emendationem vitæ, cap. *Si duo* 35, q. 6, cap. *Testimonium*, de Test. et Attest.

§ III.

Exponuntur irregularitates ex defectu.

Quadruplex est, ut dixi, § 1, irregularitas ex defectu, scilicet ex defectu corporis, animæ, lenitatis et significationis seu sacramenti.

Quantum ad irregularitatem ex defectu corporis sit hæc regula generalis : Qui ex defectu corporis non potest absolute aut sine periculo, vel scandalo, vel gravi indecentia exercere functiones alicujus ordinis, est respectu illius irregularis, cap. 2, de Clerico ægrotante, et toto tit. de Corpore vitiatis.

Hinc inferes 1° cæcum aut truncatum pollice non posse promoveri ad sacerdotium et promotum non posse celebrare; potest tamen confessiones audire et alia sacerdotis munia obire.

2° Enormiter gibbosus, aut ita claudus, ut sine baculo in altari consistere non possit, est irregularis.

3° Is cui erutus est oculus, aut nasus amputatus propter gravem deformitatem, est irregularis ; secus de amputatione aurium, si crinibus aut coma cooperiri possint. Si vero non sit erutus oculus, sed tantum careat virtute videndi, etiamsi sit sinister, seu, ut dicitur, canonis, non est irregularis, modo tamen sine gravi contorsione faciei posset canonem legere, in quo juvari potest ex aptatione libri.

4° Arreptii et epileptici sunt irregulares, sic ut nunquam possint ordinari : ordinati vero ministrare non possunt, nisi quo usque unius anni spatio per discretionem episcopi inveniantur sanati, cap. *Communiter*, d. 33, et colligitur ex cap. fin. 15, q. 1, sicque docetur communiter.

5° Abstemius est irregularis respectu sacerdotii.

6° Hermaphroditus, etiamsi sexus virilis prævaleat, est absolute irregularis propter gravem indecentiam, et, ut ita dicam, monstruositatem. Idem dic de eo qui habet membra superflua, si gravem afferant deformitatem; secus si levem.

7° Eunuchus ex sua culpa est irregularis; secus si sine sua culpa, ut si vi aut causa infirmitatis sit castratus, cap. *Si quis a medicis* et sequentibus, d. 55, cap. *Ex parte* 2, de Corp. vitiatis. Probabilius est esse sua culpa eunuchum et ideo iregularem, qui castitatis vel vocis servandæ causa se castrat vel se castrari sinit. Error vulgi est quod is cui membrum est abscissum, debeat illud pulverisatum portare, ut evitet irregularitatem; non etiam inde restituitur integritas corporis, nec impeditur deformitas.

Ad hanc irregularitatem reducitur defectus[1] natalium : itaque omnes illegitimi, sive naturales, sive nothi, aut spurii, etiam occulti, sunt irregulares, cap. 1 et 2, de Filiis presb., et cap. 1, eodem tit. in 6. Excipe nisi fiant religiosi, tunc enim possunt sine dispensatione promoveri ad omnes ordines, non tamen ad prælaturas, cap. 1 citato de Filiis. presb.

Quantum ad proles expositas regulariter habendæ sunt pro illegitimis, consequenter pro irregularibus; quia ex communiter accidentibus jure præsumitur esse illegitimas, et hæc fortior præsumptio elidit præsumptionem quæ alias in pari dubio esset in favorem prolis.

Ad hanc iterum irregularitatem pertinet servitus. Servus itaque seu mancipium ordinari non potest sine consensu domini ; si cum ejus consensu ordinetur, fit liber ; si sine ejus consensu, potest se redimere ; quod si se non redimat, satisfacit domino exhibendo ei obsequia quæ ejus characterem non dedecent, tota distinct. 54.

Ex defectu animæ sunt irregulares non solum hæretici, eorum fautores et receptatores, et hæreticorum filii, ut jam dictum est, sed etiam omnino illitterati, cap. *Illitteratos*, d. 36, et concil. Trid. sess. 23, cap. 4, 11 et 14. Requiritur autem pro prima tonsura initiandis quod sciant legere et scribere ; pro minoribus ordinibus quod calleant linguam latinam ; pro sacerdotio, quod sciant quæ sunt necessaria muniis sacerdotii obeundis.

De irregularitate ex defectu lenitatis in occisione vel mutilatione licita et justa, respective ad ministros justitiæ, judices, advocatos, accusatores, testes, et cæteros concurrentes, et ad militantes in bello justo; item in homicidio casuali, latissime dixi loco prius citato de Justitia, dissert. 10, a. 10, per plures §§. Require illuc.

Irregularitas[2] ex defectu significationis seu sacramenti contrahitur ex bigamia, cap. *Debitum* de Bigamis et cap. *Acutius* d. 26, cum enim matrimonium consummatum, juxta Apost. Ephes. 5, significet conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, et Christus sibi conjunxerit Ecclesiam ab alio non assumptam, ista significatio est imperfecta, et deficiens in Matrimonio cum duabus, aut cum una corrupta, sive vidua, sive fornicaria.

[1] Suppl. q. 39, a. 5, o. [2] Suppl. 1. 66, a. 1. o.

Triplex est bigamia inducens irregularitatem, scilicet vera et proprie dicta, interpretativa, et similitudinaria.

Vera et proprie dicta est, quando quis valide contraxit et consummavit matrimonium cum duabus. Addo : Et consummavit ; quod debet semper intelligi in hac materia; matrimonium enim sive viri, sive mulieris, nunquam inducit bigamiam et irregularitatem, nisi fuerit consummatum ; quia matrimonium non consummatum non pertinet ad significandum illud matrimonium quod est inter Christum et Ecclesiam per carnis assumptionem.

Bigamia interpretativa est quæ non fundatur in duplici matrimonio consummato, sed in aliqua ejus imitatione. Est triplex.

Prima, quando quis contrahit cum aliqua quæ ab alio cognita fuit, sive licite, sive illicite, sive voluntarie, sive per vim, cap. *Curandum*, cap. *Præcipimus*, et cap. *Lector*, d. 34. Dixi : Ab alio, quia si ab ipso contrahente prius fuerit cognita, non inducit irregularitatem, quia caro non est divisa.

Secunda, quando quis cognoscit uxorem suam post adulterium ab ipsa commissum, cap. *Si laici uxor*, et cap. *Si cujus* ead. d. 34, quia talis conjunctio desinit perfecte significare conjunctionem castam Christi cum Ecclesia. Idque verum est, juxta communem theologorum interpretationem, sive vir adulterium uxoris sciverit, sive non. Item sive uxor volens, sive per vim cognita fuerit ; et colligitur ex cap. citato, *Si cujus*.

Tertia, quando intervenit duplex matrimonium, sive simul, sive successive, unum validum, alterum invalidum, vel utrumque invalidum, sed utrumque consummatum. Item si clericus in sacris constitutus primas nuptias cum vidua inierit, quidam hanc irregularitatem colligunt ex can. 16 et 18 Apostolorum, et ex cap. *Nuper* de Bigamis ; sed præterquam quod canones apostolici non sint tantæ auctoritatis, præsentem casum non exprimunt, et cap. *Nuper*, non loquitur generaliter, sed tantum de clerico in sacris constituto qui contrahit secundas nuptias, vel primas cum vidua. Quapropter melius probatur hæc irregularitas ex communi sensu doctorum, et generali consuetudine Ecclesiæ ; ut enim jam observavi cum aliis, possunt censuræ et irregularitates, alias in jure non expressæ, vim habere per generalem Ecclesiæ usum, communi doctorum sensu introductum.

Bigamia similitudinaria est quando clericus in sacris constitutus aut religiosus professus contrahit matrimonium, etsi invalidum, et cum virgine, cap. *Quotquot* 27, q. 1, cap. 1 Qui clerici et voventes, et cap. *Sane*, de Clericis conjugatis.

Nota baptizatum incurrere irregularitatem bigamiæ ex matrimoniis ante Baptismum contractis, cap. *Si quis viduam*, d. 24.

§ IV.

Quis possit dispensare in irregularitate?

Dico 1° : Papa et ipse solus potest jure ordinario dispensare in irregularitate. Ratio est quia omnes irregularitates sunt juris ecclesiastici universalis : Papa autem, et ipse solus potest dispensare in jure universali canonico seu ecclesiastico.

Raro dispensat Summus Pontifex in irregularitatibus ex bigamia proprie dicta, ex homicidio voluntario illicito et publico, et ex defectu corporis, quando est magna deformitas : ad episcopum autem pertinet judicare, an magna vel parva sit deformitas.

Dico 2° : Episcopi ex concessione Tridentini, sess. 24, cap. 6, de Reform., possunt dispensare in omni irregularitate proveniente ex crimine occulto, excepto homicidio voluntario : occultum autem dicitur quod non est notorium, etiamsi a tribus vel quatuor in occulto sciatur, et possit probari judicialiter ; item quamvis sit de eo rumor sparsus. Quamdiu autem crimen sub foro contentioso versatur, etsi videatur probari non posse, non potest episcopus dispensare in irregularitate ex illo orta. Quod si accusatus, quamvis reipsa reus, judicialiter declaretur innocens, potest dispensari ab episcopo ; quia tunc delictum redit in eumdem statum, in quo erat antequam ad forum contentiosum deduceretur.

Possunt etiam episcopi dispensare cum illegitimis ad minores ordines, et ad beneficium simplex, cap. 1, de Filiis presbyt., excepto canonicatu cathedralis ecclesiæ qui requirit ordinem sacrum, Trid., sess. 24, cap. 12. Item possunt dispensare in irregularitate ex bigamia similitudinaria, si clericus sponte resipiscat, cap. 1 *Qui clerici et voventes*. In aliis vero irregularitatibus ex defectu, nihil possunt.

Dico 3° : Prælati ordinum mendicantium etiam conventuales 1° possunt erga suos, quod possunt episcopi erga suos diœcesanos ; hoc ipso enim quo pontifices mendicantes exemerunt a jurisdictione episcoporum, censentur illam eorum prælatis concessisse, cum id sit

necessarium ad gubernationem, tam spiritualem, quam temporalem religiosorum; et hanc jurisdictionem, quia non ex commissione temporali, sed virtute legis seu consuetudinis eis competit, possunt delegare.

2° Possunt dispensare cum suis subditis in omnibus aliis irregularitatibus, exceptis tribus, scilicet bigamia, homicidio voluntario et mutilatione, quibus additur enormis defectus corporis in quo non solet Pontifex dispensare : ita Sixtus IV, bulla *Dum attenta*. Idem ex bulla quæ est mare magnum prædicatorum et alii, de quibus vide Rodriguez, tom. 1, qq. reg., q. 24, art. 2,et sequentibus, et Lezana, tom. 1, qq. reg., c. 18, n. 40, et sequentibus.

Nota quod irregularitas non tollatur per absolutionem, sed per dispensationem in lege, et ideo requiratur legitima causa, ut dispensatio sit licita, imo et ut sit valida, si ab alio quam a papa concedatur.

Petes quid in dubio irregularitatis contractæ?

Respondi olim dissert. 10, de Justitia, art. 10, § 2, pet. 2, de irregularitate ex homicidio, quod ille qui dubitat an homicidium perpetratum, sit ab ipso causatum, debeat se gerere ut irregularem; secus si dubitet, an homicidium sit revera perpetratum, aut ejus dubium sit juris. Verum maturius consideratis variis textibus juris quos retuli et fuse expendi, atque ab alienis interpretationibus vindicavi, dissert. 6, de Actibus hum., ubi de Probabilitate, art. 2, præsertim probatione ultima,et in sol. obj., nunc mihi probabilius est, dubium positive de quacumque irregularitate, sive sit dubium facti cujusvis, sive juris, debere se gerere ut irregularem; quia secundum jura, in hujusmodi dubio debet sequi tutius. Require probationes loco citato. Arbitror tamen episcopum posse in irregularitate dubia dispensare saltem in locis remotioribus, ex tacito consensu Papæ, ut dixi de legibus, dissert. 5, art. 3, § 1. Esset enim onus importabile, si in omnibus hujusmodi dubiis recurrendum esset ad Summum Pontificem e regionibus longinquis.

Dices 1° : Non incurritur irregularitas nisi sit in jure expressa : atqui quando est dubium juris, nequit dici irregularitas expressa in jure : ergo.

Resp. dist. min. Non potest dici certo expressa in jure, conc.; non potest dici sub dubio, neg. In hoc autem dubio jura volunt tutius esse eligendum, ut probavimus loco citato.

Dices 2° : Dubius de casu reservato non debet se gerere, ut obnoxium reservationi, sed potest absolvi a quolibet confessario : ergo similiter dubius de irregularitate.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod casus reservati pertineant ad forum conscientiæ, dubii frequenter occurrant, sub sigillo teneri debeant, nec nisi urgente necessitate superioribus aperiri, ad quos etiam sæpe non patet facilis accessus, ut eis exponatur dubium, et eorum mens exquiratur : unde continua foret in confessariis et pœnitentibus conscientiæ anxietas, et onus importabile, si casus dubii essent reservati. Quibus de causis jure præsumitur Ecclesiam non intendere casus dubios reservare. Hæc autem rationes non militant pro irregularitatibus, quippe quæ spectant forum externum, rariores sunt, nec res ita secretæ. Adde quod jura volunt dubium de irregularitate se gerere ut irregularem: nihil tale autem reperitur in jure de reservatione casus dubii. Alias objectiones vide loco citato de Probabilitate.

TRACTATUS DE INDULGENTIIS

D. Th. supp. qq. 25, 26 et 27.

DISSERTATIO UNICA.

ARTICULUS I.

QUID ET QUOTUPLEX SIT INDULGENTIA?

Indulgentia generatim sumpta est remissio proprii juris in gratiam alterius. Ex usu autem Ecclesiæ et theologorum,

Indulgentia definitur : Remissio pœnæ temporalis debitæ peccato actuali remisso, quoad culpam et pœnam æternam, facta extra sacramentum ab eo qui jurisdictionem spiritualem habet dispensandi thesaurum Ecclesiæ. Explicatur.

Dicitur : Remissio pœnæ temporalis; quia remissis culpa et pœna æterna per sacramentum Pœnitentiæ seu perfectam contritionem, sæpe remanet pœna temporalis in hac vel altera vita luenda, ut ex professo probavimus contra hæreticos, dissert. 3, de Pœnitentia, art. 1, § 3. Et hujus pœnæ remissio dicitur indulgentia.

Dicitur : Peccato actuali remisso debita; quia omnis pœna peccato originali debita per Baptismum remittitur.

Dicitur : Facta extra sacramentum ; ut distinguatur a remissione sacramentali quæ est magis liberalis, cum pro satisfactione levi culpa et pœna æterna remittuntur : indulgentia vero est quædam solutio debiti ex bonis communibus Ecclesiæ ; non secus ac si pro debitore mille florenorum prætor solveret parem summam ex ærario publico.

Dicitur : Facta ex thesauro Ecclesiæ; est autem iste thesaurus, valor satisfactorius bonorum operum Christi et sanctorum, qui non fuit eis necessarius pro expiatione propriorum peccatorum , permanens in acceptatione Dei ad utilitatem corporis Ecclesiæ, cujus Christus est caput, sancti et omnes fideles membra, et qui proinde applicari potest ejusdem corporis membris quæ indigent.

Dixi : Valor satisfactorius; duplex enim est valor in bono opere: unus meritorius ratione gratiæ et charitatis a qua procedit, et respicit præmium obtinendum a præmiante, adeoque bonum merentis, aut illius cui meretur. Alter satisfactorius ratione difficultatis, laboris et pœnalitatis in opere, et respicit jus alienum reparandum, adeoque directe bonum læsi, non satisfacientis, nisi indirecte, quatenus eum liberat a debito. Thesaurus itaque Ecclesiæ, de quo loquimur, conflatur ex operibus bonis qua satisfactoriis Christi et sanctorum, qui, juxta modum quem Deus servat in œ-

nis, iis non indiguerunt ad propriorum peccatorum satisfactionem. Quantum enim ad valorem meritorium, sancti præmium adæquatum, imo superabundans, receperunt in beatitudine. Hunc thesaurum exstare in Ecclesia mox specialius probabimus.

Dico 2° : Indulgentiæ valent non solum in Ecclesiæ [1], sed etiam in foro Dei, id est, liberant hominem, non solum a pœnis ab Ecclesia sive per sacerdotem, sive per canones injunctis, sed etiam a pœnis Deo debitis et in purgatorio luendis.

Prob.: 1° Quia [2] Christus, Matth. 16, promisit Petro, quod id quod solveret in terra, esset solutum in cœlis : unde Apostolus dicit quod condonavit incestuoso Corinthio in persona et vice Christi.

2° Quia si indulgentiæ liberarent [3] tantum a pœnis ab Ecclesia injunctis et non a pœnis coram Deo et in altera vita luendis, plus nocerent quam prodessent, et Ecclesia fideles deciperet in re gravis momenti; eximendo enim a pœnis levioribus hujus vitæ, eos remitteret ad pœnas longe acerbiores purgatorii, quorum relaxationem obtinuissent per pœnas hujus vitæ; sicque verum esset illud Lutheri, indulgentias esse fidelium fraudes.

Unde Sixtus IV, Constit. *Licet ea*, proscripsit hanc Petri Oxomensis propositionem : « Romanus Pontifex Purgatorii pœnam remittere non potest. » Et Leo X hanc alteram in Bulla contra articulos Lutheri : « Indulgentiæ his qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam. »

Dico 3° : Indulgentia dividitur 1° in totalem seu plenariam quæ sufficit tollendæ toti pœnæ restanti post culpam dimissam, et partialem quæ sufficit tollendæ parti pœnæ tantum.

Plenaria non subdividitur ; indulgentia enim jubilæi non differt a plenaria ratione remissionis pœnæ, sed tantum ratione quorumdam privilegiorum annexorum, ut dispensationis in quibusdam votis, absolutionis a reservatis, etc. Nec refert Bonifacium VIII, in Extravag. *Antiquorum*, concessisse indulgentiam « plenam, pleniorem et plenissimam »; ita enim dicit ad majorem explicationem indulgentiæ plenariæ tantum, et ut tolleret quorumdam scrupulos ; quia *plenum* admittit latitudinem et quæ ad plenitudinem accedunt, subinde dicuntur plena : voluit ergo tantum significare se concedere indulgentiam quantum se extendit potestas clavium ; et ita declaravit, præsente glossatore, qui id testatur.

Partialis autem indulgentia est multiplex : Quædam conceditur pro medietate vel tertia, vel quarta parte peccatorum, id est, pœnarum peccatis debitarum. Alia est unius vel plurium dierum, unius vel plurium annorum, unius vel plurium quadragenarum. Quod ut intelligas,

Observandum est quod secundum antiquos canones, quos recensuimus, dissert. 9, de Pœnitentia, art. 6, gravioribus peccatis certæ pœnæ imponerentur, aliquando unius vel plurium dierum aut annorum, septem, decem, viginti, aliquando tota vita, item unius vel plurium quadragenarum ; erat autem quadragena jejunium per quadraginta dies, et quando erat in pane et aqua, dicebatur carena a carendo aliis cibis præter panem et aquam.

Quando ergo conceditur indulgentia unius vel plurium quadragenarum, unius vel plurium dierum, aut annorum, non est sensus quod relaxetur tantum obligatio ad illas pœnas antiquorum canonum, quasi valeret indulgentia coram Ecclesia tantum et non coram Deo, ut patet ex conclus. præced. Neque sensus est quod tot relaxentur anni de purgatorio quot remittuntur anni pœnitentiarum antiquorum canonum, quasi indulgentia, v. g., septem annorum, liberet a septem annis purgatorii ; acerbitas enim pœnæ unius diei in purgatorio, potest æquivalere, imo superare pœnas plurium dierum in hac vita, et incertum est quanto tempore, qui lucratur indulgentias, deberet pati in purgatorio ; sed sensus est quod remittatur tanta pœna peccatis debita coram Deo et in purgatorio luenda, quanta remitteretur per pœnitentiam unius, vel plurium dierum vel annorum, vel quadragenarum, secundum antiquos canones imponi solitam, aut quæ secundum prudens confessarii judicium esset pro peccatis commissis imponenda. Quanta autem remitteretur solus Deus novit. Hinc habes illos hallucinari, qui parvi faciunt indulgentias partiales, nec nisi plenarias volunt.

Si dicas quandoque fuisse concessas indulgentias mille, imo decem millium annorum, quales nunquam impositæ fuerunt per canones, resp. plures et graves auctores hujusmodi indulgentias rejicere ut fictas a quæstoribus et nunquam ab Ecclesia probatas. Cæterum sic posset explicari : Suppono pro uno peccato mortali, puta blasphemiæ, impositam fuisse pœnitentiam decem annorum, si quis multi-

[1] Supp. q. 25, a. 1. [2] Ibid. [3] Id.

plicet istud peccatum, puta millies blasphemet, obnoxius erit pœnitentiæ decem millium annorum.

2° Indulgentia dividitur in perpetuam et temporalem : perpetua est quæ conceditur sine determinatione temporis; temporalis quæ habet præfixum tempus, puta quinque, septem annorum, quo elapso cessat.

3° Indulgentia dividitur in personalem, realem et localem : personalis est quæ conceditur personis, lucranda vel in articulo mortis, vel quoties tale quid fecerint ; realis est quæ conceditur alicui rei, v. g., rosario, numismati, vel imagini, lucranda ab eo qui rem illam gestat ; localis est quæ conceditur alicui loco, puta ecclesiæ, altari, etc., lucranda ab eis qui illum devote visitaverint.

Petes 1° utrum, in indulgentia locali, pluries in die visitans ecclesiam seu locum cui annexa est indulgentia, toties illam lucretur ?

Resp. quod si indulgentia sit concessa sine determinatione temporis hunc locum visitanibus [1], v. g., si dicatur simpliciter : Qui devote visitaverit hanc ecclesiam, talem indulgentiam lucrabitur ; toties illam lucratur, quoties in die illam visitat ; quia non est ratio restringendi ad unam vicem. Si vero indulgentia concessa sit cum determinatione temporis, v. g., si dicatur : Qui devote visitaverit hanc ecclesiam tali die, tali festo, tali tempore, puta paschali, infra talem octavam, intelligitur tantum semel in isto die, vel tempore determinato; quia prælatus videtur determinasse tempus ut quisque, cum sibi opportunum fuerit, indulgentiam semel lucretur ; et ita apprehendit sensus communis fidelium, qui est optimus hujusmodi concessionum interpres.

Neque obstat beneficium principis, quod nulli fert præjudicium, esse late interpretandum ; id namque verum est duntaxat, quando non receditur a voluntate principis ; præsumitur autem tum ex determinatione temporis, tum ex communi sensu fidelium voluntatem concedentis talem indulgentiam, esse ut semel tantum in die obtineatur.

Petes 2° an quando in concessione indulgentiæ partialis exprimitur de pœnitentiis injunctis, valeat tantum ad relaxationem pœnitentiæ injunctæ a confessario, seu pœnæ illi correspondentis ?

Resp. probabilius et communius negative ; quia ista particula « de pœnitentiis injunctis » non debet censeri restrictiva, sed potius ampliativa, quasi diceretur : « etiam de injunctis » : quod probatur 1° quia juxta regulam juris, « ubi majus conceditur, etiam minus concessum esse videtur », in eodem scilicet genere ; sic si cui concedatur facultas absolvendi a reservatis, intelligitur etiam a non reservatis : atqui majus est remittere pœnas a confessario injunctas quam injungendas, cum injunctæ, non solum jure divino, sed etiam humano sint debitæ : ergo. 2° Dum pontifex concedit indulgentiam plurium dierum vel annorum, nescit an tanta pœnitentia sit a confessario injuncta, imo potius scit tantam non esse injunctam, cum juxta hodiernam Ecclesiæ praxim tanta non injungatur : ergo non intelligit tantum de pœnitentia a confessario injuncta, sed de ea quæ posset injungi, vel per canones est statuta, quæ vero sensu potest dici injuncta, quia per canonem est præfixa. 3° Quia alioquin indulgentiæ forent hodie exiguæ utilitatis ; cum, ut dictum est, exiguæ soleant nunc injungi pœnitentiæ.

Petes 3° an pœnitens qui vacat indulgentiæ lucrandæ possit omittere pœnitentiam a confessario injunctam ?

Resp. non esse consultum [1], 1° quia non est certus se lucraturum, aut lucratum fuisse saltem integre indulgentiam ; 2° quia pœnitentiæ quæ injunguntur a confessariis, ut plurimum, non sunt in solam vindictam præteriti, sed etiam in cautelam futuri, sub qua ratione non tolluntur ab indulgentiis ; 3° quia forte est plurium debitor quam credit. Possunt tamen injungi a confessariis leviores pœnitentiæ sub spe indulgentiæ lucrandæ.

ARTICULUS II.

UTRUM SIT IN ECCLESIA POTESTAS CONCEDENDI INDULGENTIAS ?

Duo hic investiganda sunt : primum an sit in Ecclesia thesaurus aliquis satisfactionum Christi et sanctorum, qui applicari possit iis quibus post culpam, restat pœna temporalis luenda in hac vel altera vita ; secundum an sit in Ecclesia potestas hunc thesaurum applicandi et sic absolvendi homines a reatu pœnæ temporalis.

Revocandum est quod in art. præced. dicebam, meritum et satisfactionem, quamvis in eodem opere reperiri possint, inter se tamen distingui : meritum quo quis redditur præmio dignus non potest alteri applicari : sic ex operibus meritoriis unius civis, alter non efficitur

[1] Ib. a. 2, ad 4.

[1] Ib. a. 1, ad 4.

dignus magistratu ; sed satisfactio unius potest alteri applicari: sic unus civis potest ex propria pecunia alterius debitum solvere.

Dico 1° [1] : Est in Ecclesia thesaurus satisfactionum Christi et sanctorum.

Prob. 1° : Passio et labores Christi non erant illi necessaria ad satisfaciendum pro peccatis quibus carebat, et propter unionem ad Verbum erant infiniti valoris, ut probavimus in tract. de Incarnatione : hi autem dati sunt Ecclesiæ; ubique enim in S. Scripturis Christus dicitur nobis datus et pro nobis passus.

B. Virgo caruit omni peccato actuali, ideoque satisfactione non indigebat, passa est tamen gravissimos cruciatus in passione Filii.

Joannes Baptista sanctificatus in utero austeriorem vitam duxit, quam martyrio coronavit.

Apostoli, martyres, confessores, anachoretæ et virgines, plus egerunt et passi sunt quam exigebant eorum peccata, secundum modum quem Deus servat in pœnis exigendis.

Hæc autem omnia manent in acceptatione et memoria Dei qui nullius boni operis obliviscitur, ad communem Ecclesiæ utilitatem, secundum virtualem saltem voluntatem eorum qui ista egerunt. Et quamvis ut habent rationem meriti, fuerint abundanter remunerata per beatitudinem, ut tamen habent rationem satisfactionis, multa eis supererant, quæ neque ex eorum voluntate, neque ex certa aliqua lege, aliquibus certis personis sunt applicata, proindeque manent in communibus bonis Ecclesiæ, sicut bona civium sine ullis certis hæredibus aut legatariis decedentium, pertinent ad ipsam rempublicam; non est enim minor communicatio bonorum inter fideles quam inter cives reipublicæ. Adde sanctos semper intendere in suis operibus communem Ecclesiæ utilitatem.

Hæc ergo valere aliis [2], si eis applicentur, evincit ipsa ratio communionis sanctorum et unitatis corporis mystici, cujus omnes fideles sunt membra; membra enim corporis non sibi tantum, sed etiam aliis membris et toti corpori serviunt. Insuper posse unum pro altero satisfacere probavimus dissert. 9, de Pœnitentia, art. 5.

Hinc Clemens VI, constit. *Unigenitus* de Pœnit. et Remiss. ait : « In ara crucis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius generis humani suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse.... Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis aut superflua tanta effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit.... Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B Petrum cœli clavigerum ejusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum..... Ad cujus quidem thesauri cumulum Beatæ Dei Genitricis, omnium electorum a primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum præstare noscuntur : de cujus consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi merita, quam pro eo quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. »

Dico 2° : Est in Ecclesia potestas indulgentias dispensandi ex thesauro Ecclesiæ.

Prob. 1° ex his Christi verbis Matth. 16 : *Quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis.* Hæc promissio est generalis, nec restringitur ad peccata, ut illa Joan. 20 : *Quorum remiseritis peccata, etc.*, sed extenditur ad omnia vincula quæ possunt homines impedire a consecutione salutis, ideoque non solum ad absolutionem a peccatis, sed etiam ad absolutionem a censuris, ad dispensationem in votis et ad relaxationem pœnarum temporalium, etc. Quod autem ibi promittitur Petro, confertur Joan. 21 : *Pasce oves meas.* Petrus itaque constitutus supremus pastor, rector et judex Ecclesiæ, potest vice Christi absolvere homines a peccatis applicando illis merita Christi per sacramenta, et a pœnis peccatorum extra sacramenta, applicando pariter illis satisfactiones Christi et sanctorum. Ideo autem absolutio a peccatis non fit extra sacramenta, quia peccatum mortale non remittitur nisi per infusionem gratiæ, gratia vero non datur ministerio hominum nisi per sacramenta, sed absolutio a pœnis temporalibus non fit per infusionem gratiæ, sed eam supponit.

Prob. 2° ex perpetuo usu Ecclesiæ ab incunabulis. Paulus, 2 Cor. 2, incestuoso Corinthio pœnitenti remisit *in persona Christi*, id est, auctoritate a Christo sibi tradita, partem pœnarum quas debebat persolvere.

Deinde post Apostolorum tempora, usus erat in Ecclesia, ut ad preces martyrum qui detinebantur in carceribus, vel alias, quando episcopi id expedire judicabant, pars pœnitentiæ lapsis remitteretur, ut constat ex Tertulliano, l. *ad Martyres*, post initium, et l. *de*

[1] Ib. a. 3, o. [2] Ibid.

Pudicitia, cap. 22; ex S. Cypriano, l. 3, epist. 15; ex concilio Nicæno 1, can. 11, alias 12; ex concilio Ancyrano, c. 5, et Laodiceno, c. 2.

S. Greg., circa annum 600, indulgentias in diebus stationum concessit, ut testatur Guillelmus Altissiodorensis, l. 4 *Summæ Theologicæ*, tract. 6, cap. 9, et S. Th. in 4 d. 20, q. 1, a. 13, q. 2. Leo III, circa annum 800, Sergius eodem sæculo, et alii deinde pontifices indulgentias aperte concesserunt, ut pluribus testimoniis probat Bellarmin., l. 1 *de Indulgentiis*, c. 3. A pluribus referendis supersedeo, quia non negant hæretici indulgentias sequentibus sæculis fuisse in usu.

Insuper hi et sequentes pontifices: Clemens VI, cap. *Unigenitus*, Sixtus IV, cap. *Quemadmodum*, Bonifacius VIII, cap. *Antiquorum*, loquuntur de indulgentiis ut de re antiqua cujus ignoratur initium. « Antiquorum habet fida relatio, inquit Bonifacius VIII, quod accedentibus ad honorabilem basilicam principis Apostolorum de urbe, concessæ sunt magnæ remissiones et indulgentiæ peccatorum. » Hæresis autem contra indulgentias initium designatur; constat enim non solum apud catholicos, sed etiam hæreticos, waldenses fuisse primos qui doctrinam indulgentiarum impugnaverunt. Porro hoc est dogmatum catholicorum proprium, ut eorum origo non inveniatur, nisi ad ipsum Evangelium aut Apostolos ascendendo: hæresum autem potest semper designari initium et auctor.

Nec refert in primitiva Ecclesia non ita frequenter fuisse usum indulgentiarum: sic exigebat ratio temporum; fervebant enim charitate primi christiani et per rigorem disciplinæ atque pœnitentiæ labores, erant tanquam athletæ exercitandi ad martyrium.

Nec etiam refert modum concedendi indulgentias fuisse tunc diversum; ista namque diversitas erat tantum accidentalis; semper enim concessæ sunt indulgentiæ in relaxationem pœnæ temporalis ex thesauro Ecclesiæ conflato ex Christi et sanctorum satisfactionibus, in quo sita est substantia indulgentiæ.

Prob. 3° ratione: In omni republica bene ordinata pertinet ad supremum principem et magistratum dispensare bona communia, et ea applicare civibus qui indigent, prout exigit utilitas reipublicæ; id naturali lumine patet: atqui Ecclesia est respublica bene ordinata, nimirum a Christo instituta, supremus ejus princeps est summus pontifex, deinde episcopi, est in Ecclesia ærarium publicum seu thesaurus ex satisfactionibus Christi et sanctorum superabundantibus, plures fideles Deo grati et amici, pœnarum temporalium debito gravati, iis indigent. Quid obstat ergo quominus pontifex in tota Ecclesia et episcopi in suis diœcesibus, has pœnas remittant ex illo thesauro?

Totam hanc doctrinam asserit et prudenter exponit concilium Trid., decreto de indulgentiis in fine sess. 25, de Reformat., his verbis: « Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: sacrosancta synodus indulgentiarum usum christiano populo maxime salutarem, et sacrorum conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et præcipit, eosque anathemate damnat qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. In his tamen concedendis moderationem juxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero qui in his irrepserunt, quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens, præsenti decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes, pro his consequendis, unde plurima in christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse, etc.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt 1° hæretici dimissa culpa nullam remanere pœnam luendam in hoc vel in altero sæculo: ergo. Resp. neg. ant. Quod abundanter impugnavimus diss. 3, de Pœnitentia, art. 1. Vide.

Obj. 2° unum non posse pro altero satisfacere. Resp. neg. iterum ant. Quod etiam ex professo impugnavi, dissert. 9, de Pœnitentia, art. 5. Vide.

Obj. 3° Christum pro omnibus peccatis semel satisfecisse. Resp. equidem Christum satisfecisse pro omnibus peccatis, sed ejus satisfactionenem nemini prodesse, nisi applicetur; alias omnes homines de facto salvarentur: inter autem modos eam applicandi, unus est per indulgentias.

Obj. 4°: Merita Christi fuerunt sufficienter remunerata tam per visionem beatificam qua donatus est, quam per exaltationem nominis; Deus enim *donavit illi nomen quod est super omne nomen*, Philipp. 2. Similiter merita san-

ctorum fuerunt supra condignum remunerata per beatitudinem : ergo ex utraque parte nihil restat quod reponatur in thesauro Ecclesiæ et aliis applicetur.

Resp. ad primum : Dato valorem meritorium operum Christi adæquate fuisse remuneratum, valor satisfactorius nihil illi profuit, cum non haberet peccatum, ideoque fuit superabundans reponendus in thesauro Ecclesiæ. Insuper, neg. ant. Visio enim beatifica non ei fuit data intuitu meritorum, sed ab instanti incarnationis vi unionis hypostaticæ : exaltatio autem nominis, cum sit finita, non adæquat meritum ejus infinitum.

Ad secundum pariter, resp. opera sanctorum, quatenus meritoria, fuisse superabundanter et supra condignum remunerata ; at quatenus satisfactoria in pluribus superabundaverunt ; et ideo quod superabundavit, repositum fuit in thesauro Ecclesiæ suo tempore aliis applicandum.

Inst. 1° contra primam solutionem : Satisfactio Christi, quamvis infiniti valoris, fuit exhausta in expiatione peccati mortalis : ergo nihil superest reponendum in thesauro Ecclesiæ. Prob. ant. Peccatum mortale est infinitum in ratione offensæ et injuriæ : atqui expiatio et reparatio injuriæ infinitæ requirit et exhaurit satisfactionem infinitam : ergo.

Resp. neg. ant. Ad prob., dist. min. Reparatio offensæ infinitæ exhaurit satisfactionem infinitam ejusdem ordinis, transeat : satisfactionem infinitam altioris ordinis, qualis est satisfactio Christi, quæ est ordinis hypostatici et reductive divini, neg. Alioquin probaret argumentum unicum solum peccatum mortale passione Christi deleri potuisse. Vide dissert. 19, de Incarnat., art. 6, ubi probavimus satisfactionem Christi fuisse ab intrinseco non solum condignam, sed superabundantem.

Inst. 2° contra secundam solutionem : Opus unius, etiam satisfactorium, alteri non prodest, nisi operans intendat illi applicare et prodesse : atqui sancti in suis bonis operibus non habuerunt intentionem illa reponendi in thesauro Ecclesiæ, ut aliis applicarentur : ergo.

Resp. dist. min. Non habuerunt intentionem explicitam, transeat ; implicitam seu interpretativam, neg. Omnia enim quæ faciunt sancti, quæ non sibi reservant, vel alteri non applicant, aut applicata forte non prosunt, faciunt in communem utilitatem Ecclesiæ : unde dicebat Apost. 2 Timoth. 2 : *Omnia sustineo propter electos ;* et Colos. 1 : *Gaudeo in passionibus pro vobis et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia.*

Inst. 3° : Hæ satisfactiones, si quæ sint superabundantes, applicantur aliis vi communionis sanctorum : unde dicebat David, Psal. 118 : *Particeps ego sum omnium timentium te ;* ergo frustra applicantur per indulgentias.

Resp. neg. ant. Vi enim communionis sanctorum, fideles participant bonis aliorum operibus, quoad portionem generalem tantum ; non vero quoad portionem specialem quam operans sibi reservat, aut alteri applicat ; certum est enim quod oratio, aut quodvis aliud bonum opus, specialiter et magis prosit ad satisfactionem ipsi operanti si sibi reservat, vel alteri cui specialiter applicat, quam aliis fidelibus. Et hæc est portio specialis quando est superabundans operanti, aut nulli alteri applicat, vel prodest, quæ reponitur in thesauro Ecclesiæ, et applicatur per indulgentias.

Obj. 5° : Satisfactiones Christi sunt infiniti valoris : atqui infinito nihil addi potest : ergo frustra junguntur satisfactiones sanctorum.

Resp. dist. min. Infinito nihil potest addi in eo genere in quo est infinitum, conc.; in altero genere, neg. Ei enim quod est infinitum intensive potest fieri additio secundum extensionem, et sic est in præsenti casu : satisfactio Christi est infinita intensive, per additionem satisfactionum sanctorum augetur extensive, quatenus est major numerus satisfactionum

Inst.: Saltem satisfactiones Christi sunt plusquam sufficientes redimendis omnium peccatorum pœnis : ad quid ergo adduntur satisfactiones sanctorum ?

Resp. addi satisfactiones sanctorum, non equidem quod sunt necessariæ, sed 1° quia inde magis elucescit efficacia meritorum Christi, quæ non solum possunt per se expiare peccata, sed etiam aliis vim expiandi conferunt ; 2° ut inde magis honorentur sancti et satisfactiones eorum superabundantes non maneant otiosæ ; 3° quia licet satisfactiones Christi sint infinitæ, applicantur tamen finito modo et ad determinatum effectum, qui potest augeri : sicut ergo sæpe obtinemus aliquid per merita et preces sanctorum, quod sine illis non obtineremus ; ita non est incredibile Deum ob satisfactiones sanctorum largiorem effectum indulgentiis concedere, quam alias concederet ; neque hoc est ullo modo injuriosum

Christo, aut ejus meritis derogat; quia satisfactiones sanctorum non habent valorem nisi ex meritis Christi, sicut non derogat ejus omnipotentiæ quod producat cum causis secundis certos effectus, quos sine illis posset producere; quia secunda non agit, nisi virtute a causa prima participata.

Inferes: Ergo sancti possunt etiam dici redemptores nostri.

Resp. neg. illationem, 1° quia is est proprie redemptor noster, qui nos a peccato, et a pœna æterna liberat; 2° quia solius Christi satisfactiones per se valent ad satisfaciendum pro nobis: satisfactiones autem sanctorum hanc vim emendicant ex ipsis Christi meritis, ut jam dixi.

Urgebis: Vix explicari potest quomodo satisfactiones Christi et sanctorum concurrant in indulgentiis, an simul partialiter, an seorsim.

Resp. id quidem esse incertum, sed nihil officit; certum namque est esse in Ecclesia thesaurum ex Christi et sanctorum satisfactionibus; certum est satisfactiones Christi esse infinitas, applicari tamen finito modo; certum est item satisfactiones sanctorum vim habere ab ejus meritis, ideoque posse absque illius injuria aliquid addere in indulgentiis.

Obj. 6°: Nihil fecerunt sancti quod non tenerentur facere: ergo nihil in illis superabundat. Prob. ant. Christus, Luc. 17, dicit Apostolis: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Item, Matth. 25, prudentes virgines noluerunt aliis communicare de oleo, quia totum sibi necessarium reputabant: ergo.

Resp. 1° dato ant. neg. conseq.; quia etiam adimpletio præcepti est meritoria et satisfactoria, et fieri potest quod qui legem adimplet, hac satisfactione non egeat, ideoque possit aliis applicari: unde non dixit Christus eos esse servos inutiles, sed quod deberent se dicere et reputare servos inutiles, et hoc ad exercitium humilitatis.

Resp. 2° neg. ant. Non enim dixit Christus simpliciter: *Cum feceritis omnia, sed cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis*: poterant ergo ex operibus supererogationis non esse inutiles. Ad parabolam de virginibus: Sermo est de oleo gratiæ et charitatis quam nemo potest aliis communicare, quia est donum solius Dei. Aliam item explicationem hujus parabolæ dedimus, dissert. 9 citata, de Pœnitent.

Obj. 7°: Non est data potestas Ecclesiæ in destructionem, sed in ædificationem: atqui indulgentiæ sunt in destructionem, quia tollunt opera satisfactoria, quæ sunt in remedium peccati: ergo.

Resp. neg. min.[1] Ad probat., dicendum est quod majus remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia, quam ex assuetudine nostrorum operum; et quia ex affectu quem accipiens indulgentias concipit ad causam, pro qua indulgentia datur, ad gratiam disponitur, ideo etiam per indulgentias remedium ad peccata vitanda datur, et ita non est in destructionem indulgentias dare, nisi inordinate dentur. Tamen consulendum est eis qui indulgentias consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abstineant, ut etiam ex his remedium consequantur, quamvis a debito pœnæ essent immunes, et præcipue quia quandoque sunt plurium debitores quam credant.

Obj. 8°: Inferior non potest absolvere ab eo ad quod superior obligavit: atqui Deus absolvendo a culpa, obligat ad pœnam temporalem: ergo.

Resp. eum qui indulgentiam suscipit non absolvi simpliciter a debito pœnæ[2], quia nihil solvat; sed sic absolvitur, ut etiam ei detur unde solvat. Insuper faciens indulgentias non absolvit nisi auctoritate Dei.

ARTICULUS III.

QUIBUS COMPETAT POTESTAS CONFERENDI INDULGENTIAS?

Dico: Potestas conferendi indulgentias[3] primario competit summo pontifici, et per ipsum in episcopos derivatur.

Prob. Potestas dispensandi bona publica primario pertinet ad supremum principem reipublicæ[4]; ad inferiores autem principes seu magistratus pertinet secundum quod ab ipso potestatem accipiunt: atqui solus summus pontifex est supremus princeps in Ecclesia, sicut rex in regno: ergo. Confirm. Papa potest auferre, minuere, augere hanc potestatem in episcopis, ut mox dicam: ergo.

Sed juvat audire doctorem nostrum citatum: « Papa, inquit, habet plenitudinem pontificalis potestatis, quasi rex in regno; sed episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, quasi judices singulis civitatibus præpositi: propter quod eos solos in suis litteris papa fratres vocat, reliquos autem omnes vo-

[1] Ib. a. 1, ad 4. [2] Ib. ad 2. [3] Ib. q. 26. a. 3. o. [4] Ib.

cat filios. Et ideo potestas faciendi indulgentias plene residet in papa, quia potest facere prout vult, causa tamen existente legitima; sed in episcopis est taxata secundum ordinationem papæ, et ideo possunt facere secundum quod est eis taxatum et non amplius. »

Quapropter concilium Lateranense sub Innocentio III, refertur cap. *Cum ex eo*, de Pœnit. et remiss., concedit episcopis potestatem conferendi suis diœcesanis indulgentiam unius anni in consecratione ecclesiæ, in ejus autem anniversario et aliis temporibus, quadraginta dierum tantum. Item Honorius III, cap. *Nostro* eodem titulo, qui idem concedit archiepiscopis per suam provinciam, et Bonifacius VIII, cap. *Indulgentiæ* eodem titulo in 6. Idque sive dentur indulgentiæ ab uno, sive a pluribus qui consecrationi adsunt, declaratque Bonifacius, quod si prædictum modum excesserint, indulgentiæ vires non obtinent; quod videtur intelligendum quantum ad excessum tantum, quia, juxta regulam juris 37, in 6, « Utile per inutile non vitiatur. »

Ex quo habes episcopos habere potestatem conferendi indulgentias jure ecclesiastico tantum; licet enim Christus ipse instituerit munus episcopale, non tamen per seipsum confert singulis episcopis jurisdictionem, sed mediante summo pontifice; quia tamen eorum status et officium episcopale exigit ut hujusmodi potestas ipsis a papa communicetur, non sunt in hoc simpliciter delegati, sed ordinarii, quia vi status et officii habent hanc potestatem a papa; et hoc sensu dicuntur ab aliquibus habere illam jure divino, scilicet mediate.

Id autem dici non potest de abbatibus, parochis et prælatis religionum [1], quia cum non præsunt multitudini politicæ, quæ dicitur populus, sed œconomicæ tantum, sicut qui præsunt familiæ, non sunt simpliciter prælati Ecclesiæ, sed secundum quid tantum et improprie; et ideo non exigit eorum status seu officium ut communicetur illis potestas dispensandi indulgentias. Unde Innocentius III, cap. *Accedentibus*, de Excess. Prælat., id expresse prohibet abbatibus.

Dices : Abbates et alii religionum prælati solent aliis bona spiritualia suæ communitatis communicare; id etiam faciunt privati amicis sua bona opera communicando : ergo.

Resp. has communicationes non esse indulgentias [2] : 1° quia non sunt ex thesauro indeficienti Ecclesiæ; 2° quia non solvunt a debito faciendi satisfactionem injunctam ab Ecclesia seu confessario; 3° quia per eas non applicantur satisfactiones præteritæ aliis superabundantes in thesauro Ecclesiæ repositæ, sed opera tantum futura; 4° quia indulgentiæ conceduntur vivis per modum jurisdictionis et absolutionis: prælatis autem religionum non competit hæc potestas in extraneos quibus communicant bona communitatis suæ opera.

Petes 1° utrum ad concessionem indulgentiæ requiratur potestas ordinis?

Resp. negative, sed sufficit potestas jurisdictionis [1]; quia concessio indulgentiarum non est quid sacramentale : unde episcopus confirmatus et nondum consecratus potest jure ordinario conferre indulgentias, et eodem jure committere facultatem conferendi simplicibus clericis : quod a fortiori potest summus pontifex, qui etiam posset ex absoluta potestate hanc facultatem delegare non clerico, sed non deceret.

Petes 2° utrum indulgentia sit mera solutio pretii pro pœna restante, an etiam absolutio, seu remissio judicialis et auctoritativa?

Resp. indulgentiam vivis concessam esse et absolutionem et solutionem. Utrumque docet Auctor : primum hic q. 26, a. 4, o, ubi dicit quod « Facere indulgentiam pertinet ad jurisdictionem »; et q. 27, a. 2, quod per indulgentiam quis « absolvitur a pœna injuncta vel debita pro peccato in foro pœnitentiali. » Secundum docet q. 25, a. 1, ad 3, dicens : « Faciens indulgentias solvit pœnam de bonis communibus Ecclesiæ »: Utrumque autem docet ibid. ad 2, dicens : « Iste qui indulgentias suscipit non absolvitur simpliciter loquendo a debito pœnæ »; id est, non sic absolvitur, quin solvatur aliquid pro debito.

Ratio primæ partis est; 1° quia indulgere non est simpliciter solvere, sed etiam remittere et relaxare. 2° Indulgentia non conceditur vivis nisi subjectis, ut declarat Alexander III, cap. *Quod autem*, de Pœnit. et Remiss. : ergo requiritur jurisdictio. Ad quid autem jurisdictio nisi ad absolvendum?

Ratio secundæ partis est; quia prælati Ecclesiæ non sunt quasi domini absoluti qui pro libitu condonent pœnas, sed sunt quasi judices, qui absolvunt quidem ex potestate sibi commissa, sic tamen ut satisfiat justitiæ divinæ per solutionem pretii ex thesauro satisfactionum Christi et sanctorum, pro debito pœnæ.

Dixi : Indulgentiam vivis concessam; quia quæ conceditur pro mortuis non est absolutio

[1] Ib. a. 1, o. [2] Ibid.

, o et sup. q. 45, a. 2, ad 1.

defectu jurisdictionis in illos, sed solutio tantum et suffragium, ut dicemus infra.

Petes 3° quomodo ergo papa seu episcopus faciens indulgentias potest illarum particeps fieri, siquidem non possit in seipsum exercere jurisdictionem, ideoque nec se absolvere?

Resp. participem fieri indulgentiæ [1] quam facit non per modum absolutionis, sed solutionis, quatenus sibi applicat satisfactionem quam aliis concedit, sicut qui dispensat bona communia, potest ex illis suam portionem accipere. Alii dicunt quod possit concedere suo confessario facultatem ipsum absolvendi non solum a culpa per sacramentum, sed etiam a pœna temporali per indulgentiam; quod etiam verum est.

ARTICULUS IV.

AN ET QUÆ CAUSA REQUIRATUR UT INDULGENTIA SIT RATA?

Ut indulgentia [2] sit valida et rata quatuor requiruntur, auctoritas in concedente, charitas in suscipiente, causa legitima quæ sit scilicet ad honorem Dei et Ecclesiæ utilitatem, et adimpletio operis injuncti. Hoc quartum non assignavit Auctor; quia non semper injungitur opus faciendum, ut cum indulgentia conceditur morienti. De primo diximus art. præced. de secundo et quarto dicemus art. seq., de tertio hic est quæstio.

Suppono 1° indulgentiam sine causa pia et rationabili concessam, esse illicitam; quia concedens est in hoc infidelis dispensator.

Suppono 2° indulgentiam sine causa sufficienti concessam esse saltem validam quantum ad privilegia ei annexa, quæ sunt tantum juris ecclesiastici, ut est facultas absolvendi a reservatis; quia papa potest sine causa valide, licet illicite, dispensare in his quæ sunt tantum juris ecclesiastici.

Dico 1° : Indulgentia sine justa et rationabili causa concessa [3] non est rata quantum ad remissionem pœnæ Deo debitæ in hac vel altera vita luendæ.

Prob. Minister non potest valide remittere jura et distribuere res domini sui sine ejus voluntate saltem præsumpta : atqui papa et episcopi concedentes indulgentias, remittunt jura Dei, seu dispensant in jure divino; obligatio enim ad pœnam coram Deo secundum justitiæ legem est juris divini. Item res Dei distribuunt, nimirum satisfactiones Christi et sanctorum, quarum non sunt domini, sed ministri tantum et dispensatores : Deus autem non vult jura sua remitti et res suas dispensari sine justa et rationabili causa quæ cedat in sui gloriam et Ecclesiæ utilitatem : ergo.

In hac conclusione conveniunt omnes theologi; sed difficultas est non levis; utrum ad validitatem indulgentiæ non solum requiratur justa et rationabilis causa, sed etiam proportionata quantitati indulgentiæ, ita ut non sufficiat quæcumque causa pia, sed requiratur magna causa pro magna indulgentia, major pro majori? Negant plures antiqui : Durandus, Paludanus, S. Antoninus, Sylvester, etc., ut placet quibusdam, S. Thomas. Affirmant communiter recentiores.

Ad cujus difficultatis explicationem et contrariarum opinionum, si non conciliationem, saltem approximationem,

Observandum est cum Bellarmino 1° causam justam indulgentiæ plerumque duo complecti, scilicet finem propter quem conceditur indulgentia, et opus quod injungitur ad hunc finem consequendum. Finis debet esse talis ut ejus assecutio magis placeat Deo quam satisfactio quæ per indulgentiam relaxatur : tales sunt infidelium conversio, hæresum extirpatio, recuperatio Terræ Sanctæ, pax et tranquillitas reipublicæ christianæ, exaltatio et utilitas S. matris Ecclesiæ, basilicarum constructio, augmentum devotionis aut cultus divini, vel alicujus sancti in fidelibus, etc. Item quandoque causæ privatæ sufficiunt pro indulgentiis privatis, ex quibus sequitur, saltem indirecte, commune bonum Ecclesiæ, ut acerbitas doloris, mortis articulus, morbus, periculum animæ; dicebat enim Apost., 2 Cor. 2, concedens indulgentiam incestuoso, *ne abundantiori tristitia absorbeatur*, id est, ne in desperationem cadat; inde enim commendatur benignitas et mansuetudo Ecclesiæ, dejecti animo in spem eriguntur, ad Ecclesiam facilius et frequentius confugiunt, quæ pertinent ad bonum commune Ecclesiæ.

Opus autem injunctum non debet ita esse satisfactorium, ut plene compenset debitum pœnæ, alias indulgentia non foret remissio, sed compensatio seu commutatio. Neque etiam requiritur quod sit valde meritorium aut satisfactorium, vel difficile et laboriosum, licet ista debeant attendi, sed sufficit quod sit medium aptum ad finem indulgentiæ concessæ consequendum ; sic assistentia populi ad fores

[1] Ib. q. 27, a. 4, o et ad 1. [2] Ib. q. 25, a. 2, o. [3] Ib.

ecclesiæ S. Petri, dum papa solemniter præsentibus benedicit in die paschæ, est secundum se quid leve, nec multum laboriosum; sed quia est medium valde aptum ad protestationem fidei de capite Ecclesiæ et ad honorem Sedis Apostolicæ, qui est finis indulgentiæ quæ in hac occasione conceditur, censetur sufficiens.

Dixi causam justam indulgentiæ plerumque complecti opus injunctum; quia aliquando conceduntur indulgentiæ absque injunctione operis, quando nempe assecutio finis indulgentiæ non pendet ab opere : sic olim absque injunctione operis concedebantur indulgentiæ ad preces martyrum qui detinebantur in carceribus et consummationem martyrii expectabant, ut fideles accenderentur ad martyrium, cum viderent tanti fieri preces martyrum ; sic quandoque absque injunctione operis conceditur indulgentia in articulo mortis hominibus de Ecclesia bene meritis, quia extrema necessitas juncta meritis præcedentibus absque novo opere videtur causa sufficiens, maxime cum inde excitentur fideles, ut bene mereantur de Ecclesia.

Observandum 2° quod quando indulgentia datur in communi multis, non sit necesse quod cujusque opus in singulari sit proportionatum fini Indulgentiæ, sed sufficit quod opus omnium collective sit proportionatum : unde, si, v. g., concedatur indulgentia pro obtinenda pace inter principes christianos, omnibus qui quinquies in tali solemnitate devote recitaverint *Pater et Ave;* quamvis singulorum preces seorsim sint quid leve respectu hujus finis, omnium tamen preces simul sunt quid notabile. Similiter si concedatur indulgentia omnibus qui conferent quatuor florenos in constructionem basilicæ, cujuscumque summa singularis est quid leve : omnium autem summa est quid notabile respectu constructionis basilicæ, et sic de cæteris.

His observationibus positis et attente perpensis non ita distant duæ opiniones contrariæ; ut tamen cum pluribus loquar,

Dico 2° : Juxta communiorem sententiam non sufficit ad validitatem indulgentiæ qualiscumque causa pia, sed requiritur proportionata quantitati indulgentiæ.

Prob. sequentibus momentis : 1° Secundum omnes requiritur causa justa et rationabilis ; non est autem justa causa si non sit proportionata ; justum enim dicitur quod est adæquatum aut saltem proportionatum ; neque est rationabilis; quia recta ratio non admittit aliquid improportionatum. 2° Ille est infidelis dispensator, non solum qui sine causa bona domini dispensat, sed etiam qui pro re levi magnos thesauros effundit. 3° Prælatus non potest valide sine causa proportionata dispensare in votis, quia obligatio votorum est juris divini : ergo nec relaxare pœnam cujus obligatio est etiam juris divini. 4° Si sufficeret quælibet causa pia, nullæ forent indulgentiæ indiscretæ et superfluæ, cum semper adsit causa pia, puta sublevatio pœnitentis a debito pœnæ : ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° : Potestas conferendi indulgentias fundatur in hoc quod Christus dixit Petro, Matth. 16 : *Quodcumque solveris*, etc., ut dictum est supra : atqui hoc dictum est absolute et sine restrictione ad causam : ergo.

Resp. dist. min. Hoc dictum est sine restrictione ad causam expressa, conc.; subintellecta, neg. Quia conditio quæ ex natura rei requiritur, etsi non exprimatur, debet tamen intelligi : ex natura rei autem requiritur quod concessio indulgentiarum sit ex causa proportionata, ut patet ex probationibus conclusionis.

Inst. 1° : Christus iisdem verbis promisit Petro potestatem absolvendi a peccatis et concedendi indulgentias : atqui ad absolvendum a peccatis non requiritur alia causa quam dispositio pœnitentis et ejus liberatio a peccatis : ergo pariter in indulgentia.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod in sacramento Pœnitentiæ exerceatur justitia commutativa; sacerdos enim ex una parte punit peccatorem imponendo satisfactionem, quod pertinet ad justitiam commutativam, ut docuimus, dissert. 5, de Justitia, art. 3; ex altera parte peccator per actus pœnitentiæ, scilicet dolorem, confessionem, satisfactionem, resarcit jus divinum læsum, quod etiam pertinet ad justitiam commutativam, ut docuimus dissert. 2, de Pœnitentia, art. 1. Ut autem justitia commutativa debite exerceatur, sufficit ipsi ratio intrinseca justitiæ conformiter ad leges a Christo institutas, nec aliam causam intrinsecam requirit : at vero concessio indulgentiarum pertinet ad justitiam distributivam bonorum communium, quæ ideo debite exerceri non potest, nisi ex causa extrinseca spectante bonum commune.

Inst. 2° : Ut eleemosyna sit actus virtutis, non exigit aliud motivum quam sublevamen alienæ miseriæ: ergo similiter indulgentia.

Resp. neg. conseq. Disparitas est 1° quod eleemosyna fiat ex bonis propriis quorum quisque est dominus; indulgentia vero ex bonis communibus quorum papa aut episcopus non est dominus, sed dispensator tantum et œconomus. 2° Eleemosyna est actus misericordiæ tantum, cujus objectum motivum est sublevamen alienæ miseriæ : indulgentiæ autem concessio est actus justitiæ distributivæ bonorum communium, cujus motivum est bonum commune.

Obj. 2° ex usu Ecclesiæ : 1° Pro eadem causa quandoque minor, quandoque major datur indulgentia : ergo. 2° Pro re levissima interdum datur indulgentia maxima, ut patet in indulgentia plenaria quæ datur adstantibus ante fores basilicæ S. Petri, dum summus Pontifex in festo paschæ populo solemniter benedicit : ergo.

Resp. ad primum, neg. conseq. 1° Quia causa proportionata non consistit in indivisibili, sed admittit latitudinem, sicque eadem potest esse proportionata majori et minori indulgentiæ. 2° Aliquando datur indulgentia minor pro causa quæ sufficeret majori, quæ postea datur. 3° Causa quæ est minor uno tempore potest esse major alio tempore.

Ad secundum: Patet solutio ex observatione prima ante conclusionem ; quamvis enim hæc assistentia sit secundum se levis, est tamen gravis respective ad finem ; quia est medium aptum ad illum consequendum, ut dictum est in observatione citata.

Obj. 3° : Fundamentum quo innituntur indulgentiæ non est opus injunctum, nec illius finis, sed satisfactiones Christi et sanctorum : ergo licet finis et opus injunctum non sint proportionata, valet indulgentia propter superabundantem valorem satisfactionum Christi et sanctorum.

Resp. neg. conseq. Quamvis enim thesaurus Ecclesiæ sit fundamentum et principalis causa indulgentiarum, non excludit tamen alias conditiones necessarias, puta auctoritatem in concedente, charitatem in suscipiente, ita nec motivum proportionatum.

Obj. 4° : Juxta commune effatum, indulgentiæ tantum valent quantum sonant, seu pronuntiantur : ergo si pontifex pro causa levi concedat in litteris magnam indulgentiam, hæc debet esse rata.

Resp. neg. conseq. Equidem indulgentiæ tantum valent quantum sonant, sed positis conditionibus necessariis, scilicet, ut modo dicebam, auctoritate in concedente, charitate in suscipiente et justitia in causa.

Restat difficultas non mediocris de mente S. Thomæ circa præsentem conclusionem ; videtur enim non parum favere sententiæ oppositæ : unde

Obj. 5°: S. Th. hic q. 25, a. 2, o, 1° ex professo impugnat eos qui dicebant quantitatem remissionis in indulgentiis commensurandam esse « secundum causam pro qua indulgentia datur », dicitque « id non posse salvare consuetudinem Ecclesiæ quæ interdum majorem pro eadem causa, interdum minorem indulgentiam ponit. »

2° Ibid. dicit quod, quævis causa adsit quæ in utilitatem Ecclesiæ et honorem Dei vergat, sufficiens est ratio faciendi indulgentias ; et paulo infra, quod sufficiat « ex parte causæ pietas quæ comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem. »

3° Ibid., ad 1, dicit : « Si prælatus inordinate remittat, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat faciens tales indulgentias, nihilominus quis plenam indulgentiam consequitur. »

Hæc, fateor, urgent; verumtamen concilianda sunt cum iis quæ alibi docet S. Doctor. Itaque infra q. 71, a. 10, ubi quærit an indulgentiæ prosint mortuis, cum opposuisset in secundo argumento *sed contra,* quod si indulgentiæ defunctis prodessent, posset faciens indulgentias pro suo arbitrio liberare animas a purgatorio, respondet in fine articuli sic; « Nec tamen sequitur quod prælatus Ecclesiæ possit pro suo arbitrio animas a purgatorio liberare; quia ad hoc ut indulgentiæ valeant requiritur causa *conveniens* indulgentias faciendi, ut supra dictum est », scilicet q. 25, a. 2 etc. q. 26, a. 3. Per causam autem convenientem S. Thomam intelligere non solum causam piam, sed proportionatam, constat manifeste, 1° quia id solum dicitur conveniens alicui rei quod est ei proportionatum; 2° quia si intelligeret de quacumque causa pia quæ non sit proportionata, non probaret quod intendit, cum enim nunquam desit summo pontifici causa pia; pium est enim liberare afflictum a miseria, posset saltem ex illo capite, pro arbitrio liberare animas a purgatorio.

Item, q. 26, a. 3, o, dicit: « Potestas faciendi indulgentias plene residet in papa, quia potest facere quod vult, causa tamen existente legitima » : porro si causam legitimam intelligeret quamcumque causam piam, non proportionatam, posset absolute et semper facere

quod vult; quia, ut modo dicebam, nunquam deest causa pia. Ut itaque secum concilietur S. Doctor,

Resp. ad primum, S. Thomam velle duntaxat quantitatem remissionis in indulgentiis non esse commensurandam causæ secundum æqualitatem absolutam, bene tamen secundum proportionalem; et hoc salvat consuetudinem Ecclesiæ; quia æqualitas proportionis admittit latitudinem et humano modo æstimanda est sicut pretia rerum: unde una et eadem causa potest esse proportionata majori et minori indulgentiæ, ut jam dixi supra.

Ad secundum, Per quamcumque causam piam intelligit convenientem, ut exprimit q. 71, quia ibi se refert ad hunc articulum secundum q. 25: « Sicut, inquit, supra dictum est»; ergo supra, id est, hic, intelligit causam convenientem, quæ est proportionata, ut probavimus.

Ad tertium: Per indulgentias inordinatas, non intelligit eas quæ dantur sine causa conveniente et proportionata, sed quæ nimis frequenter dantur: « Ita, ut ait, quod homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur », quia nimirum sunt frequentiores. Et nisi sic intelligas S. Doctorem, vix ipsum cum ipso conciliari poteris.

Cæterum ut valeant rationes pro et contra quas fateor nulla ex parte esse contemnendas, hæc quæstio positis observationibus quas conclusioni præmisi, non videtur quantum ad praxim esse tanti momenti, cum, juxta dictas observationes, vix possit dari indulgentia pro causa pia quæ non sit proportionata. Adde quod si prudenter a concedente judicetur causa sufficiens, quæ tamen reipsa sit insufficiens, nihilominus, meo saltem et quorumdam aliorum judicio, valeat indulgentia; quia dominus thesauri non censetur involuntarius, quando secundum regulas prudentiæ d spensatur.

Denique non est particularium examinare causas indulgentiarum, sed, pro reverentia debita suis prælatis, debent supponere eos motos fuisse causis sufficientibus, quas non tenentur semper declarare.

ARTICULUS V.

DE REQUISITIS EX PARTE SUSCIPIENTIS INDULGENTIAM.

Suppono requiri in suscipiente indulgentiam quod sit baptizatus non excommunicatus, quia indulgentiæ non conceduntur nisi membris Ecclesiæ; item quod faciat opus injunctum, quia non conceditur indulgentia, nisi sub hac conditione. Sed ulterius

Petes 1° utrum suscipiens indulgentiam debeat esse in statu gratiæ?

Resp. quod debeat esse in statu gratiæ quando percipit fructum indulgentiæ, consequenter quando adimplet ultimum opus injunctum; quia non dimittitur pœna, nisi dimissa culpa ex qua oritur reatus pœnæ. Quod etiam verum est respectu peccati venialis: unde qui cum affectu ad aliquod peccatum veniale, indulgentiæ, etsi plenariæ, lucrandæ vacat, illam non lucratur respective ad istud peccatum veniale cujus affectum retinet, sicque non lucratur integre plenariam.

Quod si forte priorum peccatorum culpa dimissa, sed in novum mortale cadat, nihil etiam obtinet de indulgentia; quia quamdiu est in peccato mortali, est Dei inimicus: inimico autem ut tali, nulla fit pœnæ remissio. Neque pontifices aliam in se agnoscunt potestatem conferendi indulgentias, cum in diplomatibus semper apponant, «vere contritis et confessis »

Petes 2° utrum alia opera injuncta præter ultimum, debeant etiam adimpleri in statu gratiæ?

Resp. probabilius et communius negative, nisi exprimatur in diplomate; modo tamen fiant deposito affectu ad peccatum et in spiritu pœnitentiæ.

Prob. 1°: Quandoque summi pontifices præscribunt opera per plures hebdomadas præstanda: sic Bonifacius VIII, Extravag. *Antiquorum*, de Pœnit. et Remiss., requirit visitationem basilicæ SS. Petri et Pauli per triginta dies; Benedictus XIV, feliciter regnans, in jubilæo præsentis anni, requirit visitationes sive continuas, sive interpolatas quatuor ecclesiarum per quindecim dies intra semestre. Est autem moraliter impossibile quod toto isto tempore istæ omnes visitationes passim ab omnibus fiant in statu gratiæ.

2° Idem Bonifacius ibidem concedit indulgentiam plenariam, ad præfatas basilicas « accedentibus vere pœnitentibus et confessis, vel qui vere pœnitebunt et confitebuntur ». In jubilæis anni 1606 et 1617, referente Sylvio, qui tunc vivebat, præscribebatur jejunium feriis quarta, sexta et sabbato cum confessione prævia vel sequente: peccatores autem ordinarie non justificantur nisi per confessionem.

3° Ita apprehendit sensus communis fide-

lium, qui ordinarie, præsertim in jubilæis, præmittunt opera injuncta confessioni et communioni, ut sic certius consequantur indulgentiam in statu gratiæ. Et ita declaravit pro præsenti jubilæo idem Benedictus XIV, in bulla *Convocatis*.

Neque dicas opera facta extra statum gratiæ esse mortua, et his Deum non placari ; quia 1° indulgentia non nititur nostris meritis aut satisfactionibus, sed satisfactionibus Christi et sanctorum ; neque pontifex illa requirit tam ut satisfactoria quam ut conditiones, ad quarum positionem confert indulgentiam vi primæ concessionis. 2° Licet ista opera sint mortua hoc sensu quod nihil mereantur pro vita æterna ; si tamen, ut dixi, fiant deposito affectu ad peccatum, et in spiritu pœnitentiæ ex gratia actuali Spiritus Sancti, nondum inhabitantis, sed moventis, non sunt sic mortua quin in aliquibus sint utilia ; sunt namque impetratoria, satisfactoria de congruo et disponentia ad gratiam, ut docuimus, dissert. 9, de Pœnitentia, a. 7, concl. 2. Confer. Non etiam obstat quod quandoque in bullis confessio et communio aliis operibus præmittantur ; non enim ordo verborum semper habetur pro regula adæquata ordinis operum.

Petes 3° utrum satis sit facere opus injunctum quoad substantiam, ita ut indulgentiæ consequendæ non obstet, etiamsi ex fine vel circumstantiis fiat peccatum veniale ?

Resp.: Si quoad substantiam factum concurrit ad finem intentum a concedente indulgentiam, videtur sufficere; secus si non concurrat; quia licet concedi possint indulgentiæ sine injunctione operis, quando tamen injungitur, censetur injunctum ut suo modo concurrat ad finem intentum : unde si concedatur indulgentia eis qui dabunt nummum pro expeditione bellica, vel constructione ecclesiæ, videtur sufficere si det nummum, etsi ex vana gloria. Si vero injunguntur preces, jejunia, eleemosynæ, ad placandum Deum, ad obtinendam conversionem infidelium, etc., non videtur satisfacere qui jejunat, orat aut dat eleemosynam ex vana gloria.

Petes 4° utrum qui opera præscripta devote adimplet præcise toties quoties præscripta sunt, tantum participet de indulgentia, quam qui pluries et devotius adimplet?

Resp. Quando et ipsa indulgentia est determinata et ipsum opus præscriptum determinatum, v. g., si dicatur : Qui devote visitaverint hanc ecclesiam decies, vel qui dederint aureum nummum in fabricam hujus ecclesiæ, lucrabuntur indulgentiam viginti annorum, vel plenariam, probabilius mihi videtur, et Auctori conformius, quod qui sæpius et devotius opus præscriptum perfecerit, licet plus mereatur, non tamen plus participet de indulgentia, quam qui devote opus præscriptum, præcise ut præscriptum est, facit.

Prob. 1° ex Auctore qui hic q. 25, a. 2, ad 4, dicit : « Ille qui est vicinus ecclesiæ, et ecclesiæ sacerdotes et clerici consequuntur tantam indulgentiam, sicut illi qui venirent a mille dietis ; quia remissio non proportionatur labori, ut dictum est, sed meritis quæ dispensantur, sed ille qui plus laboraret, plus de merito acquireret. » Indubie major requiritur devotio ad conficiendum mille dietas, quam aliquot passus.

2° Qui opus præscriptum, præcise ut præscriptum est, devote facit, nec plus nec devotius, vel lucratur integram indulgentiam qualis conceditur, vel non : si primum, nihil ultra lucrari potest qui devotius et pluries opus facit ; si secundum, pontifices enormiter decipiunt fideles, dum dicunt : Qui tale opus toties devote fecerit, lucrabitur tantam indulgentiam ; cum qui faciunt ut præscribitur, non lucrentur tantam, sed quid minus.

3° Sic apprehendit sensus communis fidelium, ut qui omnia opera præscripta eo modo quo præscripta sunt adimplet, totam indulgentiam participet ; quod si aliquid plus necessarium fuisset, id expressisset pontifex sicut alia expressit ; ut quid enim requireret tantum quinquies, si necessarium sit decies? Ut quid exprimeret tantum devote, si devotius et devotissime requiratur ad totam indulgentiam ? Hic, inquam, est sensus communis fidelium qui est optimus hujusmodi concessionum interpres, ut jam diximus.

Dices hanc conditionem esse ex natura rei necessariam, conditionem autem ex natura rei necessariam non debere exprimi, ut dictum est de causa proportionata.

Resp. neg. ant.; 1° quia omnino gratis et sine ullo fundamento asseritur : pari jure dicam esse ex natura rei necessarium omnia opera injuncta fieri in statu gratiæ ; item necessarium esse ex natura rei propositum satisfaciendi per se, quæ tamen plerumque negant nobiscum adversarii.

Si dicas suscipientem ex natura rei debere per opus injunctum concurrrere ad consequendum finem indulgentiæ et ad illum accedere, resp. hoc dato et non concesso, ut mox patebit, suscipientem ad hunc finem concur-

rere et ad illum accedere ut debet, faciendo opus devote, ut præscriptum est, nec plus requiri a pontifice.

2° Falsitas primi ant. patet ex hoc quod non semper injungantur opera : sic olim concedebantur indulgentiæ ad preces martyrum absque injunctione operis ; sic nunc etiam sæpe conceduntur indulgentiæ in articulo mortis sine injunctione operis.

Opponunt insuper extravagantem *Antiquorum* de Pœnit. et Remiss., in qua Bonifacius VIII, concedens indulgentiam plenariam Romanis qui in anno jubilæi 1300, visitabunt per triginta dies basilicas SS. Petri et Pauli, et extraneis per quindecim dies, addit : « Unusquisque tamen plus merebitur et indulgentiam efficacius consequetur qui basilicas ipsas amplius et devotius frequentabit. » Ille autem, inquiunt, efficacius consequitur indulgentiam cui plus pœnæ remittitur.

Resp. 1° Bonifacium non dicere se absolute concedere indulgentiam plenariam omnibus visitantibus per triginta vel quindecim dies præfatas basilicas, sed dicit duntaxat quod hi qui voluerint hujusmodi indulgentiæ participes fieri, debeant has visitationes peragere, « statuentes, inquit, ut qui voluerint hujusmodi indulgentiæ a nobis concessæ participes fieri, si fuerint Romani, ad minus triginta diebus », etc. Deinde addendo clausulam ut in instantia, manifeste significat se non absolute determinasse triginta vel quindecim visitationes ad lucrandam integram indulgentiam, sed tantum ad participandum de illa : hoc autem speciale est huic bullæ, quod non debet trahi in exemplum pro aliis, in quibus similia non leguntur.

2° Falsum est τo *Efficacius* semper significare ampliorem effectum ; ille enim in proprietate sermonis dicitur efficacius aliquid obtinere, qui potentiori virtute et certius illud idem obtinet : sic dicimus intercessionem B. Mariæ Virginis esse efficaciorem ad obtinendam unam et eamdem gratiam, quam oratio alicujus alterius sancti ; quia vis et valor ejus intercessionis est potentior, quam quævis alia.

Dixi in responsione Quando et ipsa indulgentia est determinata, et opus præscriptum determinatum ; quia si opus sit indeterminatum, v. g., si dicatur : Qui visitaverit hanc ecclesiam vel qui conferet aliquid in constructionem hujus basilicæ, lucrabitur indulgentiam centum dierum ; videtur quod qui frequentius visitabit, aut majorem summam conferet, plus de indulgentia participabit ; quia tunc opus præscriptum patitur latitudinem, intra quam verificari possent verba concessionis, absque eo quod omnes æqualiter participent ; atque ita sentit Auctor hic q. 25, a. 2, ad 3 : « Quando, inquit, datur indulgentia indeterminate (qui dat auxilium ad fabricam ecclesiæ), intelligitur tale auxilium, quod sit conveniens ei qui dat auxilium, et secundum quod accedit ad hoc, secundum hoc plus vel minus de indulgentia consequitur. » Idem videtur dicendum si ipsa indulgentia sit indeterminata, ut si dicatur : Qui decies visitabit hanc ecclesiam, vel qui dederit nummum in fabricam hujus ecclesiæ, lucrabitur indulgentiam ; quia quando gratia indeterminate conceditur ad positionem alicujus operis, sensus est quod plus de gratia participat qui sæpius opus facit ; sed vix usus est similis indulgentiæ.

Petes 5° utrum ad consequendam indulgentiam requiratur in suscipiente propositum et sollicitudo per se propriis laboribus satisfaciendi ?

Resp. negative. Est communior contra Cajetanum. Ratio est quia nihil obstat quominus homini in gratia existenti, qui omnia opera præscripta rite adimplevit, communicetur fructus indulgentiæ ; nec pontifices qui contritionem et confessionem præscribunt, unquam requirunt propositum per se satisfaciendi : unde deciperentur fideles, si ista conditio, de qua nunquam monentur, requireretur.

Dices : Qui potest per se satisfacere et non satisfacit, est indignus cui concedatur indulgentia : ergo. Prob. ant. 1° Non decet petere ab amico ut pro te satisfaciat, cum possis per te satisfacere. 2° In republica bene ordinata, non distribuuntur bona publica eis qui gravantur ære alieno, si per se possunt solvere. 3° Indulgentiæ conceduntur vere pœnitentibus : ille autem non est vere pœnitens qui non vult facere dignos fructus pœnitentiæ. 4° Is cui sacerdos injungit pœnitentiam, vel eam accipit animo adimplendi, vel non : si primum habet propositum satisfaciendi ; si secundum, fallaciter agit, et est indignus indulgentia. 5° S. Cyprianus rogabat martyres, ne commendarent episcopis pro consequenda indulgentia, nisi eos quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicerent : ergo. Ita fere Cajetanus.

Resp. neg. ant. Qui enim potest per se satisfacere et non satisfacit, quia expectat aliunde satisfactionem, non est positive indignus, modo sit paratus satisfacere per se, si non es-

sent indulgentiæ. Quod si forte sit non dignus, nihil obstat, quia indulgentiæ conceduntur ex misericordia et liberalitate.

Ad primam probationem : Non est indecens nec injuriosum amico ab eo petere, non ex justitia, sed ex gratia, quod tu potes præstare, maxime si eo non indigeat.

Ad secundam : Disparitas est quod ærarium publicum sit finitum, et tantum decrescat, quantum ex illo extrahitur : unde per se non debet distribui iis qui non indigent, cum inde damnum sequatur indigentibus ; at thesaurus Ecclesiæ est infinitus. Insuper quamvis per se non debeat distribui bonum publicum iis qui possunt per se solvere, posset tamen occurrere occasio, in qua id esset utile reipublicæ ; puta si is cui distribuitur optime sit meritus de republica, aut ab eo expectantur obsequia admodum utilia reipublicæ, vel aliter.

Ad tertiam : Ille est vere pœnitens qui est vere contritus cum animo satisfaciendi, nisi aliunde pro eo satisfiat.

Ad quartam : Non est hic proprie quæstio de pœnitentia injuncta a confessario, quam semper esse adimplendam diximus art. 1, sed de pœnitentiis præter sacramentalem sponte susceptis, proportionate ad gravitatem et multitudinem peccatorum. Sed etsi ageretur de pœnitentia injuncta, pœnitens eam accipit animo adimplendi, nisi possit aliunde ab illa liberari.

Ad quintam : S. Cyprianus loquebatur juxta rigorem antiquæ disciplinæ, quæ nunc amplius non viget ; eo enim fine benigna mater Ecclesia frequentius cœpit concedere indulgentias, cum fideles tepidiores et ad implendas graves pœnitentias negligentiores effecti sunt.

Petes 6° utrum ad indulgentiam consequendam adhibenda sit confessio sacramentalis ?

Resp. Si in concessione requiratur ut pars operis injuncti, adhibenda est etiam ab eo qui est in statu gratiæ : patet ex se. Si requiratur tantum ut dispositio ad statum gratiæ, non est adhibenda nisi ab eis qui sunt in statu peccati mortalis, censetur enim pontifex respectu illorum, illam requirere, ut certius justificentur.

Verum quia est difficile discernere quando in diplomatibus requiritur ut pars operis injuncti, vel ut dispositio tantum, consultum est eam semper adhibere, quando scilicet exprimitur in litteris concessionis ; secus si non exprimatur.

Petes 7° utrum qui partem operis præscripti implevit, et propter morbum, aliamve justam causam, residuum implere non potest, lucretur indulgentiam?

Resp. negative, nisi ita concesserit pontifex, vel nisi ex ejus concessione confessarius habeat facultatem dispensandi, vel residuum in aliud opus commutandi ; quia quod datur sub conditione, non valet, nisi adimpleta conditione.

Petes 8° utrum qui facit opus præscriptum sine intentione lucrandi indulgentiam, puta, quia nescit aut oblitus est ei esse annexam indulgentiam, illam lucretur?

Resp. probabiliter negative ; quia debet dirigere opus præscriptum in finem a concedente indulgentiam intentum, quod facere non potest ignorans aut oblitus huic operi esse annexam indulgentiam. Id tamen non impedit quominus possit concedi indulgentia sensibus alieno et morituro, sine injunctione operis ; sicut enim potest quis applicare satisfactiones suas aut aliter benefacere ignoranti, ita potest pastor Ecclesiæ applicare satisfactiones Christi et Ecclesiæ, sensibus alieno.

Petes 9° utrum, translato festo, transferatur indulgentia ei annexa.

Resp. : Si solum officium transferatur et non solemnitas in populo, indulgentia non transfertur : sic si festum annuntiationis incidens in hebdomadam sanctam celebretur in populo, et officium tantum transferatur post pascha, non transfertur indulgentia ; quia indulgentia videtur annexa solemnitati ; et alias multi fideles de populo qui ignorant rubricas de translatione festorum, frustrarentur fructu indulgentiæ : unde censetur hanc esse mentem pontificis. Si vero transferatur solemnitas festi in populo, transfertur et indulgentia propter eamdem rationem ; quia indulgentia videtur annexa solemnitati festi in populo.

Idem videtur dicendum de festis religionum quibus annexa est indulgentia : ita expresse statuit Leo X de festis ordinis nostri, SS. Dominici, Petri martyris, Thomæ de Aquino, Vincentii, et Catharinæ Senensis, his verbis : « Volumus ut quoties dictarum festivitatum et octavarum earumdem celebrationes, qualibet ex causa, etiam extra tempus interdicti, transferrentur, etiam indulgentiæ, dictas ecclesias in festivitatibus hujusmodi et per earum octavas visitantibus, pro tempore concessæ, ad tempus celebrationis hujusmodi, sint et censeantur translatæ. » Hæc bulla extat in Bullario ordinis FF. Prædicatorum, tom. 4, pag. 371.

Quod confirmatur ex brevi a Greg. XIII, die 20 augusti 1580, FF. Minimis concesso, et a P. Laurentio de Peyrinis, ejusdem ord., tom. 2, num. 8, pag. 223, relato, in quo hæc leguntur : « Cum festum S. Francisci de Paula....., post octavam resurrectionis D. N. J. C. transferri soleat, et propterea in dubium verti posset, an eadem indulgentia die quo ipsum festum transferri contigerit, ab eisdem Christi fidelibus consequi valeat, Nos..... harum serie volumus et declaramus, ut dicta indulgentia ad eum diem quo festum ipsum, ut præfertur, transferri, et post octavam ejusdem resurrectionis celebrari contigerit, translata esse censeatur. » Declaratio autem non facit novum jus, sed antiquum explicat.

Quidam excipiunt a responsione, si in concessione indulgentiæ exprimatur dies, ut si dicatur : Concedimus indulgentiam die festo sancti N. quinta talis mensis ; tunc enim existimant indulgentiam esse annexam diei assignatæ et non festo, et ideo translato festo non transferri indulgentiam. Id quidem non est improbabile ; posset tamen responderi indulgentiam ratione festi, non diei, esse concessam, sicque debere sequi festum.

ARTICULUS VI.

DE INDULGENTIIS QUÆ APPLICANTUR DEFUNCTIS.

Petes 1° utrum indulgentiæ possint applicari et prodesse defunctis?

Resp. affirmative [1], si sic exprimatur in diplomate concessionis ; quia fideles privati possunt applicare defunctis in purgatorio suffragia sua et suas satisfactiones, ea ratione quod sint unius corporis mystici membra vinculo charitatis colligata : ergo eadem ratione summus Ecclesiæ pastor potest eis applicare satisfactiones Christi et sanctorum de thesauro Ecclesiæ.

Confirm. : Potest pontifex applicare indulgentias vivis, quidni et defunctis (licet diverso modo, ut mox dicam), cum sint ejusdem corporis membra ? Unde Auctor loco citato : « Non est, inquit, aliqua ratio quare Ecclesia possit transferre communia merita, quibus indulgentiæ innituntur, in vivis, et non in mortuis. »

Prob. 2° ex usus et traditione Ecclesiæ : Paschalis I, incunte sæculo 9, ut refert Gabriel, lect. 57, in canonem Missæ, concessit indulgentiam pro defunctis quæ habetur in ecclesia S. Praxedis. Similiter Sixtus IV et Innocentius VIII, teste eodem, concesserunt indulgentias pro defunctis. Frequenter postea idem concesserunt summi pontifices : consentiunt antiqui theologi, S. Thomas, S. Bonaventura, Richardus, etc.

Dixi : Si sic exprimatur in diplomate concessionis ; quia nullus privatus potest alteri sive vivo, sive defuncto, applicare indulgentiam, nisi ex concessione summi pontificis, quia ipse solus est dispensator thesauri Ecclesiæ, cui innituntur indulgentiæ : unde nec id potest episcopus.

Dices : Potestas concedendi indulgentias fundatur in his Christi verbis Petro, Matth. 16 : *Quodcumque solveris super terram, etc.*; et in his, Joan. 21 : *Pasce oves meas* : atqui neutrum verificari potest de animabus in purgatorio ; non enim sunt super terram, neque oves commisæ Pontifici : ergo.

Resp. dist. ant. Potestas concedendi indulgentiam vivis per modum judiciariæ absolutionis fundatur in his verbis Christi : *Quodcumque, etc.* conc.; potestas concedendi indulgentiam defunctis per modum suffragii et simplicis solutionis oblatæ, ut mox dicemus, neg.; fundatur enim hæc potestas in communione membrorum unius corporis mystici et in usu Ecclesiæ.

Neque etiam obstat cap. *Quod autem*, de Pœnit. et Remiss., ubi dicitur indulgentias non remitti nisi iis qui subsunt remittenti ; ibi enim agitur de indulgentiis concessis vivis per modum absolutionis, non defunctis per modum suffragii : unde

Petes 2° Quomodo applicantur et prosunt indulgentiæ defunctis ?

Resp. non applicari nec prodesse per modum solutionis judiciariæ, sed per modum oblatæ solutionis, seu, ut communiter dicitur, modum suffragii.

Prob. prima pars ; quia Summus Pontifex non habet amplius judiciariam potestatem in defunctos, cap. *Legatur* et cap. *Nec quisquam* 24, q. 2. Et patet quia Summus Pontifex non potest citare defunctos, eorum causas cognoscere, nec eos cogere ad obediendum. Item non habet potestatem judiciariam, nisi in oves quas in persona Petri suscepit pascendas, Joan. 21 : defuncti autem non possunt amplius pasci a Summo Pontifice : Unde summi pontifices, cum extendunt indulgentias ad defunctos, semper apponunt particulam : « per modum suffragii » : ergo.

Dices 1° : Ecclesia excommunicat et absolvit ab excommunicatione defunctos ; 2° in his

[1] Supp. q. 71, a. 10, o.

verbis: *Quodcumque solveris super terram, etc.* τὸ *super terram* non refertur ad eos qui solvuntur, sed ad eum qui solvit; ita ut sensus sit: Quodcumque solveris tu qui es super terram, erit solutum a me qui sum in cœlis. 3° Defuncti sunt adhuc viatores: ergo et oves. 4° Episcopus qui confert beneficium clerico non sibi subdito exercet actum jurisdictionis, et collatio est valida: ergo similiter.

Resp. ad primum excommunicationem et absolutionem ab excommunicatione in mortuos, non esse proprie excommunicationem et absolutionem, sed declarationem sententiæ quam subire debuissent, dum viverent, et concessionem quamdam factam fidelibus ut pro ipsis offerant suffragia, aut prohibitionem offerendi.

Ad secundum, Gelasius papa, can. *Legatur* 24, q. 2, refert τὸ *Super terram* ad eos qui solvuntur; sed esto referatur ad eum qui solvit, debet semper intelligi circa eos qui ipsi subduntur, alias posset solvere et beatos et damnatos.

Ad tertium defuncti in purgatorio sunt viatores secundum quid, quatenus nondum adepti sunt terminum; et ideo possunt juvari a viventibus; at non sunt ideo oves visibiles, quales Petrus pascendas suscepit; cum eis nec doctrinæ pabulum præbere possit.

Ad quartum, episcopus exercet actum jurisdictionis in beneficium, non in clericum extraneum; similiter Summus Pontifex exercet actum jurisdictionis in thesaurum Eclesiæ, non in ipsos defunctos. Valet autem collatio, quia ad hoc non requiritur potestas judiciaria et contentiosa, qualis requiritur potestas judicialis et contentiosa, qualis requiritur ad absolutionem a pœna, quam supremus princeps imposuit.

Restat itaque quod indulgentiæ applicentur et prosint defunctis per modum suffragii et auxilii quæ est secunda pars responsionis.

Quod ut intelligas, distingue triplex suffragium, seu auxilium, unum meritorium, alterum impetratorium, tertium satisfactorium; et hoc ultimum hic intelligitur: unde applicare indulgentias defunctis per modum suffragii, est offerre Deo satisfactiones Christi et sanctorum in solutionem seu compensationem pœnarum, quas debent pati in purgatorio.

Petes 3° utrum Deus teneatur ex justitia, seu certa lege acceptare indulgentias applicatas defunctis?

Resp. negative; quia ad hoc nullibi se obligavit: judex autem supremus non tenetur acceptare commutationem pœnæ sibi debitæ, nisi ad id promissione se obligaverit. Neque obstat promissio Matth. 16: *Quodcumque solveris, etc.* Hæc enim spectat vivos duntaxat quibus applicantur indulgentiæ per modum absolutionis: gratuito ergo et misericorditer acceptat Deus indulgentias applicatas defunctis; ea tamen acceptatione posita, intervenit justitia, quia satisfactiones de thesauro Ecclesiæ sunt justa compensatio et de condigno pœnarum quas defuncti pati debent in purgatorio.

Hinc inferes, saltem probabilius, indulgentias applicatas defunctis, non semper habere certum et infallibilem effectum; cum enim Deus ex mera misericordia et liberalitate acceptet, non constad eum illas semper acceptare, sive in toto sive in parte; et hic est sensus communis fidelium qui applicata indulgentia plenaria alicui defuncto, puta sacrificium in altari privilegiato, nihilominus pro illo offerre alia sacrificia et orare pergunt.

Dices 1°: S. Th. hic q. 71, a. 10, 0, probat Pontificem non posse pro arbitrio animas e purgatorio liberare, non quia indulgentiæ illis applicatæ non infallibiter illis prosunt, sed quia pontifex non potest eas illis applicare sine causa convenienti.

Resp. S. Doctorem attutilisse rationem sufficientem ad probandum quod intendebat, sed unam afferendo, non negavit alteram, nec erat necesse quod utramque afferret.

Inst.: Q. 25, a. 2, nullam facit distinctionem quantum ad efficaciam indulgentiæ vivis et defunctis concessæ.

Resp. S. Thomam ibi mentionem non facere de indulgentiis concessis defunctis, de quibus agit tantum q. 71; quapropter primo loco intelligendus est de indulgentiis vivorum tantum.

Dices 2°: Indulgentiæ tantum valent quantunt sonant; sonant autem liberationem animæ

Resp. id esse verum de indulgentiis concessis viventibus per modum absolutionis.

Inferes: Ergo Summus Pontifex decipit fideles.

Resp. neg. illationem; sed Pontifex concedit quantum potest, supposita acceptatione divina.

Dices 3°: Oratio Ecclesiæ, positis omnibus requisis, semper exauditur.

Resp. 1°: Dist. Si ita congruat consiliis divinæ Providentiæ, conc.; secus, neg. 2°, Indulgentiæ non applicantur defunctis per modum orationis, sed per modum solutionis.

Petes 4° an indulgentiæ applicatæ uni, vel aliquibus personis determinatis prosint omnibus?

Resp. omnibus prodesse quoad consolationem et gaudium quoddam accidentale, quod charitate uniti concipiunt de bonis aliorum, ac si essent propria. Quoad satisfactionem autem et liberationem a pœna, prosunt tantum iis quibus applicantur. Hic est sensus fidelium, et natura satisfactionis, ut, pro uno facta illi specialiter prosit et non alteri : quod si ille cui applicatur non indigeat, Deus applicat alteri, vel redit in thesaurum Ecclesiæ.

Petes 5° utrum qui lucratur indulgentias pro defunctis debeat esse in statu gratiæ ?

Resp. Si opus injunctum requirat statum gratiæ, ut confessio, communio, ad illum tenetur ; si autem opus injunctum non requirat statum gratiæ, non videtur ad illum teneri ; quia ipse non percipit fructum indulgentiæ seu remissionem pœnæ, sed alter.

Neque dicas ipsum non posse indulgentiam alteri applicare, nisi prius eam faciat suam ; facit enim suam, non accipiendo ejus effectum, sed potestatem eam alteri applicandi, ad quod non requiritur status gratiæ, sicut nec in concedente indulgentiam.

TRACTATUS

DE

EXTREMA-UNCTIONE

D. Th. supp. à q. 29 ad q. 34.

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE EXTREMA-UNCTIONE

EX CONCILIIS FLORENTINO ET TRIDENTINO.

Decretum concilii Florentini pro instructione Armenorum. [1]

« Quintum sacramentum est Extrema-Unctio, cujus materia est oleum olivæ per episcopum benedictum. Hoc sacramentum, nisi infirmo de cujus morte timetur, dari non debet, qui in his locis ungendus est: in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus sacramenti est hæc: Per istam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, etc., et similiter in aliis membris. Minister hujus sacramenti est sacerdos; effectus vero est mentis sanatio, et, in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis. De hoc sacramento, inquit beatus Jacobus Apostolus: Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei. »

[1] Sub Eugenio IV, anno 1439; ex S. Thom. Opusc. 5.

Canones concilii Tridentini de Extrema-Unctione.

I « Si quis dixerit Extremam-Unctionem non esse vere et proprie sacramentum[1], a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo apostolo promulgatum[2], sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit. »

II « Si quis dixerit sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit. »

III « Si quis dixerit Extremæ-Unctionis ritum et usum, quem observat sancta Romana ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a christianis absque peccato contemni, anathema sit. »

IV « Si quis dixerit presbyteros Ecclesiæ quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ-Unctionis ministrum non esse solum solum sacerdotem, anathema sit. »

[1] Sess. 14, 25 novemb. [2] 1551, sub. Jul. III.

DISSERTATIO UNICA.

Complectens omnia quæ hoc sacramentum spectant.

Multæ sunt unctiones in Ecclesia: prima est baptizandorum, seu catechumenorum, in pectore et scapulis; secunda est baptizatorum in vertice; tertia est confirmandorum in fronte; quarta est sacerdotum in manibus, dum ordinantur, et episcoporum in manibus, et in capite; quinta, in altaris, ecclesiæ et calicis consecratione ; sexta et ultima infirmorum in partibus quinque sensuum exteriorum, et ideo dicta Extrema-Unctio.

Variis nominibus insignitur hoc sacramentum: apud Latinos dicitur sacramentum exeuntium, Unctio sacri olei, communiter, Extrema-Unctio; apud Græcos, Sanctum Oleum, Oratio unctioni olei conjuncta.

Definiri potest: «Sacramentum unctionis infirmorum ad salutem animæ et corporis factæ per sacerdotem sub certa verborum forma.» Patebit ex dicendis.

ARTICULUS I.

UTRUM EXTREMA-UNCTIO SIT SACRAMENTUM?

Bellarminus et quidam alii, post Guidonem carmelitam et Æneam Sylvium, inter hæreticos negantes sacramentum Extremæ-Unctionis recensent valdenses et wiclefitas. At juxta illustrissimum Bossuetium in *Historia Variationum,* Gasparum Juenin et alios, hi non negarunt, sed comptempserunt duntaxat hoc sacramentum, eo quod tunc quidam presbyteri ex avaritia illud non nisi divitibus, aut mediante pretio, administrarent.

Sed quidquid sit de istis, certo constat lutheranos et calvinistas negare Extremam-Unctionem esse sacramentum, eosque contendere unctionem, de qua Marci 6 et Jacobi 5, nihil aliud operatam fuisse, quam corporis sanitatem, et eam, cessante in primitiva Ecclesia gratia curationum, exolevisse. Unde Calvinus l. 4 *Instit.*, c. 19, vocat Extremam-Unctionem sacramentum fictitium et histrionicam hypocrisim. Contra quos

Dico : Extrema-Unctio est vere et proprie novæ legis sacramentum. [1]

Prob. 1° ex S. Scriptura : [2] Jacobi 5 dicitur: *Infirmatur quis in vobis ? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini ; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus ; et si in peccatis sit, remittentur ei :* atqui in his verbis habemus signum sensibile gratiæ a Christo permanenter institutum: ergo vere et proprie dicum sacramentum. Prob. min. Unctio et oratio per presbyterum sunt signum sensibile, utique materia et forma hujus sacramenti; gratia designatur his verbis: *Salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.* Institutio permanens, etsi non exprimatur, aperte colligitur, partim quia mandatum Jacobi dirigitur non ad unam ecclesiam, nec pro aliquo tempore, sed ad omnes ecclesias sine ulla limitatione locorum aut temporum, consequenter ad nos nunc non minus quam ad eos, qui tunc erant, sicut alia, quæ ibidem præscribit et profert, ut : *Patientes estote ; nolite jurare ; tristatur quis ex vobis, oret; orate pro invicem, ut salvemini,* etc., quæ spectant omnia tempora, et omnes fideles præsentes et futuros ; partim quia ab Apostolorum tempore hæc institutio semper fuit in Ecclesia observata, ut mox dicemus. Quid huic auctoritati respondeant hæretici exponemus et diluemus in sol. object.

Non pauci conclusionem probant ex cap. 6 Marci, ubi dicitur de Apostolis : *Et ungebant oleo multos ægros et sanabant,* contenduntque eo loci agi de unctione, de qua Jacobi 5, et esse sacramentalem: ita Alphonsus a Castro, Thomas Valdensis, Maldonatus, Catharinus,

[1] Supp. q. 29, a. 1, o. [2] Ib. et in a. s. c.

et alii. Hanc sententiam multis argumentis etiam ab auctoritate quorumdam Patrum et scholæ principum S. Thomæ, S. Bonaventuræ, Scoti, Hugonis Vict., ut probabilem propugnat novissimus et eruditissimus scriptor Laurentius Berti, non ingrate legendus.

Communior tamen sententia est has unctiones esse distinctas, et eam de qua Marci 6, esse tantum ad sanitatem corporum, atque adeo non esse sacramentalem ; 1° quia in illa unctione, Marci 6, nulla fit mentio collationis gratiæ, sed sanitatis corporalis duntaxat ; 2° quia hæc unctio adhibebatur indifferenter sive infirmis decumbentibus, sive aliis , ut cæcis et claudis, sive baptizatis, sive non ; Matth. enim 10 dictum erat generaliter Apostolis, nulla facta restrictione ; *Infirmos curate*; et ex Marci 6 constat multos fuisse unctos et sanatos, cum tamen tunc pauci adhuc essent baptizati ; 3° quia Apostoli nondum erant tunc sacerdotes ; et quamvis Christus in hoc potuerit dispensare, hujus tamen dispensationis nulla apparet ratio. Ita Bellar.,Soto, Estius, Sylvius, Jansenius, A Lapide, Gonet, Tournely et alii recentiores; juxta quos ea unctio, Marci 6, unctionem sacramentalem insinuavit et adumbravit, ab hacque distinguitur ut signum a re signata et figura a re ; hancque sententiam videtur adoptasse concilium Trid., sess. 14, cap.1, ubi dicit hoc sacramentum a Christo institutum esse, « apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum..... commendatum et promulgatum. » Scio τὸ *insinuatum* explicari a laudato Berti per inductum et institutum; verum, juxta Calepinum, insinuare est in notitiam alicujus adducere, non inducere aut instituere: unctio autem Marci adducit unctionem Jacobi seu sacramentalem in notitiam, quatenus est ejus signum, umbra et figura, sicut Baptismus Christi fuit insinuatus a Baptismo Joannis, quatenus iste prioris fuit signum et figura.

Prob. 2° conclusio traditione : Origenes, ineunte tertio sæculo, hom. 2 *in Levit.*, ait : « Est adhuc septima licet dura et laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis statum suum et fiunt ei lacrymæ panes die ac nocte, et non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum... in quo completur et illud quod Apostolus dicit . *Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiæ, et imponant ei manus oleo in nomine Domini, et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* » Dicit: In quo impletur, scilicet sacramentum Extremæ-Unctionis, quia istud sacramentum semper habitum fuit complementum et consummatio sacramenti Pœnitentiæ, ut dicit Trid., sess. 14, in proœmio ad sacramentum Extremæ-Unctionis, sicut Confirmatio est complementum Baptismi.

S. Chrysostomus, circa annum 382, l. 3, *de Sacerdotio*, loquens de sacerdotibus dicit : « Neque enim solum cum nos regeneramur, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis ? Accersat *presbyteros Ecclesiæ*, et orent super eum, ungentes eum *oleo in nomine Domini*, et obsecratio fidei salvum reddet laborantem et eriget eum Dominus, *et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* » Ubi apertum est S. Doctorem loqui de unctione de qua Jacobus.

Innocentius I, anno 419, interrogatus a Decentio Eugubino episcopo, de quibusdam dubiis circa hoc sacramentum, respondet 1° hæc verba Jacobi : *Quis infirmatur in vobis*, etc., esse intelligenda de fidelibus ægrotantibus ; 2° hanc unctionem et ab episcopis et a presbyteris fieri posse ; 3° fideles laicos etiam posse in suis et aliorum infirmitatibus, isto oleo ab episcopo benedicto uti, non ut sacramento, sed ut ritu christiano, secundum morem hujus temporis ; sicut enim tunc fideles ad morbos curandos adhibebant aquam baptismalem, ita et oleum ab episcopo benedictum; 4° hanc unctionem ab episcopo aut presbytero administratam esse sacramentum quod non debebat concedi pœnitentibus publicis, quibus cætera sacramenta denegabantur. Ecce ejus verba : « Non est dubium de fidelibus ægrotantibus (hoc quod dicit Jacobus) accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab episcopo confecto, non solum sacerdotibus, sed omnibus uti christianis licet in sua ac suorum necessitate inungendo. Cæterum illud superfluum videmus adjectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non est dubium. Nam idcirco de presbyteris dictum est, quia episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem a se visitandum et benedicere et tangere chrismate, sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti ; nam quibus reliqua sacramenta negantur , quomodo unum genus putatur posse concedi? » Neque ex hoc quod dicat oleo

chrismatis, vel chrismate, quisquam putet ipsum loqui de Confirmatione; de ea enim prius locutus fuerat, dixeratque illam omnibus baptizatis etiam pueris administrari a solis pontificibus, non a presbyteris, qui pontificatus apicem non habent. Quamvis itaque, in usu Ecclesiæ, chrisma strictissime sumptum accipiatur pro composito ex oleo et balsamo; attamen apud veteres etiam sumitur aliquando pro unctione olei, sive simplicis, sive compositi; chrismare enim generaliter significat ungere, et chrisma unguentum quodcumque; paulo strictius, significat unguentum ab episcopo benedictum, quo sensu illud usurpat S. Innocentius.

S. Augustinus, serm. 215, de Tempore, seu Cæsarius : « Quoties inquit, aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi, ille qui ægrotat, accipiat, et inde corpusculum suum ungat (id est, ungi curet), ut illud quod scriptum est impleatur in eo: *Infirmatur aliquis*, etc. » Et in Speculo, inter ea quæ præcipit novum Testamentum, recenset verba Jacobi: *Infirmatur quis in vobis*, etc.

S. Gregorius in Sacramentario præscribit modum administrandi hoc sacramentum; item pontificale Romanum; synodus Cabilonensis, anno 813, can. 48, dicit: « Secundum B. Jacobi documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo quod ab episcopo benedicitur, a presbyteris ungi debent. Non est itaque parvipendenda hujusmodi medicina quæ animæ corporisque medetur languoribus. » Similiter Moguntina, anno 847, cap. 26; Aquisgranensis, anno 896, cap. 4, et aliæ sequentibus sæculis.

Concilium Constantiense, anno 1414, mandat ut redeuntes ab hæresi interrogentur num credant, « quod christianus contemnens susceptionem sacramentorum Confirmationis et Extremæ-Unctionis peccet mortaliter ? » Concilium Florent. in decreto Unionis, anno 1439, inter sacramenta recenset Extremam-Unctionem.

Tridentinum, sess. 14, tribus capitibus explicat institutionem, materiam, formam, effectum et ministrum hujus sacramenti, et quatuor canonibus dogma catholicum asserit. Primus est: « Si quis dixerit Extremam-Unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit. » Vide alios canones supra.

Confir. ex consensu utriusque ecclesiæ Græcæ et Latinæ. De Latina constat; pariter de Græca ex eucologio Patris Goar, ex censura Jeremiæ patriarchæ Constantinop. adversus Vittembergenses, et pluribus aliis. Qui autem fieri potuit ut tot Patres, tot synodi et omnes ecclesiæ in unum figmentum et cæremoniam histrionicam, tanquam in verum sacramentum consentirent, nullo reclamante?

Suadetur ratione[1]: Christus instituit sacramenta ut fidelibus subveniret pro quovis tempore et secundum quemvis statum; sic in ingressu Ecclesiæ est Baptismus, in progressu et decursu vitæ Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, etc.: ergo et in exitu, in quo adversarius noster omnes suæ versutiæ nervos ad nos perdendos intendit: non est autem aliud quam Extrema-Unctio, quæ ideo dicitur sacramentum exeuntium. Hanc rationem fecit suam Trid., sess. 14, in proœmio ad sacramentum Extremæ-Unctionis.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° cum hæreticis: Epistola Jacobi non est canonica: ergo.

Resp. neg. ant. Hanc enim pro canonica habet utraque ecclesia Græca et Latina. De Græca, constat ex Origene, hom. 3, *in Exod.* ; ex Cyrillo Jerosolymitano, *Catechesi* 4; S. Athanasio in Epist. paschali; Gregorio Nazian., *Carm.* 33 et aliis. De Ecclesia Latina pariter constat ex Clemente Rom., epist. ad Corinthios; ex Innocentio I, ad Exuperium et Decentium; ex Gelasio in synodo Rom.; ex S. Ambrosio, in Psal. 118; S. Hieronymo adversus Jovin.; S. Augustino, l. de Fide et Operibus, cap. 14; ex concilio Carthag., Arausicano 2 et aliis: si iis fidem detrectent hæretici, dicant unde sciunt alios novi Testamenti libros, quos admittunt, esse canonicos?

Obj. 2° : Illa unctio, de qua Jacobus, erat tantum cæremonia ad sanandos morbos corporales quæ, cessante in Ecclesia dono miraculorum, cessavit : ergo. Prob. ant. 1° quia eadem erat unctio ac ea de qua Marcus 6, ut tenent plures catholici : atqui hæc erat tantum ad sanandos morbos corporales, ut etiam docent plures catholici et nos supra : ergo 2° quia id indicant verba textus; dicit enim Jacobus: *Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus*: ergo.

Resp. neg. ant. 1° Quia Jacobus loquitur tantum de fidelibus infirmis; epistolam enim

[1] Ibid. in a. s. c.

dirigit ad ecclesias : donum autem miraculorum erat potius pro infidelibus quam pro fidelibus, juxta illud 1 Cor. 14: *Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus.* 2° Jubet vocari presbyteros : ad sanandum autem corporaliter vocandi sunt medici, vel ii qui habent donum curationum, quod non erat datum omnibus et solis presbyteris. 3° Gratia curationum erat data non solum pro infirmis decumbentibus, sed etiam pro cæcis, claudis, etc.: Jacobus autem loquitur de iis qui ex infirmitate decumbunt. 4° Jacobus expressit effectum ad solam animam pertinentem : *Si in peccatis sit, remittentur ei.* Quod autem addit objectio hanc unctionem fuisse temporaneam et cessasse, cessante gratia curationum, probavimus supra hoc Jacobi mandatum, sicut alia quæ ibidem tradit omnibus ecclesiis, esse absoluta absque limitatione temporum, locorum et personarum. Insuper falsum est gratiam curationum etiam per olei unctionem cessasse in Ecclesia statim post Apostolos, ut constat ex Tertulliano in *Scorpiaco* sub initio, ex S. Hieronymo in vita S. Hilarionis, ex S. Augustino l. 22 de Civit., ex Theodoreto in Historia Religiosa, ex Severo Sulpitio in vita S. Martini cap. 15, et aliis qui referunt curationes miraculosas factas unctione olei.

Ad primam probationem : Juxta communiorem sententiam, ut vidimus, negandum est ant. Sed eo dato, nihil obtinent hæretici, quia theologi catholici qui defendunt identitatem utriusque unctionis, contendunt utramque esse sacramentalem ; et ideo in hac sententia neganda est min.

Ad secundam probationem : Esto per hæc verba : *Alleviabit eum Dominus*, significetur sanitas corporalis, ibi non sistit Apostolus, sed etiam exprimit diserte sanitatem spiritualem, cum dicit : *Et si in peccatis sit, remittentur ei*; sed et falsum est his verbis : *Alleviabit eum Dominus*, non significari sanitatem animæ. Quamvis enim vox Græca quam Latinus interpres vertit per alleviabit, idem valeat ac relevabit, seu eriget ; id optime intelligitur de anima, quam gratia sacramentalis ab angustia et anxietate, quam patitur homo proxime moriturus, erigit et relevat ; non enim ad corpus pertinet istud Ephes. 5: *Surge qui dormis*; neque istud Rom. 13 : *Hora est jam nos de somno surgere*, et similia. Insuper si hæc verba: *Oratio fidei salvabit infirmum*, intelligantur de sanitate corporali, ut quid idem immediate repetisset Apostolus ?

Inst. 1° : Sacramenta operantur suum effectum ex opere operato : atqui Jacobus tribuit remissionem peccatorum operi operantis, scilicet fidei ministri et suscipientis : *Oratio fidei*, inquit, *salvabit infirmum :* ergo.

Resp. neg. min. Per orationem fidei enim, Apostolus non intelligit fidem ministri aut suscipientis, sed ipsam formam sacramentalem quæ dicitur *Oratio fidei*, tum quia in fide totius Ecclesiæ sacramentum administratur et operatur ; tum quia sola fide intelligitur : quo sensu S. August. Tract. 80. in Joan. dixit verbum fidei operari in Baptismo, non quia dicitur, sed quia creditur.

Inst. 2° : Sacramenta absolute et non conditionate operantur suum effectum : atqui unctioni Jacobææ effectus non promittitur absolute, sed conditionate tantum: Si in peccatis sit, remittentur ei : ergo.

Resp. neg. min. 1° Quia his verbis gratia remissiva peccati absolute promittitur; sed ut de facto remittat peccata, debent inesse, eo scilicet modo quo in sacramento Pœnitentiæ confertur absolutio a peccatis homini jam justificato per contritionem perfectam. Insuper, his verbis : *Alleviabit eum Dominus*, promittitur effectus sine conditione : apposuit autem Jacobus conditionem ad remissionem peccatorum, quia remissio peccatorum non est effectus primarius et principalis hujus sacramenti, sed secundarius tantum, ut dicemus infra. Quidam existimant particulam *si* non sumi hic pro conditione rei dubiæ, sed pro concessione rei certæ, ut in quibusdam aliis S. Scripturæ locis; verum Trid., sess. 14, cap. 2, sumit illam conditionate.

Inst. 3° : Juxta Bedam in comment. super hanc epistolam, Apostolus his verbis : *Infirmatur quis in vobis*, etc., dat consilium infirmis, ut a murmuratione contra Deum se tueantur : ergo.

Resp. hanc expositionem non esse litteralem, sed moralem : postea autem Beda exponens hæc verba litteraliter, explicat ea de unctione infirmorum in oleo per presbyteros facienda; et in cap. 6 Marci agnoscit aperte sacramentum Extremæ-Unctionis.

Inst. 4° : Beda ibidem tribuit remissionem peccatorum confessioni et absolutioni. Similiter Origenes citatus in probatione illam tribuit pœnitentiæ : ergo.

Resp. utrumque intelligere remissionem graviorum peccatorum, non levium, nec reliquiarum ex peccatis. Ast qua fronte hæc objiciunt hæretici qui confessionem abhorrent?

Obj. 3° : Varia discrimina inter nostram et

Jacobæam unctionem. 1° Jacobæa unctio sanabat ægrotos, nostra non sanat, ut experientia patet, neque talis effectus exprimitur in ejus forma. 2° Jacobus plures requirit presbyteros, catholicis sufficit unus. 3° Jacobus vult ungi infirmos in quibus est adhuc spes sanitatis, catholici ungunt tantum in evidenti et proximo mortis periculo, cum nulla est amplius spes sanitatis. 4° Per presbyteros Jacobus intelligit seniores, nos adhibemus sacerdotes : ergo unctio de qua loquitur Apostolus non est Extrema-Unctio catholicorum.

Resp. ad primum, nostra unctione sicut Jacobæa sanari corporaliter ægrotos, quando id eorum saluti expedit; nec est necesse quod effectus minus principalis, qualis est sanitas corporalis, semper obtineatur, neque quod exprimatur in forma, ut patet in Baptismo et aliis.

Ad secundum: Quando Jacobus dicit : *Inducat presbyteros*, id est, aliquem ex presbyteris, ponendo indefinitum pro definito, ut dum dicimus presbyteros absolvere, confer art. 5, pet. 2. Vel dicendum hoc jussisse Apostolum, non ad necessitatem, sed ad solemnitatem, prout fit adhuc apud regulares, apud quos plures orant, dum unus ungit, per quem alii videntur ungere.

Ad tertium, neg. ant. pro secunda parte ; nam canones et ritualia jubent hoc sacramentum administrari antequam infirmus incipiat et spe sanitatis et sensibus destitui : unde catechismus Romanus p. 2, cap. 6, n. 9, dicit gravissime peccare eos « qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa , vita et sensibus carere incipiat. »

Ad quartum : Quamvis vox Græca presbyter sit idem ac latine senior, attamen a tempore novi Testamenti,vox presbyter, sicut vox sacerdos est nomen officii et dignitatis in Ecclesia, et hoc sensu eam accepisse Jacobum aperte constat ex eo quod non dicat presbyteros simpliciter, neque presbyteros communitatis laicæ, sed presbyteros Ecclesiæ. Insuper cum objicientes velint Jacobum loqui de curatione corporum tantum, non potuit per presbyteros intelligere seniores, cum certum sit gratiam curationum non fuisse omnibus senioribus collatam ; neque etiam potuit in sententia catholica, quia laici non habent potestatem remittendi peccata.

Obj. 4°: Tribus primis sæculis nulla occurrit mentio Extremæ-Unctionis, neque apud auctorem Constitutionum Apostolicarum, neque apud S. Dinonysium Ecclesiasticam, neque apud S. Cyrillum Jerosolymitanum, qui tamen de sacramentis et ritibus ecclesiasticis accurate scripserunt. Item, tribus subsequentibus sæculis, nullus meminit Extremæ-Unctionis datæ alicui in exitu : ergo.

Resp. 1° neg. ant. Origenes enim tertio sæculo Extremæ-unctionis ex Jacobo meminit, ut vidimus. Quantum ad S. Dionysium, agit tantum de officiis hierarchicis, non de singulis sacramentis. S. Cyrillus, in Catechesibus Mystagogicis, ea tantum explicat, quæ pertinent ad illuminatos, seu recens baptizatos. Clemens autem,seu auctor Constitutionum, non obscure indicat Extremam-Unctionem, dum, l. 8, cap. 29, refert benedictionem olei cum ista oratione : « Da vim effectricem sanitatis morborum expultricem, dæmonum fugatricem, omnium insidiarum profligatricem. »

Resp. 2° dato ant. neg. conseq., 1° quia ex argumento negativo nihil probatur, præsertim cum adsunt in contrarium argumenta positiva; 2° quia notum est ex scriptis priorum sæculorum plura periisse; 3° quia, ex disciplina arcani, mysteria religionis occultabantur, et raro scriptis referebantur, ut alias diximus: inter arcana autem S. Basilius, l. *de Spiritu Sancto*, cap. 27, specialiter recenset olei inunctionem; 4° quia quæ quotidiano usu frequentantur, et sunt communia, non solent litteris mandari. Sic plures veteres, Eusebius, uterque SS. Gregorius Nazianzenus et Nissenus, S. Ambrosius, Severus Sulpitius, Metaphrastes, S. Hieronymus, etc., qui plurium mortem describunt, non referunt datum eis viaticum, ideone sequitur non fuisse datum, cum dari esset præscriptum can. 13 concilii Nicæni I ?

Inst. 1° : S. Epiphanius, Hæresi 36, et S. August. Hæresi 16, inter errores heracleonitarum, recensent unctiones infirmorum : ergo.

Resp. Extremam-Unctionem quam frequentat Ecclesia, horum hæreticorum unctione esse priorem, et ab illa longe diversam; hi enim, teste S. Epiphanio citato, ungebant oleo aqua mixto, vel unguento ex balsamo et aqua cum cantilena superstitiosa Marci præstigiatoris.

Inst. 2°: Nostri theologi non conveniunt de auctore, materia, forma et effectu Extremæ-Unctionis : ergo.

Resp. neg. conseq. Hæc enim dissensio inter theologos non obstat quominus omnes agnoscant Unctionem, quæ fit in Ecclesia, esse verum sacramentum.

Obj. 5°: Omnia sacramenta novæ legis sunt immediate a Christo instituta : atqui Extrema-

Unctio non fuit immediate a Christo instituta, sed a beato Jacobo : ergo.

Resp. neg. min.[1] Quamvis enim Hugo Vict., Magister et quidam scholastici sic olim censuerint, id tamen nunc post definitionem Trid. amplius sustineri non potest, saltem sine temeritate. Si autem quæras quando Christus illud instituerit? incertum est; verisimilius tamen dicitur eam instituisse post resurrectionem, dum loquens de regno Dei cum Apostolis, instituit sacramentum Pœnitentiæ, cujus Extrema-Unctio est complementum. Pro utraque hac responsione, vide de Sacramentis in genere, dissert. 5, art. 1.

Inst. : Eorum quæ Christus instituit, fit mentio in Evangelio : atqui in eo non fit mentio Extremæ-Unctionis : ergo.

Resp. neg. maj.[2] universaliter sumptam ; multa enim Dominus fecit et dixit, quæ in evangeliis non continentur; illa enim præcipue curaverunt evangelistæ scriptis tradere quæ ad necessitatem salutis et Ecclesiæ dispositionem pertinent, et ideo potius institutionem Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ et Ordinis factam a Christo narraverunt, quam Extremæ-Unctionis, vel Confirmationis, quæ neque sunt de necessitate salutis, neque ad dispositionem, sive distinctionem Ecclesiæ pertinent. Tamen etiam de olei unctione fit aliqua mentio in Evangelio Marci 6, ubi dicitur quod Apostoli oleo ungebant infirmos, per quod sacramentum Extremæ-Unctionis insinuatur, ut dictum est.

ARTICULUS II.

DE MATERIA EXTREMÆ-UNCTIONIS.

In Extrema-Unctione, sicut in aliis sacramentis, distinguitur duplex materia, scilicet remota quam dicimus oleum, et proxima, quæ est olei applicatio seu unctio. De utraque plures quæstiunculæ convertuntur duplici § resolvendæ. Unde sit

§ I.

De materia remota Extremæ-Unctionis.

Suppono tanquam communiter receptum apud catholicos, materiam remotam Extremæ-Unctionis esse oleum olivarum ab episcopo speciali benedictione consecratum ; sed quæstio est, an hæc omnia sint de necessitate sacramenti, aut præcepti tantum. Pro cujus resolutione

Dico 1° : Materia remota[1] Extremæ-Unctionis est necessario necessitate sacramenti oleum olivarum.

Quod sit oleum patet ex ipsa Jacobi epistola :[2] *Ungentes eum oleo :* « Quibus verbis, inquit Trid., sess. 14, cap. 1, ut ex apostolica traditione per manus accepta... intellexit Ecclesia materiam esse oleum ab episcopo benedictum.» Idem Patres art. præced. laudati.

Ratio congrua[3] est quia effectus hujus sacramenti, qui sunt spiritualiter et perfecte sanare ac linire, ut spes quæ exeuntibus est maxime necessaria, non frangatur, sed foveatur, respondent effectibus corporalibus olei, quod est lenitivum et penetrativum usque ad intima, atque etiam diffusivum.

Quod sit oleum olivarum expresse tradit concilium Florent. in decreto Unionis : « Cujus materia, inquit, est oleum olivæ per episcopum benedictum. »[4] Patet etiam quia oleum principaliter nominatur olivæ liquor, dicitur enim oleum ab olea : alii autem liquores, solum ex similitudine ad ipsum, olei nomen accipiunt.

Ex his colliges oleum debere esse simplex nullo alio liquore permixtum, ita quod si tanta esset alterius liquoris mixtio, ut desineret esse oleum, nullum foret sacramentum ; si vero remaneret oleum, valeret quidem sacramentum, sed peccaretur contra præceptum et usum Ecclesiæ. Quod opponi posset ex S. Innocentio I, require art. præced., probat. 2.

Dico 2° : Probabilius est[5] requiri de necessitate sacramenti, quod oleum sit benedictum. Est D. Th., Soto, Bellarm., Estii, Sylvii et plurium aliorum, contra plures recentiores, etiam quosdam thomistas.

De mente tamen D. Thomæ non est dubium, hic enim, a. 5, sibi tertio loco proponit hoc argumentum : « Baptismus est perfectius sacramentum quam Extrema-Unctio, sed in Baptismo non præexigitur materiæ sanctificatio, quantum est de necessitate sacramenti : ergo nec in Extrema-Unctione. » In corpore autem articuli dat hanc disparitatem, quod Christus tactu suo sanctificaverit aquas, eis utendo ad Baptismum, non autem oleum infirmorum, quo nunquam usus est; et pro responsione ad argumentum propositum remittit ad hanc disparitatem datam in corpore articuli. Manifestum est S. Docto-

[1] Ibid. a. 3, c. [2] Ibidem ad 1.

[1] Ibid. a. 4, o. [2] Ibid. in a. s. c. [3] Ibid., o. [4] Ibid. [5] Ib. a. 5, o.

rem non loqui de necessitate præcepti tantum, tum ex ipsis terminis argumenti, tum ex disparitate data, cum certum sit benedictionem aquæ baptismalis esse necessariam necessitate præcepti. Et 3 p., q. 72, a. 3, probans eadem ratione esse de necessitate sacramenti Confirmationis quod chrisma fuerit prius per episcopum consecratum, quia scilicet Christus non est usus unctione, sicque materiam ejus non consecravit, concludit sic: « Et ideo tam chrisma quam oleum sanctum infirmorum prius benedicuntur quam adhibeantur ad usum sacramenti.» Miror quosdam juniores thomistas a mente tam aperta sui Doctoris, nulla ratione cogente, recedere.

Prob. conclusio ex conciliis Florent. et Trid. citatis, et ex SS.Patribus laudatis art. præced., qui pro materia hujus sacramenti assignant oleum ab episcopo benedictum.

Neque valet si respondeas cum adversariis benedictionem assignari a conciliis et Patribus, non ut partem materiæ essentialem, sed ut ritum accidentalem ab Ecclesia præceptum.

Contra est enim 1°: Ritus mere accidentalis non potest dici materia sacramenti, cum materia sit essentialis composito. 2° Cum concilia adjungunt ritum accidentalem materiæ, illum non designat in recto, sed in obliquo, ut patet in ritu accidentali miscendi aquam vino pro materia consecrationis; non enim dicit concilium Florent. materiam consecrationis esse vinum mixtum aqua, sed esse vinum cui admiscetur modicissima aqua. 3° Concilia et Patres non dicunt benedictionem in aliis sacramentis, puta in Baptismo, esse materiam Baptismi, cum tamen sit in præcepto. Ratio autem hujus diversitatis alia esse non potest quam quia benedictio pertinet ad essentiam Extremæ-Unctionis et non ad essentiam Baptismi.

Ratio a priori nulla est, nisi voluntas instituentis quæ nobis ex perpetua Ecclesiæ traditione constat.

Triplicem congruentiam profert Auctor[1]: prima, quam jam tetigimus, est, quia omnis efficacia sacramentorum a Christo descendit; et ideo sacramenta illa, quibus ipse est usus, habent efficaciam ex ipso usu suo, sicut tactu suæ carnis vim regenerativam contulit aquis; sed hoc sacramento non est usus, et ideo in omnibus unctionibus requiritur sanctificatio materiæ. Secunda est propter plenitudinem gratiæ quæ confertur non solum ut tollat culpam, sed etiam reliquias culpæ et infirmitatem corporis. Tertia est ex hoc quod effectus ejus corporalis, scilicet sanatio corporalis, non causatur ex materia, naturali proprietate; et ideo oportet quod hæc efficacia sibi per benedictionem detur.

[1] Ibid.

Dico 3°: Item probabilius est[1] requiri de necessitate sacramenti quod oleum sit benedictum ab episcopo saltem mediate.

Conclusio probatur iisdem auctoritatibus, quibus præcedens, quippe quæ requirunt pro materia Extremæ-Unctionis oleum ab episcopo benedictum, ut vidimus.

Ratio pariter a priori est voluntas Christi instituentis, quæ nobis traditione innotescit.[2] Ratio autem congrua est, ut significetur oleum sua natura non habere efficaciam sanandi spiritualiter, sed a Christo, a quo cum non sit usu benedictum, debet benedici ab episcopo, qui Christi personam gerit.

Dixi: *Saltem mediate;* quia videtur sufficere, si benedicatur a sacerdote simplici ex commissione episcopi; sacerdotes enim Græci, teste Arcudio, l. 5 *Concordiæ*, cap. 2, et Goario in notis ad eucologium Græcorum, atque pluribus aliis, ex commissione episcopi benedicunt oleum infirmorum quoties eo utuntur; et Clemens VIII, in constitutione 34, sive in instructione super quibusdam ritibus Græcorum edita anno 1598, dicit: «Non sunt cogendi presbyteri Græci olea sancta præter chrisma ab episcopis Latinis diœcesanis accipere, cum hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum et sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur seu benedicantur.» Quapropter dicendum episcopum jure ordinario benedicere oleum infirmorum, sacerdotem vero simplicem jure extraordinario, sicut diximus de ministro Confirmationis.

Dices: In operibus corporalibus ars dignior nunquam præparat materiam inferiori, quia dignior est ars quæ utitur ea quæ præparat ut dicitur in 2 *Phys.*, textu 25: atqui episcopus est supra sacerdotem qui dispensat hoc sacramentum: ergo non præparat materiam in hoc sacramento quo sacerdos utitur.

Resp. dist. maj. Ars[3] dignior nunquam præparat inferiori materiam in qua fit aliquid per eum qui ea utitur, conc.; materiam cujus virtute aliquid fit, neg. Dicendum itaque quod materia sacramenti non est talis materia ut in qua fiat aliquid per eum qui ea utitur, sicut est in artibus mechanicis, sed ut ejus virtute aliquid fiat, et sic participat aliquid de ratione

[1] Ib. a. 6, o. [2] Ibid. [3] Ibid. ad. 2.

causæ agentis, in quantum est instrumentum quoddam divinæ operationis; et ideo oportet quod a superiori arte, vel potestate, talis virtus materiæ acquiratur; quia in causis agentibus, quanto aliquod agens est prius, tanto est perfectius : in causis autem pure materialibus, quanto materia est prior, tanto imperfectior.

Petes utrum ad validitatem sacramenti sufficiat benedictio quovis modo facta ab episcopo vel sacerdote?

Respondet affirmative noster Gonet, idque deducit ex hoc quod sufficiat benedictio sacerdotis qui non benedicit eo ritu quo benedicit episcopus; vultque ideo Christum requisivisse quidem pro materia sacramenti benedictionem quoad substantiam, sed modum benedicendi reliquisse Ecclesiæ, ex quo infert hoc sacramentum valide administrari oleo catechumenorum, non tamen licite, nisi urgeat necessitas.

Negat Sylvius, quia, inquit, sicut sunt paria non habere instrumentum et habere instrumentum impertinens, ita etiam sunt paria oleum non esse benedictum et esse benedictum benedictione impertinenti: benedictio autem oleo catechumenorum, aut chrismatis est impertinens ad unctionem infirmorum.

Ad rationem Goneti responderi potest, quod licet sacerdos non benedicat eo ritu quo benedicit episcopus, ejus tamen benedictio est in ordine ad unctionem infirmorum, quod dici non potest de benedictione olei catechumenorum aut chrismatis. Quamvis autem Christus non determinaverit certum ritum aut certa verba, determinavit tamen ut benediceretur benedictione accommodata usui ad quem destinabat.

Hinc in V synodo Mediolanensi, anno 1579, tom. 15 Concil., pag. 590, sic statuitur : « Parochus si per errorem aliud oleum, quam quod infirmorum est, ad ægrotum ungendum adhibuerit, etiamsi chrismatis aut catechumenorum sit, ut erratum emendet, olei sacri, quod proprium infirmorum est, unctionem eidem adhibeat, tuncque sacramenti formam iteret. » Si autem esset validum sacramentum in oleo catechumenorum, vel chrismate, non esset iterandum.

Quamvis hæc secunda sententia mihi sit aliquantulum probabilior, prima tamen non est improbabilis, et inde fit quod oleum catechumenorum vel chrisma, aut quodvis aliud benedictum sine ordine et accommodatione ad unctionem infirmorum, sit materia dubia; qua ideo licet uti in casu necessitatis, sed non aliter.

Observandum 1°, ex rituali Romano de Extrema-Unctione, « oleum infirmorum, quod singulis annis feria V in Cœna Domini ab episcopo benedicetur, veteri combusto, renovandum esse. » Idque sub gravi peccato, inquit parochiale Leodiense. Si tamen novum deficiat, vetus est adhibendum; non enim ista lex potuit statui in præjudicium salutis.

Observandum 2°, ex eodem rituali, post jus canonicum, cap. *Quod dubiis*, de Consec., « quod si timeatur ne oleum benedictum ita deficiat, ut sufficere non videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate superinfuso reparari possit. » Manet enim tunc idem moraliter oleum, et ideo quod admiscetur contrahit aliquo modo benedictionem, non ratione contactus physici, sed ex intentione benedicentis, qui illam dirigit ad istud oleum superadditum in minori quantitate; quia, ut dictum est, manet idem moraliter oleum.

§ II.

De materia proxima Extremæ-Unctionis.

Materia proxima sacramenti est, ut jam dixi, applicatio materiæ remotæ, consequenter materia proxima Extremæ-Unctionis est applicatio olei seu unctio : *Ungentes oleo*, inquit S. Jacobus.

Suppono circa partes corporis ungendas fuisse variam ecclesiarum particularium disciplinam, ut constat ex diversis ritualibus et ordinibus sacramentorum relatis a Menardo, Launoy et Martene. Quædam enim ungebant collum, guttur, scapulas ; quædam verticem, frontem, genas, tempora, pectus ; quædam umbilicum in fœminis ; quædam eam corporis partem in qua vigebat morbus ; quædam solum caput. Inter Græcos, quidam ungebant frontem, faciem et manus ; quidam frontem, mentum, genas, pectus, manus et pedes. Ecclesia Romana, omnium mater, septem unctiones commemorat, ut habetur in antiquo pontificali Romano, et in decreto concilii Florent. pro instructione Armenorum, his verbis: « Hoc sacramentum, nisi infirmo de cujus salute timetur, dari non debet, qui ungendus est in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gres-

sum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. » Similia habet catechismus Romanus, q. 2, de Extrema-Unctione, n. 10. Quem ungendi ritum quoad quinque sensus universalis Ecclesia retinet, inquit ibidem idem catechismus; unctio enim renum omittitur in fœminis propter decentiam; imo in pluribus locis, omittitur etiam in viris.

Quæstio est an ad essentiam sacramenti sufficiat una unctio, an plures et quot requirantur? Quidam volunt sufficere unam in quacumque corporis parte, modo forma exprimat omnes sensus; sic: « Per istam unctionem, etc., indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, etc. » Et si urgeat necessitas, sufficere si dicatur: « Quidquid deliquisti per visum, auditum etc. » Alii tandem requirunt quintuplicem unctionem quinque sei suum, cum forma quintuplici cuilibet unctioni respondente. Quæ ex his opinionibus sit vera, certo definiri posse non arbitror, nulla enim videtur excedere limites probabilitatis. Et ideo

Dico: Probabile est[1] quintuplicem unctionem sei suum esse de essentia sacramenti.

Est D. Thomæ, D. Bonaventuræ et plurium aliorum præsertim thomistarum. Sic S. Thomas citatus: « Illa unctio ab omnibus observatur, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate sacramenti. » Nec obstat particula *quasi*, non enim ibi est minuens, sed asserens, perinde ac si dixisset: Tanquam seu qualiter observari debent quæ sunt de necessitate sacramenti; quo sensu Joannes dicit in Evangelio: *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti a Patre*, id est, qualem decet unigenitum Patris. Et art. 5 præcedenti, probat unctiones non debere fieri in toto corpore, sed in partibus quæ sunt radices peccatorum: istas autem radices esse quinque sensus docet hic art. 6.

Prob. concl: 1°: Quia, ut dicit S. Th., ita ab omnibus observatur, ex qua universali Ecclesiæ praxi colligitur probabiliter hanc quintuplicem unctionem esse de necessitate sacramenti vi institutionis Christi. 2° S. Gregorius in suo sacramentario apud Menardum, et concilium Florent. in decreto Unionis assignant has quinque unctiones; nec refert quod Florent. referat insuper unctiones renum et pedum; omnes enim has unctiones refert quia erant tunc in usu, ut videretur nullam damnare, quinimo approbare, sed non in eodem gradu; cujus signum est, quod istæ duæ ultimæ unctiones in pluribus locis omittantur, nullibi quinque primæ[1] 3° Unctio in hoc sacramento adhibetur tanquam medicatio spiritualis, ideoque ejus ritus ex similitudine medicationis corporalis sumendus est, in corporalibus autem licet totum corpus infirmetur, medicina tamen non applicatur, nisi illi loco ubi est radix et origo morbi: atqui prima radix et origo peccatorum nostrorum sunt quinque sensus; omnis enim cognitio nostra est a sensibus, et nihil est volitum quin præcognitum: ergo. 4° Ecclesia præcipit ut si minister post primam vel alteram unctionem deficiat, alter alias unctiones perficiat: hoc autem non solet Ecclesia præcipere, ubi non agitur de necessitate sacramenti. 5° Plures ex adversariis concedunt sub una unctione omnes sensus in forma debere exprimi, dicendo: « Per istam unctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquisiti per visum, auditum, odoratum, gustum et tactum. » Porro si quinque sensus necessario debent exprimi in forma, quare non debent ungi?

Hæc sunt quæ istam sententiam probabilem efficiunt, sed nec deest sententiæ contrariæ sua probabilitas, ut patebit ex argumentis sequentibus.

Obj. 1°: Neque ex S. Scriptura, neque ex traditione erui potest quinque unctiones assignatas esse de necessitate sacramenti: non ex S. Scriptura; S. Jacobus enim dicit simpliciter: *Ungentes eum*; quot autem et quæ unctiones sint faciendæ non determinat. Sicut ergo ex hoc: *Baptizantes eos*, eruitur tantum esse necessariam ablutionem, seu immersionem, non autem necessario requiri triplicem: ita ex hoc: *Ungentes eum*, erui non potest necessariam esse quintuplicem unctionem, sed unctionem simpliciter. Non ex traditione; varia enim fuit ecclesiarum disciplina circa numerum et locum unctionum, ut dictum est ante conclusionem; et Græci etiam nunc non ungunt omnes sensus: ergo.

Resp. id erui ex traditione, quam indicat et probat universalis Ecclesiæ usus, et ex ipsa natura sacramenti, ut patet ex tertia probatione conclusionis. Quantum ad probationes in contrarium: Quidquid sit de ecclesiis particularibus, non ab ipsis, sed ab ecclesia Romana repetenda est traditio Ecclesiæ. Quantum ad Græcos eosque, ut suppono, catholicos, si verum sit quod opponitur, dicendum est Christum non determinasse hujus sacramenti materiam in specie, sed in genere tantum, assignando unctionem, quam determinandam

[1] Q. 32, a. 6.

[1] Ibid. et a. 5, o.

in specie Ecclesiæ reliquit : Ecclesia autem ex hac potestate sibi a Christo concessa approbat ritum Græcorum, et forte approbavit varios ritus ecclesiarum particularium, sed tandem omnes ad unum revocavit pro ecclesia Latina, sicut dixi de forma Confirmationis, art. 6, obj. 2. Confer.

Inst. 1° : Ex hoc quod Ecclesiæ praxis a tempore Apostolorum sit adhibere in Baptismo trinam immersionem seu infusionem, non sequitur quod hæc trina immersio, seu infusio, sit de necessitate sacramenti, sed præcepti tantum : ergo similiter de praxi Ecclesiæ quoad quinque unctiones.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod Baptismus conferatur per modum ablutionis, talis qua homo possit dici ablutus : abluatur autem in hac vel altera parte, in una vel pluribus partibus, semper dicitur ablutus. At Extrema-Unctio confertur per modum medicationis : medicatio autem debet applicari malorum radicibus, qui sunt quinque sensus, ut dictum est.

Inst. 2° : Truncati manibus, surdi et cæci a nativitate sunt capaces Extremæ-Unctionis : atqui ungi non possunt in quinque sensibus, tum quia illis carent, tum quia iis nunquam peccaverunt : ergo.

Resp. neg. min. [1] Ii enim sunt ungendi in partibus sensui vicinioribus. Ad primam probationem : Quamvis usu visus et auditus privetur cæcus et surdus, remanent tamen adhuc in oculo et in aure quædam organa potentiæ visivæ et auditivæ; de manco quoad sensum tactus res est aperta, est enim in toto corpore. Ad secundam probationem : Quamvis aliquibus sensibus privati, iis non peccaverint actu externo, potuerunt tamen peccare interius, voluntate et desiderio iis male utendi.

Obj. 2° : Pastorale Mechliniense, anno 1589, approbatum ab academia Lovaniensi, tradit, instante periculo, ut tempore pestis vel morbi contagiosi, sufficere ungi unum sensum magis obvium sub hac forma : « Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum et tactum. » Similiter plura alia ritualia ; quædam etiam docent sufficere si dicatur : « Quidquid deliquisti per quinque sensus », quæ tamen ritualia non improbat Ecclesia : ergo.

Resp. hæc ritualia tradere sententiam quam fatemur esse probabilem, et quam ideo non reprobat Ecclesia; quinimo ob hujus sententiæ probabilitatem, nos ipsi dicimus, quod dum, necessitate urgente, fieri non possunt quinque unctiones, una sit adhibenda sub una vel altera forma in objectione, secundum quod necessitas magis aut minus urget ; cum enim non certo constet de invaliditate sacramenti sic collati, melius est in extremis conferri dubium, quam nullum. Addo tamen quantum ad pastorale Mechliniense, illud fuisse hac in parte emendatum, anno 1607, quod non negat Sylvius, acerrimus hujus secundæ sententiæ defensor.

[1] Ib ad 7, o.

Observanda circa unctiones.

1° Unctiones sunt faciendæ per modum crucis, non de necessitate sacramenti, sed præcepti, ex ritualibus.

2° Ungendi sunt 1° oculi, deinde aures, 3° nares, 4° labia, 5° pectus, ubi ungitur, 6° manus. Item primo ungendus est oculus dexter, auris dextera, etc., ex ritualibus.

3° Quantum ad unctionem membrorum quæ sunt gemina in homine, ut duo oculi, duæ aures, etc., utrumque est ungendum sub una forma, cum duplici tamen cruce. Caveat autem sacerdos, ne sacramenti formam absolvat, priusquam ambo hujusmodi paria membra perunxerit. Ita rituale Romanum.

4° Si antequam absolutæ sint unctiones moriatur infirmus, ibi sistat sacerdos, nec quidquam sacramenti addat ; si vero dubium sit an vivat, prosequatur sub hac conditione : « Si vivis. »

5° Plura ritualia præcipiunt unctiones fieri pollice intincto ; quædam, virgula intincta : quisque sequatur ritum suæ ecclesiæ ; id enim non pertinet ad necessitatem sacramenti.

6° Juxta rituale Romanum, et plura alia, manus sacerdotum inunguntur exterius, aliorum interius ; quia sacerdotes in sua ordinatione fuerunt uncti ab episcopo in vola manus; et ideo incongruum videtur, ut ibidem ungantur a simplici sacerdote. Quædam tamen, ut pastorale Mechliniense, statuunt sacerdotes et episcopos esse ungendos in vola manus. Quisque iterum, ut ante, sequatur ritum suæ ecclesiæ, quamdiu non improbatur a summis pontificibus. Pedes autem semper unguntur in superiori parte, ne sanctum oleum videatur calcari.

Petes utrum sit validum sacramentum, si quinque sensus ungantur sub una forma, illos omnes distincte exprimente ?

Respondet negative noster Gonet, tum quia cum sint distinctæ materiæ partiales, scilicet unctiones, debent singulis respondere formæ partiales; tum quia quælibet ex istis unctionibus habet specialem effectum, significandum proinde per specialem formam.

At forte posset responderi, quod hæc forma sit virtualiter multiplex, et æquivaleat pluribus particularibus ; sicque quod cuilibet unctioni correspondeat sua forma, et specialem cujuslibet effectum significet.

ARTICULUS III.

DE FORMA EXTREMÆ-UNCTIONIS.

Suppono 1° hujus sacramenti [1] sicut cæterorum esse aliquam formam contra quosdam antiquos,quorum sententiam præsumptuosam et erroneam vocat Auctor hic. Patet 1° ex Jacobo dicente : *Orent super eum, ungentes... et oratio fidei salvabit infirmum* ; 2° ex usu utriusque ecclesiæ ; 3° ex concilio Florent. in decreto Unionis, et Tridentino, sess. 14, cap. 1 ; 4° denique ratione Auctoris ; quia omne sacramentum efficit significando : significatio autem materiæ non determinatur ad effectum determinatum, cum ad multa se habere possit, nisi per formam, et ideo in omnibus sacramentis novæ legis, quæ efficiunt quod figurant, oportet esse res et verba.

Suppono 2° formam ordinariam quam tradunt Florentinum, Trid. et rituale Romanum, quamque usurpat ecclesia Latina, esse hanc : « Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum », dum unguntur oculi ; « Per auditum », dum unguntur aures, et sic de cæteris. Quæ verba sint essentialia, dicemus infra.

Controversia est, utrum forma hujus sacramenti necessario debeat esse deprecativa, ita ut indicativa non sufficiat ? Negant post Morinum, Launoium Menardum, Martene, plures recentiores scholastici Juenin, Tournely, et alii; id etiam negarunt olim Albertus Magnus, Paludanus, Estius, Navarrus. Affirmant thomistæ et scotistæ, cum SS. Thoma et Bonaventura, et communius alii theologi, cum quibus

Dico : Forma Extremæ-Unctionis est necessario deprecativa, nec sufficit indicativa. [2]

Prob. 1° ex ipsa S. Jacobi epistola : *Oreni*, inquit, *super eum, ungentes oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum* ; ubi per unctionem et orationem exprimuntur materia et forma hujus sacramenti, ut docet Trid., sess. 14, cap. 1 : « Quibus verbis, inquit, ut ex apostolica traditione, per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam... hujus sacramenti. »

2° Ex Florentino in decreto Unionis, et ex Trid. citato, ubi subjungit : « Intellexit enim Ecclesia... formam esse illa verba : Per istam unctionem, etc. »

3° Ex traditione quam ibidem asserit Tridentinum.

4° Ex praxi universalis ecclesiæ Græcæ et Latinæ : de Latina constat. Item de Græca ; hæc enim est illius forma, teste Arcudio l. 5 *Concord.*: « Pater Sancte, medice animarum et corporum, sana servum tuum hunc ab illa quæ ipsum detinet, corporis et animæ infirmitate. »

5° Suadetur congruentiis;[1] 1° quia suscipiens hunc sacramentum est viribus propriis destitutus ad exercendos actus virtutum, qui sunt necessarii ad uberiorem fructum sacramenti, et ideo indiget orationibus sublevari ; 2° quia datur exeuntibus, qui jam desinunt esse de foro Ecclesiæ, et in solius Dei, ad cujus tribunal sisti debent, manu requiescunt ; unde et ei per orationem committuntur ; 3° quia hoc sacramentum non habet infallibiliter aliquem effectum qui semper ex operatione ministri sequatur, etiam omnibus, quæ sunt de essentia sacramenti, rite peractis, ut est character in Baptismo, Confirmatione et Ordine, transsubstantiatio in Eucharistia, remissio peccatorum in Pœnitentia, existente contritione, quæ est de essentia sacramenti Pœnitentiæ, non autem de essentia hujus sacramenti : ita ut positis omnibus essentialibus possit hoc sacramentum esse validum, et tamen nullum prorsus habere effectum, neque spiritualem propter indispositionem subjecti, neque corporalem, quia non expedit ; et ideo, in hoc sacramento, non potest esse forma indicativi modi, sicut in aliis sacramentis.

Obj. 1° : Albertus Magnus, et S. Bonaventura referunt hanc antiquam formam, quæ dicitur Ambrosiana, quod putetur fuisse in usu in ecclesia Mediolanensi tempore S. Ambrosii : « Ungo te oleo sanctificato, in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen , aereas possis superare potestates. » Arcudius laudat hanc Venetorum formam, quam dicit a Leone

[1] q. 29, a. 7, o. [2] Ibi, a. 8, o.

[1] Ibid.

X approbatam: «Ungo te oleo sancto, ut hac unctione protectus fortiter stare valeas adversus aereas catervas in nomine Patris, etc.» Plures alias referunt Menardus, Launoius, Martene et alii scrutatores antiquitatum: atqui hæ formæ sunt indicativæ: ergo.

Respondet S. Th. quod verba illa [1] indicativi modi, quæ secundum morem quorumdam præmittuntur orationi, non sunt forma hujus sacramenti, sed sunt dispositio ad formam, in quantum intentio ministri determinatur ad actum illum per illa verba. Et nota S. Th. referre tantum in argumento hæc prima verba: «Ungo hos oculos oleo sanctificato in nomine Patris, etc». Dato tamen in his verbis quæ retulimus contineri formam essentialem,

Resp. 2° has formas non esse solum indicativas, sed etiam deprecativas; hæc enim verba: «Ut possis, ut valeas in nomine Patris, etc.», dicuntur optative, quod est deprecari Deum, ut tanquam causa principalis hunc effectum producat. Similis est illa qua utuntur Atrebatenses circa eos qui non sunt morti proximi: «Ungo hos oculos oleo sanctificato in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut quidquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur, per Christum Dominum nostrum.» Idem dicendum de aliis similibus antiquis formulis. Quod si quædam proferantur nullo modo deprecativæ, censemus fuisse insufficientes nec unquam ab Ecclesia probatas.

Obj. 2°: Ex his verbis: *Baptizantes eos,* etc., colligimus hanc formam: «Ego te baptizo»: ergo ex his: Ungentes eum, colligere debemus istam: Ego te ungo.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod his verbis: *Ungentes eum,* præmittatur: *Orent super eum*: ex quo colligitur, hæc verba: «Ungo te», non esse formam, nisi deprecative proferantur; nihil autem tale legimus in his verbis: *Baptizantes eos.* Quinimo retorqueo argumentum: Ex eo quod S. Scriptura dicat: *Baptizantes eos in nomine Patris,* etc., colligimus expressionem Trinitatis pertinere ad formam essentialem Baptismi: ergo ex eo quod dicat: *Orent super eos, ungentes,* colligitur orationem pertinere ad formam essentialem.

Inst. 1°: Effectus orationis non est infallibilis: atqui tamen effectus sacramentalis, quantum est ex se, est infallibilis: ergo.

Resp. dist. ant. Effectus orationis ut est opus operantis non est infallibilis, conc.; ut est opus ex institutione Christi elevatum ad esse sacramentale, neg.

[1] Ib. ad 3.

Inst. 2°. Juxta S. Thomam 3 p. q. 84, a. 3, ad 1, in absolutione sacramentali, non sufficit dicere: Misereatur tui Deus; quia per talia verba sacerdos non absolutionem fieri sed petit ut fiat: ergo similiter hic.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod in sacramento Pœnitentiæ sacerdos agat judicem: judicis autem est proferre sententiam; quæ ratio non currit in hoc sacramento.

Inferes 1°: Ergo saltem sacerdos non causat gratiam quam petit tantum dari.

Resp. neg. illationem; quia hoc ipso quo profert formam a Christo institutam ad causandam gratiam, sive sit deprecatoria sive indicativa, gratiam causat.

Inferes 2°: Ergo sacerdos voluntarie distractus in collatione hujus sacramenti nihil efficit; non enim orat, cum, secundum nos, attentio saltem virtualis requiratur ad orationem.

Quidam concedunt illationem; at melius videtur neganda; quia validitas sacramenti non pendet ab oratione sacerdotis, ut est opus operantis, sed ut est sacramentalis et habet efficaciam ex meritis Christi. Nec refert quod ipse ut persona particularis non oret; manet enim nihilominus forma deprecativa, et per ipsum tanquam per ministrum Ecclesia orat, ut fit in orationibus communibus.

Petes 1° quæ verba formæ supra descriptæ sint essentialia?

Resp. hoc verbum: «Sanctam», non esse essentiale, illius enim non meminerunt Florentinum et Trid.; neque hæc: «Et suam piissimam misericordiam»; quia sufficienter indicatur misericordia, per το *indulgeat*; neque ista: «In nomine Patris», etc., quia infirmi non unguntur ut confirmati ad defendendam fidem, cujus præcipuum objectum est Trinitas. Ista vero: «Per istam unctionem», aut alia unctionem saltem implicite significantia, sunt essentialia; quia alias, cum oleum sit indifferens ad multa, non satis determinaretur per formam ad unctionem; sicut si in Baptismi forma omitteretur: «Te baptizo», ut suo loco vidimus. Dixi: Aut alia unctionem saltem implicite significantia, quia in hac forma Græcorum: «Pater sancte, medice animarum et corporum, sana, etc.», unctio importatur tantum implicite per το *medice* et *sana.* Item ista: «Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti», sunt essentialia, utpote per quæ significatur effectus principalis sacramenti. Quidam tamen negant de istis verbis: «Quidquid deliquisti», quia existimant sufficienter significari per το *in-*

dulgeat; at falluntur; significatio enim hujus verbi, *indulgere*, longe latior et generalior est, quam istorum: condonare seu remittere delicta. « *Indulgeo*, inquit Calepinus, significat obsequor, consentio, inservio, facile concedo, plus æquo remitto»: unde omittendo: « Quidquid deliquisti », non significaretur determinate principalis effectus sacramenti, qui est remissio peccatorum.

Superest dubium de expressione cujuslibet sensus, dicendo: « Per visum », « Per auditum », etc., an sit essentialis? Quidam negant, quia in forma Græcorum, Ambrosiana et Veneta, quas diximus valere, omittitur. Alii affirmant, quia per unam unctionem et formam illi respondentem, non remittuntur quorumcumque peccatorum reliquiæ, sed eorum tantum quæ per illum sensum particularem commissa sunt, et ideo videtur exprimendus. At forte posset dici hanc rationem esse convenientem, sed non cogentem. Quidquid sit, res est dubia, et ideo nunquam omittenda expressio sensuum. Item quamvis absque iis, quæ diximus non esse essentialia, subsisteret sacramentum, peccaret tamen, qui ea omitteret, graviter, vel leviter pro quantitate aut qualitate materiæ.

Petes 2° utrum hoc sacramentum, non obstantibus pluribus materiis et formis, sit unum?

Resp. affirmative [1]; quia illæ plures materiæ et formæ partiales ordinantur ad unum et eumdem finem seu effectum, scilicet ad significandam et causandam perfectam curationem vulnerum spiritualium, ad quod requiritur quod medicina applicetur diversis radicibus vulnerum: sacramentum autem cum sit artefactum morale, desumit unitatem ab unitate finis ad quem ex institutione Christi ordinatur; sicut licet in domo sint plures partes, quia tamen ad unum totalem finem ordinantur, constituunt unam domum, unum ædificium.

ARTICULUS IV.

DE EFFECTIBUS EXTREMÆ-UNCTIONIS.

Extremæ-Unctionis effectus recenset Trid., sess. 14, cap. 2, hoc modo: « Res porro et effectus hujus sacramenti illis verbis explicatur: *Et oratio fidei salvabit infirmum; et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.* Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in Deo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur. »

Controvertitur inter theologos quis ex illis effectibus sit primarius et principalis, seu ad quem primo per se et principaliter sit instituta Extrema-Unctio? Bellarminus, quem sequitur Tournely, cum quibusdam aliis, assignat remissionem peccatorum tam mortalium quam venialium, post confessionem et communionem remanentium, sive quia omissa sunt inadvertenter in confessione, sive quia post confessionem et viaticum commissa sunt. Scotus et scotistæ assignant remissionem peccatorum venialium tantum. Thomistæ cum suo duce, gratiam seu augmentum gratiæ corroborantis animam contra torporem et debilitatem ad actus virtutum, relictam ex peccatis præcedentibus, aliasque tentationes ac difficultates ex parte dæmonis aut aliunde tunc occurrentes.

Dico 1°: Primarius et principalis effectus Extremæ-Unctionis [1] non est remissio peccatorum sive mortalium, sive venialium.

Prob. prima pars: [2] Extrema-Unctio est instituta per modum curationis et sanationis: atqui medicatio et sanatio supponit vitam in eo quem sanat: ergo Extrema-Unctio supponit vitam spiritualem, consequenter absentiam peccati mortalis per quod vita animæ tollitur.

Confirm.: Secundum omnes theologos sunt tantum duo sacramenta mortuorum, scilicet Baptismus per modum generationis, et Pœnitentia per modum suscitationis: atqui si Extrema-Unctio sit instituta per se primo ad remittenda peccata mortalia, erit etiam sacramentum mortuorum: ergo. Multas differentias excogitat Tournely inter Baptismum et Pœnitentiam ex una parte, et Extremam-Unctionem ex altera, sed nulla evincit Extremam-Unctionem, si sit primario instituta ad remittenda peccata mortalia, non esse sacramentum mortuorum.

Prob. secunda pars: [3] 1° Sacramentum Pœnitentiæ, vi suæ institutionis, sufficiens est ad tollenda omnia peccata venialia, ergo non debuit aliud institui pro eorum remissione

2° Nullum sacramentum novæ legis [4] est

[1] Ibid. a. 2. o,

[1] Hic q. 30, o. 1, o. [2] Ib. [3] Ib. [4] 3. p., q. 65, a. 1, ad 8.

per se primo institutum contra peccata venialia : ergo. Prob. ant. In quolibet sacramento gratia infunditur : atqui ad remissionem peccati venialis non requiritur infusio gratiæ : ergo.

3° Si hoc sacramentum esset directe institutum ad remissionem venialium, deberet ministrari tam sanis quam infirmis : atqui, etc. : ergo.

Si dicas effectum hujus sacramenti non esse remissionem venialium simpliciter, sed remissionem in exitu seu finalem, ne sint impedimentum gloriæ ; quia congruebat ut a venialibus, in quæ frequenter labimur, etiam post acceptum Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramentum, mundaremur ante hujus mundi exitum.

Contra : Ex hac responsione sequitur 1° quod non debeat conferri hoc sacramentum nisi in ipso articulo mortis, quando non est amplius periculum peccandi; quod debeat conferri damnatis ad mortem : utrumque autem est falsum. Insuper in sacramento quod est primario institutum ad remittenda peccata, non attenditur ad tempus præteritum, vel futurum, neque quod committi iterum non possint, sed sufficit quod commissa sint et possint deleri.

Dico 2° : Effectus primarius et principalis Extremæ-Unctionis [1] est gratia seu augmentum gratiæ habitualis, connotantis specialia auxilia, contra proclivitatem in malum, torporem et debilitatem ad bonum ex peccatis præcedentibus relictas, quæ ideo dicuntur reliquiæ peccatorum.

Prob. [2] Hoc sacramentum cum sit medicatio et sanatio, est primario et principaliter institutum contra hos defectus, quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ, gratiæ, vel gloriæ : atqui hic defectus nihil aliud est, quam quidam languor, debilitas et ineptitudo ad hos actus, quæ in nobis relinquuntur ex peccato originali vel actuali : ergo.

Confirm. Effectus absolutus proprius et principalis hujus sacramenti est tollere reliquias peccatorum, ut dicit Trid. citatum : atqui, per reliquias peccatorum, nihil aliud intelligi potest quam iste languor et ista debilitas ad actus virtutum : ergo. Prob. min. Non potest intelligi per reliquias peccatorum, macula seu reatus pœnæ æternæ, hæc enim tolluntur per Pœnitentiam ; non reatus pœnæ temporalis, tum quia contra hunc etiam ordinatur secundario sacramentum Pœnitentiæ ; tum quia si remissio hujus reatus foret effectus principalis et primarius Extremæ-Unctionis, sequeretur quod infirmus recipiens hoc sacramentum cum debita dispositione, nihil amplius haberet luendum ; sacramentum enim infallibiliter operatur suum effectum primarium in subjecto bene disposito ; non fomes peccati, aut habitus vitiosus, quia utrumque remanet in infirmo uncto; non denique peccata post confessionem et viaticum commissa : patet ex prima conclusione ; sed insuper, ut aliquid sit reliquia alterius non sufficit quod illi succedat, sed debet habere aliquam connexionem cum ipso tanquam pars vel effectus illius ; sic partes ciborum in prandio remanentes dicuntur reliquiæ prandii, quia sunt partes illius; sic macies, pallor, debilitas, dicuntur reliquiæ morbi quia sunt effectus illius : nox vero non dicitur reliquia diei, neque dies reliquia noctis, licet sibi succedant : atqui peccata post confessionem et communionem commissa sæpe nullam habent connexionem cum præcedentibus ut pars aut effectus illorum : ergo.

Hæc porro gratia sanans, quam ponimus pro effectu primario et principali hujus sacramenti, corroborat animam, tum ad superandum tentationes et insultus dæmonum tunc maxime urgentes, tum ad levius et facilius ferenda morbi incommoda, spemque erigit in divinam misericordiam ; sic enim sanatur languor et debilitas ad bonum ; ac tandem remittit peccata, si quædam reperiantur, non solum ex ratione generica sacramenti quatenus confert gratiam incompossibilem cum peccato, quod est commune omnibus sacramentis ; sed etiam ut videtur ex sua ratione specifica, et institutione, non quidem primaria, sed secundaria ; dicit enim Jacobus, et post ipsum Tridentinum citatum, esse institutum ad remissionem peccatorum si quæ sint. Primum asserit Auctor, secundum non negat.

Obj.: Remissio peccatorum assignatur pro effectu hujus sacramenti a S. Jacobo et a Tridentino citato : *Si in peccatis sit*, inquit Apostolus, *remittentur ei*. « Delicta, inquit concilium, si quæ sint adhuc expianda, abstergit » : ergo.

Resp. nos etiam dicere remissionem peccatorum esse effectum hujus sacramenti, sed secundarium, nec aliquid plus ex his auctoritatibus potest evinci, maxime cum loquantur conditionate ; effectus enim principalis et primarius alicujus sacramenti semper

[1] Hic q. 30, a 1, o. [2] Ibid.

et absolute sequitur, nisi recipiens ponat obicem.

Inst. 1° : Ille est effectus primarius et principalis sacramenti, qui importatur in ejus forma : atqui remissio peccatorum importatur in forma Extremæ-Unctionis ; fert enim : «*Quidquid deliquisti*», etc.: ergo.

Resp. 1° hunc effectum non importari in formulis Ambrosiana, et Veneta, ut vidimus, quas tamen ut validas recipiunt nobiscum adversarii.

2° Dist. maj. Ille est effectus primarius et principalis sacramenti, quia importatur in ejus forma independenter a materia, neg.; in ejus forma cum materia seu proportionaliter ad materiam, conc. Totum enim sacramentum significat : porro materia seu unctio significat sanationem et curationem quæ supponit vitam, consequenter absentiam peccati : « Nam Unctio, inquit Trid., sess. 14, cap. 1, aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat. » Dicendum itaque hic poni causam pro effectu, et per τo *deliquisti* seu *delicta*, intelligi effectus seu reliquias delictorum, quo sensu Apostolus, Rom. 7, fomitem relictum ex peccato originali appellat peccatum ; sic etiam loquitur S. Th. hic, art. 1, o, dum dicit : « Per hoc sacramentum peccata semper remitti, non quoad culpam, quia non semper invenit, sed quoad debilitatem prædictam quas dicimus reliquias peccati. »

Inst. 2° : Potest contingere quod infirmus post sacramentum Pœnitentiæ et Eucharistiæ committat peccatum mortale, cui non se credat obnoxium, aut quod non rite priorem confessionem et communionem perfecerit, et illud item ignoret : videtur autem ad providentiam Dei pertinere, ut sit aliquod sacramentum horum peccatorum remissivum, quod non est aliud quam Extrema-Unctio : ergo.

Resp. ad hos casus raro contingentes sufficere quod Extrema-Unctio secundario remittat peccata.

Inst. 3° ex S. Th. 4, *cont. Gentes*, cap. 73, ubi dicit : « Contingit quod homo omnium peccatorum quæ commisit, notitiam vel memoriam non habet, ut possit per pœnitentiam singula expurgare, a quibus oportet hominem in suo exitu per hoc sacramentum emundari. » Et in Supp. q. 30, a. 1 : « Si invenit peccatum aliquod, inquit, vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis » : ergo. Ita Honoratus Tournely.

Resp. mirum sane et plusquam mirum S. Thomam docere opinionem eo ipso in loco, in quo ipsam ex professo impugnat: nostræ enim probationes sunt ejus rationes loco citato sup., quas sic concludit : « Unde dicendum quod *principalis effectus* hujus sacramenti est remissio peccatorum quoad *reliquias* peccati, et *ex consequenti* etiam quoad culpam, si eam inveniat. » In verbis autem ex eodem articulo objectis, oscitanter admodum, ne quid plus dicam, omissa sunt hæc immediate præcedentia : « Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti, si invenerit peccatum, etc. » Eodem sensu intelligendus est textus ex 4 *cont. Gent.*, de remissione peccati , quoad reliquias, et ex consequenti, et secundario quoad culpam.

Dico 3° : Effectus secundarius[1] Extremæ-Unctionis est sanitas corporalis non absolute, sed conditionate, si animæ expediat.

Indicatur hic effectus his Jacobi verbis : *Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus;* salus enim ista et alleviatio sic primario spectat animam, ut etiam secundario comprehendat sanitatem corporis; et ita asseritur a concilio Florent. in decreto Unionis, et a Trid. citato.

Hanc autem sanationem corporalem facit[2], non ex proprietate naturali materiæ, sed ex virtute divina, quæ rationabiliter operatur; et quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem, ideo ex hoc sacramento, non semper sequitur corporalis sanatio, sed quando expedit ad sanationem spiritualem, et tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.

Si dicas inde sequi sanitatem quandoque fore miraculosam, quando nempe tanta est violentia morbi, ut sanari non possit naturaliter : atqui tamen effectus sacramenti non dicitur miraculosus : ergo. Resp. quod quamvis hic effectus superet vires naturæ, quia tamen, attenta virtute quam Deus sacramento indidit quæque juvat causas naturales, producitur secundum potentiam ordinariam, ideo non dicitur miraculosus.

Petes : Quandonam istud sacramentum producit suum effectum, an post primam, an post ultimam unctionem ?

Resp. procedere post ultimam[3], quia cum, secundum nos, omnes quinque unctiones sint de essentia sacramenti, non est completum nisi post quintam unctionem: non producit autem

[1] Ibid. a. 2, o. [2] Ibid. [3] Ibid. a. 1, ad 3.

effectum, nisi sit essentialiter completum : « Quando, inquit Auctor, sunt multæ actiones ordinatæ ad eumdem effectum, ultima est formalis respectu omnium præcedentium, et agit in virtute earum; et ideo in ultima actione gratia infunditur, quæ effectum sacramento præbet. »

ARTICULUS V.

De ministro Extremæ-Unctionis.

Dico : Solus sacerdos est minister Extremæ-Unctionis. [1]

Prob. ex illo Jacobi : *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, etc.* : per presbyteros autem intelligi, non ætate seniores e populo, ut contendunt hæretici, sed sacerdotio initiatos evincunt momenta sequentia; 1° quia licet vox Græca *presbyter*, secundum etymologiam, significet ætate seniorem; attamen in S. Scriptura novi Testamenti, ubicumque agitur de muniis ecclesiasticis, per presbyteros nunquam intelliguntur ætate seniores, sed gradus et sacerdotii dignitate majores, ut Act. 14, v. 12, 15, v. 2 ; 1 ad Timoth· 5. v. 17 et 19; 1 Perti 5, v. 1; item initio 2 et 3 Joannis. 2° Jacobus non dicit *presbyteros* simpliciter, sed *presbyteros Ecclesiæ*, aperte significans se eos intelligere, non qui præsunt communitati sæculari, sed Ecclesiæ. 3° Quia dicit inducendos esse presbyteros, ut orent super infirmum, ut illum ungant in nomine Domini, et inde allevietur, ac remittantur ei peccata: quæ omnia non ætate senibus, sed sacerdotibus competunt ; ad hæc enim, ut patet, impertinens est ætas senilis. 4° De sacerdotibus intellexerunt Patres laudati art. 1. 5° Perpetuus Ecclesiæ usus. 6° Denique pariter concilium Florent. et Trid. in cujus sess. 14, can. 4, sic definitur : « Si quis dixerit presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremæ-Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, anathema sit. » Unde conclusio est de fide.

Suadetur rationibus: 1° Sacramentum Extremæ-Unctionis est consummativum Pœnitentiæ, ut dicit. Trid., sess. 14, cap. 1, et patet ex ejus institutione : ergo illius administratio pertinet ad eos ad quos pertinet sacramenti Pœnitentiæ administratio, qui sunt sacerdotes; consummatio enim operis pertinet ad digniorem ministrum. 2° Quandoque ætate juvenes provehuntur ad sacerdotium aut episcopatum, ut Timotheus ; absurdum autem foret his præferri senes laicos, in hac sacra unctione perficienda.

Dices : Innocentius I, epist. *ad Decentium*, explicans hæc Jabobi verba : *Infirmatur quis*, etc., dicit : « Non est dubium de fidelibus ægrotantibus intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab episcopo confecto non solum sacerdotibus, sed omnibus christianis uti licet, in sua aut suorum necessitate inungendo. » Et venerab. Beda, in cap. 5 epist. S. Jacobi, monet infirmos ut « seniorum adjutorio curari se meminerint, neque ad juniores minusque doctos causam suæ imbecillitatis deferant » : ergo.

Resp. hæc duo testimonia sensu hæreticorum intellecta, sibi contradicere; juxta primum enim quilibet fidelis est Extremæ-Unctionis minister; juxta secundum, seniores tantum sunt ministri. Hæc ipsi concilient antequam ea nobis opponant. Sed hoc præmisso,

Ad Innocentium, resp. 1° cum Dom. Soto quem plures sequuntur, intelligendum non esse de unctione sacramentali, sed de christiano et pio ritu ad sanitatem corporis recuperandam, secundum morem hujus temporis, ut refert Auctor hic a. 1, in a. s. c. de Solitariis Ægyptiacis, et de S. Genovefa. Nec refert quod postea loquatur de unctione sacramentali, dum statim subjungit : « Cæterum illud superfluum videmus adjectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est »; nihil enim obstat quod in una periodo loquatur de unctione sacramentali, et in altera de non sacramentali, cum id exigit amplitudo materiæ. Imo hæc verba sequentia probant ipsum in prioribus non fuisse locutum de unctione sacramentali, alioquin inepte adjecisset eam licere episcopis, quam concessisset laicis; aut non dixisset eam licere episcopis, cum liceat presbyteris, sed, cum liceat ipsis laicis.

Resp. 2° juxta aliam explicationem, etiam bene probabilem Bellarmini, Jansenii Gandensis, Estii, Sylvii, etc., Innocentium in prioribus verbis locutum fuisse de unctione passiva et non activa, et τo *inungendo* intellexisse passive, non active; sic enim absolute positum sæpe habet signfiicationem passivam, ut dum Virgilius, Ecloga 7, dicit : « Frigidus in pratis cantando (id est, dum cantatur) rumpitur anugis». Hanc interpretationem esse legit

[1] Ibid. q. 31, a, 1 et 2 o.

mam colligitur, 1° quia si Innocentius in prioribus verbis dixisset laicos esse ministros hujus sacramenti, non adjecisset in sequentibus, id licere episcopis, quod licet presbyteris, sed dixisset, id omnibus promiscue, et episcopis, et presbyteris, et laicis licere; 2° quia si « inungendo » sumeretur active et non passive, sequeretur quod infirmi possent seipsos sacramentaliter ungere; dicit enim : « In sua aut suorum necessitate inungendo. »

Ad Bedam, resp. ipsum ibi loqui de confessione, ut patet ex his verbis : « Causam suæ imbecillitatis referant », et merito consulit quantum ad hoc, accedendum esse ad seniores potiusquam ad juniores et minus doctos. Intelligebat enim Beda textum Jacobi, non solum de Extrema-Unctione, sed etiam de sacramento Pœnitentiæ, propter verba quæ sequuntur in Apostolo : *Confitemini alterutrum peccata vestra* : unde hæc verba : *Infirmatur quis in vobis, etc.*, interpretatur non solum de corporis, sed etiam de animæ infirmitate. At paulo post verba quæ objiciuntur, dicit : « Orent super eum ungentes oleo..... Ecclesiæ consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur a presbyteris, et oratione comitante sanentur. »

Petes 1° utrum quilibet sacerdos possit hoc sacramentum conferre ?

Resp. Potest quilibet sacerdos, etiam excommunicatus, aut degradatus valide conferre ; non potest licite, nisi sit parochus aut alter de ejus licentia.

Ratio primæ partis est, quia potestas valide conferendi hoc sacramentum, non inest sacerdoti ratione jurisdictionis, licet hæc requiratur, ut licite conferatur, sed ratione ordinis; non enim dixit S. Jacobus : Inducat parochum aut episcopum, sed *presbyteros ;* neque hoc sacramentum exercetur per modum judicii, sicut sacramentum Pœnitentiæ, quod ideo requirit jurisdictionem in judice.

Ratio secundæ partis est, quia ad pastorem pertinet pascere oves, quod officium potissimum exercetur in administratione sacramentorum. Et ideo Baptismus, quantumvis necessarius, debet tamen, extra casum necessitatis, ministrari a parocho.

Hinc Clementina de Privilegiis, l. 5, tit. 7, cap. 1, excommunicantur ipso facto excommunicatione Papæ reservata, religiosi, qui, sine parochi licentia, clericis aut laicis sacramentum Extremæ-Unctionis, vel viatici ministrant, matrimoniave solemnizant. Id tamen intellige secundum communem interpretationem contra Navarrum, extra casum necessitatis ; si enim pastor esset absens, aut si præsens nollet conferre sacramentum, posset alter quilibet sacerdos, sive sæcularis, sive regularis, licite et absque periculo censuræ, illud administrare; intentio enim Ecclesiæ fuit impedire ne regulares prætextu privilegiorum involarent in jura pastorum, non vero fraudare fideles hoc salubri sacramento, dum necessitas urget.

Petes 2° quot requirantur sacerdotes in administratione hujus sacramenti ?

Resp. 1° diversam in hoc fuisse, et etiammum esse Ecclesiæ disciplinam. Græci, teste Arcudio, l. 5 *Concord.*, Allatio, *de Consens. Ecclesiæ orient. et occident.*, cap. 16 ; Goario in eucologio Græcorum, et Simeone Thessalon., l. *de Sacramentis*, advocant septem sacerdotes, aut saltem tres. Ecclesiam Latinam etiam plures olim adhibuisse, colligimus ex libro sacramentorum S. Gregorii, pag. 253, apud Menardum, ubi legitur : « Multi enim sacerdotum infirmos perungent insuper in quinque sensus. »; item ex codice Rotaldi et S. Remigii Rhemensis ; ex Raynero qui refert valdenses hoc sacramentum contempsisse, eo quod ad illius administrationem advocarentur plures sacerdotes, quorum quisque pretium exigebat : unde dicebatur sacramentum divitum ; ex S. Thoma, l. 4 *cont. Gent.*, cap. 73, ubi dicit : « Quia hoc sacramentum perfectæ curationis effectum habet, et in eo requiritur copia gratiæ, competit huic sacramento quod multi sacerdotes intersint, et quod oratio totius Ecclesiæ effectum hujus sacramenti adjuvet » ; et ex S. Carolo qui in concilio Mediolanensi 4, p. 2, cap. 6, admonet ut ministraturus Extremam-Unctionem, quot commode potest, presbyteros et clericos advocet, « qui ipsum ministrantem et precantem, pietatis orationisque studio, in eo ministerio adjuvent». Ubi nota plures sacerdotes requiri, saltem a D. Thoma et S. Carolo, non ut omnes sacramentum administrent, sed ut precibus suis ministrantem adjuvent.

Resp. 2° absolute sufficere unum sacerdotem ad collationem hujus sacramenti. [1]

Prob. 1° ex jure, cap. *Quæsivit,* extra tit. 40, de verborum significationibus, ubi Alexander III ait « quod sacerdos, uno præsente clerico, et etiam solus potest infirmum ungere. » Idem definivit Benedictus XIV, feliciter regnans, Constit. *Etsi Pastoralis*, super ritibus Græcorum, § 5.

2° Ex S. Th. citato : « Si tamen, inquit,

[1] l. 4, cont. gent. c. 73.

unus solus presbyter adsit, intelligitur hoc sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cujus minister existit et cujus personam gerit. »

3° Ex variis exemplis antiquis, S. Eugenii sexto sæculo, S. Mauræ a solo Prudentio Tricassino unctæ, et aliis apud Edmundum Martene.

4° Ex rituali Romano Pauli V, et praxi totius ecclesiæ Latinæ. Denique non est ratio cur ad hoc sacramentum, potiusquam ad cætera, non sufficiat unus sacerdos.

Unum duntaxat opponi potest, scilicet illud Jacobi : *Inducat presbyteros*. Sed, ut jam superius monui, id dictum est per *enallagen*, seu mutationem numeri, quasi dixisset: aliquem ex presbyteris, sicut solemus dicere nos confiteri peccata sacerdotibus, id est, alicui ex sacerdotibus, quæ figura non est infrequens in S. Scriptura et Patribus ; sic, Matth. 27, dicitur : *Latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei,* id est, unus ex latronibus, ut habetur Luc. 23 ; similiter ibid.: *Illudebant autem ei et milites accedentes et acetum offerentes ei ;* et tamen id ab uno tantum factum narrant Matth. 27 et Marc. 15. Sic etiam S. Aug., serm. 33, de diversis, nunc 324, scribit mulierem detulisse infantem a S. Stephano resuscitatum ad presbyteros baptizandum, id est, ad aliquem presbyterorum; similiter, l. 3, *de Consensu Evang.*, cap. 16, pluries. Vide Estium in ep. Jacobi. Insuper dato Jacobum intellexisse plures presbyteros, evinci non potest eos requisivisse ad necessitatem sacramenti, et non potius ad solemnitatem, uno scilicet conferente sacramentum, aliis juvantibus et orantibus, ac quasi per manum illius ungentibus, eo fere modo quo ad consecrationem episcopi plures concurrunt, uno tantum consecrante secundum probabilem sententiam.

Petes 3° utrum hoc sacramentum a pluribus collatum sit validum?

Resp. sub distinctione : Si unus ungat et alter formam proferat, est invalidum; quia dum materia proxima sacramenti est actio ministri, debet ab eo determinari per formam, ut patet in Baptismo, Confirmatione et aliis ; idque colligitur ex verbis Jacobi : *Orent super eum ungentes:* quibus innuitur eumdem esse qui ungit et qui orat, seu formam profert. Atque ita definivit laudatus pontifex hodiernus in constitutione superius citata. Quod si ritus contrarius legatur in quibusdam antiquis codicibus, ut quidam referunt, respondendum, vel hos codices esse mendosos, vel esse abusum, qui, inscia Ecclesia, apud aliquos irrepsit.

Si vero dum unus ungit unum sensum, proferendo formam huic unctioni respondentem, alter simul successive ungat alterum sensum similiter cum partiali forma respondente, validum est sacramentum ; quia cum constet pluribus materiis et formis partialibus, potest a pluribus valide confici, sicut contingeret in sacramento Eucharistiæ, si unus consecraret panem, et eo deficiente alter vinum. Hoc tamen est illicitum, quia est contra praxim Ecclesiæ, nisi forte in casu necessitatis, dum crederetur moriturus infirmus, priusquam unus omnes unctiones perfecisset.

ARTICULUS VI.

DE SUBJECTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

Dico 1° : Extrema-Unctio non debet conferri nisi infirmis [1], iisque periculose decumbentibus.

Prob. prima pars 1° ex illo Jacobi : *Infirmatur quis in vobis,* et : *Oratio fidei salvabit infirmum ;* 2° ex synodis Florentina et Tridentina mox citandis ; 3° ex SS. Patribus art. 1 laudatis ; 4° ex perpetua Ecclesiæ praxi ; [2] 5° ratione ; quia quæ geruntur interius in sacramentis, significantur per aliquid exterius, sicut ablutio interior in Baptismi significatur per ablutionem exteriorem : atqui Extrema-Unctio confertur per modum curationis interioris : ergo significari debet per curationem corporalem quæ supponit infirmitatem.

Si dicas Pœnitentiam esse suscitationem interiorem et tamen non significatur per suscitationem exteriorem, non enim pœnitens debet esse corporaliter mortuus, resp. quod, quamvis Pœnitentia sit equidem suscitatio, non confertur tamen per modum suscitationis, sed per modum judicii, quod etiam significatur exterius.

Oppones insuper praxim Græcorum, qui passim sanos ungunt, ut referunt Arcudius ipse, natione Græcus, l. 5, *de Extrema-Unctione*, Allatius, l. 5, *de Consensu Ecclesiæ Occid. et Orient.*, c. 13, et noster Goarius in notis ad eucologium Græcorum.

Respondet ipse Arcudius hanc suæ gentis praxim, in quam acriter invehit, esse abusum, sacris litteris et Græcorum scriptorum testimoniis contrarium, quem quorumdam illitte-

[1] Ibid. q. 32, a. 1, et 2, o. [2] Ibidem a 1.

ratorum audacia et turpis lucri cupiditas invexerunt, ut revera innuit ipsa forma qua utuntur: « Pater sancte, medice animarum et corporum, sana servum tuum hunc ab illa, quæ ipsum detinet corporis et animæ infirmitate. »

Respondent recentiores post nostrum Goar hanc Græcorum unctionem non esse sacramentalem, sed cæremonialem; quia quamvis fiat sub forma sacramentali: « Pater sancte, medice, etc. », ut supra, attamen ex adjunctis circumstantiis, atque ex intentione conferentium et suscipientium, non adhibetur ut sacramentum, sed ut cæremonia. Nec refert etiam hanc unctionem a quibusdam recentioribus Græcis vocari sacramentum, vel enim sumunt sacramentum in latiori significatione, vel errant in notione sacramenti. Hæc Goarii responsio eo verior videtur quod Latini nunquam Græcos hanc in parte reprehenderint.

Prob. secunda pars, 1° quia το *infirmatur* et præsertim το *infirmum* in textu Jacobi, juxtæ interpretes, significant græce, deficientem et graviori morbo laborantem.

2° Ex Florentino in decreto Unionis: « Hoc sacramentum, inquit, nisi infirmo de cujus morte timetur, dari non debet » : quæ verba ex Angelico Doctore, *Opusc.* 5 citato mutuavit; et ex Tridentino, sess. 14, cap. 3, ubi ait: « Declaratur etiam esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde et sacramentum exeuntium nuncupatur. » Ubi observanda est hæc particula *præsertim,* qua significatur, etiam periculose ægrotantibus, licet non tam periculose ut videantur in exitu constituti, esse conferendum.

3° Ex variis conciliis provincialibus et ex perpetua praxi totius Ecclesiæ saltem Occidentalis, quæ nullibi legitur unquam contulisse hoc sacramentum nisi periculose laborantibus.

4° Ratione; quia hoc sacramentum [1] est institutum ut ultimum remedium, quo homines in sua infirmitate juventur et immediate disponantur ad gloriam: unde dicitur Extrema-Unctio et sacramentum exeuntium: ergo nonnisi periculose decumbentibus conferi debet.

Si petas an post vel ante viaticum sit conferendum?

Resp. viguisse olim apud plurimos consuetudinem Extremam-Unctionem præmittendi viatico: id constat ex Pœnitentiali Theodori Cantuariensis scripto circa finem septimi sæculi in quo legitur: « Sacra unctione olei inuncti, secundum statuta sanctorum Patrum, communione viatici reficiantur. » Refertur cap. *Ab Infirmis*, 1 causa 26, q. 7. Item ex Capitularibus Caroli Magni, c. 132. Ex concilio Aquisgranensi, anno 836, et ex pluribus aliis veteribus monumentis quæ referunt Launoius, Martene, Van-Espene, et ex ipsis recentiores theologi: imo rituale Parisiense eminentiss. card. Noallii, teste Honorato Tournely, præscribit « ut quoties cum oleo infirmorum viaticum ad ægrotum defertur, antequam æger viaticum sumat, ungatur a sacerdote. » Neque ab ista praxi alienus videtur Auctor dum 3 p., q. 65, a. 3, o, scribit quod « per Extremam-Unctionem præparatur homo ad digne sumendum corpus Christi. »

Attamen hanc consuetudinem non fuisse generalem evincunt sermo S. Cæsarii, sexto sæculo, in appendice operum S. Augustini, n. 65, in quo legitur: « Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem Christi ille qui ægrotat, accipiat, et inde corpusculum ungat »; M S S. pontificalis Romani vetustissimum asservatum Florentiæ in conventu FF. Minorum Conventualium S. Crucis, teste Patre Mabillonio, *in Itinere Italico*, p. 164; Capitularia Isaac Lingonensis qui adfuit concilio Tullensi, anno 859, in quo legitur: « In infirmitate positi, absque dilatione reconcilientur, et viaticum viventes accipiant, et benedictione sacrati olei non careant » ; denique, omissis aliis, consuetudo ecclesiæ Romanæ antiquissima, cujus initium non legitur, ideoque ex primis Patribus ortum habere creditur.

Et cum ista praxis sit nunc communis, servanda est, sic tamen quod ex justa causa possit sine piaculo contraria admitti, puta, si infirmus ob vomitum, aut oppressionem subitam non possit communicare, et postea cesset periculum vomitus, aut recuperet usum sensuum, et perseveret infirmitas, prius inunctus, potest licite Eucharistiam recipere. Quinimo quidam volunt id licere ex solo melioris dispositionis ad Eucharistiam desiderio.

Cæterum hæc secunda pars conclusionis non sic est intelligenda, quasi expectari debeat ultima vitæ periodus, in qua infirmus sensibus destitutus jam agit animam, ut ungatur: perversa est et perniciosa hæc praxis, quam immerito Ecclesiæ imponunt hæretici, quippe quæ a pluribus synodis provincialibus dam-

[1] Ib. a. 2.

natur maxime a Catechismo Romano, 2 p., de Extrema. Unctione, n. 18, ubi dicit eos gravissime peccare qui « illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum, jam omni spe salutis amissa, vita et sensibus carere incipiat ; constat enim ad uberiorem sacramenti gratiam percipiendam, plurimum valere, si ægrotus, cum in eo adhuc integra mens et ratio viget, fidemque et religiosam animi voluntatem offerre potest, sacro oleo liniatur. » Sufficit ergo quod periculose infirmetur, seu, ut dicit Auctor, quod ægritudo nata sit inducere mortem, et de periculo timeatur.

Ex dictis colliges 1° hoc sacramentum collatum sano, aut non periculose ægrotanti, esse irritum, quia cum sit institutum pro periculose decumbentibus, subjectum non est capax.

Colliges 2° non esse conferendum eis qui sano corpore sunt in periculo mortis, ut capite plectendi, prælium aut periculosam navigationem ingressuri, mulier proxima partui; quia licet de eorum morte timeatur, non sunt tamen infirmi.

Colliges 3° e contra ungendos esse senes, qui licet nulla speciali infirmitate detineantur, ipsa tamen decrepita senectute ad oculum deficiunt et creduntur proxime morituri ; quia gravis senectus et virium deficientia morbus est. Item ungendi sunt veneno infecti, lethaliter vulnerati, etc., quia licet vi vel fraude ab extrinseco illata infirmentur, vere tamen sunt infirmi. Item qui subito oppressi non petierunt, nec petere possunt sacramentum, si religionem catholicam sint professi ; quia inde præsumuntur illud desiderare, ut dictum est de sacramento Pœnitentiæ.

Dubium est de muliere in ipso actuali partu periculose laborante : quidam negant; quidam affirmant, quibus subscribo, quia videtur vera infirmitas, ex ipsa pariendi difficultate orta. Dicit Steyaertius in Belgii partibus, accedente consuetudine, rem esse tutam.

Dico 2° : Neque pueris ante usum rationis, [1] neque perpetuo amentibus conferri debet hoc sacramentum; quia est institutum contra reliquias peccatorum, sicut sacramentum Pœnitentiæ, cujus est consummativum, est institutum contra peccata : sicut ergo pueri et perpetuo amentes sunt incapaces sacramenti Pœnitentiæ, quia nunquam peccaverunt, ita et Extremæ-Unctionis.

Dices : Sunt capaces augmenti gratiæ : ergo et hujus sacramenti.

Resp. neg. conseq. Sicut enim, quamvis sint capaces augmenti gratiæ, non tamen ideo sunt capaces sacramenti Pœnitentiæ, quia non est institutum pro illis; ita eadem ratione non sunt capaces Extremæ-Unctionis, licet sint capaces augmenti gratiæ.

Inst. : Potest erga illos verificari forma hæc Extremæ-Unctionis : « Indulgeat, etc. », sicut verificatur forma Baptismi erga illum, in quo nec est nec fuit peccatum originale, ut in B. Virgine secundum piam sententiam ; quia sicut significatio sacramentalis formæ Baptismi ex institutione Christi non est ; Te abluo a peccato originali, sed tibi confero sacramentum Baptismi; ut alibi diximus, ita significatio sacramentalis formæ hujus sacramenti est : Confero tibi sacramentum Extremæ-Unctionis : ergo sicut valet Baptismus in casu assignato, ita et Extrema-Unctio.

Resp. omisso ant. neg. conseq. Disparitas est quod Baptismus non sit tantum institutus ad deletionem peccati originalis, sed etiam ut homo incorporetur Christo et Ecclesiæ, fiatque capax sacramentorum. At sacramentum Extremæ-Unctionis est institutum contra peccata actualia sicut sacramentum Pœnitentiæ, cujus est complementum : unde qui nunquam peccaverunt actualiter, neutrius sunt capaces ; sicut e contra qui peccaverunt, quamvis nihil remaneat de peccatis, sunt utriusque capaces; nec argumenta a pari hic urgent, cum totum pendeat a voluntate Christi sacramenta instituentis.

Omisi ant., quia potest negari ; non enim erga pueros et perpetuo amentes, magis verificaretur forma sacramentalis Extremæ-Unctionis, quam forma Pœnitentiæ : utraque esset falsa, quia significaret conferri sacramentum, quod non esset sacramentum, cum subjectum esset incapax, non secus ac si mortuus, aut jam baptizatus baptizaretur.

Si instes juxta S. Thomam, supra q. 30, a. 1, o, hoc sacramentum conferri contra debilitatem ex peccato actuali vel originali, resp. S. Doctorem hic, a. 4, ad 3, sese explicare; cum enim idem argumentum sibi opposuisset, respondet quod non detur contra reliquias peccati originalis, nisi secundum quod sunt per actualia peccata confortatæ.

Ex his colliges 1° probabilius loquendo non esse conferendum hoc sacramentum his qui, licet potuerint peccare, nunquam tamen peccaverunt, si casus sit moraliter possibilis ; neque B. Virginem hoc sacramentum suscepisse, neque illius fuisse capacem, quippe quæ nunquam, nequidem venialiter, peccavit.

[1] Ib. a. 3 et 4.

Colliges 2° e contra conferendum esse amentibus qui aliquando habuerunt usum rationis, si ex professione christiana præsumi possit, quod illud voluissent si advertissent, sicut dictum est de subito oppressis ; quia jure præsumuntur peccasse. Neque obstat quod Auctor hic, a. 3 et 4, requirat ad hoc sacramentum motum liberi arbitrii, imo devotionem actualem ; vel enim intelligit de dispositione convenienti et non necessaria, vel de motu liberi arbitrii et actuali devotione quæ sit aut fuit, nec est revocata, quo sensu dicitur actualis; siquidem doceat 3 p. q. 79, a. 8, quod qui est voluntarie distractus in susceptione Eucharistiæ, possit consequi augmentum gratiæ; et q. 80, a. 9, dicat illis amentibus conferendam esse Eucharistiam, qui prius dum erant sui compotes, devotionem ad illam habuerunt.

Colliges 3° pueros qui utuntur ratione esse hujus sacramenti capaces, etiam antequam admittantur ad communionem ; usus tamen in pluribus locis obtinuit ut ipsis denegetur : qua ratione? non satis apparet; cum enim admittantur ad sacramentum Pœnitentiæ, cur non ad sacramentum Extremæ-Unctionis, quod est Pœnitentiæ completivum, et quod ipsis prodesse potest? Aliunde non requiritur tanta discretio ad hoc sacramentum, sicut ad sacramentum Eucharistiæ. Forte timent parentes ne si sui liberi ungantur, jura funeralia majorennium solvere cogantur. At hæc ratio levis est ; et aliunde eam urgere non deberent pastores, cum majorennes fiant non ex casu fortuito, sed ex jure communi.

Colliges denique ex dictis in toto articulo, subjectum Extremæ-Unctionis esse hominem baptizatum periculose ægrotantem, qui habeat aut habuit usum rationis et aliquando peccavit actualiter. De Baptismo nihil diximus, sed supposuimus ; quia sine Baptismo nemo est capax aliorum sacramentorum, cum sit janua ad illa, ut alibi dictum est; neque Ecclesia unquam Extremam-Unctionem non baptizatis etiam catechumenis ferventissimis concessit.

ARTICULUS VII.

DE OBLIGATIONE SUSCIPIENDI ET ADMINISTRANDI EXTREMAM-UNCTIONEM ; NECNON DE EJUS ITERATIONE AC DE DISPOSITIONE AD ILLAM PER QUÆSTIUNCULAS.

Petes 1° utrum hoc sacramentum sit necessarium ad salutem ?

Resp. 1° : Non est vi suæ institutionis necessarium necessitate medii ad salutem. Est communis et certa, tum quia supponit gratiam et amicitiam Dei per Pœnitentiam, cujus est complementum; tum quia gratia confortans animum ægroti potest aliunde haberi.

Resp. 2° : Neque videtur necessarium necessitate præcepti divini vel humani per se directe obligantis. Est communior cum Auctore 3. p. q. 65, a. 4, o, ubi dicit hoc sacramentum non esse necessarium, sed utile tantum.

Ratio est quia nullum assignari potest præceptum stricte per se obligans ad susceptionem hujus sacramenti, sive in S. Scriptura, sive in traditione, sive in decretis conciliorum, aut summorum pontificum : non debet autem asseri præceptum sine gravi et aperto fundamento : ergo. Maj. patebit ex sol. obj. Unde

Obj. præceptum hoc reperiri, 1° in S. Scriptura in his Jacobi verbis : *Inducat presbyteros Ecclesiæ ;* 2° in concilio Trid., sess. 14, cap. 3, ubi ait : « Nulla ratione audiendi sunt qui.... docent hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem »; 3° in concilio Cabilonensi, anno 813, can. 48, ubi legitur : « Secundum B. Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi oleo, quod ab episcopis benedicitur, a presbyteris ungi debent »; 4° in concilio Coloniensi, anno 1538, dicente : « Hæc sacra unctio impendatur cum expositione mandati Apostoli » ; ergo.

Resp. ex his omnibus erui non posse præceptum stricte et per se obligans quemlibet fidelem periculose decumbentem ad susceptionem hujus sacramenti. Inprimis hæ voces *inducat, debent,* non important necessario præceptum rigorosum ; his enim et similibus vocibus sæpe utimur in iis quæ non sunt stricte præcepta; ut cum dicimus, fidelis audiat sæpe sacrum, frequenter adsit divinis officiis, frequenter confiteatur; vel fideles debent frequenter confiteri, sæpe audire missam, frequenter adesse divinis officiis; et tamen de his non est præceptum strite obligans. Insuper dato his vocibus, sicut et ista, mandatum ,importari strictum præceptum, intelligi debent de præcepto, vel quoad ipsam institutionem sacramenti, quod est mandatum et præceptum ut existeret, vel respective ad ministros, quibus præceptum est illud conferre et tali modo conferre fidelibus petentibus. Responsionis nostræ veritas constat, 1° ex Innocentio I, *ad*

Decentium, ubi expendens verba Jacobi, dicit: « Fideles ægroti sancto oleo perungi possunt »; et: « Eo omnibus christianis uti licet »: quibus verbis nullum innuitur præceptum; 2° ex Tridentino, sess. 14, cap. 1, in quo ait hoc sacramentum fuisse per Jacobum Apostolum, « fidelibus commendatum et promulgatum », ubi nihil de præcepto; et cap. 3 addit: « Nec vero tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere et ipsius Spiritus Sancti injuria esse potest »: quibus verbis damnantur qui contemnunt, non qui non suscipiunt hoc sacramentum; 3° quia Ecclesia, cap. *Quod in te*, de Pœnit. et Remiss., tempore interdicti denegat Extremam-Unctionem graviter infirmis, licet concedat Eucharistiam et Pœnitentiam; non denegaret autem si esset præcepti maxime divini.

Si reponas cum Tournely effectum hujus sacramenti, scilicet gratiam confortantem, in hac extrema lucta esse maxime necessariam, resp. 1° hoc argumento probari hoc sacramentum esse necessarium necessitate medii, quod negat objiciens. 2° Resp. hunc effectum posse absolute aliunde obtineri.

Dixi: Per se directe obligantis; omnes enim conveniunt quod per accidens ratione scilicet, singularis periculi, contemptus aut scandali, quilibet teneatur hoc sacramentum suscipere; quia scandalum et rerum divinarum contemptus stricte prohibentur, et quilibet saluti suæ providere tenetur per media quæ hic et nunc reputantur absolute necessaria: unde si infirmus tentationibus solito gravioribus concuteretur, quas vix aut ne vix posset superare, ad illud teneretur. Item oblatum non posset sine causa absolute recusare ratione scandali et præsumpti contemptus, etsi forte non esset. Confer de Confirmat., art. 8, § 2.

Cæterum hæc dicta sint speculative disputando. Quantum ad praxim, cum soleant urgere tentationes in hoc ultimo agone, ad quas superandas hoc sacramentum est institutum, magnam salutis suæ incuriam et de se præsumptionem ostenderet, qui illud negligeret aut recusaret.

Petes 2° utrum pastor teneatur hoc sacramentum suis parochianis administrare, cum evidenti vitæ suæ periculo, ut contingit tempore pestis, aut alterius morbi contagiosi?

Suppono, ante responsionem, parochum extra casum evidentis periculi vitæ, etsi aliquod leve et remotum subsit, teneri ex justitia hoc sacramentum suis parochianis ministrare; quia officium pastoris est pascere oves, quod fit maxime per administratioenm sacramentorum: hoc ergo fungi tenetur pastor etiam cum aliquo suo incommodo et periculo. Quantum vero ad alios sacerdotes, tenentur tantum deficiente pastore, ex charitate, quæ licet communiter non obliget sub mortali, si tamen esset casus in quo hoc sacramentum judicaretur necessarium saluti moribundi, de quo modo, obligaret sub mortali. His suppositis, ad petitionem

Resp. adhibita quorumdam distinctione quæ nobis probatur: vel infirmus supponitur accepisse absolutionem certam, vel dubiam tantum, quatenus scilicet fuit absolutus sensibus privatus sine confessione formali et explicita, ex quibusdam tantum signis, puta, quia est catholicus, etc., et eodem statu durante, non potest aliter absolvi, de cujus absolutionis validitate dubitant plures et graves theologi. Itaque

Si primum, communior sententia est, ipsum non teneri; quia tunc istud sacramentum non est absolutæ necessitatis, sed majoris tantum utilitatis, quam non tenetur pastor procurare suo parochiano cum evidenti vitæ suæ periculo. Confirm.: Ipsemet parochianus non tenetur cum evidenti vitæ suæ periculo suscipere sacramenta vivorum aliunde præcepta, ut sacramentum Eucharistiæ, quando creduntur tantum utilia: ergo nec tenetur pastor cum eodem suo periculo illis conferre; cur enim magis teneretur pastor conferre quam parochianus suscipere? Neque id rationabiliter exigeret parochianus.

Si secundum, videtur teneri, quia tunc periclitatur salus parochiani; forte enim attritus per hoc sacramentum salvabitur, sine quo damnabitur: obligatur autem pastor ponere animam pro salute æterna periclitante suæ ovis.

Petes 3° utrum hoc sacramentum sit iterabile?

Non posse iterari opinati sunt, sæculo duodecimo, Goffridus abbas Vindocinensis, et Ivo Carnotensis, quos impugnarunt Petrus Cluniacensis, Magister sententiarum, et Hugo Victorinus. Quidam censuerunt non posse eumdem bis ungi in anno: sic refert Petrus Cantor *in Summa*, cap. 132, de Clarevallensibus.

Resp. 1° verbis Tridentini, sess. 14, cap. 3[1]: « Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum sacramenti hujus subsidio juvari poterunt. »[2] Rationem profert Auctor; tum quia hoc sacramentum non ha-

[1] Ibid. q. 33, a. 1, o. [2] Ibid.

bet effectum perpetuum, sicut ea quæ imprimunt characterem ; tum quia ordinatur, ut curatio et medicina ad sanandum : medicina autem sanativa toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur.

Resp. 2° : Quidquid sit de consuetudine, quæ dicitur olim apud aliquos invaluisse pluries iterandi unctiones in eodem infirmitatis statu, de qua Menardus, in lib. *Sacramentorum* S. Gregorii, et Martene, lib. 1, *de Antiquis Ecclesiæ Ritibus* ; et hac data, fuerintne omnes illæ unctiones sacramentales, an cæremoniales tantum excepta una ? [1] Certum est nunc non licere hoc sacramentum iterare eadem infirmitate, seu potius ejusdem infirmitatis statu ac periculo durante. Id constat, 1° ex Tridentino citato, quod statuit posse iterari, si infirmus convaluerit : ergo iterari non potest, si non convaluerit ; exceptio enim firmat regulam ; 2° ex universali Ecclesiæ praxi; 3° quia durante eodem infirmitatis statu et periculo, sufficit semel collatum ad curationem spiritualem.

[1] Hic. q. 33, a. 2, 2.

Dixi [1] : Durante eodem infirmitatis statu et periculo ; quia si unctus in periculo illud evaserit, et postea quamvis ab eadem infirmitate non plene convaluerit, in illud reincidat, ut contingit in morbis diuturnis, v. g., hectica, hydropisi, et hujusmodi, potest iterum ungi ; quia, non licet non sit alia infirmitas simpliciter, est tamen alius status infirmitatis ; et ita est praxis communis.

Petes 4° quæ dispositio requiratur ad hujus sacramenti susceptionem ?

Resp. præmitti debere confessionem, si infirmus sit conscius peccati mortalis ; quia, ut sæpe dixi , est complementum Pœnitentiæ, Sacramentum vivorum, et curatio spiritualis, ideoque supponit vitam animæ. Quod si infirmus non possit præmittere confessionem, debet, in quantum potest, elicere actum contritionis.

Quantam ad cæremonias et ritum administrandi hoc sacramentum, unusquisque consulat rituale suæ ecclesiæ. Et hæc de sacramento Extremæ-Unctionis.

[1] Ibid.

TRACTATUS

DE

SACRAMENTO ORDINIS

D. Th. Suppl. a Q. 34 ad 41.

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE ORDINE

EX CONCILIIS FLORENTINO ET TRIDENTINO.

Decretum concilii Florentini pro instructione Armenorum.

Sextum Sacramentum[1] est Ordinis cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem ; diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem ; subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem ; et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est: « Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. » Et sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius minister hujus sacramenti est episcopus. Effectus, augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus minister. »

Canones concilii Tridentini de Ordine.

I « Si quis dixerit [1] non esse in novo Testamento sacerdotium visibile, et externum ; vel non esse potestatem aliquam consecrandi, et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi ; sed officium tantum, et nudum ministerium prædicandi Evangelium; vel eos qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes, anathema sit. »

II « Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in ecclesia Catholica alios ordines, et majores, et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur, anathema sit. »

III « Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Dominum institutum; vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum, anathema sit. »

IV « Si quis dixerit per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum ; ac proinde frustra episcopos dicere : « Accipe Spiritum Sanctum ; aut per eam non imprimi characterem; vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit. »

V « Si quis dixerit sacram unctionem, qua Ecclesia in sancta Ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam et perniciosam esse ; similiter, et alias Ordinis cæremonias, anathema sit. »

VI « Si quis dixerit in ecclesia catholica

[1] Sub Eug. IV, anno 1439 ; ex S Th., Opus. 5. [2] Sess. 23, 15 julii, 1563, sub Pio IV.

non esse hierarchiam divina Ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris, anathema sit.

VII « Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem ; vel ordines ab ipsis collatos, sine populi, vel potestatis secularis consensu, aut vocatione, irritos esse ; aut eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, anathema sit. »

VIII « Si quis dixerit episcopos, qui auctoritate Romani pontificis assumuntur, non esse legitimos, et veros episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit. »

Huc usque egimus de sacramentis quibus homo perficitur quoad propriam personam; restat agendum de his quibus perficitur in ordine ad communitatem, quæ sunt Ordo et Matrimonium.

DISSERTATIO I.

De existentia sacramenti Ordinis et de numero ordinum.

D. Th. q. 34 et 37.

Hoc nomen *Ordo* [1] generaliter sumptum significat habitudinem, seu relationem prioris et posterioris, vel superioris et inferioris inter plura ; sumitur etiam pro ipso gradu seu statu in quo fundatur ista relatio, quo sensu dicimus ordinem seu statum nobilem, plebeïum, senatorium, religiosum, et, maxime propter eminentiam, ordinem clericalem, in quo sunt varii Ordinationis gradus, alii aliis superiores, ordinati ad celebrandum Eucharistiæ sacramentum, et dicitur hierarchia ecclesiastica. Translato autem nomine effectus ad causam, Ordo dicitur ipsa actio qua conferuntur isti diversi gradus ordinis clericalis : unde melius dicitur Ordinatio quam Ordo.

Dari in Ecclesia ordinem clericalem ad sacra ministeria, nec illis obeundis parem esse quemque de plebe ex sola communitatis deputatione probavimus contra novatores de Sacramentis in genere, dissert. 5, art. 2, concl. 2, et de Eucharistia, dissert. 7, a. 1. Videat lector.

[1] Supp. q. 34, a. 2, ad 4.

Hæc vox *Clerus* græca est, significat latine sortem seu hæreditatem Christi, quæ licet toti Ecclesiæ competat, speciali tamen titulo tribuitur ministris Ecclesiæ, quia specialiter vocati sunt in sortem et hæreditatem Christi, seu Christus est ipsis specialiter sors et hæreditas.

Quæstio est modo de ipsa ordinatione quæ a Græcis dicitur *Chirotonia*, id est manuum, impositio, seu extensio, ab illius ritu; ac 1° utrum sit sacramentum ; 2° quot sunt ordines ; 3° utrum omnes ordines sint sacramenta ; 4° quid de tonsura.

ARTICULUS I.

UTRUM ORDO SEU ORDINATIO SIT SACRAMENTUM ?

Definitur Ordo seu Ordinatio a Magistro sentent., l. 4, d. 24 : « Signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato » ; quam definitionem approbat Auctor

hic, a. 2. Signaculum, id est, signum exterius, est genus ; cæteræ particulæ, differentia. Ab aliis definitur etiam bene : « Sacramentum novæ legis quo traditur spiritualis potestas et confertur gratia ad debite obeunda munia ecclesiastica. »

Dico : Ordo seu Ordinatio[1] qua in Ecclesia inaugurantur sacri ministri, est verum et proprie dictum novæ legis sacramentum.

Est contra hæreticos hodiernos, qui licet fateantur opus esse delegatione ad sacra munia obeunda, ne omnia sint perturbata et confusa, volunt tamen hanc delegationem posse fieri per communitatem, vel alios ministros absque sacramento, ita ut delegatione revocata, minister redeat ad statum laicalem, perinde ac si nunquam sacro ministerio functus fuisset.

Contra quos sic definit Trident., sess. 23, can. 3 : « Si quis dixerit Ordinem sive sacram Ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, anathema sit. »

Prob. insuper conclusio, 1° argumento fundato in S. Scripturis. Illud est vere et proprie sacramentum quod est signum sensibile permanenter a Christo institutum gratiæ sanctificantis, hæc namque est definitio sacramenti : atqui talis est Ordinatio : ergo. Prob. min. : 1° Est signum sensibile ; notum est enim conferri modo, et ab initio fuisse collatam aliquo signo exteriori, sive exhibitione instrumentorum, sive impositione manuum, ut habetur act. 6 et 1 ad Timoth. 4. 2° Est signum a Deo institutum : Christus instituit Apostolos cæterosque ministros, act. 22, 1 Cor. 12, Galat. 2; dedit Apostolis potestatem consecrandi, remittendi peccata, sacra mysteria dispensandi et regendi Ecclesiam, atque alios ministros instituendi, Joan. 2, Matth. 28, 1 Cor. 11 et 12 ; insuper solus Deus potest instituere signa collativa gratiæ. 3° Est permanenter institutum ; patet ex imperturbato usu Ecclesiæ ab Apostolis usque ad nos. Insuper nunquam stabit Ecclesia sine ministris : stabit autem Ecclesia usque in finem sæculorum. Denique ordinantur ministri ad confectionem Eucharistiæ quæ nunquam deficit in Ecclesia. 4° Et præcipue est signum gratiæ ; constat ex 1 ad Timoth. 4 : *Noli,* inquit Apostolus, *negligere gratiam quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii* ; et 2 ad eumdem : *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum :* ergo.

[1] Ibidem a. 1.

Quid his respondeant hæretici diluemus in sol. obj.

Prob. 2° ex SS. Patribus : Greg. Nazianzenus Orat. in Baptisma Christi : « Eadem, inquit, verbi potestas etiam sacerdotem augustum et honorandum facit novitate benedictionis a communitate vulgi separatum. » Addit eumdem sacerdotem, quamvis exterius non immutatum, « quadam tamen invisibili vi et inaspectabili gratia, interiorem animum gerere in meliorem reformatum. »

S. Aug. l. 2, *contra Permenian.*, c. 13, probat contra donatistas amitti non posse ordinem, sicut nec Baptismum : « Utrumque enim, inquit, sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque in catholica utrumque non licet iterari..... ipsi explicent quomodo sacramentum Baptismi non possit amitti, et sacramentum Ordinati possit amitti..... Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittetur, et illud amittetur? » Quibus verbis, ut patet, S. Doctor non solum asserit Ordinem esse sacramentum, sicut Baptisma, et utrumque permanere, sed et de hoc neminem dubitare, quod palmare est contra hæreticos.

Idem argumentum urget S. Hieronymus contra luciferianos. Legendi sunt insuper S. Chrysostomus, l. 3, *de Sacerdotio;* item, *in epist.* 1 *Timoth.* et alibi; S. Cyrillus Alexand., l. 12, *in Joan.*; Tertullianus, l. *de Præscrip.*, c. 40; Cypr., epist. 33 et 66; S. Leo, epist. 11, alias 81, *ad Dioscorum*; S. Gregorius Mag., l. 4, *in l. Reg.*, c. 5, et alii, quorum omnium textus referre longum foret.

Prob. 3° ex conciliis : Concilium Chalcedonense, anno 451, can. 2, jubet deponi episcopos, « qui propter pecunias ordinationem fecerint, et non venalem gratiam in venditionem adduxerint. » Idem tradunt synodi Romana, Ticina, Rhemensis et Moguntina sub Leone IX, circa medium undecimi sæculi. Idem Braccarensis III, anno 1572. Adde Florent., decreto Unionis, et Trid. de quo supra.

Prob. 4° ex consensu utriusque ecclesiæ Græcæ et Latinæ quæ Ordinem in numero sacramentorum recenset, ut probavimus dum de sacramentis in genere, dissert. 7, a. 1.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° : Impositio manuum de qua Apostolus, in utraque ad Timoth., quæ est fun-

damentum præcipuum nostræ conclusionis, non erat ad conferendum gratiam sanctificantem, sed gratiam gratis datam tantum : ergo inde probari non potest Ordinem esse sacramentum. Prob. ant. ; 1° quia Apostolus non utitur verbo *charis*, sed *charisma* quod significat tantum gratiam gratis datam, ut patet ex 1 Cor. 12 ; 2° quia dicit datam esse hanc gratiam Timotheo *per prophetiam*, quæ pertinet ad gratias gratis datas ; 3° quia de gratia gratis data intelligunt S. Hieronymus, in cap. 4 1 ad Timoth., et S. Chrys., hom. 13 in eumdem locum : ergo.

Resp. neg. ant. Ad primam probationem : in primis falsum est *charisma* significare solum gratiam gratis datam, sed significat quamcumque gratiam, sicut *charis*. Sic docent dictionaria græco-latina, inter illa S. Ambrosius Calepinus : « Charis, inquit, *latine* Gratia... *a quo* charisma *in eadem significatione*. Item *gratia interdum idem est quod beneficium*... inde dictum quod gratis nobis detur, charisma. » Hoc eodem verbo usus est Apostolus ad significandam gratiam sanctificantem citato cap. 12 1 Cor., ubi, recensitis variis gratiis gratis datis, concludit dicens : *Æmulamini autem charismata meliora :* ubi verbo *charismata* significari gratiam sanctificantem indubium est, cum non sit verisimile Apostolum nos hortari ad æmulationem signorum, et non potius sanctitatis. Similiter ad Rom. 5, agens de gratia sanctificante illam exprimit verbo *charisma*, dicens : *Sed non sicut delictum, ita et donum, Græce, charisma.* Denique hoc verbum intellexisse in locis a nobis citatis, de gratia sanctificante, evidens est ; etenim post hæc verba ; *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum,* immediate subjungit : *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis ;* certum est autem spiritum dilectionis et sobrietatis esse gratiam sanctificantem. Unde S. Chrysost., hom. 1 *in* 2 *epist. ad Timoth.*, expendens hæc verba : *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei* : « Hoc est, inquit, gratiam Spiritus quam accepisti ad Ecclesiæ institutionem, vel ad omne religionis obsequium ; quippe in nobis est hanc vel extinguere vel excitare. » Deinde probat gratiam, quæ in nobis extinguitur, esse gratiam adoptionis et charitatis, juxta illud 1 ad Thessal. 5 : *Spiritum nolite extinguere.*

Ad secundam probationem : Etsi daremus Timotheum donum prophetiæ in sua ordinatione accepisse, inde non sequitur quod non simul acceperit donum gratiæ sanctificantis seu *dilectionis et sobrietatis*, ut exprimit ibidem Apostolus ; sed verisimilius est, juxta celebriores interpretes, Apostolum per *prophetiam* intellexisse revelationem sibi factam de ordinando Timotheo, conformiter ad id quod dixerat 1 ad eumdem 4 : *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias.*

Ad tertiam : SS. Hieron. et Chrysost. interpretando hæc loca de gratiis gratis datis non excludunt gratiam sanctificantem; hæc enim omnia simul conferebantur in ordinatione ad institutionem Ecclesiæ : gratias autem gratis datas exprimunt, quia sunt notiores ; sed et alibi explicant etiam gratiam sanctificantem, ut modo vidimus de S. Chrysostomo.

Obj. 2° : Impositio illa manuum, de qua Apostolus, erat cæremonia communis, quam ipse et alii Apostoli adhibebant, dum curabant infirmos, aut pro aliquo orabant : ergo.

Resp. Apostolos equidem manuum impositionem adhibuisse dum curabant infirmos aut aliquem Deo commendabant ; at alia et singularis fuit quæ in ordinatione ministrorum fiebat, tum quia ad hanc sequebatur gratia, ut dictum est, tum quia Apostolus 1 ad Timoth. 5, dicit : *Manus nemini cito imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Certum est autem quod imponere manum ad curandos infirmos, aut ad orandum pro aliquo, quisquis sit, non sit communicare ejus peccatis, sicut communicaret qui ordinaret indignum; et ideo monet Apostolus ne id fiat sine maturo examine.

Inst. : Ordinatio apud nos fit per episcopos : ordinatio autem Timothei facta fuit per presbyteros : *Per impositionem manuum presbyterii,* inquit Apostolus : ergo.

Resp. neg. min. Per presbyterium enim non intelligitur presbyter, sed cœtus sacerdotum : dicitur igitur Timotheus ordinatus *per impositionem manuum presbyterii,* quia plures sacerdotes imposuerunt ei manus : unde ipsemet Apostolus in altera epistola ad eumdem Timotheum dicit : *Per impositionem manuum mearum ;* et S. Chrys. hom. 13 in 1 epist. ad Tiimoth., exponens illa verba : *Per impositionem manuum presbyterii*, dicit : « Non de presbyteris hoc ait, sed de episcopis; non enim presbyteri episcopum ordinaverant. »

Obj. 3° : Christus Apostolos ordinavit sine manuum impositione : ergo.

Resp. 1° ant. esse incertum ; non enim omnia quæ Christus fecit scripta sunt. 2° Dato ant. neg. conseq.; habebat enim Christus potestatem excellentiæ, quæ non erat alligata signis exterioribus, sicut potestas Ecclesiæ.

Obj. 4°: Juxta S. Scripturam et Tertullianum, omnes christiani sunt sacerdotes. Solutionem hujus argumenti require, quantum ad Scripturam, dissert. 5, de Sacramentis in genere, art. 2. Quantum ad Tertullianum, dissert. 7, de Eucharistia, art. 1.

Obj. 5°. Sacramenta ordinantur per se ad sanctificationem suscipientium : atqui Ordo non ordinatur per se ad sanctificationem suscipientium, sed potius aliorum : ergo.

Resp. dist. maj. Sacramenta ordinantur per se primo semper ad sanctificationem suscipientium, neg.; per se primo, vel per se secundo, conc. Hoc autem sacramentum ordinatur per se primo ad dignam administrationem sacramentorum, quæ esse non potest sine gratia sanctificante.

ARTICULUS II.

QUOT SINT ORDINES?

Suppono ut fide certum, plures esse ordines; sic enim definit Trid., sess. 23, can. 2 : « Si quis dixerit præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines et majores et minores, per quos veluti gradus quosdam in sacerdotium tendatur, anathema sit. »

Congruentiæ sunt [1] : 1° propter Dei sapientiam commendandam, quæ in distinctione rerum ordinata maxime relucet tam in naturalibus quam spiritualibus ; 2° ad subveniendum humanæ infirmitati, quia per unum non poterant omnia quæ ad divina pertinebant exequi, sine magno gravamine ; 3° ut via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diversis officiis distribuuntur, ut omnes sint Dei cooperatores, quo nihil est divinius.

Dico : Sunt septem ordines : [2] Presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus, acolythatus, exorcistatus, lectoratus et ostiariatus.

Prob. 1° ex conciliis : Concilium Carthaginense IV, 214 episcoporum, anno 398, a canone 3 ad 9, refert septem ordines assignatos et ritum quo ab episcopo conferuntur. Concilium Aquisgranense, anno 816, l. 1, de Instit. cleric., omnes septem recenset. Trid., sess. 23, cap. 2, postquam dixit de sacerdotibus et diaconis apertam mentionem fieri in sacris Litteris, addit : « Ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistæ, lectoris, et ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur. »

Prob. 2° ex summis pontificibus : Cornelius papa, epist. ad Fabianum Antiochenum, scripta anno 252, apud Eusebium l. 6, cap. 43, alias 35, describens clericos qui erant Romæ initio schismatis novatiani, sic numerat : « Presbyteri quatuor et quadraginta, diaconi septem, totidem subdiaconi, acolythi quadraginta duo, exorcistæ cum lectoribus et ostiariis duo et quinquaginta. » Caius item Romanus pontifex in pontificali edito ex vetustissimis codicibus ab Anastasio, bibliothecario, prohibet ne aliquis sit episcopus, nisi prius fuerit « ostiarius, lector, exorcista, sequens, (acolythus) subdiaconus, diaconus, presbyter. »

Quantum ad SS. Patres, modo unum, modo alterum memorant, secundum quod exigit occasio. Omnes septem recensent et explicant Isidorus Hispal., sub initium septimi sæculi, l. 7 *Originum*, c. 12, et 62, de Divinis Offic.; Alcuinus, sequenti sæculo, *de Divinis Offic.*; Rabanus, sæculo nono, l. 1, *de Instit. cleric.*, c. 4; Hugo Vict., sæculo undecimo, *Erudit. Theologicæ* 32, et l. 2 *de Sacram.* p. 3, c. 5 ; S. Thomas, supp. q. 37, a. 2; S. Bonavent. et alii tam veteres quam recentiores scholastici.

Suadetur ratione congrua ; [1] ratio enim a priori est voluntas Christi. Distinctio ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam; quia potestas ordinis, aut est ad consecrationem ipsius Eucharistiæ, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad illam : si primo modo, est ordo sacerdotum ; si secundo modo, vel ministerium est in ordine ad ipsum sacramentum, vel in ordine ad suscipientes : si sit in ordine ad ipsum sacramentum, est triplex : primum est quo minister cooperatur sacerdoti in ipso sacramento, vel dispensando illud, vel tradendo materiam proximam ad illud, et hoc pertinet ad diaconum. Secundum est ministerium ordinatum ad præparandam materiam sacramenti in vasis sacris, et hoc est subdiaconorum. Tertium est ministerium ad præparandam materiam in vasis non sacris eamque offerendam diacono, et hoc est acolythorum. Si vero sit in ordine ad præparationem suscipientium, non potest esse nisi super immundos ; triplex autem est genus immundorum: quidam enim sunt omnino infideles cre-

[1] Supp. q. 37, a. 1. [2] Ib. a. 2, o

[1] Ibid.

dere nolentes, et hi totaliter a visione divinorum et cœtu fidelium arcendi sunt, et hoc pertinet ad ostiarios. Quidam sunt volentes credere, sed nondum instructi, scilicet catechumeni, et ad eorum instructionem ordinatur lectoratus. Quidam tandem sunt fideles et instructi, sed impedimentum habentes ex dæmonis potestate, scilicet energumeni, et ad hoc ministerium est ordo exorcistarum ; sicque patet ratio et numeri et gradus ordinum.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° : In plurimis antiquis monumentis recensentur inter clericos psalmistæ, seu cantores et laborantes, seu fossarii, inhumandis corporibus destinati. Item plures tenent tonsuram et episcopatum esse ordines. E contra Anacletus, epist. 3, scribit institutos tantum esse a Deo duos ordines, scilicet episcoporum et sacerdotum : « Et amplius, inquit, quam isti duo, nec nobis a Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt » : ergo.

Resp. ad primum, cantores et fossarios quandoque numerari inter clericos, non ratione Ordinis, sed officii ecclesiastici : unde concilium Carthag. IV citatum, can. 10, de Psalmista seu cantore, dicit « quod possit absque scientia episcopi sola jussione presbyteri officium suscipere cantandi. » Idem dicit Isid., l. 2, *de Officiis*, c. 12. Deinde cum cantor nihil addat officio lectoris quam aliquam vocis modulationem, non erat necessarius ordo cantoris distinctus ab ordine lectoris. Fossariis pariter nudum officium sine ordine competere probat Baronius ex Epiphan., ad annum Christi 34 et 44. Ad secundum, dicemus infra. Ad tertium, dato quod hæc epistola sit Anacleti, quod hodie communius negatur, ejus textus refertur truncatus ; non enim dixit simpliciter « duo ordines », sed « duo ordines sacerdotum »; et prius dixerat « ordinem sacerdotum esse bipartitum », scilicet in ordinem episcoporum et presbyterorum ; agebat enim contra quosdam qui primates et patriarchas in altiori ordine collocabant quam episcopos. Cæterum Anacletum plures agnovisse ordines quam episcopatum et presbyteratum, constat tum ex ejus vita in qua legitur ordinasse diaconos, tum ex ejus prima epistola in qua meminit diaconorum et subdiaconorum.

Obj. 2° : Græci numerant tantum quatuor ordines, nempe Presbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum et Lectoratum : ergo. Prob. ant. 1° In eucologio Græcorum apud Goarium, in quo post ordinationem lectorum et cantorum, sequitur ritus ordinationis subdiaconi. 2° Constitutiones Apostolicæ, l. 8, c. 16 et sequentibus, canones Apostolici, liturgia S. Marci, concilium Sardicense, can. 10, synodus octava quæ Photium exauctoravit, quatuor tantum ordines recensent. 3° Clericos a gradu lectoratus ad subdiaconatum ascendere scribunt auctores Græci, S. Joannes Damascenus initio *Decalogi* contra manichæos, Nicetas in vita S. Ignatii Constantinop., Simeon Thessalonicensis in *Dialogo de sacramento Ordinis* : ergo.

Propter hæc argumenta ex Morino, Goario et Martenio collecta, censent quidam recentiores, revera apud Græcos non existere acolytatum, exorcistatum et ostiariatum; at dissentiunt alii, cum quibus,

Resp. neg. ant. Pluribus enim testimoniis constat alios ordines minores, præter lectoratum, extitisse in ecclesia Orientali. 1° S. Ignatius, epist. ad Antiochenos : « Saluto, inquit, sanctum presbyterium, saluto sacros diaconos, saluto subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laborantes, exorcistas, confessores. » 2° S. Dionysius, *de Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 3, præter lectores enumerat alios « quorum nonnulli foribus templi assistunt, cæteri autem aliud quidpiam, quod sit sui ordinis, agunt » ; et quamvis hæc duo a quibusdam reputentur apocrypha, fatentur tamen omnes esse primæ antiquitatis, quod nobis nunc sufficit. 3° Synodus Laodicena, circa annum 321, can. 24 : « Quoniam, inquit, non oportet clericos servientes, a presbyteris usque ad diaconos et deinceps ordinis ecclesiastici omnes usque ad ministros, aut lectores, aut psalmistas, aut exorcistas, aut ostiarios, aut etiam eos qui in proposito continentiæ sunt, tabernas intrare.» 4° S. Epiphanius, in expositione fidei post *Hæresim* 80, post lectores numerat exorcistas, copiatos, id est, fossarios, et janitores; Simeon Thessalonicensis apud Goarium, ante inaugurationem lectoris, numerat ceroferarios seu acolytos, et conqueritur quod eorum ordinatio negligatur ; cum, inquit, sit scripta in antiquis ritualibus et paulo ante in usu erat in ecclesia Thessalonicensi ; Gabriel Philadelphiensis apud Morinum, p. 2, omnes septem Ordines recensent.

Ad hæc respondent adversarii 1° Simeonem Thessal. et Gabrielem Philadelphien. esse junioris ætatis ut fidem faciant contra antiquiora monumenta prius laudata ; 2° exorcistas,

ostiarios et acolytos ab his et aliis auctoribus nominatos, non esse accipiendos de ordinibus, sed de ministeriis in templo exercendis, absque ordinis collatione, sicut constat de cantoribus, fossariis, seu laborantibus, et aliis quos simul nominant.

Sed contra primum : Gabriel Philadelph. in confirmationem suæ sententiæ citat can. septimum Antiochenum et quartum Trullanum ; Simeon autem Thessal. testatur ordinationem acolyti fuisse in usu in sua ecclesia.

Contra secundum : 1° In concilio Trullano laudato a Gabriele Philadelph., legitur : « Si quis episcopus vel presbyter, vel diaconus, vel subdiaconus, vel lector, vel cantor, vel ostiarius cum muliere Deo dicata coierit, deponatur, ut qui Christi sponsæ vitium attulerit ; sin autem laicus, segregetur. » En ostiarius a laicis segregatus et in ordine clericali constitutus. Ex concilio autem Carthag. 4 supra citato habemus cantorem non ordinari. 2° Can. decimus Antiochenus ab eodem Gabriele citatus dicit chorepiscopum non posse « ordinare diaconum et presbyterum, sed posse tantum ordinare subdiaconos, lectores et exorcistas. » En ordinatio exorcistæ quæ permittitur chorepiscopis, sicut ordinatio subdiaconi et lectoris. 3° In eucologio habetur oratio in ordinatione deputati et ceroferari, id est, acolyti ; et Simeon Thessal., ut vidimus, miratur hanc negligi, quæ paulo ante servabatur in sua ecclesia et erat scripta in ritualibus.

His itaque positis, ad testimonia contraria respondemus dupliciter : 1° Ex his non sequitur quod non dentur isti tres inferiores ordines, sed tantum quod in pluribus ecclesiis Orientalibus fuerint omissi, et clerici fuerint per saltum promoti, sive ex negligentia, sive ob merita singularia promovendorum, sicut factum legimus in ecclesia Africana, in qua tamen, fatentibus adversariis, sicut in Romana semper extiterunt septem ordines : S. enim Cyprianus Afer, juxta Simeonem Metaphrastem apud Surium, e lectore factus est subdiaconus ; et juxta Pontium in ejus vita, « ad officium sacerdotii et episcopatus gradum, adhuc neophytus, et, ut probatur, novellus, electus est.

2° Ideo Græci numerant tantum quatuor ordines, non quod alii tres non extent, sed quia non conferuntur distinctis ordinationibus ; acolytatus namque et ostiariatus conferuntur cum subdiaconatu ; exorcistatus autem a recentioribus tantum Græcis negligitur, sed apud alios orientales confertur vel cum diaconatu, vel cum lectoratu. Primum de acolytatu et ostiariatu collatis cum subdiaconatu, probatur ex codicibus Græcis et rituali Maronitarum apud Morinum, et ex auctoribus Græcis suorum rituum peritissimis, Abrahamo Ecchellensi in annotationibus ad canones Nicænos, n. 18 ; Joanne Marone, l. *de Sacerdotio*, cap. 11 et 16; Joanne Dareno, l. *de Hierarchia Ecclesiastica*; Dionysio Barsalibo, qui legi possunt tom. 2 Concil. Labb., pag. 409. Exorcistatum conferri cum diaconatu apud Siros tradunt jam laudati scriptores : Maronitæ autem censent apud ipsos conferri cum lectoratu, quia, in hujus ordinatione, episcopus tradens librum Psalmorum, quo in ecclesia Orientali exorcizantur energumeni, dicit : « Mereatur conculcare serpentes et scorpiones. » Cæterum rem videtur definivisse supremum Ecclesia caput, Benedictus XIV, in jam laudata constit. *Etsi pastoralis*, in qua, n. 7, definit quod clericus Græcus, lector tantum institutus, si a sede Apostolica obtineat ut ritu Latino ad majores ordines ascendat « antequam subdiaconus ordinetur, tres minores ordines omissos debeat ritu Latino suscipere : si vero præter lectoris ordinem ad subdiaconatum etiam ritu Græco ascendit, et ex dispensatione itidem apostolica facultas sibi facta sit cæteros ordines ritu latino suscipiendi, antequam inter diaconos cooptetur, ex minoribus ordinibus exorcistatum tantummodo supplere cogitur, cum per subdiaconatum græco ritu collatum, acolytatum et ostiariatum recepisse censeatur. » Qua definitione habemus acolytatum et ostiariatum apud Græcos cum subdiaconatu conferri, et solum exorcistatum a recentioribus Græcis negligi. Quædam alia argumenta art. sequenti proponentur.

ARTICULUS III.

UTRUM OMNES ORDINES SINT SACRAMENTA ?

Suppono 1° ordines distingui in sacros et non sacros [1] : Sacri, qui et majores, sunt sacerdotium, diaconatus et subdiaconatus; non sacri, qui et minores, sunt alii quatuor, non quod secundum se non sint sacri, cum omnes sint sacramenta, ut jam dicemus, ideoque sacrent animam conferendo gratiam ; sed tres priores dicuntur sacri duplici titulo speciali : 1° quia proprius accedunt ad Eucharistiam, et habent actum circa materiam consecratam, scilicet sacerdotium et diaconatus circa corpus et san-

[1] Supp., q. 37, a. 3, o.

guinem Christi, subdiaconatus circa vasa consecrata; 2° quia eis annexa est continentia et obligatio recitandi horas.

Suppono 2° ut fide certum, sacerdotium esse sacramentum; quia, ut art. 1 probavimus ex definitione Tridentini, et aliis momentis, Ordo est sacramentum; inter ordines autem primum locum tenet sacerdotium. Unde est tantum quæstio de diaconatu, et maxime de subdiaconatu, et minoribus, quam duobus sequentibus §§ expendemus: unde sit

§ I.

Utrum diaconatus sit Sacramentum?

Dico: Diaconatus est sacramentum.

Est ita communis et certa, ut opinionem contrariam Durandi, et Cajetani, theologi plures temeritatis arguant.

Prob.: Ordinatio diaconi est signum sensibile gratiæ permanenter a Christo institutum: ergo est sacramentum. Prob. ant.: 1° Est signum sensibile; fuit enim facta, Act. 6, per impositionem manuum Apostolorum cum oratione, et etiam fit nunc per impositionem manus episcopi, et porrectionem instrumentorum. 2° Est signum sensibile gratiæ, tum quia ad manuum impositionem cum oratione conferebatur gratia, ut vidimus ex Apostolo art. 1,, tum quia episcopus in ordinatione diaconi dicit: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus:* id ei frustra non dicit; sic enim Trid., sess. 23, can. 4, definit: « Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum....., anathema sit. » 3° Est a Deo institutum; quia non erat in Apostolis, nec est in Ecclesia potestas instituendi signa practica gratiæ; et Trid., ibid., can. 6, definit: « Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit. » Sub ministris autem comprehendit ad minus diaconos presbyteris proximiores. 4° Denique est permanenter institutum, ut patet ex constanti et inviolata Ecclesiæ praxi ab Apostolis usque nunc.

Prob. insuper conclusio omnibus argumentis quibus § sequenti probabimus subdiaconatum, et minores ordines esse sacramenta.

Obj. 1°: Septem primi diaconi instituti sunt ad ministrandum mensis, ut habetur Act. 6; ibi enim narratur quod, cum Græci murmurarent adversus Judæos, eo quod eorum viduæ despicerentur in ministerio quotidiano mensarum, quatenus non tantum dabatur eis quantum viduis Judæorum, Apostoli dixerint non esse æquum ut derelinquerent verbum Dei, et ministrarent mensis, et ideo elegerint, atque instituerint septem diaconos, qui istud officium obirent: atqui institutio ad hujusmodi officium civile non est sacramentum: ergo.

Resp. dist. maj. Septem primi diaconi instituti fuerunt ad ministrandum mensis occasionaliter, et per accidens, conc.; per se primo, neg. Alioquin non erat necesse convocare multitudinem, nec singularem curam adhibere, ut eligerentur viri *pleni Spiritu Sancto et sapientia*, neque electis manus imponere cum oratione; hæc enim omnia sunt impertinentia ad officium civile. Sicut ergo, dum, v. g., occasione belli matrimonia ineuntur inter principes, pax inde nata potest dici effectus per accidens, et occasionatus matrimonii, non per se, et primarius; ita similiter quod narratur Act. 6, fuit occasio et effectus per accidens, non per se, et primarius institutionis diaconorum. Confirm. hæc responsio, 1° ex muniis sacris, quæ statim Stephanus et Philippus instituti diaconi obierunt. Primus, eodem capite, tanta animi fortitudine annuntiavit Christum Judæis, ut ab eis fuerit lapidatus. Secundus, cap. subsequente, Christum Samaritanis evangelizavit, et inde missus ab angelo eunuchum Candacis reginæ fide imbuit et baptizavit. 2° Diaconi instituti erant, ubi fideles non agebant vitam communem, nec ideo opus erat ministris ad mensas; ad Philippenses cap, 1, v. 1 et 1 ad Timoth., cap. 3, v. 8 et 12.

Inst. 1°: Nulla videtur ratio, seu necessitas occasione ministerii civilis instituendi ministros sacros: ergo.

Resp. Esto non fuerit necessitas absoluta, fuit necessitas secundum quid, et ad melius esse, 1° ut ministri, per sacrum ordinem in dignitate constituti, majori pollerent auctoritate inter fideles, sicque facilius et efficacius istud ministerium implerent; 2° quia non præficiebantur tantum communi mensæ, sed etiam mensæ eucharisticæ, quæ tunc regulariter comitabatur mensam communem; 3° quia eis committebatur dispensatio collectarum quæ fiebant diebus dominicis in ecclesia: congruum autem erat ut ii addicerentur altari.

Inst. 2° : S. Hieronymus, epist. ad Evangelum, vocat diaconos mensarum ministros : « Quis patiatur, inquit, mensarum et viduarum minister, supra eos tumidus se efferat,ad quorum preces corpus Christi, sanguisque efficitur » ? ergo.

Resp. S. Hieronymum voluisse duntaxat deprimere quorumdam diaconorum insolentiam, qui se presbyteris coæquabant, et ideo objicit eis vile officium, quo olim functi fuerant, et cujus occasione fuerant instituti. Non ignorabat autem sacrum eorum ministerium, siquidem in fine ejusdem epistolæ,dicit eis convenire sacrum ministerium,et eos esse in Ecclesia Christi, quod erant levitæ in antiqua lege. Et contra Vigilantium, cap. 1 , vocat diaconatum , sacramentum ; ibi enim reprehendens quosdam episcopos, qui non ordinabant diaconos, nisi prius uxores duxissent, usurpat hæc verba : « Sacramenta non tribuunt. »

Inst. 3° : Concilium Trullanum, seu Quinisextum, can. 16, prolatis quæ leguntur Act. 6 dicit : « Hæc interpretans Ecclesiæ Doctor S. Joannes Chrysostomus sic prosequitur..... Quamnam autem habebant hi (diaconi) auctoritatem, et quam acceperunt ordinationem scire necessarium est. Numquid diaconorum? Atqui hoc non est in ecclesiis. An presbyterorum dispensatio ? Atqui nullus adhuc erat episcopus, sed soli Apostoli : unde nec diaconorum, nec presbyterorum nomen existimo apertum esse ac manifestum.» Quibus verbis prolatis subjicit synodus : « Propter hæc ergo nos quoque prædicamus, ut prædicti septem diaconi non de iis accipiantur, qui mysteriis serviunt, ut est prius exposita doctrina ; sed eos esse quibus fuit concredita, ac tradita dispensatio communi eorum usui, qui tunc collecti fuerant» : ergo.

Resp. 1° ex hoc argumento, si quid valeret, inferri S. Chrysostomum negasse presbyteros et episcopos fuisse ab initio Ecclesiæ, quod est prorsus improbabile. Sed directe

Resp. 2° verba S. Chrysostomi non integre referri a synodo ; sic enim S. Doctor absolvit suam propositionem : « Unde nec diaconorum, nec presbyterorum nomen existimo apertum esse ac manifestum; *sed interea ad hoc fuerunt ordinati.* » Vult ergo S. Chrysostomus non fuisse tunc apertum discrimen inter episcopos, presbyteros et diaconos, quantum ad nomen, omnesque appellatos fuisse sacros ministros, quamvis interea ad distincta illorum munia fuerint ordinati. Quæ igitur synodus Trullana infert, ac statuit ex verbis S. Chrysostomi adulteratis, nullius sunt ponderis ; et aliunde hujus auctoritas non recepitur in Ecclesia.

Obj. 2° : S. Cyprianus, epist. 65 ad Rogatianum, dicit ; « Meminisse autem diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, episcopos et præpositos Dominus elegit ; diaconos autem, post ascensum Domini in cœlos, Apostoli constituerunt episcopatus sui et Ecclesiæ ministros » : ergo diaconatus non est institutionis divinæ, ideoque nec sacramentum.

Resp. neg. conseq. Non enim dicit S. Cyprianus Christum non instituisse diaconatum, sed non elegisse seu consecrasse per se immediate diaconos, sicut consecraverat Apostolos : sic autem loquitur S. Cyprianus, ut coerceret audaciam alicujus diaconi qui Rogatianum contumeliis affecerat.

Obj. 3° : Sacramentum non confertur ad tempus : atqui diaconatus confertur ad tempus, ut patet ex Vigilio papa, epist. ad Rusticum et Sebastianum, quæ legitur, collat. 7 concilii generalis 5, ubi pontifex alloquens Sebastianum dicit : « Absentibus filiis nostris diaconis , Anatolio atque Stephano, a nobis postulasti, ut ad tempus pro implendo officio, absentium loco, diaconum te interim faceremus : quod ideo tibi ad præsens speranti concessimus » : ergo.

Resp. neg. min. Vigilius enim non loquitur ibi de charactere et potestate interiori diaconatus, sed de honore, gradu et officio diaconi cardinalis, ad quæ Sebastianus jam diaconus erat assumptus in locum Anatolii et Stephani absentium.

§ II.

Utrum subdiaconatus et quatuor minores ordines sint sacramenta.

Dico : Subdiaconatus et quatuor ordines minores sunt sacramenta. [1] Quamvis hæc conclusio non sit tam certa quam precedens, est tamen communior et probabilior.

Prob. 1° ex conciliis Florentino et Trid. Florentinum in decreto Unionis definit Ordinem in genere esse sacramentum : « Sextum sacramentum, inquit, est Ordinis » : sub Ordine autem tanquam sub genere ponit presbyteratum, diaconatum, subdiaconatum et reliquos : ergo hi omnes ordines sunt sacramenta, species enim participat rationem generis.

[1] Ib. q. 37, a. 2. et 3, 0.

Tridentinum, sess. 23, cap. 2, dicit esse septem ordines, singulos nominando ; et cap. 3, declarat per sacram ordinationem conferri gratiam, et Ordinem esse vere sacramentum, quod intelligi debet de quacumque ordinatione et de quocumque ordine , cum propositio indefinita in materia dogmatica æquivaleat universali. Item can. 2, definit «præter sacerdotium esse in Ecclesia catholica alios ordines et majores et minores, per quos, veluti per gradus quosdam, in sacerdotium accedatur.» Et can. 3 immediate sequenti, definit pariter sine ulla limitatione, « Ordinem sive sacram ordinationem esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum » : ergo idem quod prius. Denique, can. 6, definit in ecclesia esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris, quos scilicet designaverat cap. 2 : ergo.

Prob. 2° : Isti quinque ordines traduntur per signum exterius collativum characteris et gratiæ : ergo sunt sacramenta. De signo exteriori constat. Prob. de impressione characteris. 1° Est expressa auctoritas D. Th., q. 35, a. 2, 0. 2° Ex pontificali Romano, tit. de Ordinibus conferendis, ubi dicitur : « Moneat episcopus ordinandos , ut tangant instrumenta quibus character imprimitur. » 3° Per quemlibet istorum ordinum aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinatæ ad sacramentorum dispensationem, quod est proprium characteris. 4° Denique isti ordines sunt initerabiles ; id autem non habent nisi ex charactere indelebili. Neque dicas consecrationem templorum non iterari, licet tamen non imprimat characterem ; inde enim potius roboratur ratio facta ; nam ideo templa semel consecrata iterum non consecrantur , quia chrismatio tribuit permanentem et indelebilem consecrationem : ergo similiter semel ordinati iterum non ordinantur , quia ordinatio imprimit aliquid indelebile in ordinato. Prob. de collatione gratiæ, 1° quia, posito uno effectu sacramentali, qualis est character, alter, qui est gratia, sequitur, nisi obstet indispositio suscipientis ; 2° quia Florentinum, in decreto Unionis , dicit quod effectus Ordinis generice sumpti sit « augmentum gratiæ. »

Confirm. 1° : Si isti quinque ordines non essent sacramenta imprimentia characterem, sed officia seu ministeria simplicia, ut sunt officia sacristarum , cantorum et similium, non esset ratio cur per excommunicationem aut depositionem non amitterentur et ordinati ad statum laicalem non reducerentur, atque postea absoluti iterum non ordinarentur ; sicut contingit in officiis simplicibus. Item non esset ratio cur septem tantum numerarentur.

Confirm. 2° : Isti quinque ordines dicuntur conferri per ordinationem : unde concilium Carthag. 4, a canone 2 ad 9, dicit de subdiacono, acolytho et aliis minoristis, sicut de presbytero et diacono : « Ordinatur » ; canone autem 10 et 11, ubi agit de psalmista et de consecratione monialis, abstinet a verbo ordinationis : porro ordinatio sic distincte notata pro omnibus ordinibus nihil aliud videtur significare quam veri sacramenti collationem.

Obj. 1° : Neque in Evangelio, neque in Scriptis Apostolorum ulla fit mentio istorum quinque ordinum : ergo non sunt institutionis divinæ, sed ecclesiasticæ, consequenter nec sacramenta. Unde Gratianus, in Proœmio, dist. 21, dicit : « Levitas ab Apostolis ordinatos legimus, subdiaconos et acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit. »

Resp. neg. conseq.; [1] non enim ideo non fit mentio de istis ordinibus in Evangelio aut scriptis Apostolorum, quia non erant instituti a Christo; sed quia, propter paucitatem fidelium et ministrorum, illorum ministeria committebantur tunc diaconis. At, crescente numero fidelium, non longe post primordia Ecclesiæ, ministeria, quæ erant separabilia, diversis personis fuerunt distributa. Ita expresse S. Dionysius, cap. 3 *Cœlestis Hierarchiæ*. Hoc sensu intelligendus est Gratianus; aut si quid aliud intendat, ejus auctoritate, quæ est parvi ponderis, non movemur.

Inst. 1°: Urbanus II, in synodo Beneventana, relatus d. 60, cap. *Nullus*, dicit : « Sacros ordines dicimus diaconatum et presbyteratum ; hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia : » ergo.

Resp. huic instantiæ posse præcedentem solutionem adhiberi. Communior tamen responsio est quod Urbanus loquatur de ordinibus sacris tantum. Subdiaconatus autem non habebatur olim sacer, saltem sicut presbyteratus et diaconatus, 1° quia non exprimitur in S. Scripturis ; 2° quia illi non erat annexa lex continentiæ ; 3° quia subdiaconus non habebatur capax qui eligeretur in episcopum. Hanc esse mentem Urbani constat ex Innocentio III, cap. *A multis*, Extra. lib. 1, tit. 14, ubi relatis verbis Urbani dicit : « Urbanus ad

[1] Ib. q. 2, ad 2.

statum primitivæ Ecclesiæ se referens, in quo subdiaconatus ordo sacer minime dicebatur. etc. »

Inst. 2° : S. Clemens, aut quisquis auctor Constitut. Apostol., l. 8, dicit quod exorcista non ordinetur ; et Socrates, l. 9 *Hist. tripartitæ*, cap. 38, dicit Alexandriæ lectores indifferenter fieri ex christianis et catechumenis : catechumeni autem non sunt capaces sacramenti Ordinis : ergo.

Ad primum : Resp. 1° Constitutiones Apostolicas in multis esse vitiatas, ut omnibus compertum est, etiam in præsenti materia ; dicit enim eod. lib., c. 19, diaconissas ordinari per impositionem manuum, cum tamen contrarium statuat concilium Nicænum I, can. 19. 2° Ibi sermo est de eo qui acceperat gratiam liberandi energumenos ex spontanea Dei benevolentia et gratia, ut ibid. dicitur : hunc autem ordinari non erat necesse. Ad secundum: Socrates loquitur de iis qui assumebantur ad exercendum officium lectoris absque ordinatione.

Obj. 2° plura simul : 1° Officia minorum ordinum exercentur a laicis : non est ergo necesse ut aliqui ad hæc, adhibito sacramento, initientur. 2° Omnes minores ordines referuntur ad Eucharistiam, sicut catechismi et exorcismi ad Baptismum : hi autem non sunt sacramenta : ergo nec illi. 3° Legitur S. Chrysostomum, S. Gregorium Nazian., Theodoretum, Paulinianum fratrem S. Hieronymi et alios fuisse promotos ad majores ordines, prætermissis minoribus. 4° Minores ordines possunt conferri per abbates et simplices sacerdotes. 5° Denique si minores ordines essent sacramenta, erunt tredecim sacramenta : ergo.

Resp. ad primum, laicos exercere officia minorum ordinum [1], sed non ex officio, sicut ea exercent minoristæ, qui ad hæc potestatem et auctoritatem habent ex sua ordinatione : sic ad sacerdotem pertinet baptizare ex officio, quamvis id alii præstare possint ; sic iterum potest dici missa in domo non consecrata, et tamen consecratio ecclesiæ ad hoc ordinatur, ut in ea missa possit dici.

Ad secundum, neg. ant. Disparitas est quod catechismi et exorcismi sint meræ dispositiones ad Baptismum ; at minores ordines, ultra quod disponant ad sacerdotium, habent effectus sibi proprios ; conferunt enim potestatem spiritualem, imprimunt characterem, et clericos a laicis separatos in statu digniori constituunt.

[1] Ib a 4, ad 9.

Ad tertium : Si hoc argumentum valeret, sequeretur quod nec diaconatus esset sacramentum ; refert enim Morinus, l. de *Sacris Ordinationibus*, parte 3, plures et speciatim S. Austrigesilum, archiepiscopum Bituricensem, prætermisso diaconatu promotum fuisse ad sacerdotium. Idem refert Theodoretus in *Hist. Religiosa de Macedonio*, Acepsima et Salamane. Itaque id est intelligendum vel quatenus non servatis interstitiis eodem die minores ordines cum majoribus susceperint, vel quod eorum officia ante susceptionem superioris ordinis non exercuerint, vel tandem quod ob singulare meritum, aut aliquam aliam gravem causam, per saltum fuerint ordinati.

Ad quartum, neg. conseq. Ex antecedente enim sequitur tantum quod simplex sacerdos possit esse minister extraordinarius minorum ordinum, sicut diximus de ministro Confirmationis ; quod non negamus. Sed de hoc infra.

Ad quintum, neg. sequelam ant. Quia septem ordines sic sunt sacramenta ut sex ordinentur ad unum, scilicet ad sacerdotium cui deserviunt et quod participant : unde ratione hujus ordinis seu relationis omnes dicuntur unum sacramentum. Vel juxta alios, omnes septem ordines sunt unum sacramentum specie subalterna quæ subdividitur in plures species infimas : cum autem numerantur septem sacramenta, intelliguntur species, quæ proxime subjiciuntur sacramento ut sic, sive illæ species sint subalternæ sive athomæ.

Ex dictis colliges omnes ordines fuisse a Christo institutos ; quia hoc ipso quod sunt sacramenta, non habent alium auctorem præter Christum, ut probavimus de Sacramentis in communi. Id etiam suadetur ex eo quod sint in Ecclesia vetustissimi, nec eorum initium assignari possit, neque verisimile sit quod Christus ea quæ pertinent ad sacra mysteria et ad hierarchiam ecclesiasticam non instituerit.

Quandonam autem instituit, incertum est. Probabiliter dicitur eos instituisse, vel in ultima cœna quando Apostolos ordinavit sacerdotes ; vel eo tempore quo post resurrectionem cum Apostolis conversatus est, loquens de regno Dei et suam Ecclesiam formans.

ARTICULUS IV.

DE TONSURA CLERICALI.

Per tonsuram hic non intelligitur quæcumque capillorum tonsura seu rasura, sed ea quæ

fit in modum coronæ: unde etiam dicitur corona.

Petes 1° utrum tonsura sit ordo?

Resp. negative[1], sed est tantum præparatio ad ordines. Ita communiter theologi cum Auctore contra Fagnanum et quosdam alios canonistas.

Prob. 1° : Concilium Trid., sess. 23, cap. 2, dicit « plures ac diversos ordines ita distribui ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. » Quibus verbis supponit, ut patet, tonsuram esse præviam ad ordines,seu,ut dicit Auctor, « præambulam ad Ordinem » suscipiendum. Idem concilium ibid., cap. 6 de Reformat., distinguit tonsuram ab ordinibus dum dicit : « Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere.» Unde ejusdem concilii Catechismus, p. 2, cap. 7, n. 13, dicit « clericalem tonsuram quamdam præparationem esse ad ordines accipiendos : ut enim homines ad Baptismum exorcismis, ad Matrimonium sponsalibus præparari solent; ita cum tonso capillo Deo dedicantur, tanquam aditus ad Ordinis sacramentum illis aperitur. »

Confirm. : In concilio Carthag. 4, in antiquis pontificalibus et in lib. *Sacram.* S. Gregorii, omnes ordinationes incipiunt ab ostiariatu, nec ullibi legitur tonsura inter ordines recensita ; quod est manifestum indicium eam pro ordine non haberi in Ecclesia.

Prob. 2° ratione : Nulla per tonsuram spiritualis potestas confertur, sed tantum aliquis deputatur ad decantandum præ cæteris divinas laudes, ad quod non requiritur spiritualis potestas, cum istud ministerium sit commune omnibus ministris, nec pertineat peculiari titulo ad Eucharistiam : ergo. Neque obstat quod tonsurati possint excommunicare, suspendere, etc., quia hi actus non pertinent ad potestatem ordinis, sed jurisdictionis.

Dices: 1° Innocentius III, cap. *Cum contingat*, Extra. l. 1, tit. 14, dicit quod per tonsuram clericalis ordo conferatur. 2° Tonsura initiati, aliquando degradantur, ut constat ex pontificali Rom., 3. p de forma degradationis, et ex cap. *Degradatio*, de Pœnit. in 6. 3° Sixtus V, constit. *Sanctum et salutare*, tribuit tonsuræ characterem clericalem : ergo.

Resp. ad primum, Innocentium sumere ordinem in latiori significatione pro statu quo clerici præeminent laicis, non pro Ordine ut est sacramentum et confert spiritualem potestatem. Ad secundum: Tonsurati degradantur ab habitu, officio et privilegiis status, non a sacramento et charactere quo carent. Ad tertium: Sixtus sumit characterem non pro interna et spirituali potestate, sed pro signo exteriori, scilicet detonsione capillorum, quo tonsurati secernuntur a laicis et quæ a Græcis vocatur « character tonsuræ. »

Inst. : In forma degradationis tonsurati a pontificali præscripta, episcopus sic loquitur : « Exuimus te ordine, beneficio et privilegio clericali » : ergo.

Resp. per ordinem intelligi, ut jam dixi, statum seu gradum, a quo dejectus tonsuratus reducitur ad statum laicalem ; non vero ordinem proprie dictum, a quo, siquidem sit indelebilis, nemo potest exui.

Petes 2° quæ sit antiquitas tonsuræ clericalis ?

Resp. inter varias opiniones eam videri probabiliorem, quæ hunc ritum refert ad ætatem Apostolorum.

Prob. Anicetus papa, secundo sæculo, relatus d. 23, cap. 2, in epistola ad episcopos Galliæ scribit : « Prohibete, fratres, per universas vestrarum regionum ecclesias, ut clerici juxta Apostolum comam non nutriant, sed desuper caput in modum spheræ radant. » Et quamvis forte hæc decretalis non sit Aniceti, est tamen antiquissima, cum de ea fiat mentio in vetustissimis pontificum catalogis apud Anastasium, p. 2. Sidonius Appollinaris, circa medium quinti sæculi, l. 4, epist. 13, de Germanico episcopo scribit : « Vestis adstricta, tonsus cothurnus, crinis in rotæ speciem accisus. » Gregorius Turonensis, sexto sæculo, l. 1 de *Gloria Martyrum*, cap. 27, ait Petrum Apostolum instituisse « ut caput desuper tonderetur. » S. Isidorus, sub initium septimi sæculi, l. 2 de *Officiis Ecclesiasticis*, cap. 2, ait : « Quod vero de tonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur, sacerdotium regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari. » Concilium Toletanum quartum anno 633, can. 41 : « Omnes clerici, inquit, detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant. » Venerabilis Beda, initio octavi sæculi, l. 4 *Hist. Anglorum*, cap. 1, et l. 5, cap. 22; Rabanus Maurus, circa medium noni sæculi, lib. 1 de *Instit. Clericorum*, cap. 3, idem adstruunt.

Confirm. ab universali et constanti Ecclesiæ praxi, cujus initium non invenitur : « Quod enim, inquit S. Augustinus contra donatistas,

[1] Supp. q. 40, a. 2, o.

universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper custoditum invenitur, non nisi ab Apostolis traditum rectissime creditur. »

Observandum tamen aliquam fuisse varietatem quoad modum tonsuræ coronatæ. Orientales, non novacula, sed forcipe totum fere occipitium, et magnam partem sincipitis tondebant, ita ut cutis non appareret, ne assimilarentur sacerdotibus Isidis et Serapidis qui omnes omnino crines radebant : unde S. Hieronymus, in cap. 44 Ezechielis, tonsuram Orientalium describens, dicit sacerdotes non debere incedere « rasis capitibus, sicut sacerdotes Isidis atque Serapidis, nec rursum comam dimittere, nec ita ad pressum tondendum caput, ut aperta sit cutis. » Concilium Tolet. proxime citatum jubet ut « omnes clerici, detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant » ; quia, ut ibidem dicitur, hæretici in Hispaniis prolixas comas gerebant, et in solo capitis apice modicum circulum tondebant. In Galliis vero et alibi, juxta decretalem Aniceti, clerici desuper caput in modum coronæ tondebant, relictis aliis capillis, ut etiam nunc observatur.

Dices cum Juenin et Tournely : 1° Hegesippus apud Eusebium, l. 2 *Hist.*, cap. 23, dicit quod S. Jacobus Apostolus « nunquam comam totondit. » 2° Si quatuor primis sæculis, quando fervebat persecutio, clerici habuissent tonsuram, eo signo facile deprehendi potuissent et morti addici : non videtur autem verisimile Ecclesiam in tam evidens periculum suos conjicere : ergo.

Resp. ad primum, sensum non esse S. Jacobum non fuisse tonsum, sed non fuisse rasum novacula; sic enim fert phrasis græca : « Novacula super caput ejus non ascendit. »

Ad secundum: Favet equidem opinioni contrariæ ; at non sat infringit testimonia a nobis producta, potestque responderi, quod cum tunc non esset necesse amplam coronam deferre, nec verticem nudatum habere, non ita facile inde ethnici poterant clericos dignoscere. Cæterum non negamus aliquos hoc indicio deprehensos ; legimus enim in Actis ecclesiæ Divionensis apud Martenium, S. Benignum presbyterum, S. Polycarpi discipulum, agnitum fuisse a Terentio comite, ex tonsi capitis corona. Baronius, ad annum 58, n. 128, probat ex lib. 12 Ammiani Marcellini, tempore Juliani Apostatæ, quemdam Theodorum presbyterum fuisse ab ethnicis supplicio affectum, eo quod tondendo pueros, eos in clericos cooptaret. Et hæc confirmant conclusionem nostram.

Petes 3° quæ fuerit causa seu ratio hujus ritus in Ecclesia?

Resp. varias a variis adduci. [1] Probabiliores nobis videntur quas profert Auctor. Prima est ut per tonsuram in modum coronæ seu circuli, quæ est signum regni et perfectionis, significetur clericos esse eminentia status a laicis sejunctos, et debere esse in virtute perfectos. Secunda, ut per substractionem capillorum, qui sunt superfluitates corporis, moneantur clerici temporalium curas superfluas resecare, et spiritualibus inhærere.

Petes 4° utrum omnes clerici teneantur deferre tonsuram?

Resp. affirmative : Quia est lex ecclesiastica, cap. *Clerici*, et cap. *Si quis*, d. 23; observat tamen Sylvius clericos primæ tonsuræ, aut minorum ordinum sine beneficio, non videri hac lege adstrictos, sed solos clericos majorum ordinum, et alios beneficiatos; sic enim videtur usu receptum. Addit laudatus theologus, nec istos facile judicandos peccare mortaliter ex eo quod tonsuram non gestent, nisi vel notabili admodum tempore id faciant, vel post serias ab ordinario admonitiones.

Petes 5° utrum omnes tonsurati gaudeant privilegiis clericalibus ?

Triplex distingui debet privilegium clericale : Unum quod dicitur privilegium fori, quo eximuntur clerici a jurisdictione sæculari. Secundum est privilegium immunitatis a tributis. Tertium dicitur privilegium canonis quo excommunicantur percutientes clericum. Hac distinctione posita,

Resp. quantum ad primum, ex concilio Trid., sess. 23, cap. 6 de Reform., quod prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus « fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens, alicui ecclesiæ ex mandato episcopi inserviat, vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola vel universitate, de licentia episcopi, quasi in via ad majores suscipiendos, versetur. » Cum autem privilegium fori secum trahat immunitatem a tributis ; nam tributum solvere est signum subjectionis : hinc qui gaudet privilegio fori, gaudet immunitate ; et e contra qui privatur privilegio fori, privatur privilegio immunitatis. Et ideo qui non servant conditiones prædicti canonis Tridentini, privantur etiam privilegio immunitatis : ita

[1] Ibid. a. 1, o.

Layman, l. 4 tract. 9, c. 7, n. 3, post plures alios. Et quamvis quidam contradicant, attento præcise canone, fatentur tamen sic esse ex consuetudine recepta, non contradicente Summo Pontifice.

Quantum ad privilegium canonis: Quamvis non exprimatur in decreto Tridentini, quidam tamen ex consequenti idem censent ac de privilegio fori; quia qui gaudent privilegio canonis gaudent privilegio fori; utrumque enim conceditur personis, quia sacræ sunt. Qui vero non servant prædicti decreti conditiones, non gaudent privilegio fori : ergo nec canonis. Ita Andreas a Matre Dei, tract. 8, de Ordine, cap. 7, puncto 5, n. 59, post Suarem, Layman, et alios.

Circa vero præsens Tridentini decretum observandum est 1° quod sub disjunctione dicat : « Nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens alicui ecclesiæ ex mandato episcopi inserviat. » Ex quo plures inferunt, quod si beneficium quantumvis tenue possideat, etsi ecclesiæ non inserviat, gaudeat privilegio fori. Ita prælaudatus theologus cum pluribus aliis.

Observant 2° theologi circa has particulas : « Aut clericalem habitum et tonsuram deferens », τὸ *et* non sumi copulative, sed disjunctive prout æquivalet *vel;* sicut cum dicit Petrus Act. 3 : *Argentum et aurum non est mihi*, id est, argentum vel aurum ; ita ut sufficiat alterutrum deferre, ut non amittatur privilegium. Sic Barbosa, *Allegat.* 12, n. 21, de officio et potestate episcopi, intelligit eamdem expressionem de eodem casu in cap. *Si Judex* de Sentent. excommunic. in 6.

Observandum 3° clericum minoribus initiatum non statim privilegium amittere, si semel aut iterum habitum, seu tonsuram clericalem deferre omiserit, sed tantum si id in consuetudine habuerit; nec jure novo Tridentini trina admonitio episcopi requiritur, ut privilegium amittat, licet antiquo jure requireretur.

Observandum 4° mandatum seu licentiam episcopi requisitam ad serviendum alicui ecclesiæ, aut ad studendum in aliqua schola, debere esse expressam, sive scripto, sive verbo traditam, modo possit probari ; quia quæ sunt de forma substantiali actus, debent esse expressa : ita Barbosa, *Allegat.* cit. 12, n. 13.

Quantum ad clericos conjugatos, definit Tridentinum eodem cap. 6, quod, si cum unicis et virginibus contraxerint, habitum et tonsuram clericalem deferentes, alicujus ecclesiæ servitio, in spiritualibus scilicet, sint ab episcopo deputati, gaudeant privilegio fori et canonis.

Petes 6° quæ sint dispositiones requisitæ ad tonsuram ?

Resp. verbis Tridentini, sess. citata 23, cap. 4 de Reformat : « Prima tonsura non initientur, qui sacramentum Confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse. »

DISSERTATIO II.

De materia et forma singulorum ordinum.

ARTICULUS I.

QUÆ SIT MATERIA ET FORMA PRESBYTERATUS ?

Ritus ordinandi presbyterum in ecclesia Latina hic est : 1° Episcopus nihil dicendo, imponit ambas manus super caput ordinandi; idem præstant sacerdotes adstantes 2° Et statim tam episcopus quam sacerdotes tenent manus extensas super caput ordinandi, et episcopus dicit: «Oremus, fratres charissimi», etc., prout habetur in pontificali Romano.

3° Imponit illi stolam et casulam, et ungit ejus manus oleo catechumenorum. 4° Tradit illi calicem cum vino et aqua, et patenam superpositam cum pane, dicens : « Accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis et mortuis, in nomine Patris, etc. » 5° Peragitur missæ sacrificium, et ordinatus una cum episcopo verba consecrationis pronuntiat. 6° Post communionem episcopus solus utramque manum ejus capiti imponit dicens : « Accipe Spiritum Sanctum ; quorum remiseris peccata, remittuntur eis; quorum retinueris, retenta sunt. »

Apud Græcos vero sic ordinantur presbyteri : 1° Episcopus caput ordinandi ter signo crucis obsignat. 2° Tenens manum dextram super caput ejus, dicit: « Divina gratia quæ semper infirma curat, et ea quæ desunt adimplet, promovet N. venerabilem diaconum in presbyterum. Oremus pro eo, ut veniat super eum gratia Spiritus Sancti. » 3° Iterum ter eum signat orando. 4° Induit illum casula. 5° Sub tempus consecrationis, porrigit illi panem vel consecratum secundum quosdam, vel consecrandum juxta alios. In hoc autem ritu, ut patet, nihil habetur de porrectione calicis cum vino, et patenæ cum pane ; sed sacerdos est complete ordinatus per impositionem manus dextræ episcopi cum dicta forma : « Divina gratia » etc.

Ex hac diversitate nascitur gravis controversia, quæ sit materia et forma essentialis presbyteratus. Quidam volunt esse solam primam manuum impositionem, juxta aliquos secundam, juxta alios tertiam cum forma adjuncta ; porrectionem autem instrumentorum esse materiam integrantem tantum. Pro hac sententia citantur S. Bonaventura, Durandus, Morinus, Goarius, Menardus, uterque Habert, Juenin, Witasse, Tournely, etc. Quidam e contra tenent materiam essentialem esse solam porrectionem instrumentorum cum forma comitante ; impositionem autem manuum esse tantum de integritate. Ita Capreolus, Dominicus Soto, Vasques, Gonet, etc. Alii denique statuunt duplicem materiam partialem, scilicet porrectionem instrumentorum, et impositionem manuum, et duplicem formam partialem, scilicet verba cuilibet materiæ correspondentia. Ita Petrus Soto, cardinalis Hosius, Martinus Ledesma, Estius, Bellarminus, Sylvius ; ex recentioribus Platel, Henno, Steyart, Boudart, Piette, Daelman, etc. : ita ut nunc videatur communior, estque nobis probabilior.

Omitto quorumdam opinionem qui, volentes has diversas sententias conciliare, putant in impositione manuum contineri implicite porrectionem instrumentorum, et in porrectione instrumentorum impositionem manuum, eo potissimum quod utraque fiat per manum quæ est organum organorum ; at hac ratione Baptismus et Extrema-Unctio erunt impositio manuum et porrectio instrumentorum; similiter quidquid fit per manus. Omissa itaque hac opinione ut minus fundata,

Dico 1° : Materia et forma essentialis presbyteratus apud Latinos est calicis cum vino, et patenæ cum pane traditio cum his verbis : « Accipe potestatem », etc., et impositio tertia manuum cum his verbis : « Accipe Spiritum Sanctum », etc.; ita ut sint duæ materiæ et duæ formæ partiales, ex quibus una totalis constituitur.

Prob. prima pars de porrectione instrumentorum. 1° Ex concilio Florentino in decreto Unionis ubi dicit : « Sextum sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud per cujus traditionem confertur Ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenæ cum pane porrectionem. » Et mox : « Forma sacerdotii talis est : Accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis et mortuis in nomine Patris, etc. » Absurdum autem foret dicere concilium intellexisse de materia et forma accidentali, et siluisse de essentiali, in decreto edito pro instructione Armenorum; id sane non fuisset illos instruere, sed decipere. Aliunde cum concilium assignat materiam et formam aliorum sacramentorum, non intelligit accidentalem, sed essentialem; cur aliter intelligeret in hoc sacramento ?

2° Hæc sancta synodus desumpsit ex Angelico Doctore, *Opusc.* 5, cujus sunt ferme eadem verba. Idem S. Doctor docet hic q. 37, a. 5, dicens : « Quia principalis actus sacerdotis est consecrare corpus et sanguinem Christi, ideo, in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata, character sacerdotalis imprimitur. »

3° Nihil est in toto ritu latino per quod expressius significatur potestas spiritualis sacerdotum, quæ est præcipue in corpus Christi naturale, quam porrectio dicta cum forma adjuncta : istud autem censeri debet materia et forma sacramenti, quod est signum expressum et sensibile principalis ejus effectus.

4° Ante instrumentorum porrectionem et hæc verba : Accipe potestatem, etc., cantatur Veni Creator, et canditati vocantur ordinandi :

post vero vocantur ordinati, et in signum acceptæ potestatis pronuntiant cum episcopo verba consecrationis : ergo.

Prob. secunda pars, de impositione manuum. 1° Ex concilio Carthag. 4, can. 3; ex constanti et perpetuo usu ecclesiæ Græcæ et Latinæ, quæ semper adhibuit manuum impositionem; et ex concilio Trid., sess. 14, cap. 3, ubi loquens de Extremæ-Unctionis ministro, dicit esse episcopos aut sacerdotes rite ordinatos, per impositionem manuum presbyterii ; denique ex D. Thoma qui 3 p., q. 84, a. 4, o, reddit rationem cur in sacramento Pœnitentiæ et Baptismi non requiratur manuum impositio, requiratur autem in sacramento Confirmationis et Ordinis : « Quia, inquit, impositio manuum in sacramentis Ecclesiæ fit ad significandum aliquem copiosum gratiæ effectum, quo illi, quibus manus imponuntur, quodammodo per quamdam similitudinem continuantur ministris, in quibus copia gratiæ esse debet; et ideo manus impositio fit in sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti, et in sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis in divinis mysteriis : unde et 2 ad Timoth. 1 : Resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. »

2° Nihil habemus quo probemus ex S. Scripturis contra hæreticos Ordinem esse sacramentum, quam impositionem manuum quæ in eis refertur : ergo est essentialis sacramento; alioquin inefficax est nostrum argumentum. Neque dicas cum Gonet. porrectionem instrumentorum non esse ritum formaliter, sed materialiter tantum, diversum ab impositione manuum : esto id nos concedamus, non concedent hæretici, sicque ipsos inefficaciter ex S. Scripturis urgebimus.

3° Impositio manuum sub ista forma : *Accipe Spiritum Sanctum*, etc., est signum practicum gratiæ : ergo sacramentum. Prob. ant. ex Trid., sess. 23, can 4, ubi ferit anathemate « qui dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra dicere episcopos: Accipe Spiritum Sanctum » : ergo.

Prob. et simul explicatur tota conclusio : Duplex potestas confertur sacerdoti in sua ordinatione : una in corpus Christi verum ad illud consecrandum ; altera in corpus Christi mysticum ad illud pascendum et judicandum in foro interiori : unde quamvis sacerdos ut sic, abstrahendo ab hoc vel illo statu, sit tantum ad sacrificandum, sacerdos tamen novæ legis et prout est a Christo institutus, est ad sacrificandum et judicandum, sicque est simul sacrificator et judex ; nec potest esse perfectus et completus sacerdos novæ legis nisi per utramque potestatem atqui per porrectionem instrumentorum cum hac forma :Accipe potestatem, etc., confertur prima potestas ; et per impositionem manuum cum hac forma : *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata*, etc., confertur secunda : ergo.

Neque dici potest secundam conferri in prima, aut vice versa, tum quia, neque ex parte sacramenti, neque ex naturali concomitantia sunt inter se connexæ, sed sunt potestates omnino diversæ; tum quia una non significatur per materiam et formam alterius, sacramenta autem non conferunt effectum quem non significant ; [1] tum denique Christus ipse has potestates seorsim et diverso tempore contulit ; potestatem enim consecrandi contulit in ultima cœna ; potestatem autem remittendi peccata post resurrectionem, dum insufflando in discipulos, ait illis : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata*, etc.

Dico 2° : Materia et forma presbyteratus apud Græcos est sola impositio manuum cum his verbis : *Divina gratia* etc., ut supra.

Prob. Certum est ex omnibus eucologiis et omnium consensu Græcos nunquam adhibuisse, neque nunc adhibere, ad ordinationem presbyteri, instrumentorum porrectionem, sed solam manuum impositionem cum verbis citatis ; et tamen non est minus certum validas esse, apud illos, presbyterorum ordinationes , cum Ecclesia nunquam illas improbaverit, quinimo permittat eas hoc ritu fieri Romæ, sicque ordinatos missam facere nobis audientibus, quod esset idololatria, si non essent vere ordinati ; nec in concilio Florent. de earum validitate ullum dubium motum est : ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° contra porrectionem instrumentorum : Materia essentialis sacramenti Ordinis debet esse eadem ubique omni tempore, alioquin non foret idem sacramentum : atqui ex concessis Græci in ordinatione presbyteri non utuntur porrectione instrumentorum, nec Latini semper ea usi sunt, cum non superet octingentos annos : ergo.

Resp. dist. maj. Materia essentialis sacra-

[1] In 4, d. 14, q. 2, a. 3, ad 2.

menti Ordinis debet esse ubique et omni tempore eadem formaliter in ratione signi sensibilis, conc.; debet esse eadem materialiter et in ratione rei, neg. Dicimus itaque Christum non instituisse materiam hujus sacramenti determinando in specie hanc vel illam rem esse materiam; sed determinando tantum in genere conferendum esse per aliquod signum sensibile quod foret significativum potestatis traditæ; determinationem autem hujus signi in specie, an esset talis vel talis res, an impositio manuum, an porrectio instrumentorum, an utraque simul, reliquisse Ecclesiæ, ut jam dixi de materia et forma Confirmationis. Ecclesia itaque, hac potestate sibi a Christo tradita utens, determinavit, seu saltem consensit quod impositio manuum cum forma illi respondente pro ecclesia Græca, et forte etiam in prioribus sæculis pro ecclesia Latina, esset signum legitimum utriusque potestatis traditæ ad consecrandum et ad absolvendum; at postea determinavit pro ecclesia Latina quod porrectio instrumentorum cum his verbis : Accipe potestatem, etc., esset signum legitimum potestatis consecrandi; impositio autem manuum cum his verbis : Accipe Spiritum Sanctum, etc., signum potestatis absolvendi: ita quod Græcus ordinatus ritu Latinorum, aut Latinus ritu Græcorum sine dispensatione Summi Pontificis, invalide ordinaretur. Hanc porro fuisse institutionem et voluntatem Christi, colligimus cum innumeris pene theologis, 1° ex ipsa diversitate materiarum et formarum, non solum in hoc sacramento, sed etiam in quibusdam aliis, præsertim in Confirmatione, quæ vix aliter explicari possunt salva unitate sacramenti; 2° ex cap. *Presbyter*, de Sacramentis non iterandis, ubi Gregorius IX dicit impositionem manuum esse « ritum ab Apostolis introductum »; 3° ex Innocentio III, qui ad istud caput, prout citatur a Delugo, Sylvio, Steyartio et aliis, dicit : « Nisi essent formæ postea inventæ, sufficeret ordinatori dicere : Sis sacerdos, vel alia æquivalentia verba (intellige, addita aliqua materia); sed subsequentibus temporibus formas, quæ servantur, Ecclesia ordinavit, et tantæ necessitatis sunt dictæ formæ quod si, iis non servatis, aliquis fuerit ordinatus, supplendum est quod omissum est. »

Quidam paulo aliter explicant et dicunt Christum revera instituisse pro materia et forma hujus sacramenti, porrectionem instrumentorum et impositionem manuum cum formis ipsis correspondentibus, sed reliquisse Ecclesiæ alterutram vel ambas adhibere. Hæc responsio non est improbabilis.

Inst. 1° contra primam responsionem quæ est communior : Ecclesia non potest mutare materiam sacramentorum, alias mutaret eorum substantiam, quod est contra Trid., sess. 21, cap. 1: ergo.

Resp. dist. ant. Ecclesia non potest mutare materiam sacramentorum formaliter sumptam in ratione signi, et ut a Christo institutam, conc.; materialiter sumptam in ratione rei, neg. Sic enim mutare materiam, non est mutare substantiam sacramenti. Simile quid habemus in Matrimonio, pro cujus materia Christus determinavit signum legitimum interioris consensus quo fieret contractus validus; quale autem foret istud signum, reliquit dispositioni Ecclesiæ : sicut ergo Ecclesia mutando hoc signum quoad rem et materialiter, prius enim sufficiebat signum clandestine expressum, nunc requiritur signum coram parocho et testibus expressum, non dicitur mutasse substantiam sacramenti; ita nec determinando aut mutando rem per quam significatur traditio potestatis in Ordine. Confer quæ dixi de Sacramentis in genere, dissert. 1, a. 5, obj. 3.

Inferes : Ergo pari ratione sacerdos Latinus invalide consecraret in fermentato, et sacerdos Græcus in azymo, quod non admittitur. Prob. illatio : Ecclesia pariter determinavit pro materia consecrationis azymum in ecclesia Latina, et fermentatum in Græca : ergo.

Resp. neg. illationem. Ad probat. dist. ant. Ecclesia determinavit panem azymum in ecclesia Latina, ut necessarium necessitate præcepti, conc.; ut necessarium necessitate sacramenti, neg. Ratio disparitatis est quod Christus determinavit in specie panem pro materia consecrationis, sicut aquam pro Baptismo : Ecclesia autem non potest facere quod panis azymus aut fermentatus non sit panis. At Christus non determinavit in specie hanc vel illam rem ut esset materia ordinationis, sed in genere aliquid quod foret signum sensibile potestatis traditæ. Quid autem foret istud aliquid, reliquit determinandum ab Ecclesia.

Repones : Dum Christus ordinavit Apostolos sacerdotes, usus est determinata materia et determinata forma : ergo non reliquit determinandam ab Ecclesia.

Resp. neg. conseq. Non enim omne quod Christus fecit, faciendum instituit aut præcepit : consecravit determinate in vino albo vel rubro, in pane azymo vel fermentato, et ta-

men neutrum determinate præcepit. Quomodo autem Christus Apostolos instituerit sacerdotes, incertum est; probabiliter dicitur quod instituerit his solis verbis : *Hoc facite in meam commemorationem.*

Obj. 2° contra impositionem manuum : Concilium Florentinum, assignans materiam hujus sacramenti in decreto instructionis Armenorum , non meminit impositionis manuum , sed tantum porrectionis instrumentorum : ergo impositio manuum non est essentialis, vel diminuta fuit instructio concilii.

Resp. neg. conseq., 1° quia licet non meminerit, non tamen negavit : ex argumento autem negativo nihil sequitur; alioquin pariter arguam porrectionem instrumentorum non esse materiam essentialem, quia nec SS. Patres, nec concilium Tridentinum illius meminerunt, sed tantum impositionis manuum. 2° Ideo concilium Florentinum non expressit impositionem manuum, quia intendebat tantum instruere Armenos inquirentes unionem ecclesiæ Romanæ in iis quæ ignorabant, aut de quibus dubitabant circa illius ritus; non ignorabant autem impositionem manuum esse adhibendam, quam ipsimet cum tota Ecclesia adhibebant, sed ignorabant porrectionem instrumentorum esse necessario requisitam in ecclesia Romana; et ideo hanc expressit concilium. Sic Tridentinum, sess. 14, cap. 3 citato, non meminit porrectionis instrumentorum, sed impositionis manuum tantum, quia intendebat ibi solum declarare quando sacerdos fieret idoneus minister Extremæ-Unctionis; quod tunc demum obtinet quando per impositionem manuum accipit potestatem absolvendi; quia, ut alibi dixi ex Tridentino, Extrema-Unctio est consummativa Pœnitentiæ; nec tamen Florentinum omnino tacuit impositionem manuum, sed implicite significavit remittendo ad pontificale Romanum : « Prout, inquit, in pontificali Romano late continetur »: in pontificali autem exprimitur impositio manuum tanquam materia essentialis.

Inst. 1° : Gregorius IX, jam citatus, cap. *Presbyter*, Extra l. 1, tit. 16, duo dicit : primum, impositionem manuum esse ritum introductum ab Apostolis; secundum, quod si in ordinatione presbyteri vel diaconi sit prætermissa, nihil sit iterandum, sed id quod prætermissum est, suo tempore esse ante supplendum : ergo impositio manuum non est materia essentialis, alioquin non haberet institutionem ab Apostolis, et ea omissa sacramentum foret iterandum.

Resp. neg. conseq. Utrumque enim ant. bene dicitur in nostra sententia et illi favet. Primum, manus impositio est introducta ab Apostolis, quatenus signum sensibile a Christo in genere determinatum; Apostoli autem ad hanc rem specifice, scilicet ad impositionem manuum, determinarunt. Secundum, prætermissa tamen impositione manuum, non est iterandum sacramentum qua parte confert potestatem consecrandi, quia ex hac parte est validum per traditionem instrumentorum; sed supplenda seu ponenda est impositio manuum omissa, ut habeatur potestas absolvendi, qua completur sacerdotium novæ legis.

Inst. 2° : Candidatus post porrectionem instrumentorum et formam ipsi respondentem ante tertiam impositionem manuum est sacerdos; vocatur enim in pontificali ordinatus, et verba consecrationis profert cum ordinatore : ergo ista manuum impositio est accidentalis.

Resp. dist. ant. Candidatus post porrectionem instrumentorum est sacerdos incomplete, conc.; complete, neg. Sacerdotium enim novæ legis secundum institutionem Christi duplicem potestatem includit, primam consecrandi, alteram absolvendi : unde, si una absit, non est completum.

Si instes per impositionem manuum, ordinari quidem ut judicem, non ut sacerdotem, neg.; quia, ut dixi, non est perfecte sacerdos novæ legis sine potestate absolvendi, et ideo per impositionem manuum ordinatur etiam ut sacerdos.

Urgebis : Una pars essentiæ non potest esse sine alia : ergo. Resp. dist. ant. In compositis physicis, conc. ; in moralibus, neg. Constat enim sæpe partibus essentialibus successivis.

Obj. 3° contra eamdem: Quando aliquis ordo habet plura officia, in collatione officii principalis tota ejus essentia consistit, ut patet in ordinibus minoribus : atqui præcipuum officium presbyteratus est consecrare corpus Christi : ergo in ritu hujus potestatis collativo, qui est porrectio instrumentorum, tota ejus essentia consistit.

Resp. dist. maj. Si ea officia sint levis momenti et ita inter se connexa, ut minora sequantur ex majori, conc. ; secus, neg. In presbyteratu autem duæ potestates collatæ sunt maximi momenti, nec ita inter se connexæ, ut una sequatur ex altera, ut dictum est.

Aliunde in his quæ pendent ex voluntate instituentis, non urget argumentum a pari.

Inst.: Tota essentia sacramenti Ordinis est per relationem ad corpus Christi consecrandum; per id enim distinguitur ab aliis sacramentis : ergo posita semel hac potestate, cætera sunt accidentalia.

Resp. neg. ant. Quamvis enim in presbyteratu relatio ad corpus Christi consecrandum sit primum et præcipuum ejus distinctivum, secundario tamen ad ejus essentiam, prout est institutus ad Christo, pertinet relatio ad administrationem sacramenti Pœnitentiæ.

Petes 1° utrum in collatione presbyteratus conferatur duplex character ?

Resp. id esse incertum. Quidam existimant conferri unum tantum in porrectione instrumentorum, qui extenditur in impositione manuum, idque colligunt ex D. Th. hic q. 37, a 5, et q. 38, a. 1, ad 4 alii duplicem agnoscunt characterem, quia duplex est potestas distincta : character autem nihil aliud est quam potestas ; neque id repugnare S. Thomæ probat hic Sylvius, q. 37, a. 5 ; sed quiquid sit, res est levis momenti.

Petes 2° qualis contactus materiæ sit necessarius, necessitate sacramenti, non solum in presbyteratu, sed etiam in aliis ordinibus ?

Resp. juxta quosdam sufficere contactum moralem situm in porrectione materiæ, et aliquo signo acceptationis, v. g., extensione manus versus instrumenta, quia sic quandoque conferuntur officia sæcularia. Alii, et tutius, requirunt contactum physicum, saltem mediatum. Auctor [1] utramque sententiam proponit ; et quamvis videatur primam ut probabilem admittere, magis tamen inclinat in secundam , dum post relatam primam addit : « Tamen ipsa verba formæ videntur ostendere quod tactus materiæ sit de essentia sacramenti ; quia dicitur : Accipe hoc vel illud. » Idque videtur probare magna episcoporum sollicitudo, ut materia physice tangatur ab ordinandis : unde innuitur hanc esse Ecclesiæ intentionem, sic materiam determinantis in specie. Adde in aliis sacramentis, Baptismo, Confirmatione, Extrema-Unctione, requiri contactum physicum : quidni in isto? Hinc sequitur aliter ordinatum, esse saltem sub conditione reordinandum.

Dixi : Saltem mediatum ; quia probabile est, non tamen certum, quod sufficeret tangere materiam mediante velo, vel chirotheca. Indubium autem est quod sufficiat tangere mediante suo continente, vinum mediante calice, panem mediante patena ; quia illud vere dicitur tangi, quod tangitur in suo continente. Et ita est praxis Ecclesiæ.

Petes 3° quæ sint officia sacerdotis ?

Resp. Primum est conficere Eucharistiam. Secundum, ligare, aut absolvere pœnitentes, ut digne accedant ad sacramentum Eucharistiæ, supposita tamen jurisdictione. Tertium, administrare alia sacramenta, scilicet Baptismi, Eucharistiæ et Extremæ-Unctionis, accedente consensu proprii sacerdotis. Quartum, benedicere populum etiam in missa, benedictione simplici, non solemni, præmisso : « Adjutorium nostrum in nomine Domini » ; id enim pertinet ad episcopum in sua diœcesi, ad archiepiscopum in tota provincia, cum ipsam visitat, ad legatos in terminis suæ legationis, ad abbates in ecclesiis sibi pleno jure concessis.

ARTICULUS II.

QUÆ SIT MATERIA ET FORMA DIACONATUS?

Diaconatus generaliter est ministerium, diaconus minister ; sed usu ecclesiastico ab Apostolis derivato, dicitur diaconus, qui proximius ministrat sacerdoti sacrificanti.

Dico : Probabilius est diaconatus, sicut presbyteratus in ecclesia Latina, duplicem esse materiam et formam, scilicet impositionem manuum episcopi cum his verbis : « Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus » ; et traditionem libri Evangeliorum cum his verbis : « Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis. »

Prob. 1° : Quia concilium Carthag. 4, can. 4, ex una parte assignat pro materia diaconatus impositionem manuum episcopi : « Diaconus, inquit, cum ordinatur, solus episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium ordinatur. » Non est autem verisimile concilium aliquid accidentale assignasse, omisso essentiali. Ex altera parte concilium Florentinum in decreto Unionis assignat pro materia traditionem libri Evangeliorum : ut ergo hæ duæ synodi concilientur, dicendum est duplicem esse materiam et formam, ut in conclusione. 2° Uterque ritus refertur in pontificali, tanquam materia et forma diaconatus. 3° In impositione manuum, de qua magis du-

[1] Ib. q. 34, a. 5, ad 3.

bitatur, confertur gratia, ut patet ex ejus forma, adjuncto Tridentino, ut supra : ergo est verisimiliter pars sacramenti.

Dices 1° contra primam partem : Per impositionem manuum, non confertur diacono specialis aliqua potestas, sed quid commune omnibus sacramentis, ut patet ex ejus forma : atqui Ordo consistit in potestate : ergo.

Resp. neg. maj. Confertur enim, ut verba sonant, illa animi fortitudo qua diaconus debet esse instructus ad ministrandum sacrificio, et ad annuntiandum Evangelium ex officio, contra omnia impedimenta occurrentia ex parte hostium fidei, quibus diabolus utitur tanquam ministris ; quæ animi fortitudo est potestas specialis, non minus quam ea quæ confertur in Confirmatione ad profitendam fidem ex officio coram tyranno.

Dices 2° contra secundam partem : Initio Ecclesiæ non erat liber Evangeliorum, nec consequenter legebatur Evangelium in missa : ergo.

Resp. neg. conseq. Esto enim initio Ecclesiæ liber Evangeliorum non fuerit materia partialis diaconatus ; postea tamen Ecclesia, cum vellet disertius significare potestatem diaconi [1], nec posset ad hoc designare calicem cum vino, et patenam cum pane, quia est materia presbyteratus, neque calicem vacuum, et patenam vacuam, quia est materia subdiaconatus, designavit traditionem libri Evangeliorum, qua optime significatur tradi potestatem ministrandi sacerdoti in sacrificio, et specialiter cantandi in eo solemniter Evangelium, quod est unum ex præcipuis ejus ministeriis. Cætera argumenta præoccupata sunt articulo præcedenti.

Petes 1° utrum in diaconatu conferatur duplex character, sicut diximus probabiliter conferri in presbyteratu ?

Resp. probabilius negative, quia non sunt potestates, tam diversæ, nec tanti momenti : unde videtur sufficere ejusdem characteris extensio, ne sine necessitate multiplicentur characteres.

Petes 2° quando conferatur character ?

Resp. probabilius conferri in principaliori materia quam putamus esse traditionem libri Evangeliorum, cum per eam habeatur proximior accessus ad Eucharistiam. Nec refert quod sit posterior tempore impositione manuum ; totum enim sacramentum moraliter perseverat, donec principalior pars perficiatur; et sic nihil impedit, quominus character per eam impressus extendatur ad priorem partem.

[1] Ib. q. 37, a. 5, ad 5.

Petes 3° quæ sint officia diaconi ?

Resp. primum esse sacerdoti celebranti immediate assistere et ministrare ; secundum, solemniter legere Evangelium in missa ; tertium, ex commissione episcopi vel parochi solemniter baptizare ; quartum, de licentia episcopi prædicare ; quintum, ex commissione parochi in necessitate Eucharistiam dispensare.

ARTICULUS III.

DE MATERIA, FORMA ET OFFICIIS SUBDIACONATUS, ET MINORUM ORDINUM.

Subdiaconus, qui et olim hypodiaconus, seu subminister, dictus est, eo quod ejus ministerium sit deservire in sacrificio diacono, qui est principalis minister.

Dico 1° : Materia totalis subdiaconatus est traditio calicis vacui, et patenæ vacuæ ; forma vero hæc verba : « Videte cujus ministerium vobis traditur ; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis. »

Prob. : Hanc, et non aliam tam materiam quam formam assignant concilium Carthag. 4, can. 5 ; concilium Florentinum in decreto Unionis; sanctus Thomas in 4 d. 25, q. 1, a 1, ad 2 ; consequenter in ea traditione character imprimitur.

Dices : Traditio libri Evangeliorum est essentialis diaconatui : ergo traditio libri Epistolarum est essentialis subdiaconatui, maxime si attendatur hæc forma : « Accipe librum Epistolarum, et habe potestatem legendi eas in Ecclesia », etc.

Resp. neg. conseq., 1° quia in positivis, seu quæ pendent ex voluntate, non valet argumentum a pari : Ecclesia autem ex cujus voluntate pendet determinatio materiæ Ordinis in specie, ut diximus, assignat pro materia diaconatus traditionem libri Evangeliorum, et non assignat pro materia subdiaconatus traditionem libri Epistolarum ; illius enim non meminerunt concilium Carthaginense et Florentinum, quæ de materiis ordinum agunt. 2° Disparitas est quod præcipuus actus diaconi non poterat designari, ut jam dixi, per traditionem calicis cum vino, et patenæ cum pane, quia hæc est materia presbyteratus ; neque per traditionem calicis vacui et patenæ vacuæ, quia hæc est materia subdiaconatus : unde debuit designari per traditionem libri Evangeliorum, cujus so-

lemnis decantatio in missa est unus ex præcipuis ejus actibus. At per traditionem calicis vacui et patenæ vacuæ, absolute designatur præcipuus actus subdiaconi qui est ministrare diacono, non cantare Epistolam, cum olim cantaretur a diacono. Quando ergo episcopus tradit subdiacono librum Epistolarum cum his verbis : « Accipe librum », etc., non imprimit illi characterem, qui imprimitur, ut dixi, in traditione calicis et patenæ, sed deputat simpliciter ad officium cantandi Epistolam, sicut deputat ad varia alia officia, cum illum vestibus sacris induit, ad quarum singulas verba adhibet.

Itaque primum et præcipuum officium subdiaconi est deservire sacrificio, ministrando diacono calicem et patenam, eique offerendo panem et vinum, tanquam oblationes populi ut eas tradat sacerdoti ; secundum cantare solemniter epistolam in missa ; tertium deferre crucem in processionibus.

Dico 2° : Materia acolythatus est duplex ; prima traditio urceoli vacui cum hac forma : « Accipe urceolos ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini » ; secunda traditio candelabri cum cereo extincto sub ista forma : « Accipe ceroferarium cum cereo, ut scias te ad accendenda Ecclesiæ lumina mancipari in nomine Domini » : unde acolythi dicebantur olim ceroferarii : dicuntur etiam ab aliquibus acoluthi, id est, sequentes seu pedissequi, quia sequuntur diaconum in ministerio.

Dubitatur an utraque materia sit essentialis ; at cum utraque referatur in concilio Carthag., can. 6 et in pontificali Romano, nihil obstare videtur quominus utramque dicamus essentialem. Equidem S. Th. hic q. 37, art. 5, ad 6, dicit quod principalior actus acolythi sit ministrare in urceolo, et quod in ejus traditione imprimatur character ; verum id non impedit quin materia minus principalis sit etiam essentialis et ad eam extendatur character, sicut diximus de diaconatu.

Officium acolythi est 1° urceolos cum vino et aqua ad missam præparare et ministris offerre, non vero in calicem immittere in missa solemni, quod pertinet ad subdiaconum ; 2° cereos præparare, accendere, deferre ad Evangelium, tempore consecrationis, etc.

Materia exorcistatus est liber exorcismorum ; et forma : « Accipe et commenda memoriæ, et habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos sive catechumenos » : unde patet ejus proprium officium esse invocatione nominis Dei, impositione manuum et exorcismis ab Ecclesia approbatis, pugnare adversus dæmones ut a corporibus obsessis exeant.

Utrum verum omnes fideles possint exorcismos probatos super energumenos privatim legere ? quidam negant ; affirmant Suarez, tom. 2, *de Relig.* l., 4, cap. 2, n. 11,; Sanchez in Opere morali, l. 2, cap. 42, n. 18; quia, inquiunt, omnes fideles habent potestatem impugnandi et arcendi dæmones ; majorem tamen habent qui ad hoc ab Ecclesia sunt ordinati, et ideo hi soli solemniter et ex officio exercere possunt.

Materia lectoratus est codex divinarum lectionum : forma : « Accipe et esto verbi Dei zelator, habiturus, si fideliter et utiliter officium tuum impleveris, partem cum iis qui verbum Dei ab initio ministrarunt. »

Officium lectoris est alta voce legere, sive cantando, sive simpliciter recitando Sacras Scripturas, etiam ipsum Evangelium, non in missa, sed in aliis divinis officiis. Olim etiam novos fructus oblatos a fidelibus benedicebat et catechumenos rudimenta fidei docebat. Item episcopo concionaturo eam S. Scripturæ partem quæ explicanda erat, prælegebat ; sed hæc in dissuetudinem abierunt. Quidam arbitrantur etiam lectori competere officium prædicandi, quia in Pontificali habetur : « Lectorem oportet legere ea quæ prædicat » ; sed hi hallucinantur ; prædicare enim ibi nihil aliud significat quam alta et clara voce recitare : unde sensus est quod lector debeat ex libro et non ex propria mente legere, quæ alte et distincte recitat.

Materia ostiariatus est traditio clavium Ecclesiæ ; forma hæc verba : « Sic age quasi redditurus Deo rationem pro iis rebus quæ his clavibus recluduntur. »

Officium ostiarii erat portas Ecclesiæ aperire et claudere, indignos ab illa arcere : indigni autem reputabantur ethnici, excommunicati, interdicti, energumeni, flagitiosi, publice pœnitentes in primo gradu pœnitentiæ. Item vestes sæcras, deposita fidelium et omnem ecclesiasticam suppellectilem custodire.

Hæc omnia quoad materiam et formam subdiaconatus et minorum ordinum ex concilio Carthaginensi 4 et ex pontificali romano collecta sunt.

DISSERTATIO III.

De Ministro et Subjecto Sacramenti Ordinis.

D. Th. suppl. qq. 35, 36, 38 et 39.

ARTICULUS I.

QUIS SIT MINISTER SACRAMENTI ORDINIS?

Duplex distinguitur minister sacramenti ordinis : ordinarius et extraordinarius. De utroque est quæstio.

Dico 1° : Solus episcopus est minister ordinarius sacramenti Ordinis. [1]

Constat 1° ex S. Scriptura, quæ non aliis quam Apostolis et eorum successoribus episcopis jus tribuit conferendi ordines : Act., cap. 6, v. 6, et cap. 14, v. 22; 2 ad Timoth., cap. 1, v. 6.

2° Ex constanti traditione quam evincunt concilium Carthag. 1, anno 348, can. 5 ; Arelatense 5, anno 554, can. 7 ; Braccarense, anno 563, can. 8 ; Hispalense, anno 619, can. 5. Item S. Athanasius in synodo Laodicena, anno 313, probat Schyram accusatorem suum, non esse verum presbyterum, quia ordinatus fuerat a Collutho qui non erat episcopus. S. Epiphanius, *Hæres.* 75 ; S. Hieron., epist. *ad Evangelam* ; S. Chrysost., hom. 11 *in* 1 *Timoth.*, hoc discrimen statuunt inter episcopum et simplicem sacerdotem quod episcopus possit ordinare, non simplex sacerdos.

3° Ex conciliis Florentino et Trid. Florentinum in decreto Unionis sic habet : « Ordinarius minister hujus sacramenti [Ordinis] est episcopus. » Et Tridentinum, sess. 23, can. 7 : « Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem..., anathema sit. » Unde conclusio est de fide.

[1] Supp. q. 38, a. 1 et Opus.

Suffragatur ratio : [1] 1° Ad solum principem jure ordinario pertinet ministeria publica distribuere : atqui solus episcopus est in republica christiana princeps : ergo. 2° Potestas ordinandi non est potestas jurisdictionis, sed ordinis, quam episcopus accipit in sua consecratione : ergo illam non habet qui non est episcopus consecratus.

Et ideo dixi in conclusione : Episcopus consecratus; quia episcopus solum electus et confirmatus, non consecratus, licet possit alteri episcopo committere ordinationem sui subditi, non potest tamen ipse illum ordinare; quia illa commissio est actus jurisdictionis, ordinatio autem actus ordinis.

Dices 1° : Nicephorus, l. 8, cap. 19 et 24, dicit ordinatos a Meletio qui sibi episcopalem vindicabat auctoritatem, fuisse valide ordinatos. Si respondeatur Meletium fuisse vere episcopum, saltem ii quos ordinaverat sacerdotes, et ejus schismati non adhæserant, juxta concilium Nicænum primum in epistola synodica ad ecclesiam Alexandrinam, habebant « jus ordinandi, et eos qui digni clero fuerint nominandi » : ergo.

Resp. revera Meletium fuisse episcopum, sed illegitime ordinatum ; qua de causa Nicephorus dicit ipsum sibi vindicare potestatem episcopalem, cujus exercitio erat privatus. Jus autem ordinandi in epistola synodica concilii Nicæni non sumitur pro jure consecrandi, seu ordinandi sacramentaliter, sed pro jure eligendi, suo suffragio probandi et confirmandi ministros a populo electos et nominatos, quo jure privabantur ii qui Meletii schismati adhæserant.

[1] Hic ibid.

Dices 2° : Episcopus potest episcopum ordinare : ergo presbyter presbyterum. Item qui potest majus potest minus : atqui simplex sacerdos potest consecrare Eucharistiam, quod est quid majus quam consecrare sacerdotes : ergo.

Resp. 1° hæc argumenta a pari, et a majori ad minus, non valere in iis quæ pendent ex voluntate Christi. 2° Ad primum : Disparitas est 1° quod episcopus et non presbyter sit princeps cujus est distribuere ministeria publica; 2° quia episcopus non habet superiorem in potestate ordinis : unde si ab episcopo ordinari non posset, a nullo posset ordinari : presbyter autem habet episcopum se superiorem. [1] Ad secundum : Valet commune adagium in iis quæ sunt ejusdem, non diversi generis : consecrare autem Eucharistiam et constituere ministros publicos sunt diversi generis.

Dico 2° : Simplex sacerdos[2], ex commissione Ecclesiæ seu Summi Pontificis potest esse minister extraordinarius tonsuræ et quatuor minorum.

Prob. : Concilium Nicænum 2, anno 787, can. 14, hanc facultatem concedit abbatibus sacerdotibus ab episcopo benedictis et chorepiscopis : refertur cap. *Quoniam*, dist. 69. Idem Innocentius III, cap. *Cum contingat*, Extra. l. 1, tit. 14. Alexander III, cap. *Requisivit*, ibid. tit. 13, dicit quod « hujusmodi ordines a non episcopis quandoque conferuntur.» Eadem facultas conceditur sive ex consuetudine, sive ex privilegio cardinalibus presbyteris. Tandem concilium Trid., sess. 23, cap. 10 de Reformat,, dicit : « Abbatibus et aliis quibuscumque, quantumvis exemptis et privilegiatis, non liceat in posterum... cuiquam qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre » : ergo supponit suis religiosis posse conferre.

Dices : Si Summus Pontifex possit simplici sacerdoti concedere facultatem conferendi minores ordines, id potest vel ratione ordinis, vel ratione jurisdictionis : non ratione ordinis, alias episcopus qui est æqualis Papæ, quoad ordinem, pariter id posset, quod non admittitur; non ratione jurisdictionis, quia hæc non respicit corpus naturale Christi, sed mysticum : ergo.

Respondent quidam id posse Summum Pontificem ratione facultatis sibi a Christo concessæ. Sed et responderi potest id posse ratione supremæ et plenæ jurisdictionis in totam Ecclesiam. Ad probationem in contrarium, dist. Potestas jurisdictionis non respicit directe corpus Christi naturale, conc.; indirecte, neg. Ratione enim jurisdictionis episcopus potest dare facultatem suo subdito ut ab alio episcopo ordinetur.

Inst. : Conferre ordines est actus ordinis et non jurisdictionis ; alioquin episcopus electus et non consecratus posset ordinare. Vel ergo est actus ordinis seu consecrationis episcopalis, vel presbyteralis : si hoc secundum, quivis sacerdos potest jure suo, non secus ac episcopus, valide ordinare ; si primum, non potest alteri quam episcopo committi; non enim actus ordinis potest committi illi qui non habet ordinem : ergo.

Resp. conferre ordines jure ordinario esse actum ordinis episcopalis ; conferre autem ordines jure extraordinario esse actum ordinis sacerdotalis, quatenus per ordinem sacerdotalem confertur presbytero inchoata potestas ad ordinandum, quæ per commissionem pontificiam perficitur et completur. Confer quæ dixi de Confirmatione, a. 7, § 2, obj. 2.

Quantum ad subdiaconatum, plures censent etiam posse ex commissione conferri a simplici presbytero, quia Gelasius, epist. 1, admonet presbyteros « ut meminerint sibi nullo modo concedi ut subdiaconum vel acolythum ordinent absque Romani pontificis permissione» : ergo ea permissione accedente possunt. Refertur etiam privilegium concessum Cisterciensibus de quo modo.

Quidam arbitrantur id a D. Thoma negari hic, q. 38, a. 1, ad 3, quia dicit quod « ex commissione Papæ sacerdos simplex possit conferre minores ordines et Confirmationem, non autem majores ordines qui habent immediatam relationem ad corpus Christi.» Sed, ut apparet, S. Doctor intelligit de ordinibus qui quovis tempore habiti sunt sacri seu majores, propter immediatam relationem quam habent ad corpus Christi, qualis est sacerdos qui illud consecrat, et diaconus qui ministrat, non subdiaconus.

De diaconatu major est difficultas . Negat S. Thomas loco citato posse conferri ex dispensatione a simplici presbytero. Idem censet Scotus et communiter antiqui scholastici cum pluribus junioribus. Principium D. Thomæ est quod Papa non habeat majorem potestatem in corpus Christi quam sacerdos simplex; ex quo infert quod simplex sacerdos ex ejus commissione non possit habere potestatem conferendi ordines qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, qualem habent presbyteratus

[1] Ib ad. 4 [1] Ib ad 3.

ad consecrandum et diaconatus ad deferendum vel distribuendum.

Affirmant autem plures recentiores, fundati præsertim in privilegio quod dicunt concessum abbati Cisterciensium ab Innocentio VIII, anno 1489, quo ipsis concedit facultatem conferendi minores ordines, subdiaconatum et diaconatum suis religiosis, ut auferatur ipsis occasio discurrendi extra monasterium. Hoc privilegium relatum in bullario Rodrigues testatur se vidisse Vasques : similiter Berti testatur se legisse in bullario Cisterciensium et Rodrigues; atque hoc privilegio usum fuisse generalem Cisterciensium, anno 1662, Romæ, sciente et probante Summo Pontifice; et anno 1663, Gandavi in Belgio, subditos suos ordinando subdiaconos et diaconos, referunt Henno et Berti : unde dicunt quod si S. Thomas, Scotus et veteres scholastici hoc et alia privilegia similia quæ circumferuntur, vidissent, sententiam mutassent.

Respondent autem alii bullam hujus privilegii multis titulis esse dubiæ fidei, 1° quia non invenitur in bullario Romæ edito; 2° quia Cistercienses eo privilegio non usi sunt, nec utuntur, quod si verum esset, non omitterent præsertim in Gallia, ubi eorum monasteria sunt constituta, et concilium Trid. non semper fuit receptum quantum ad reformationem : « Nec nostra nec Patrum nostrorum memoria, inquit Hallerius, sect. 5, *de Ministro sacræ Ordinat.*, art. 2, § 2, Cistercienses eo privilegio usi sunt : quod si a sancta Sede obtinuissent, nusquam procul dubio ab ejus usu tamdiu se continuissent, præsertim in Gallia. » Quod autem referunt in contrarium Henno et Berti de generali Cisterciensium nullo fulciunt testimonio. 3° Non solent pontifices concedere plusquam petitur; petebat autem tantum abbas Cisterciensis renovari privilegium conferendi suis monachis tonsuram et minores ordines, ut patet ex prima parte Bullæ, et in posteriori parte, seu in concessione datur facultas conferendi subdiaconatum et diaconatum. 4° Concilium Trid., sess. 23, cap. 10, *de Reformat.*, referens et restringens privilegia abbatum quantum ad ordinationes, hujus nullam facit mentionem, sed tantum privilegii conferendi tonsuram et minores. Quod autem quidam dicunt se istud privilegium legisse in quibusdam collectionibus particularibus, non probat esse legitimum et a S. Sede emanatum.

Respondent insuper, esto quod existat hujusmodi privilegium, summum Pontificem in hoc se gessisse secundum quod convenientius et melius existimavit ex privata sententia; at nihil hoc facto definivisse.

Quantum ad presbyteratum, communissima S. Thomæ sententia, contra paucos, admodum est quod non possit etiam dispensatione conferri a simplici sacerdote; de episcopatu, idem censent omnes unanimiter; quia in tota retro antiquitate nusquam et nullibi legitur Ecclesiam quoad alterutrum dispensasse, cum tamen non defuerint occasiones, et sæpe urgeret necessitas, maxime tempore persecutionem, cum episcopi vel interficiebantur, vel incarcerabantur, vel exulabant.

Dices : In synodo Antiochena, can. 10, legitur de Chorepiscopis : « Ordinent autem lectores, subdiaconos atque exorcistas quibus istæ promotiones sufficiant; nec presbyterum vero, nec diaconum audeant ordinare præter civitatis episcopum, cui ipse cum possessione subjectus est » : ergo accedente consensu episcopi poterant ordinare diaconos et presbyteros. Subsumo : Atqui chorepiscopi erant simplices presbyteri, ut patet ex ep. 4 Damasi et ep. 88 S. Leon. : ergo.

Resp. Quamvis chorepiscopi secundum se essent simplices presbyteri qui in villis et pagis ab episcopis præficiebantur aliis presbyteris, eo fere modo quo decani rurales apud nos constituuntur, per accidens tamen inter illos reperiebantur quandoque episcopi : ii enim episcopi qui ab hæreticis ad Ecclesiam revertebantur, aut catholici qui ad propriam sedem accedere non poterant, ne sine omni honore remanerent, ad aliquem chorepiscopatum promovebantur. Constat ex ipso canone Antiocheno citato, licet ipsum ab arianis editum putent Baronius et Bellarminus, qui sic incipit : « Qui in vicis vel possessionibus chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem episcoporum perceperint, et ut episcopi consecrati sint, tamen, etc. »

ARTICULUS II.

UTRUM OMNIS EPISCOPUS SIT LEGITIMUS MINISTER ORDINATIONIS?

Duplex hic occurrit quæstio resolvenda : prima, utrum episcopus possit licite ordinare non subditum? secunda, utrum episcopus intrusus, hæreticus, schismaticus, excommunicatus aut simoniacus valide ordinet? Utramque duplici § resolvemus.

§ I.

um omnis episcopus possit licite ordinare non subditum?

Dico 1°: Unusquisque a proprio episcopo ordinari debet, aut ab alio de ejus licentia ; si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedisse, est suspensus. Ita in terminis Trid , sess. 23, cap. 8 de Reformat. Quamvis ergo valida sit ordinatio, ut patet, peccant graviter tam ordinans quam ordinatus.

Dico 2° : Ille proprius seu superior intelligitur in hoc casu episcopus, de cujus diœcesi est hic qui ad ordines promoveri desiderat oriundus, seu in cujus diœcesi beneficium obtinet ecclesiasticum, seu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem. Ita etiam in terminis Bonifacius VIII, cap. *Cum nullus*, de Tempore ordinandorum in 6.

Triplici itaque titulo quis alicui episcopo fit subditus quoad ordines recipiendos, scilicet titulo nativitatis seu originis, beneficii et domicilii. Audio tamen in quibusdam provinciis nunc non admitti nisi titulum nativitatis, seu originis ; forte ex consuetudine jure communi derogante.

Hos autem tres titulos explicat Innocentius XII, in constit. *Speculatores*, data 6 novembris 1694.

De titulo originis dicit : « Subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur qui naturaliter ortus est in ea diœcesi, in qua ad ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi ortus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii legationis, mercaturæ, vel cujusvis temporalis moræ, seu permanentiæ ejus patris in illo loco : quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis patris origo erit attendenda. » In iis vero quorum parentes et locus originis ignorantur, ut sunt infantes expositi, locus Baptismi reputatur locus originis.

De titulo domicilii : « Subditus autem, inquit, ratione domicilii ad effectum suscipiendi ordines , is duntaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut, vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit ; et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. »

De titulo beneficii sic : « Licet..... clericus ratione cujusvis beneficii in aliena diœcesi obtenti subjici dicatur jurisdictioni illius episcopi, in cujus diœcesi beneficium hujusmodi situm est..., tamen volumus ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi ordines acquirere censeatur, nisi beneficium prædictum hujus sit redditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejusdem beneficii cum adjunctione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem seu quavis alia diœcesi obtineret ; ac episcopus sic ordinans.... de redditu beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum ordinum attestatione mentionem facere debebit. »

Observandum est tamen ex Trid., sess. 23, cap. 9, de Reform. , quod episcopus possit familiarem suum non subditum ordinare, si per triennium secum fuerit commoratus, et beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsa ipsi conferat.

Dixi in 1 conclusione : Aut ab alio de ejus licentia ; quia episcopus infirmitate aut alia causa legitime impeditus, subditos suos probatos et examinatos ad alium episcopum ordinandos dimittere potest, ut statuit Trid., sess. 23, cap. 3. de Reformat.: quæ licentia solet dari litteris quæ dicuntur *dimissoriæ :* de quibus sic Trid.

« Non licet capitulis ecclesiarum, sede vacante, infra annum à die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant...: alicui qui beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit (ut si deberet fieri sacerdos pro pastoratu obtento), concedere ; si secus fiat, capitulum contraveniens ecclesiastico subjaceat interdicto ; et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus, gaudeant ; in majoribus vero ab executione ordinum, ad beneplacitum futuri prælati, sint ipso jure suspensi. » Ita in terminis Trid. sess. 7, cap. 10, de Reformat.

Petes a quo regulares exempti debent habere litteras dimissorias ?

Resp. Prælati regulares exempti debent dare suis subditis litteras dimissorias, seu, ut vocant, præsentationem ad episcopum loci in quo situm est monasterium ; ipso autem absente vel non ordinante, ad episcopum benevolum. Constat 1° ex decreto Sixti V, qui, moderando declarationem Gregorii XIII, prædecessoris sui, dicit « regulares posse concedere dimissorias ad episcopum diœcesanum; qui, si abfuerit, ad quemcumque, dummodo ab episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam » ; 2° ex decreto S. Congregationis, de mandato Clementis VIII, dato Romæ 15 martii 1596, « quo statuitur superiores regulares posse suo subdito, itidem regulari, qui, præditus qualitatibus requisitis, ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere, ad episcopum tamen diœcesanum, nempe illius monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, regularis positus fuerit ; et si diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium episcopum, dum tamen ab eo episcopo qui ordines contulerit examinetur quoad doctrinam ; et dum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus quo episcopus diœcesanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes. Verum cum a superioribus regularibus, episcopo diœcesano absente, vel ordinationes non habente, litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiæ diœcesani episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii et dignitatis seu administrationis, et vocis activæ et passivæ privationem, ac alias arbitrio ejusdem sanctissimi D. N. Papæ reservatas pœnas incurrant. »

§ II.

Utrum ordinationes factæ ab episcopis intrusis, hæreticis, schismaticis, excommunicatis, degradatis, simoniacis, sint validæ ?

Hujusmodi ordinationes esse illicitas indubium est, esse etiam invalidas, saltem a simoniacis factas, et simoniacas, aliquando dubitatum est; sed a temporibus D. Thomæ vix ullus earum validitatem in dubium revocat. Quæstio hæc posset videri sufficienter discussa in tract. de Sacramentis in genere, dissert. 5, a. 3, ubi probavimus generaliter sacramenta per malos ministros valide posse conferri ; quædam tamen specialia de sacramento Ordinis supersunt expendenda : unde breviter

Dico : Ordinationes [1] factæ ab episcopis intrusis, hæreticis, schismaticis, excommunicatis, degradatis, aut simoniacis, modo aliunde necessaria ad earum validitatem adhibeantur, scilicet materia, forma et intentio faciendi quod facit Ecclesia, sunt validæ.

Conclusionem hanc omni argumentorum genere probavimus loco citato de Sacram. in genere : hæc pro dictis hic habeto, pauca tamen exempla antiquitatis subjiciam.

1° S. Cornelius, vertente tertio sæculo, recepit absque nova ordinatione Maximum presbyterum, et alios novatianos. 2° S. Athanasius, in synodo coacta anno 362, statuit inter clericos recipiendos esse, qui ab ariana hæresi, ad quam violentia quadam compulsi fuerint, redirent, ut constat ex actis ejusdem synodi, ex epistola S. Athanasii *ad Rufinianum*, et ex actione 1 secundæ synodi Nicænæ. 3° Anatolium qui in locum S. Flaviani in sedem constantinopolitanam a latrocinio Ephesino fuerat intrusus, instantibus Marciano Augusto, et Pulcheria, recepit S. Leo, et factas ab eo ordinationes probavit, ut constat ex ejusdem S. Leonis epistola 78, alias 54. 4° Ordinatos a donatistis Ecclesia recepit, ut valide ordinatos : « Non sunt rursus ordinati, inquit S. Aug., l. 2, adversus Parmen, c. 13 ; sed sicut Baptisma in eis, ita ordinatio mansit integra. » 5° Nicolaus II, relatus causa 1, q. 1, cap. 107 ; concilium Romanum sub Alexandro II ; S. Gregorius VII, ad Raynaldum episcopum Comensem, recipiunt, ut validas, ordinationes factas ab episcopis aliunde simoniacis ; ipsas vero ordinationes simoniacas S. Basilius in epistola ad episcopos suæ curæ commissos, eas non rejicit ut invalidas, sed dicit : « Hæc si ita sint, post hæc non fiant, sed emendentur». Idem refert de S. Chrysostomo Palladius in ejus vita, et B. Petrus Damianus, sæculo XI, in opusculo quod « gratissimum » appellavit, multis argumentis probat validitatem ordinationum simoniacarum.

Ratio vero generalis[2], pro his omnibus ordinationibus, est quia potestas collata episcopo in sua consecratione nullo crimine deletur : unde Trid., sess. 7, can. 9, definit : « In tribus sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde iterari non possunt. » Et sess. 23, can. 4 :

[1] Hic q. 38, a. 2, o. [2] Ibid.

«Si quis dixerit per sacram ordinationem....non imprimi characterem, vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit. »

Solvuntur objectiones.

Objectiones plurimas proposuimus et solvimus loco citato. Quasdam tunc omissas quæ specialiter spectant Ordinis sacramentum compendiose propono, sed prius revocanda sunt in memoriam, quæ tunc dicebamus, scilicet distinguendum esse inter hæreticos, qui sacramenti formam servant, et illos qui non servant, priorum sacramenta Ecclesiam recipere, posteriorum rejicere ; item distinguendum esse, inter sacramentum, quoad substantiam, et ejus effectum, qui est gratia ; malum ministrum, quantum est ex se, conferre sacramentum et gratiam sacramenti, sed suscipientem non recipere gratiam, quia peccat, et sic ponit obicem gratiæ ; atque defectu hujus distinctionis exarsisse famosam illam controversiam inter S. Stephanum et S. Cyprianum, cæterosque rebaptizantes. Hæc ibi.

Insuper observandum est his verbis : Ordo, ordinatio, ordinare, ordinari, non semper apud antiquos significari sacramentum Ordinis conferens characterem, sed quandoque restitutionem honoris et privilegiorum, atque exercitii potestatis suspensæ, quæ fiebat resipiscentibus cum impositione manuum, et etiam aliquando adhibitis rursus insignibus et instrumentis ordinationum ; ut constat ex hoc capite 28 concilii Tolet. 4, anno 633 : « Episcopus, presbyter, aut diaconus, si, a gradu suo injuste dejectus, in secunda synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altari de manu episcopi : si episcopus est, orarium, annulum et baculum ; si presbyter, orarium et planetam ; si diaconus, orarium et albam ; si subdiaconus, patenam et calicem ; et sic reliqui gradus ea in reparationem sui recipiant, quæ, cum ordinarentur, perceperunt. » Ex his observationibus facilis erit responsio ad objecta.

Obj. 1° : Concilium Nicænum 1, can. 8, jubet ut ordinati a novatianis « ordinentur, et sic maneant in clero » : ita refertur a Gratiano, d. 7, cap. 8. 2° Innocentius I, epist. 18, ratum habet Baptisma, non ordinationes hæreticorum. 3° Synodus Constantinopolitana, can. 4, habet irritas ordinationes factas a Maximo Cynico, qui ejusdem ecclesiæ sedem dolo usurpaverat. 4° Stephanus IV declaravit irritas ordinationes factas a Constantino in sedem Romanam intruso, et ab ipso ordinatos iterum ordinavit. 5° Synodus octava nullas declaravit ordinationes factas a Photio sedis Constantinopolitanæ invasore. 6° Leo IX, sæculo XI, cassavit ordinationes factas a simoniacis, et plures simoniace ordinatos reordinavit. 7° Hincmarus in synodo Suessionensi irritavit ordinationes Ebbonis exauctorati. 8° Stephanus VII ordinatos a Formoso prædecessore suo iterum ordinavit. 9° Cæcilianus, ordinatus episcopus Carthaginensis a Felice Aptungitano, quem donatistæ dicebant esse traditorem, et ob quam causam rejiciebant ordinationem Cæciliani, dicit ipsis apud Optatum, l. 1, n. 19 : « Ut si Felix in re, sicut illi arbitrabantur, nihil contulisset, ipsum tanquam adhuc diaconum ordinarent in episcopum. » 10° Denique Ecclesia potest adhibere quædam impedimenta ut schisma, hæresim, simoniam, quæ ordinationem irritam reddant, sicut apponit in Matrimonio.

Resp. ad primum : 1° Textus Græcus a Dionysio Exiguo sic vertitur : « Ut, impositionem manuum accipientes, sic in clero permaneant »; ab Herveto : « Ut, impositis eis manibus, sic in clero maneant » : emendanda itaque lectio Gratiani quam accepit ab Isidoro Mercatore. 2° Dicatur sive « ordinentur », sive « impositio manuum », intelligendum est de restitutione in gradum honoris, et exercitium potestatis, ut observabam modo. Sunt quidem qui per impositionem manuum, seu ordinationem, intelligunt ordinationem sacramentalem, non iteratam : sed factam a novatianis, ita ut sensus sit : « Eos qui manus impositionem perceperunt, ita in clero permanere »; seu : « Ut qui illis erant ordinati, sic maneant in clero». Ita habent antiquiores versiones, et ita acceperunt S. Hieron. in *Dialogo adversus Lucifer.*, et Innocentius I, epist. 22, ad episcopos Maced.

Ad secundum : Innocentius habet ratum Baptisma et non ordinationes hæreticorum, quatenus baptizati ab hæreticis dum redeunt ad Ecclesiam, statim, sublata fictione, recipiunt gratiam qua privabantur; at ab eis ordinati, non statim ac redeunt, recipiunt honorem clericatus et functionem sui ordinis.

Ad tertium : Synodus habuit irritas ordinationes Maximi Cynici, non quoad characterem, sed quoad ejus functiones.

Ad quartum : Similiter Stephanus irritavit ordinationes Constantini quoad gradum et functiones, et eas iteravit, id est, adhibuit cæro-

moniam, qua, exhibitis iterum insignibus ordinationis, prius ordinati restituebantur in gradum et functiones.

Ad quintum, eadem est responsio : Ordinationes Photii declaratæ sunt irritæ quoad gradum et exercitium functionum, non quoad substantiam et characterem, siquidem ipse Photius et ordinati ab ipso in suis gradibus postea restituti fuerint, absque nova ordinatione.

Ad sextum, iterum eadem responsio : Leo cassavit ordinationes, id est, prohibuit usum gradus et functionum; reordinavit, id est, cæremoniis adhibitis restituit in gradum et functiones. Patet quia Petrus Damianus narrat quod, cum ex hac cassatione seu suspensione perpetua ab ordinum functionibus tumultus esset exortus, eo quod divina officia et missæ amplius non celebrarentur, Leo priorem sententiam temperavit, et edixit ut qui scienter a simoniacis ordinati essent « quadraginta dierum pœnitentiam agerent, et sic in accepti ordinis officio ministrarent. » Dubium ergo quo pulsabatur pontifex, et de quo loquitur Damianus, verisimiliter non erat de substantia ordinationis, sed de pœna imponenda sic ordinatis, an deberet esse degradatio seu suspensio perpetua . Quanquam daremus dubitasse ad tempus de substantia ordinationis, nihil noceret ; non enim negamus aliquando de validitate hujusmodi ordinationum dubitatum fuisse.

Ad septimum : Quæ fecit Hincmarus cum collegis in synodo Suessionensi rescissa sunt a Nicolao I, epistola data 8 idus decembris anno 866. Insuper, in toto hoc negotio, non agebatur de substantia ordinis accepti, sed de functionum exercitio.

Ad octavum : Ex facto impio et inhumano Stephani in Formosum nihil potest erui contra conclusionem ; maxime cum omnes, exceptis paucis qui Stephano adhærebant, starent pro validitate ordinationum Formosi.

Ad nonum : 1° Responsum Cæciliani erat conditionatum : « Si Felix nihil contulisset. » 2° Hoc dixit Cæcilianus « ad irridendos (donatistas), quoniam certus erat ordinatores suos non esse traditores », inquit S. Augustinus in Breviculo collationis tertiæ diei, cap. 16.

Ad decimum, neg. ant. et paritatem : Disparitas est quod potestas ordinandi fundetur in charactere quem delere non potest Ecclesia ; at sacramentum Matrimonii fundatur in contractu valido, cujus validitas pendet ex legibus Ecclesiæ et principum : de quo infra.

Quod objici posset ex S. Cypriano et aliis rebaptizantibus, non urget; notum est enim eos ordinationis extra Ecclesiam factæ, sicut Baptismi extra Ecclesiam collati, validitatem immerito impugnasse. Cætera argumenta require loco citato de Sacramentis in genere.

APPENDIX.

DE ORDINATIONIBUS ANGLICIS.

Hoc de argumento multa scripserunt his temporibus noster P. Le Quien, P. Hardouin, P. Boucat, D. Tournely, etc., adversus P. Le Courayer, pro harum ordinationum validitate decertantem.

Quæstio est de ordinationibus factis secundum rituale Eduardi VI, approbatum a pseudo-synodo Londinensi, anno 1562, quo ritu ab hoc tempore factæ sunt et fiunt ordinationes Anglicæ, fatentibus P. Le Courayer et scriptoribus Anglis.

Sic autem statuitur in hoc rituali : 1° episcopus ordinator exigit ab ordinando mandatum regium, loco bullarum Summi Pontificis; 2° exigit juramentum de suprema regis potestate in spiritualibus et temporalibus, rejiciendo « omnes extraneas potestates, superioritates et auctoritates», consequenter auctoritatem Papæ et conciliorum ; 3° interrogat « an sibi persuasum habeat se vocatum esse juxta voluntatem Christi et constitutionum hujus regni », quæ in eo sita est, ut abdicata Summi Pontificis obedientia et ecclesiæ Romanæ doctrina, propugnentur novæ hæreses receptæ in Anglia ; 4° interrogat utrum persuasum habeat « sacras Scripturas sufficienter ad salutem requiri »; consequenter inutiles et rejiciendas esse traditiones ; 5° interrogat « num paratus sit fidelem et diligentem operam impendere ad exterminandam quamcumque peregrinam, erroneam, verboque divino contrariam doctrinam, aliosque tam privatim quam publice ad idem faciendum provocare atque excitare. » Hæc autem doctrina peregrina, erronea et verbo divino contraria, in sensu interrogationis est manifeste Romana. His igitur interrogationibus aperte continetur doctrina hæretica ecclesiæ Romanæ directe contraria.

Postquam episcopus designatus ad hæc omnia interrogata suis responsionibus affirmatis satisfecit, episcopus consecrator, impositis super illum manibus, formam ordinationis pronuntiat his verbis : « Deus omnipotens, Pater noster cœlestis, qui hanc tibi vo-

luntatem concessit, concedat insuper vires ac facultatem AD HÆC efficaciter præstanda, ut opus istud suum, quod incœpit in te, absolvat, teque integrum ac inculpabilem inveniat in illo supremo die, per Jesum Christum Dominum nostrum : Amen. » His suppositis,

Resp. ordinationes Anglicas esse absolute invalidas.

Prob. ex insufficientia formæ in his ordinationibus adhibitæ.

Primo : Christus est auctor omnium sacramentorum ; et quorum formas non determinavit in specie, determinandas reliquit, non alicui ecclesiæ particulari, aut privatis hominibus ; alioquin tot forent sacramentorum formæ, quot sunt particulares ecclesiæ, aut privati hominum conventus ; sed universæ et uni suæ Ecclesiæ : atqui ordinationum Anglicarum forma non est ab Ecclesia determinata, sed a privatis hominibus, laicis et hæreticis : ergo.

Secundo : Forma secundum se et seorsim ambigua, et ex adjunctis circumstantiis aperte hæretica, non est sufficiens ad validam ordinationem : atqui talis est forma ordinationum Anglicarum : ergo. Prob. min. Dum dicitur : « Deus omnipotens concedat facultatem ad hæc efficaciter præstanda », non significatur quid per τὸ *ad hæc* sit intelligendum, ideoque ambiguum ; attentis autem interrogatis et responsis immediate præcedentibus , evidens est per τὸ *ad hæc* intelligi hæreticam doctrinam in his contentam, atque perinde esse ac si diceretur : Deus concedat tibi vires et facultatem ad propugnandum primatum regis in spiritualibus, ad debellandam auctoritatem Sedis apostolicæ, ad impugnandas traditiones, ad conculcandam doctrinam ecclesiæ Romanæ et ad asserendos errores novatorum ; hæc enim omnia continentur in interrogatis et responsis immediate præcedentibus : ergo.

Atque hoc duplici argumento arbitror exsufflari omnes argutias Patris Le Courayer, ideoque supervacaneum esse plura addere ; quæ tamen si videre cupiat curiosus lector, adeat scriptores prius laudatos.

ARTICULUS III.

DE SUBJECTO ORDINATIONIS.

Triplicem quæstionem hic proponimus resolvendam : primam, quinam sint capaces ordinationis ? secundam, quæ dispositiones requirantur in ordinando ut licite recipiat ordines ? tertiam, quæ sint obligationes ordinatorum ?

§ I.

Quinam sint capaces Ordinationis ?

Difficultas est de mulieribus, de non baptizatis, de infantibus et de invitis. Mulieres non solum in diaconissas, sed in presbyteras et episcopas ordinabant montanistæ, teste S. Epiphanio *Hæresi* 49, et S. Aug., l. de *Hæres.*, c. 27. Non baptizatos posse valide ordinari opinati sunt quidam tempore Innocenti III, ineunte sæculo 13. Infantes esse Ordinis incapaces docet Durandus, quem sequitur Honoratus Tournely contra communem sensum theologorum. Invitum valide ordinari censent Morinus, Decocq, Vanroy et pauci alii : contra quos omnes pono sequentes conclusiones.

Dico 1° : Mulier est incapax Ordinis. [1]

Ratio a priori est voluntas Christi quæ nobis innotescit ex Apostolo et ex traditione.

Ex Apostolo [2] qui 1 Cor. 14, 1 ad Timoth. 2 et ad Ephes. 5, scribit mulieri non esse permissum loqui in ecclesia, nec docere, nec dominari in virum, sed eam debere discere in silentio cum omni subjectione : atqui Ordinis charactere insignitis competit ex officio loqui in ecclesia, docere et habere aliquam superioritatem et præeminentiam in alios : ergo. Item, epist. citata ad Cor. 11, dicit : *Turpe est mulieri tonderi*, eique præcipit ut *velato capite* semper incedat : ergo nec tonsuræ clericalis est capax.

Ex traditione : Christus condendo Ecclesiam solos viros sacerdotes ordinavit in ultima cœna, non mulieres, nequidem sanctissimam Matrem, cui tamen hæc dignitas præ cæteris omnibus mulieribus competebat, si alicui concedenda fuisset. A Christo usque nunc, neque per Apostolos, neque per eorum successores, ulla unquam mulier fuit sacramentaliter ordinata : ergo.

Congruentias plures protulit Apostolus locis citatis ; 1° quia vir est caput mulieris, sicut Christus Ecclesiæ ; ideo non mulier viro, sed vir mulieri debet dominari ; 2° quia mulier est ex viro, non vir ex muliere ; 3° quia mulier est propter virum, non vir propter mulierem. [3] Ad hæc conformiter Doctor noster : Per sacramentum Ordinis, inquit, significatur et confertur aliqua eminentia gradus, quæ

[1] Supp. q. 39, a. 1 o. [2] Ibid. [3] Ibid.

non habet locum in muliere; cum, ut dictum est, sit collocata in statu subjectionis, et ideo ejus status repugnat significationi sacramenti. Addo ex S. Bonaventura in 4 d. 25, quod mediator noster, cujus legatione funguntur sacerdotes, vir fuerit, non mulier.

Dices 1° : In Veteri Testamento fuerunt quædam mulieres prophetissæ. Item Debbora præfuit populo Israelitico : ergo.

Resp. 1° in his quæ pendent a voluntate Christi non currere argumentum a pari, nec ullam aliam rationem esse quærendam nisi voluntatem instituentis. [1] 2° Disparitas est quod prophetia non sit sacramentum, sed donum Dei : unde ibi non exigitur significatio, sed solum res ; et quia secundum rem in his quæ sunt animæ, mulier non differt a viro, nam quandoque mulier, quantum ad animam, invenitur melior multis viris, ideo donum prophetiæ et alia hujusmodi potest recipere, sed non Ordinis sacramentum, cujus significatio non convenit statui subjectionis illius. [2] Quantum ad Debboram, non præfuit in sacerdotalibus, sed in temporalibus ex commissione extraordinaria, sicut et nunc possunt mulieres temporaliter dominari.

Inst. 1° : Abbatissæ præsunt in spiritualibus suis monialibus : ergo.

Resp. dist. ant. Abbatissæ præsunt prælatura ordinaria et proprie dicta [3], quæ sit jurisdictio ecclesiastica, neg. ; alias possent ferre censuras ; prælatura ex commissione et improprie dicta, quæ nihil aliud est quam quædam cura domestica, quæ ipsis committitur propter periculum cohabitationis virorum ad mulieres, conc. Insuper jurisdictio externa est ab Ecclesia ; jurisdictio interna in animas, qualis habetur per sacramentum Ordinis, est a Deo : unde esto prima concedi posset mulieribus, non sequitur quod secunda concederetur.

Inst. 2° : Secundum plures et probatos auctores mulier nomine Joanna fuit papa : ergo.

Resp. ant esse fabulosum, ut demonstrabo in Digressione historica. Sed illo gratis dato, nihil sequitur : sicut enim ipsa mulier decepit suos ordinatores mentiendo sexum, ut referunt isti auctores, sic ipsa decepta fuit, nec quidquam sacramentalis Ordinis, cujus erat incapax, per ordinationem accepit.

Inst. 3° : Saltem in primis Ecclesiæ sæculis erant diaconissæ : ergo.

Resp. diaconissas non fuisse sacramentaliter ordinatas, ut etiam ostendam in altera Digressione.

[1] Ib. ad 1. [2] Ib. ad. 3. [3] Ibid.

Dico 2° : Homo non baptizatus est incapax ordinationis.

Hæc conclusio probata manet ex his quæ diximus dissert. 3, de Baptismo, a. 1, petit. 2, ubi probavimus ex jure et rationibus, Baptismum ut januam et fundamentum aliorum sacramentorum, esse necessarium ad eorum validam susceptionem. Vide ibi.

Addo : Nemo potest esse minister publicus in Ecclesia, nisi sit ejus membrum: fit autem Ecclesiæ membrum per Baptismum. Item, nemo potest agere et generare nisi sit natus ; nascimur autem in Ecclesia per Baptismum, et in ea agimus ac spirituales filios generamus per Ordinem : ergo. Unde concilium generale Nicænum 1, can. 19, jubet paulianistas, qui non servabant formam Baptismi, rebaptizari, et ab eis ordinatos reordinari.

Dices 1° : Homo per fidem fit membrum Christi ; ergo est capax sacramentorum.

Resp. dist. ant. Homo per fidem fit membrum Christi inchoate et quoad unionem internam, conc. ; perfecte et quoad unionem tam internam quam externam, neg. Et ideo non est capax sacramentorum, per quæ Deus voluit Ecclesiam suam et ejus membra visibiliter colligari, ut dicit S. Augustinus.

Dices 2° : Socrates, l. 5 *Hist. tripartitæ*, c. 22, dicit Alexandriæ lectores assumi indifferenter ex fidelibus et catechumenis : ergo.

Respondi jam alibi ibi non agi de ordinatione, sed de officio legendi et psallendi, quod etiam laicis committitur, et catechumenis potest committi.

Dico 3° : Infantes sunt capaces ordinationis.[1]

Prob. 1° ex cap. *Tuæ Litteræ*, de Clerico [2] per saltum ordinato, l. 5, tit. 29, ubi Innocentius III eum qui, susceptis minoribus ordinibus infra annos discretionis, omisso diaconatu, ad sacerdotium fuerat promotus, jubet ordinari diaconum, non vero iterari minores ordines ante annos discretionis collatos : ergo censebat illos valide collatos.

Prob. 2° ab exemplis : 1° In vita Euthymii abbatis, auctore Cyrillo Scytopolitano, refertur ipsum triennem fuisse baptizatum, tonsum, et lectorem ordinatum. 2° In libro pontificali legitur Eugenium I, qui creatus est pontifex anno 652, fuisse clericum a cunabulis. Plura in hanc rem legi possunt apud Morinum, p. 3, de Sacr. Ordinat., exercit. 5, et Martennium, l. 1, de Antiquit. Rit., cap. 8, a. 3.

[1] Ib. a. 2. O [2] Ibid. in a. s. c.

Prob. 3° ratione : Sacramenta quæ imprimunt characterem non requirunt actum seu consensum ex parte infantis recipientis : ergo. Prob. ant., 1° in Baptismo et Confirmatione; 2° quia hujusmodi sacramenta conferunt non actum, sed potestatem ad actum : potestas autem præcedit actum : ergo licet infantes non possint habere actum Ordinis, possunt tamen habere potestatem seu characterem, sicut habent potentiam ratiocinandi, licet ejus actus non exerceant.

Dices 1° cum Durando : Ad validam susceptionem sacramenti requiritur intentio suscipientis, vel propria vel interpretativa, qualis est, v. g., intentio parentum in Baptismo suorum infantium : atqui neutra intentio est in infante respectu Ordinis; non propria, ut patet; neque interpretativa, quia voluntas parentum dici non potest voluntas parvulorum, nisi in iis quæ sunt de necessitate salutis, ut in Baptismo : ergo.

Resp. dist. maj. Ad validam susceptionem sacramenti requiritur intentio suscipientis adulti, conc., propter rationes quas deduximus dissert. 6, de Sacramentis in genere, a, 1 : vide ; suscipientis infantis, neg.; in eo enim neque propria, neque interpretativa voluntas requiritur, sed sufficit quod minister illi applicet formam et materiam cum intentione debita. Unde sicut, si renitentibus parentibus, baptizaretur, aut confirmaretur infans, esset valide baptizatus aut confirmatus: ita similiter, si iisdem renitentibus ordinaretur; cum hoc tamen discrimine quod sic baptizatus teneretur legem evangelicam servare, quia est necessaria saluti cui providere tenetur; at sic ordinatus non teneretur legibus clericorum, si vellet abstinere a functionibus Ordinis, quia illæ non sunt necessariæ ad salutem.

Inst. : In forma ordinationis dicit ordinator : « Accipe potestatem », etc.: ergo ex parte recipientis requiritur acceptatio, consequenter consensus.

Resp. neg. conseq. Quia ista potestas non traditur per donationem aut contractum, ad quem requiritur consensus contrahentis aut donatarii, sed per efficacem operationem virtute characteris episcopalis, respectu cujus recipiens se habet mere passive, sicut cera respectu sigilli. Nec magis mirandum quod dicatur infanti ordinando : « Accipe potestatem, quam quod dicatur infanti baptizando : « Accipe sal sapientiæ ; Accipe signum crucis. »

Inferes : Ergo infans potest esse et dici sacerdos et episcopus, quod videtur absurdum.

Resp. non esse absurdum quod infans sit et dicatur sacerdos; quia hæc denominatio non est ab actu, sed a potestate illi collata per ordinationem ; sicut infans baptizatus dicitur fidelis a fide, non actuali, sed habituali.

Quantum ad episcopatum, S. Th. hic videtur negare infantem ordinatum posse esse et dici episcopum, quia cum episcopus accipiat potestatem in corpus Christi mysticum, requiritur actus suscipientis curam animarum pastoralem. Verum duo distinguenda sunt in episcopo, scilicet extensio characteris seu potestas, et cura pastoralis animarum atque Ecclesiæ quacum init matrimonium spirituale : ad hoc secundum requiritur consensus, non ad primum. Et hoc sensu intelligendum esse S. Thomam docent nobiles ejus interpretes, Paludanus, Dominicus Soto, Gonet, etc.

Dices 2° cum Honorato Tournely : Nullum extat in tota traditione exemplum ordinationis valide collatæ infanti : ergo.

Resp. ex duabus primis probationibus conclusionis nostræ objicientem falsi convinci.

Dices 3° cum eodem : Nemo potest sine proprio consensu adstringi alicui statui, cui grave et indebitum onus est annexum, ut est continentia annexa Ordini : ergo.

Resp. infantem ordinatum, dum ad annos discretionis pervenerit, non teneri, ut jam dixi, ad legem continentiæ, si ab exercitio Ordinis velit abstinere.

Inferes : Ergo etiam amentes et dormientes possunt valide ordinari.

Resp. perpetuo amentes posse valide ordinari, quia eadem est ratio de illis ac de infantibus : amentes autem ad tempus, sicut et dormientes, si ante amentiam vel somnum habuerint voluntatem suscipiendi ordines, possunt valide ordinari ; secus, non possunt; quia, cum sint adulti, requiritur in eis aliqua intentio seu consensus. Confer locum citatum de Sacrament. in genere, dissert. 6, a. 1.

Repones : Non datur potestas ad actum impossibilem : atqui in pueris et perpetuo amentibus, actus Ordinis est impossibilis : ergo.

Resp. dist. maj. Non datur potestas ad actum impossibilem per se aut pro semper, conc.; impossibilem per accidens, aut ad tempus, neg. Sic in utrisque datur potestas ratiocinandi, quamvis in infantibus actus sit impossibilis ad tempus, et in perpetuo amentibus per accidens.

Dico 4° : Nemo absolute invitus valide ordinatur.

Probationes hujus conclusionis cum obje-

ctionibus require loco citato de Sacrament. in genere, dissert. 6, a. 1.

§ II.

Quæ dispositiones requirantur in subjecto ad legitime et licite suscipiendos ordines?

Diximus § præcedenti de requisitis ex parte subjecti ad validam ordinationem ; quærimus nunc de requisitis ad licitam ordinationem.

Dico : Novem conditiones seu dispositiones requiruntur in ordinando ad licitam susceptionem ordinum ; scilicet vocatio, recta intentio, probitas morum, scientia, ætas legitima, interstitia, titulus, ordinatio gradatim et non per saltum, ac tandem immunitas ab irregularite; quæ breviter probantur et explicantur.

Vocatio.

Prima dispositio in aspirante ad ordines est vocatio a Deo, juxta illud Apost. Heb. 5: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron : sicut Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu.* Unde Christus ipse sibi delegit Apostolos.

Ratio est quia altissima munia et gravissima onera ad quæ vocatur ordinandus, exerceri non possunt absque speciali Dei auxilio. Inter varia autem vocationis indicia potissimum est recta intentio : unde

Recta intentio.

Secunda dispositio est recta intentio ordinandi, scilicet, ut abdicatis curis sæcularibus liberius et devotius Deo serviat : unde peccat mortaliter qui sacræ militiæ adscribitur principaliter et præcise ut obtineat pingue beneficium, sicque lautius ac honorificentius vivat, ut docet Auctor 2 2 q. 185, a. 1, de episcopo appetente episcopatum propter divitias.

Ratio est quia utitur fruendis et fruitur utendis in re gravi. Secus tamen si principaliter intenderet Deo servire et secundario frui beneficio. Idem sub eadem distinctione plures censent de eo qui tonsuram tantum et minores ordines suscipit, eo præcise animo, ut beneficiis et privilegiis clericalibus ad tempus fruatur, et exinde ducat uxorem, aut aliter statum clericalem dimittat; quod tamen alii non probant.

Probitas morum.

Tertia dispositio est probitas morum ex Tridentino, sess. 23, cap. 12, ubi loquens de ordinandis, dicit : « Sciant tamen episcopi non singulos in ea ætate constitutos debere ad hos ordines assumi, sed dignos duntaxat, et quorum probata vita senectus sit. » Et cap. 14, de Promovendis ad sacerdotium : « Ita, inquit, pietate et sanctis moribus sint conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum et vitæ monita ab iis possint expectari. » Qualis debeat esse episcopns docet Apostolus 1 ad Timoth., c. 3, et ad Tit., c. 1 ; qualis præsbyter, ibidem ; qualis diaconus 1 Timoth. 3. Qui conscius peccati mortalis sine prævia confessione aut contritione, ordines, etiamsi minores, suscipit, peccat mortaliter ; secus, si tonsuram ; quia, secundum nos, minores sunt sacramenta, non tonsura.

Scientia.

Quarta dispositio est scientia, major vel minor pro ratione ordinis ad quem promovendus est.

Pro tonsura, Trid., sess. 23, cap. 4, requirit ut sit rudimentis fidei instructus, et sciat legere et scribere saltem suo idiomate. Pro minoribus ibid., cap. 11, requirit ulterius, ut saltem linguam latinam intelligat : « Minores ordines, inquit, iis qui saltem linguam latinam intelligant, per tempora interstitiorum, nisi aliud episcopo magis expediens videbitur, conferantur. » Ubi το *nisi aliud episcopo magis expediens videbitur,* secundum probabiliorem et communiorem interpretationem, afficit tantum interstitia et non intelligentiam linguæ latinæ, in qua proinde dispensare non potest episcopus.

Pro subdiaconatu et diaconatu ibid., cap. 13, requirit ut promovendi sint litteris et iis quæ ad ordinem exercendum pertinent, instructi. Pro sacerdotio , ultra quod debeat etiam intelligere suum ordinem, id est, scire materiam, formam, ritum celebrandi, rubricas, in quibus et quomodo obligent, qualis debeat formari intentio in missa, quæ dispositiones mentis et corporis, qui defectus occurrentes et quomodo sit ipsis supplendum ; requirit insuper Trid., ibid., cap. 14, ut « ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur » . Sacramenta autem

intellige quæ ministrare potest, scilicet Baptismum, Eucharistiam, Extremam-Unctionem, et in necessitate Pœnitentiam, cujus formam saltem scire debet. Quantum ad casus conscientiæ, quamvis dedeceat eos penitus ignorare, non tamen ita debet scire, sicut ille cui cura animarum incumbit.

Pro episcopatu, sess. 22, cap. 2, requirit quod « scientia ejusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere ; ideoque antea in universitate studiorum magister, sive doctor, aut licentiatus in sacra theologia, vel jure canonico, merito sit promotus, aut publico alicujus academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. »

Peccat ergo graviter episcopus admittens ad ordines prorsus illitteratos et ignorantes, præsertim ea quæ a Tridentino decernuntur, prævaricans in suo ministerio in grave damnum et injuriam Ecclesiæ : unde tenetur per se, vel per alios examinare, nisi de ipsorum sufficientia constet, ut si habeant litteras dimissorias a suo ordinario, vel a suo superiore regulari ; quos nihilominus iterum examinare potest, et insufficientes repertos repellere.

Ætas legitima.

Quinta dispositio est ætas legitima. Quidquid sit de jure antiquo, jure novo Tridentini pro tonsura et minoribus, nulla determinatur ætas, modo initiandi sciant quæ concilium citatum supra requirit in ipsis, et judicentur idonei muniis suis obeundis. Pro subdiaconatu requirit concilium, sess. 23, cap. 12, annum vigesimum secundum ; pro diaconatu, vigesimum tertium ; pro sacerdotio, vigesimum quintum : intellige pro quolibet ordine annum inchoatum, ita ut qui complevit, v. g., annum vigesimum quartum, si vel una hora anni vigesimi quinti effluxerit, possit ordinari sacerdos. Imo quidam docent, quod si inchoetur annus vigesimus quintus a meridie, possit eodem die mane ordinari ; quia, inquiunt, in favorabilibus dies inceptus habetur pro completo : ita Ledesma, Diana, etc., quos citat, et sequitur Andræas a Matre Dei. Verum id neque certum, neque tutum est : sicut nec quod alii dicunt, diem bissextilem non esse computandum ; quia annus requisitus computandus videtur juxta ritum et consuetudinem Ecclesiæ. Pro episcopatu autem requiritur trigesimus annus completus, cap. *Cum in cunctis* 7, Extra. l. 1, tit. 6.

Pro beneficio obtinendo, ex Trid., sess. 23, cap. 6, et sess. 24 cap. 12, requiritur decimus quartus annus inchoatus. Pro beneficio curato, aut dignitate, cui annexa est cura animarum, vigesimus quintus inchoatus. Pro aliis dignitatibus, quibus non est annexa cura animarum, annus vigesimus secundus inchoatus.

Pius II, constitut. *Cum Sacrorum*, data 15 kalend. decembris 1461, contra « temeritatem » illorum qui ante legitimam ætatem se ordinari faciunt, sic animadvertit : « Statuimus et ordinamus quod omnes et singuli, qui absque dispensatione canonica, aut legitima licentia, sive extra tempora a jure statuta, sive ante ætatem legitimam, vel absque dimissoriis litteris..... ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoveri, a suorum ordinum executione ipso jure suspensi sint, et si, hujusmodi suspensione durante, in eisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. »

Observandum est circa hanc constitutionem, in ea agi de sacris ordinibus tantum; 2° suspensionem hanc esse perpetuam, et non tantum usque compleatur ætas requisita, ut quidam absque fundamento interpretantur : unde qui etiam, post completam ætatem, in iis ordinibus ministrare « præsumeret, » id est, scienter, et non ex ignorantia, sine dispensatione pontificia aut episcopali, si factum sit occultum, irregularitatem incurreret.

Observantia interstitiorum et temporis a jure statuti.

Sexta dispositio est observantia interstitiorum et temporis a jure statuti.

Concilium Tridentinum, sess. 23., cap. 11, de Reform., jubet, ut minores ordines « per temporum interstitia, nisi aliud episcopo magis expedire videbitur, conferantur. » Idem ibidem, a minoribus ordinibus susceptis ad subdiaconatum requirit interstitia unius anni, « nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas, judicio episcopi, aliud exposcat. » Attamen consuetudine introductum est in pluribus diœcesibus, ut tonsura et minores simul eodem die conferantur, et subdiaconatus post unum vel alterum diem. Imo plures censent posse eodem die conferri tonsuram, quatuor minores et subdiaconatum, partim ex consuetudine pluribus in locis recepta, partim quia Tridentinum prohibet tantum eodem die conferri plures sacros ordines.

Item eadem sess., cap. 13 et 14, jubet servari interstitia unius anni inter subdiaconatum

et diaconatum, similiter unius anni inter diaconatum et sacerdotium, « nisi ob Ecclesiæ utilitatem, aut necessitatem, aliud episcopo videretur. » Ista autem utilitas aut necessitas non debet esse publica et totius Ecclesiæ, sufficit quod sit alicujus ecclesiæ particularis aut monasterii. Annus autem interstitiorum non computatur mathematice a die ad diem, sed ecclesiastice a quatuor temporibus unius anni, ad eadem quatuor tempora sequentis anni. Qui, non servatis interstitiis, sine dispensatione ordinaretur, peccaret graviter contra Ecclesiæ præceptum; non tamen incurreret suspensionem aut irregularitatem, quia nulla est ideo lata in jure.

Dispensare in interstitiis pertinet ad episcopum ordinandi, non ad ordinatorem, si vi dimissorialium extraneum ordinet. Quantum ad regulares, quidam tenent ab ipsis suis superioribus posse et debere dispensari, et vi privilegii Alexandri VI, posse tribus diebus dominicis aut festis consecutivis tres sacros ordines recipere; neque istud privilegium esse a Tridentino revocatum, quinimo confirmatum et innovatum post Tridentinum a Gregorio XIV et Clemente VIII, apud Rodrigues. Verum esto ita sit: quid proderit istud privilegium, si episcopus, cui persuasum est sibi propriam esse hac in re dispensandi facultatem, nolit admittere hanc dispensationem, nec ordines conferre?

Quantum ad tempus ordinationis: Quatuor minores solent conferri feria quarta aut sexta ante sabbatum quatuor temporum. Possunt etiam conferri privatim pro aliquibus, non generaliter pro omnibus, quavis die dominica, aut festo duplici, ex pontificali Romano.

Pro collatione vero sacrorum ordinum, sex sabbata a jure determinantur, scilicet sabbatum ante dominicam secundam quadragesimæ, ante dominicam Passionis, ante festum Paschæ, ante dominicam Trinitatis, ante dominicam quartam septembris, et ante festum Nativitatis, nisi incidat in dominicam; tunc enim est sabbatum præcedens. Qui sine licentia Summi Pontificis ordinatur extra tempora, incurrit suspensionem, et si ministret in ordine, irregularitatem, ut dixi prius ex bulla Pii V.

Quantum ad regulares, videtur quod illustrissimi episcopi, si ita ipsis placeret, possent tuta conscientia, absque dispensatione pontificia, illis conferre ordines sacros extra tempora, diebus dominicis aut festis: ita ferunt eorum privilegia ab Alexandro VI, Eugenio IV et aliis concessa, quæ nec videntur revocata a Tridentino; et dato quod possit prætendi aliqua revocatio, ea post Tridentinum confirmarunt et innovarunt Gregorius XIV et Clemens VIII: ita censent Rodrigues, Barbosa, Portellus, Diana, Philibert, etc., quos citat, et sequitur Andræas a Matre Dei, hic tract. 8, c. 4, puncto 5.

Titulus.

Septima dispositio est titulus. Est autem titulus jus perpetuum ad necessaria pro congrua et decenti sustentatione clerici, sive ex beneficio, sive ex patrimonio, sive ex professione religiosa; unde triplex est titulus, nempe beneficii, patrimonii, et professionis religiosæ.

Circa hanc dispositionem, seu conditionem requisitam, sequentia statuit Trid., sess. 21, cap. 2.

1° Requirit beneficium quod « ad victum honeste sufficiat », consequenter perpetuum: unde quis illicite ordinaretur titulo beneficii, judicio prudentum, aut secundum legem diœcesis, insufficientis, nisi adjuncto patrimonio fiat sufficiens, sicque ex utroque coalescat titulus integer. Pariter ordinaretur illicite titulo vicariæ temporalis: licite autem titulo capellaniæ perpetuæ: item præstimonii seu pensionis perpetuæ ex aliquo beneficio, si aliunde sufficiant ad victum.

2° Requirit beneficium « pacifice possessum »: unde non sufficit beneficium litigiosum, neque speratum tantum, neque simplex præsentatio, aut nominatio ad beneficium.

3° Prohibet ne ordinatus titulo beneficii, ipsum « beneficium resignare possit, nisi facta mentione quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito quod aliunde commode vivere possit, et aliter facta resignatio sit nulla. »

4° Declarat titulo patrimonii ordinari non posse « nisi eos quos episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum. »

Nota ante duodecimum sæculum neminem ordinari nisi titulo beneficii, et primam mentionem patrimonii haberi in concilio Lateranensi III, sub Alexandro III, anno 1179, in quo statuitur quod episcopus qui sine titulo beneficii clericum ordinasset, ei ad vitam necessaria ministrare teneretur, nisi ex bonis patrimonialibus habeat subsidium. Idem Innocentius III, cap. *Cum secundum*, de Præ-

bendis, et cap. *Accepimus*, de Ætate et qualitate, etc.

5° Vult « patrimonium vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint. » Hinc inferes eos peccare mortaliter contra Ecclesiæ præceptum qui ordinantur cum patrimonio ficto, sive sit datum eo animo et pacto ut ordinatus ejus dominium non acquirat, nec eo utatur, sive eo pacto ut ejus dominium saltem apparenter acquirat, sed post ordinationem reddat, sive quia est bonum hypothecatum, sive quia declarantur proventus annui longe pinguiores quam sint, et tanquam sufficientes secundum morem, seu taxam diœcesis, cum tamen sint notabiliter insufficientes.

6° « Declarat quod hoc patrimonium et pensio deinceps sine licentia episcopi alienari aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint » : unde non est improbabile quod ista alienatio vel remissio sine licentia episcopi sit invalida, tum ex ipso textu concilii, *Nullatenus possunt ;* tum quia episcopus in hoc patrimonium quoddam jus acquisivit, ne teneatur alere ordinatum ; tum quia videtur eadem ratio ac de beneficio.

Sed quæstio est utrum obtento beneficio, aut alia possessione sufficienti, requiratur adhuc necessario licentia episcopi ad alienandum patrimonium. Quidam negant, et hærendo litteræ non est improbabile; alii affirmant, quia alias frustra requireretur licentia episcopi : is enim ante obtentionem beneficii aut alterius boni sufficientis, nec vellet nec posset dare licentiam prius patrimonium alienandi : requiritur ergo ejus licentia ut obtento beneficio, vel alio patrimonio sufficienti, prius alienari possit : unde hæc particula *donec*, limitat consensum episcopi ad tempus novæ acquisitionis, ita ut sensus sit : Non permittat episcopus alienari patrimonium, donec ipsi constet ordinatum hoc titulo habere aliunde quo vivere possit ; et hoc est probabilius.

7° Denique synodus « *antiquorum canonum pœnas super his innovat* ».

Pœna ordinantis scienter sine titulo est obligatio alendi promotum, si aliunde non habeat unde vivat, ex concilio Lateran. et juribus supra citatis. Dixi : Scienter ; si enim, adhibita sufficienti diligentia, deceptus fuit episcopus, ad nihil tenetur, neque si patrimonium postea destruatur, neque si extraneum cum dimissoriis ordinaverit ; mittentis enim est examinare patrimonium sui subditi. Si vero episcopus sive ordinans, sive mittens, examen patrimonii commiserit vicariis generalibus aut examinatoribus, et ipsi falso testentur veritatem et sufficientiam patrimonii, hi tenentur loco episcopi ad alendum promotum.

Pœna ordinati sine titulo aut cum titulo ficto, juxta cap. *Neminem* concilii Chalcedo. et cap. *Sanctorum* Urbani II, d. 70, est suspensio ab ordinis executione. Sed cum Innocentius III, qui obiit 1216, cap. *Cum secundum*, extra de præbendis, l. 3, tit. 5, hanc clerici sine tutulo ordinati pœnam mutaverit in obligationem impositam episcopo illum alendi , videaturque Tridentinum innovasse tantum canonum pœnas quæ tunc vigebant, non vero revocatas, quidam censent ordinatum sine titulo, aut cum titulo ficto, nullam pœnam nunc incurrere.

Attamen probabilius videtur eum incurrere suspensionem latam per antiquos canones, 1° quia concilium dicit se « innovare », quo significat se non tantum pœnas tunc vigentes confirmare, sed etiam revocatas innovare. Insuper dicit « antiquorum canonum », respiciens potius, ut videtur, ad antiquos canones concilii Chalcedonensis et Urbani II quam ad recentiores concilii Lateranensis et Innocentii III; 2° quia si episcopus decipiatur ab ordinato, non tenetur illum alere, sicque nulla erit pœna: quod videtur contrarium concilio innovanti pœnas antiquorum canonum ; 3° quia refertur a Fagnano resolutio sacræ Congregationis Cardinalium data 27 novembris 1610, his verbis : « Sacra Congregatio Cardinalium censuit clericum, qui, adhibito dolo confictoque titulo ordinatorem decepit, esse ipso jure suspensum, carereque ordinum functione. » Hanc autem suspensionem etiam incurrit, qui, etsi consentiente episcopo, ordinatur sine titulo.

Petes 1° utrum qui ordinatur cum vero titulo, sed insufficienti, incurrat suspensionem?

Resp. probabiliter negative ; quia cum probabile sit juxta antiquos canones non requiri titulum sufficientem ad sustentationem, sed quemcumque; etiam probabile est, quod qui ordinatur cum titulo tenuiori, licet peccet mortaliter contra præceptum Tridentini, non incurrat tamen suspensionem latam ab antiquis canonibus, et a Tridentino innovatam.

Petes 2° utrum qui habet patrimonium cum pacto illud reddendi post ordinationem, incurrat suspensionem?

Videtur quod non; quia tempore ordinationis habet verum titulum, licet postea reddendum.

Resp. tamen probabilius affirmative; quia hujusmodi donatio tituli post ordinationem reddendi, videtur in foro conscientiæ nulla; non enim donans intendit vere donare et transferre dominium, sed apparenter tantum, ut decipiatur episcopus; alioquin si vere donaret et transferret dominium, donatarius non posset reddere sine licentia episcopi, qui illam certo non concederet. Equidem in foro exteriori, donanti, eo quod Ecclesiam decipiat, non datur actio in donatarium; sed aliud est in foro conscientiæ.

Petes 3° utrum exercens ordinem in hac suspensione incurrat irregularitatem?

Resp. affirmative; quia effectus violationis cujuscumque suspensionis a functionibus sui ordinis, est irregularitas, cap. *Cum æterni* 1, de Sententia et re judicata, l. 2, tit. 14, in 6; cap. *Cum medicinalis* 1, et cap. *Is cui* 20, de Sentent. Excommunicat., l. 5, tit. 11, in 6.

Quantum ad regulares, eis sufficere pro titulo professionem solemnem in religione approbata, indicatur can. 6 concilii Chalcedo., ubi reponens eos in eodem loco cum beneficiatis, decernit nullum esse ordinandum « nisi specialiter in ecclesia civitatis vel pagi aut in martyrio (hi tunc erant tituli beneficiorum), aut in monasterio, qui ordinandus est, pronuntietur. » Quod deinde variis constitutionibus et usu perpetuo firmatum est; et merito, cum religiosi ex bonis monasterii, aut ex fidelium eleemosynis, habeant unde vivant.

Dixi : Professionem solemnem; quia novitii et non professi solemniter, non possunt titulo paupertatis ordinari, ex bulla Pii V, *Romanus Pontifex Sacrorum*, 75, in qua et ordinatus suspenditur ab exercitio ordinum, et ordinans a collatione ordinum per annum. Excipe tamen patres societatis Jesu, qui ex speciali concessione Gregorii XIII, post simplicem professionem, possunt ordinari.

Ordinatio per gradus et non per saltum.

Ordinatio per saltum dicitur, quando quis, omisso ordine inferiori, suscipit superiorem, v. g., si subdiaconus, omisso diaconatu, fiat sacerdos.

Quamvis ordinatio per saltum sit graviter prohibita[1], cap. *Sollicitudo*, d. 25, cap. *Tuæ litteræ* de Clerico per saltum ordinato, et Trid., sess. 23, cap. 14, de Reform., est tamen valida, cum jura laudata jubeant tantum conferri inferiorem omissum, non iterari superiorem susceptum; et aliunde sunt potestates distinctæ, et una, quantum est de sui ratione, non requirit aliam in eodem subjecto; excipe episcopatum, qui essentialiter supponit ordinem, ut dicemus infra.

Probabilius est quod ordinatus per saltum incurrat suspensionem ex cap. *Tuæ litteræ* citato, et ex Tridentino citato, ubi dicitur : « Cum promotis per saltum, si non ministraverint, episcopus ex causa legitima possit dispensare. » Supponit ergo incurrisse suspensionem, in qua indiget dispensari.

Qui vero exercet functiones ordinis quem non suscepit, ipso facto fit irregularis, cap. *Si quis baptizaverit*, de Clerico non ordinato ministrante, extra l. 5, tit. 28.

Immunitas ab irregularitate.

Irregularitas est impedimentum canonicum, quo quis redditur directe et primario inhabilis ad ordines licite suscipiendos, consequenter ad eos exercendos. Dixi : Licite; quia irregularis valide ordinatur. Amplior explicatio pertinet ad materiam de censuris.

ARTICULUS IV.

DE CONTINENTIA ANNEXA SACRIS ORDINIBUS.

Clericos majores adstringi recitationi horarum canonicarum ex universali Ecclesiæ consuetudine vim legis habente, dixi in tract. de Religione, dissert. 2, a. 8. Præter hanc obligationem contrahunt aliam de continentia perpetuo servanda : de qua modo.

Dico 1°: In ecclesia Occidentali omnes clerici majorum ordinum ab episcopo ad subdiaconum inclusive, tenentur servare continentiam perpetuam, ita ut nec post Ordinem susceptum, Matrimonium contrahere possint, nec Matrimonio ante Ordinem contracto uti.

Constat ex varius textibus juris, cap. *Presbyteris*, d. 27, cap. *Si qui*, Extra. l. 3, tit. 3, et pluribus aliis infra citandis. Unde concilium Trid., sess. 24, can. 9, sic definit : « Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos.. posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto..., anathema sit. »

Viguit ista lex ab Ecclesiæ incunabulis sal-

[1] Supra q. 35, a. 5.

tem quoad sacerdotes et diaconos, ut constat ex concilio Carthag. secundo, anno 390, can. 2, ubi dicitur : « Placuit et condecet sacrosanctos antistites et Dei sacerdotes, nec non et levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. »

Dixi : Saltem quoad sacerdotes et diaconos ; videtur enim quoad subdiaconos non eamdem semper fuisse disciplinam in ecclesia Latina. In altero enim concilio Carthaginensi quinto, anno 398, can. 8, legitur : « Placuit episcopos et presbyteros et diaconos, secundum priora statuta, etiam ab uxoribus contineri... cæteros autem clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque ecclesiæ consuetudinem observari debere. » S. Leo invenitur primus qui expresse nominavit subdiaconos, prohibens ipsis ut episcopis, sacerdotibus et diaconis, non solum contrahere Matrimonium, sed etiam Matrimonio ante subdiaconatum contracto uti ; sic enim habet epist. 84, nunc 12, cap. 4: « Nec subdiaconis connubium carnale conceditur, ut et qui habent, sint tanquam non habentes, et qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine qui quartus a capite est, dignum est custodiri, quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est ! »

Neque tamen tunc ubique obtinuit hoc decretum, siquidem post sæculum integrum tempore S. Gregorii, subdiaconi in Sicilia adhuc uterentur Matrimonio prius contracto ; et anno 721, in concilio Romano sub Gregorio II, can. 1, 2 et 4, et in altero concilio Romano sub Zacharia, anno 743, fit mentio continentiæ presbyterorum et diaconorum, nulla subdiaconorum. Undecimo tantum sæculo videtur ubique recepta lex de continentia subdiaconorum : unde Leo IX, qui obiit anno 1054, contra epitolam Nicetæ abbatis : « Omnino, inquit, contitemur non licere episcopo, presbytero, diacono, subdiacono, propriam uxorem causa religionis abjicere a cura sua, scilicet, ut ei victum et vestitum largiatur, non ut cum illa ex more carnaliter jaceat..... nec sit deinceps inter eos carnale conjugium. » Refertur cap. *Omnino*, d. 31. In concilio Melfensi, anno 1089, sub Urbano II, can. 12, sic decernitur : « Eos qui in subdiaconatu uxoribus vacare voluerint, ab omni sacro ordine removemus, officio atque beneficio Ecclesiæ carere decernimus. » Mirum videri non debet tardius hanc legem viguisse pro subdiaconis ; siquidem subdiaconatus non semper annumeratus fuerit inter sacros ordines.

Dixi : In ecclesia Occidentalia, quia apud Græcos, quamvis semper fuerit prohibitum saltem presbyteris et episcopis, et etiam nunc sit prohibitum diaconis contrahere Matrimonium post ordinem susceptum, attamen a tempore concilii Trullani, seu Quinti-Sexti, presbyteri, diaconi, et subdiaconi, non episcopi, utuntur Matrimonio prius contracto, idque tolerat Ecclesia pro bono pacis.

Dico 2° : Continentia annexa est ordini sacro [1], non jure naturali aut divino, sed ecclesiastico.

Non jure naturæ [2], quia licet congruum sit ut qui sacra sacramenta tractant, munditiam corporalem per continentiam servent, id tamen per se necessario non exigit ordo, quia per illum homo non traditur Deo ad vivendum caste, sicut per religiosam professionem, sed tantum ad sacrum ministerium exercendum, cui essentialiter non repugnat Matrimonium ; ut patet ex se et in levitis, imo et summis sacerdotibus antiquæ legis qui uxores ducebant.

Non jure divino, quia neque in S. Scriptura, neque in traditione est assignabile, ut patebit ex sol. object.

Confirm. utraque pars : Apud Græcos, clerici majores, exceptis episcopis, licite utuntur Matrimonio, ante ordinationem contracto, cap. *Aliter*, d. 23, ex Stephano papa, et cap. *Cum olim* de Clericis conjugatis, Extra. l. 3, tit. 3, ex Innocentio III; item ex concilio Florentino, et aliis in quibus cum ageretur de unione utriusque ecclesiæ, Latini adversus hanc Græcorum disciplinam non sunt conquesti : atqui si continentia esset annexa ordini sacro, jure naturæ aut divino, clerici majores apud Græcos non uterentur licite Matrimonio, etiam accedente dispensatione Ecclesiæ, quippe quæ dispensare non potest in jure naturæ aut divino : ergo.

Dico 3° : Rationabiliter atque convenienter Ecclesia annexuit ordini sacro continentiam.

Est contra novatores qui legem hanc velut injustam, tyrannicam, verbo Dei ac ipsi naturæ contrariam traducunt.

Prob. 1° ex Apost., 1 Cor. 7, ubi vult conjugatos abstinere ad tempus ab usu conjugii, ut vacent orationi : atqui sacrorum ministrorum officium est pro populo semper orare et ministeria sacra peragere : ergo congrue admodum interdicuntur usu conjugii.

2° Idem Apostolus, 2 Timoth. 2, vult ipsum ut bonum militem Christi, non implicari ne-

[1] Ib. et 2, 2 q. 88, a. 1, 1. [2] Hic Ib.

gotiis sæcularibus : atqui nihil magis implicat negotiis sæcularibus quam officium conjugale et curæ matrimoniales : ergo.

3° Sacerdotes in antiqua lege tempore vicis suæ ab uxoribus abstinebant : ergo rationabiliter Ecclesia exigit ut sacerdotes et sacri ministri novæ legis, qui quotidiani et longe dignioris ministerii necessitatibus occupantur, ab uxoribus abstineant. Ita Innocentius I, epist. 9, *ad Victricium Rothomagensem.*

4° Si sacri ministri non secus ac sæculares uxoribus uterentur, 1° minus honorarentur a populo ; 2° minus expediti essent ad faciendas eleemosynas ; 3° proventus ecclesiastici passim applicarentur usibus profanis, et beneficia ecclesiastica ad filios quasi hæreditario jure transmitterentur ; sin minus Ecclesia teneretur eos alere : ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° contra secundam conclusionem : Ordini sacro annexum est votum solemne castitatis : atqui hac ratione professio religiosa ex natura rei dirimit Matrimonium : ergo.

Resp. neg. ant., si intelligatur de voto stricte solemni ; etenim votum proprie solemne castitatis dicit traditionem personæ voventis ad continentiam servandam : ordinatio autem sacra ex se non dicit traditionem ordinati ad continentiam, sed ad sacrum ministerium, de cujus essentia non est cœlibatus, sicut est de essentia religionis ; religio enim essentialiter constituitur ex tribus votis: si quod ergo votum castitatis nunc includat ordinatio sacra, id fit juxta dispositionem Ecclesiæ, nec est votum solemne sed simplex; vocatur quidem solemne a Benifacio VIII, tit. de Voto et voti redemptione in 6, non quia sit stricte tale, sed quia solemnizatur per solemnem consecrationem, seu sacram ordinationem, secundum quam habet quod dirimat Matrimonium sicut votum solemne religionis : unde dici potest et debet solemnizatum et non solemne.

Inst. : Sacris ordinibus initiati, sunt Deo sacri, seclusa omni lege ecclesiastica et voto : atqui contra naturam est quod res Deo sacra convertatur ad usus profanos, sicut, v. g., quod calix deserviat potui communi : ergo.

Resp. dist. maj. Sacris ordinibus initiati sunt Deo sacri secundum quid, conc. ; simpliciter, neg. Non enim sunt Deo sacri ad paupertatem, continentiam, etc., servandam, ut religiosus, sed ad sacrum duntaxat ministerium, cui licet de congruo, non tamen essentialiter contrariatur Matrimonium : unde, dist. min.: Contra naturam est quod res Deo sacra convertatur ad usus profanos essentialiter suæ sacrationi contrarios, transeat min.; non essentialiter contrarios, neg.

Obj. 2° contra eamdem : Apost. ad Tit. 1 : *Oportet episcopum continentem esse.* Euseb. Cæsar., lib. 1, *de Demonstrat. Evang.*, cap. 9, dicit « secundum leges novi Testamenti debere sacris initiatos ab uxoribus abstinere. » Siricius papa supra citatus docet Christum voluisse Ecclesiam suam splendore castitatis radiare : ergo cœlibatus est de jure divino annexus ordini sacro.

Resp. his testimoniis nihil aliud evinci quam quod cœlibatus ministrorum Ecclesiæ sit ex institutione et præcepto Apostolorum, conformiter intentioni et beneplacito Christi, non tamen secundum ejus institutionem, ut indicant verba subsequentia Syricii : « Sicut per Apostolum suum instituit. »

Inst. 1° : Sacerdotes et levitæ veteris Testamenti jure divino tenebantur abstinere ab usu conjugii tempore suæ vicis : ergo sacerdotes et levitæ novi Testamenti a fortiori toto vitæ tempore, quia sunt semper vices eorum in sacro ministerio quod est longe excellentius veteri.

Resp. neg. conseq. Quia pluribus locis veteris Testamenti id erat præceptum a Deo sacerdotibus suis ; in nullo autem novi Testamenti id præcipitur nostris, nisi per Apostolos et Ecclesiam.

Repones : Illud præceptum in veteri Testamento erat morale adeoque non cessavit in novo. Resp. dist. ant.: Erat morale secundum congruentiam et condecentiam, conc.; secundum necessitatem absolutam, neg.

Obj. 3° contra tertiam conclusionem cum hæreticis : Ecclesia non potuit præcipere cœlibatum suis ministris : ergo. Prob. ant. 1° Quia Apostolus, 1 ad Timoth. 3, dicit : *Oportet episcopum esse unius uxoris virum.* 2° Ad Heb. 13, jubet esse honorabile connubium, non solum in aliquibus, sed in omnibus. 3° Sextus canon Apostolorum habet ut « episcopus aut presbyter nequaquam sub obtentu religionis uxorem abjiciat. » 4° Quia, 1 ad Timoth. 4, Apostolus damnat eos qui venturi erant prohibentes nuptias. 5° Matrimonium est jure naturæ a Deo præceptum : Genes. 1 : *Crescite et multiplicamini;* aut saltem Deus illud reliquit omnibus liberum : ergo Ecclesia non potuit illud aliquibus prohibere.

Resp. neg. ant. Ad primam probationem, dico sensum Apostoli non esse quod episcopus post ordinationem suam accipiat uxorem, sed quod non eligatur in episcopum nisi is qui nec habeat, nec ante suam ordinationem habuerit plusquam unam uxorem, ut per hoc excluderet bigamos: qui sensus patet ex hoc quod, cap. 5 ejusdem epistolæ, velit viduam eligi in diaconissam quæ *fuerit unius viri uxor*, id est, quæ non habuerit plures maritos quam unum; implicat enim quod vidua habeat actu virum.

Ad secundam: Sermo Apostoli dirigitur ad conjugatos hoc sensu scilicet: in omnibus legitime conjunctis honorabile sit connubium, cubile immaculatum, stupris aut adulteriis non dehonestatum ; vel, ut alii intelligunt, sit honorabile connubium in omnibus, hoc est, ex omni parte, tam scilicet ex parte sacramenti, quam ex parte fidei et prolis, quæ sunt tria bona matrimonii: alterutrum autem sensum esse legitimum patet ex eo quod immediate subjungat : *Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus.*

Ad tertiam: Eo canone significatur conjugatos qui assumuntur ad clerum non posse abjicere uxores suas quoad curam victus : sic intellexit S. Leo, epist. 92, cap. 3, et Leo IX, in prima conclusione laudatus.

Ad quartam : Apostolus prædicit venturos qui damnaturi erant nuptias ut per se malas, quales fuerunt Tatianus, marcionitæ et manichæi; quod non facit Ecclesia.

Ad quintam : Matrimonium est de jure naturæ permissive, non præceptive respectu saltem cujuslibet particularis, ut dicemus dum de Matrimonio : præceptum autem divinum obligavit singulos eo tempore quo paucitas hominum exigebat ut quilibet generationi vacaret, quæ ratio nunc non urget. Ad id quod additur de libertate Matrimonii, negatur consequentia, seu dist. : Ergo Ecclesia non potuit prohibere absolute, transeat; posita certa conditione libera, neg. Omnibus enim liberum relinquit nubere absolute, sed si velint sponte ordinari, exigit continentiam ; sicut liberum Deus reliquit omnibus esse negotiatorem: quod tamen Ecclesia juste prohibet quibusdam, puta sacerdotibus.

Obj. 5° : Apostoli post resurrectionem Christi habuerunt uxores, ut patet ex Cor. 9, ubi Apostolus dicit : *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi ut cæteri Apostoli, et fratres Domini et Cephas?* Item concilium Ancyranum (Angouri) in Galatia, anno 314, can. 9 relato cap. *Diaconi*, dist. 28, sic habet : « Diaconi quicumque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt et dixerint velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt; hi si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quod eis episcopus licentiam dederit. Quicumque sane tacuerint et susceperint manus impositionem, professi continentiam, et postea nuptiis obligati sunt, a ministerio cessare debebunt. » Item concilium generale Nicænum, cum vellet statuere ne clerici majorum ordinum uterentur uxoribus prius ductis, Paphnutius confessor dissuasit, eique acquieverunt cæteri. Ita referunt Socrates, l. 1, c. 8; Soromenus, l. 1, c. 22; Nicephorus, l. 8, c. 19 : ergo.

Resp. 1° ex his nihil sequi contra nos. Esto enim quod nec Apostoli nec clerici priorum sæculorum servaverint continentiam, id probat tantum quod lex continentiæ non esset tunc imposita clericis, sed non probat quod postea non fuerit juste imposita, quod unum asserimus ; cum enim sit res disciplinæ, potest esse diversa in diversis temporibus, poteratque primitus Ecclesia propter penuriam ministrorum ipsis permittere usum conjugii, quibus postea multiplicatis juste denegavit.

Insuper ex abundantia ad singula resp. Ad primum: De nullo quam de Petro, Matth. 8, constat habuisse uxores ; sed etsi habuerint, constat etiam eos illas reliquisse ex illo Matth. 19 : *Ecce nos reliquimus omnia*, etc. Quod autem inter illa omnia comprehendatur uxor, quoad thorum conjugalem, patet ex responsione subjuncta Christi interpretantis quid sit relinquere omnia : *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut uxorem*, etc. Ad locum Apostoli, dicendum quod loquebatur de piis mulieribus quæ quibusdam Apostolis erant comites ut necessaria vitæ ministrarent. Nec obstat contraria explicatio Clementis Alexandrini apud Euseb., 3 lib. *Hist.*, cap. 24 ; non enim ipse solus debet præponderare Tertulliano, S. Hieronymo, S. Augustino, etc., licet etiam ipse Clemens intelligat de uxoribus, quas tamen haberent ut sorores.

Ad secundum dici potest temporariam fuisse hanc dispensationem a lege communi factam ab episcopo ad protestationem diaconi, ut innuit textus: « Propterea quod eis episcopus licentiam dederit »: unde nullum similem canonem legere est in Orientalibus synodis sex priorum sæculorum. Dubitant autem quidam, an recte egerint episcopi hujus synodi sic dispensando, nisi forte propter penuriam ministrorum.

Ad tertium : 1° Baronius cum multis aliis rejiciunt historiam Socratis, Sozomeni et Nicephori, ut adulterinam in hac parte ; quia neque Theodoretus, neque Rufinus, de Paphnutio loquentes, neque ullus scriptor qui ante tres nominatos de rebus in concilio peractis scripserant, hujus historiæ meminerunt. 2° Supposita veritate hujus historiæ, patres concilii cum Paphnutio nihil aliud voluerunt, quam quod pœnis non animadverteretur contra clericos qui non abstinebant a conjugibus, dissimulantes malum, quod propter incontinentiam clericorum, quæ tunc serpebat, immedicabile judicabant, ne forte, absolute resecando, ipsum exasperarent. Ita Domin. Soto in 4 d. 38, q. 1, a. 2. Quod autem Socrates addit ex Paphnutio, « antiquam Ecclesiæ traditionem hoc tantum præcepisse, ut sacris initiati a nuptiis ineundis abstinerent », rem locutus est de suo, non quæ fuerit unquam in ore Paphnutii; aut saltem quoad hoc ipsi opponuntur SS. Epiphanius et Hieronymus.

S. Epiphanius, *Hæresi* 59, sic habet : « Ecclesia adhuc viventem, et liberos gignentem, unius uxoris virum non suscipit, sed eum qui se ab una continuit, aut in viduitate vixit, diaconum, presbyterum et episcopum, et hypodiaconum, maxime ubi sinceri sunt canones ecclesiastici. At dices mihi, in quibusdam locis adhuc liberos gignere, et presbyteros, et diaconos. At non est juxta canonem, sed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit. »

S. Hieronymus adversus Vigilantium, cap. 1 : « Quid facient, inquit, Orientis ecclesiæ, Ægypti, et Sedis apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt » ? quoad usum scilicet.

Hæc dicta sint in gratiam eorum qui tenent legem continentiæ pro clericis majoribus, tam Græcis quam Latinis, fuisse communem in Ecclesia ab ejus exordio, quamvis ab aliquibus violaretur, aut forte aliquando in ea dispensaretur, ut contingit quotidie in legibus ecclesiasticis. Iterum de hac materia, dum de impedimentis Matrimonii.

ARTICULUS V.

VARIÆ QUÆSTIUNCULÆ CIRCA PRÆCEDENTEM MATERIAM RESOLVUNTUR.

Petes 1° utrum clerici majores in ecclesia Latina obligentur ad continentiam immediate ex præcepto Ecclesiæ, an mediante voto quod emittunt ?

Resp. probabilius obligari ex voto. Patet ex jure : Greg., 1 epist 42, refertur. cap. 1, d. 20, dicit « nullum facere diaconum præsumant episcopi, nisi qui se victurum caste promiserit. » Eadem dist., cap. *Diaconi,* ex concilio Ancyrano : « Quicumque sane tacuerunt, et susceperunt manus impositionem, professi continentiam, etc. » Et cap. *Cum olim,* de Clericis conjugatis : « Nos igitur attendentes quod Orientalis ecclesia votum continentiæ non admisit. » Similiter plura alia concilia, et communiter theologi.

Respondet Franciscus Henno cum quibusdam aliis, jura et theologos sumere votum similitudinarie pro lege obligante ad continentiam, quia clerici se illi voluntarie subjiciunt, sicut qui voluntarie emittunt votum.

Sed contra : 1° In aliis Ecclesiæ præceptis lex nunquam exprimitur nomine voti, quamvis votum quandoque exprimatur nomine legis, quia lex illud præcipit. 2° Quomodo S. Thomas, theologorum princeps, et ad cujus principia accommodavit suam theologiam laudatus scriptor, sumeret votum similitudinarie pro simplici lege obligante ad continentiam, cum infra q. 53, a. 3, expresse distinguat inter legem et votum, et dicat, quod Græci obligentur, tantum ratione Ordinis, seu legis Ordini annexæ ; Latini vero obligentur ratione voti, quod est sacris ordinibus annexum, et addit « quod hoc votum, si quis verbo tenus non emittat, ex hoc ipso tamen, quod ordinem suscipit secundum ritum Occidentalis ecclesiæ, intelligitur emisisse » ; et inde infert, quod ordo sacer impediat apud Orientales Matrimonium contrahendum, sed non Matrimonii prius contracti usum ; e contra apud Occidentales impediat et Matrimonium contrahendum, et Matrimonii antea contracti usum. 3° Si clerici sola lege ecclesiastica, et non voto tenerentur servare continentiam, posset nunc Summus Pontifex absque ulla causa, valide si non licite absolvere omnes clericos præsentes ab illa lege, ita ut omnes subdiaconi, diaconi, sacerdotes et episcopi possent nubere ; nulla enim ratio requiritur in legislatore ad dispensandum valide in sua lege : quod sane foret magnum inconveniens, nec, ut puto, admissum ab adversariis. Non posset autem, si teneantur voto ; quia ad valide dispensandum in voto, requiritur legitima causa.

Petes 2° utrum qui susciperet sacrum Ordi-

nem ante usum rationis, aut post ex gravi metu injuste incusso, teneretur ad continentiam ?

Resp. negative ; quia votum debet esse ex proprio consensu, cujus est incapax infans ; et factum ex gravi metu injuste incusso est irritum : deberet tamen abstinere a functionibus ordinis, si vellet uti Matrimonio.

Petes 3° utrum qui ignoraret votum continentiæ esse annexum ordini sacro, ad illam servandam teneretur ?

Resp. affirmative ratione voti impliciti, quia qui vult aliquod officium, implicite vult ea quæ sunt illi annexa.

Petes 4° quid si suscipiens ordinem expresse nollet vovere ?

Resp. : Videtur quod non teneretur voto, quod esse non potest sine consensu saltem implicito, qui hic excluditur per voluntatem expresse contrariam ; neque ut videtur lege ecclesiastica, quia non datur lex apud Latinos immediate de observanda castitate, sed de emittendo voto castitatis : teneretur autem vi istius legis statim emittere votum, et quamdiu differret, tamdiu peccaret, essetque inhabilis vi istius legis ad contrahendum Matrimonium.

Petes 5° quo se recipere debent uxores clericorum post ordinationem continentium ?

Resp. Prioribus sæculis habitabant in propriis ædibus maritorum, tanquam sorores, cubiculo tamen semotæ. Can. 12 concilii Trull. id prohibitum fuit episcopis. Apud Latinos vero propter varios clericorum conjugatorum lapsus, cautum est ut eorum uxores in monasteriis recluderentur.

Petes 6° utrum clerici minorum ordinum aliquando fuerint obstricti lege continentiæ ?

Resp. novem prioribus sæculis ab ea lege fuisse immunes ; at sæculo 10 et 11, in quibusdam conciliis provincialibus, augustano, anno 952, Tolosano, anno 1056, et aliis fuerunt adstricti, sed sequentibus sæculis eæ sanctiones aboleverunt, nec ulla amplius in conciliis de illis facta est mentio, sed tantum de majoribus clericis.

Quærit S. Thomas hic q. 35, de effectu sacramenti Ordinis ; sed ex dissertat. 3 et 4 de Sacramentis in genere, et ex dictis hinc et inde in præsenti tractatu, constat esse duplicem, scilicet gratiam, qui est effectus communis omnibus sacramentis, et characterem.

DIGRESSIO I HISTORICA

DE EPISCOPABUS, PRESBYTERABUS, DIACONISSIS, ET SUBDIACONISSIS.

Ad § 1 a. 3 præced. dissertat.

PER QUÆSTIUNCULAS.

Petes 1° quæ fuerint olim episcopæ, presbyteræ, diaconissæ et subdiaconissæ, de quibus apud veteres est frequens mentio ?

Resp. vario sensu sic dictas fuisse.

1° Sic dictæ sunt quæ erant uxores eorum qui assumebantur ad episcopatum, ad presbyteratum, ad diaconatum, et subdiaconatum. Ita vocantur in concilio Turon. II, anno 567, can. 13 ; in concilio Antissiodorensi, anno 578, can. 21 : apud S. Greg., l. 4 *Dialog.*, cap. 11 ; in concilio Romano, anno 721, cap. 1. Hæ autem tenebantur se recipere in monasterium, ut jam dixi, et ibi profiteri ; aut si manerent in sæculo, vovere castitatem. Ita concilium Antissiod. cit., Romanum et plura alia.

2° Presbyteræ quandoque dicebantur « viduæ seniores » ; presbyter enim est senior. Ita concilium Laodicense, relatum cap. *Mulieres*, dist. 32, et D. Th., hic q. 39, a. 1, o.

3° Diaconissæ præsertim, de quibus est frequentior mentio, dicebantur quæ ad certa munia ecclesiastica alicujus ordinis functionibus affinia deputabantur, ut patebit ex petitione sequenti : unde

Petes 2° quæ erant diaconissarum ministeria ?

Resp. Primum erat subservire episcopo, vel presbytero baptizanti mulieres, ut modeste nudarentur, et caute operirentur, ne paterent aspectui baptizantis : ex l. 8 constit. Apostol., c. 28, et S. Epiphanio, *Hæresi* 79.

Secundum, aperire et claudere januam ecclesiæ per quam mulieres intrabant ecclesiam ; constit. Apost. ibid.

Tertium, comitari mulieres quæ diaconum vel episcopum adibant ; nulli enim mulieri sine diaconissa ad eos accedere licebat : ibid. 12, cap. 26.

Quartum, rudibus mulieribus rudimenta fidei et ritus Baptismi exponere : ex conc. Carthag. 4, can. 12.

Quintum, mitti ad christianas mulieres consolandi vel sublevandi gratia : constit Apostol., l. 3, cap 15.

Sextum, habere curam pauperum viduarum : ex Apost. Rom. 16. Quædam alia referuntur ; sed hæc sunt præcipua.

Petes 3° quæ mulieres assumebantur ad munus diaconissæ ?

Resp. : assumebantur viduæ probatæ unius viri et virgines, ex constit. Apost., l. 6, cap. 17 ; viduæ sexagenariæ, ex Apostolo, 1 ad Timoth. 5, et virgines quadragenariæ, ex concilio Chalcedonensi, can. 15, quia majus est periculum in junioribus viduis Matrimonium expertis, quam in virginibus inexpertis. Frequentius viduæ quam virgines, quia illæ erant magis aptæ pluribus muniis diaconissarum quam istæ.

Petes 4° an aliquo ritu diaconissæ consecrarentur ?

Resp. affirmative ; qui tamen ritus non erat ordinatio propria et sacramentalis.

Prob. prima pars, 1° ex Constit. Apost., l. 8, cap. 19 et 20, ubi præscribitur forma ordinandi diaconissas cum impositione manuum episcopi, præsentibus presbyteris, diaconis et diaconissis, et cum oratione ; 2° ex concilio Chalcedonensi, can. 15, ubi fit mentio impositionis manuum in ordinatione diaconissæ ; 3° ex ordine Romano edito in Bibliotheca Patrum, tom. 13, pag. 736, ubi legitur ritus ordinandi diaconissam inter missarum solemnia post graduale, cui, consecratione peracta, «ponat episcopus orarium in collo ejus dicens: Stola jucunditatis induat te Dominus ; ipsa autem imponat velamen capiti suo, palam omnibus de altari acceptum » ; 3° ex eucologiis Græcorum in quibus etiam referuntur certi ritus consecrandi diaconissas.

Secunda pars constat 1° ex concilio Laodic., can. 11, ubi vetatur mulieres « in ecclesia tanquam ordinatas constitui » ; ex concilio Epaunensi, anno 518, can. 21, et concilio Arelat. 2, can. 17 ; 2° ex hoc quod nunquam diaconissæ « ad sacerdotii functionem aut ullam hujusmodi administrationem», admissæ sint, inquit S. Epiphanius, *Hæresi* 79, sicut diaconi admittuntur ; 3° quia, ut probavimus, sexus femineus est incapax ordinationis sacramentalis.

Quando ergo veteres vocant quandoque hunc ritum *ordinem* seu *ordinationem*, sumunt ordinem vel ordinationem improprie pro cæremonia ecclesiastica seu benedictione qua diaconissæ ad ecclesiastica ministeria deputabantur. Nec obstat quod eucologia Græcorum referant ea peragi in ordinatione diaconissæ, quæ peragi solent in ordinatione diaconi: esto : deest capacitas ex parte subjecti, et intentio ex parte ministri.

DIGRESSIO II HISTORICA

DE FABULA PAPISSÆ.

Ad eumdem § 1 *a.* 3.

Hanc fabulam primus invexit Marinus Scotus. En ejus verba, in *Chronico*, ad annos Christi 853 et 854, si tamen non sint adulterata : « Leo Papa obiit kalendis augusti : huic successit Joanna mulier annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor. » Quam solidissime confutarunt Baronius, Bellarminus, Florimundus, Remundus, Onuphrius Panvinius, et alii plures ; etiam ex hæreticis Blondellus, minister Calvinianus; recenter et fusissime noster P. Le Quien in opere cui titulus *Oriens Christianus*, tom. 3, p. 381 et sequentibus; sufficienter et bene noster Natalis Alexander in *Hist. Ecclesiastica*, sæculo 9, dissert. 3, cui nonnulla ex dicendis accepta referimus.

Dico : Aperta et putida est fabula mulierem nomine Joannam ad Summum Pontificatum evectam fuisse inter Leonem IV et Benedictum III.

Nota Marianum Scotum primum hujus fabulæ auctorem obiisse anno 1086, ideoque ipsum floruisse plusquam ducentis annis post Leonem IV et Benedictum III ; nos autem contra ipsum non nisi testimonia scriptorum utrique pontifici coævorum aut supparium proferemus.

Prob. 1° : Leoni IV mortuo, 17 julii anno 855, statim et immediate successit Benedictus III: ergo aperte fabulosum est inter eos sedisse mulierem duobus annis, quinque mensibus et quatuor diebus.

Prob. ant. multipliciter : 1° ex Adone Viennensi scriptore coævo in *Chronico*, ad annum 855 : « Pontifex Romanus Gregorius moritur, inquit, atque ejus loco Sergius ordinatur. Illo defuncto Leo succedit, quo obeunte, Benedictus in sede apostolica substituitur, jam tunc defuncto Lothario imperatore. »

2° Ex Anastasio Bibliothecario item coævo in vita Benedicti III : « Leo quidem ubi hac luce subtractus præsul occubuit, mox omnis clerus istius Romanæ protectæ sedis universique proceres.., uno consensu, unoque cognomine Benedictum... promulgaverunt eligere. »

Item ex eodem Anastasio in *Historia schismatis* orti contra electionem Benedicti artibus Arsenii episcopi Eugubini, in qua scribit,

Anastasio pseudo-pontifice per legatos imperatoris pulso, Benedictum, ipsis præsentibus fuisse consecratum pontificem 28 septembris anno 855 ; cum electus fuisset prima augusti, statim a morte Leonis qui obierat eodem anno 17 julii, et per schisma Anastasii ejus consecratio impedita fuisset.

3° Ex Lupo, abbate Ferrariensi, etiam coætaneo, qui, epist. 103, ad Benedictum data, gratulatur ipsi ob ejus exaltationem et virtutum paritatem cum suo prædecessore Leone, testaturque se hanc epistolam scripsisse statim ac accepit Leonis obitum et ipsius, scilicet Benedicti, creationem.

4° Ex *Annalibus Bertinianis*, ad annum 855 : « Mense augusto Leo, apostolicæ sedis antistes defunctus est, eique Benedictus succedit. »

5° Ex Hincmaro Rhemensi, epist. 26, in qua scribit quod nuntii quos Romam direxerat, acceperint in via mortem Leonis papæ, pervenientes autem Romam obtinuerint privilegium quod petebat « a Domino nomine et re Benedicto» : ergo Benedictus immediate Leoni successit, et non post duos annos et quinque menses, nisi ridicule fingas istos nuntios tres ferme annos in itinere insumpsisse.

6° Ex diplomate quod ipse Benedictus ad episcopos Galliæ direxit pro privilegiis abbatiæ Corbeiensis, « mense octobri, imperante Lothario et Ludovico ejus filio : obiit autem Lotharius 28 septembris anno 855, duobus mensibus post Leonem IV, ut expresse testantur Ado citatus, *Annales Bertiniani* citati et Regino Prumiensis abbas in *Chronico*, ad annum 855. Equidem tempore dati diplomatis jam obierat Lotharius ; obiit enim 28 septembris, vel nocte præcedente, et Benedictus prima augusti electus, consecratus tantum fuit 28 aut 29 septembris ejusdem anni, sed nondum tunc Romam pervenerat nuntius de morte Lotharii.

7° Ex Photio qui, lib. de *Spiritus Sancti processione* adversus Latinos, Benedictum immediate subjungit Leoni. Similiter Metrophanes Smyrnæus, alter Romanæ ecclesiæ hostis: porro si mulier tunc temporis sedisset in Romana sede, id procul dubio non siluissent hostes ejus infensissimi, idque ei exprobrassent, sicut postea Leo IX, epistola ad Michaelem episcopum Constantinop., cap. 23, exprobravit Græcis mulierem in sedem Constantinopolitanam irrepsisse, quod certe non ausus fuisset Leo objicere Græcis, si tale quid accidisset Romanis. Plura alia in probationem ejusdem ant. omittimus ; quia quibus hæc non sufficiunt, plura non proderunt.

Prob. 2° conclusio : Hæc narratio habet omnes characteres ineptissimæ fabulæ: 1° Nullo coævorum auctorum testimonio fulcitur, sed a recentiore, scilicet Mariano Scoto, post ducentos et amplius annos primum vulgata est.

2° Progressu temporis crevit adjunctis semper novis circumstantiis ; in primis enim Marianus Scotus simpliciter dixit Leoni IV fœminam successisse duobus annis et quinque mensibus. Martinus autem Polonus, seu verius ejus interpolatores, post annos 185 a Mariano, et 420 ab electione Benedicti, commentum simplex variis figmentis ornaverunt, scribentes fœminam illam vocatam fuisse Joannem Anglicam in Moguntia oriundam, in solemni supplicatione peperisse inter templum S. Clementis et Colisæum, atque in hujus facinoris execrationem, supplicationes publicas ab hac via deinceps declinasse. Postea Theodoricus Niemius, circa annum 1413, addidit statuam in ejus eventus memoriam erectam fuisse. Platina deinde, circa annum 1481, sedem perforatam seu stercorariam retulit, in qua sexus novi pontificis exploraretur ab ultimo diacono. Alii, post alios centum annos addiderunt hanc papissam non solum fuisse meretricem, sed etiam præstigiatricem. Alii tandem ipsam coronasse Ludovicum secundum imperatorem : sic fabulæ crescunt eundo.

3° Scatet contradictionibus et ineptiis quæ illam destruunt 1° Dicit istam Joannam fuisse Anglicam ex Moguntia oriundam, cum Moguntia sit in Germania et non in Anglia. Ut autem hanc contradictionem salvent fabulæ scriptores, inter se pugnant : quidam dicunt natam in Anglia, sed ex parentibus Moguntiacis; Platina e contra fuisse natam Moguntiæ, sed ex parentibus Anglis ; Magdeburgenses neque natam, neque oriundam ex Anglia, sed ibi educatam. 2° Dicit operam dedisse litteris Athenis, cum constet ex Synesio, qui vivebat paulo post tempora S. Basilii, epistola 35, ad fratrem suum, jam tunc non superesse Athenis nisi locorum academiæ nomina : « Athenæ, inquit, quondam civitas fuit sapientum domicilium : nunc eam mellatores celebrant. » Et ex Cedreno et Zonora, in vita Michaelis et Theodoræ imperatorum, habeamus quod illic sint restituta tantum studia a Barda Cæsare sub finem imperii Michaelis, qui contigit sub Nicolao I. Benedicti III successore, consequenter post mortem papissæ fabulosæ. 3° Dicit Joannam,

postquam biennium Romæ legisset, et vita atque scientia magnæ opinionis esset, in papam concorditer fuisse electam; at incredibile est quod fœmina ignota, incertæ originis et patriæ, sine ullo ordine et testimonio ante actæ vitæ, sic facta fuerit pontifex, præsertim cum a S. Petro usque ad Formosum qui fuit electus anno 890, nullus fuerit creatus pontifex qui in ecclesia Romana non esset educatus et per omnium ordinum gradus ad diaconatum saltem non pervenisset. 4° Dicit ab amasio impregnatam, in supplicatione publica peperisse; at quis credat eam quæ juvenis habuerat amasium sine partu, pontificem factam et jam senem peperisse? Quis credat mulierem novem mensibus gravidam nulli ex suis familiaribus, medicis, aulicis innotuisse, aut ipsam aperto se prodendi periculo voluisse se exponere? 5° Dicunt Magdeburgenses peperisse, cum ex Vaticano vellet invisere ecclesiam Lateranensem. At certum est, teste Onuphrio in lib. de *Septem ecclesiis*, Romanos pontifices usque ad tempora Bonifacii IX, id est, usque ad annum 1390, non habitasse in Vaticano, sed in Lateranensi palatio. Quomodo ergo si in Laterano habitabat, volebat ex Vaticano invisere Lateranum?

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° testimonium Mariani Scoti de quo supra.

2° Testimonium Sigeberti in Chronico, ad annum 854, ubi hæc habet: « Fama est hunc Joannem fœminam fuisse et uni soli familiari tantum cognitam, qui eam complexus est, et gravida facta peperit papa existens : eam inter pontifices non numerant quidam. » Florebat autem Sigebertus, ineunte duodecimo sæculo.

3° Testimonium Martini Poloni, ordinis Prædicatorum, Nicolai III pœnitentiarii, qui latius factum exposuit, ut patebit ex sequenti testimonio.

4° Testimonium S. Antonini, p. 2 *Chronicorum*, tit. 16, cap. 1, § 6, ubi hanc de papissa narrationem ex Martino Polono sic exscribit : « Post hunc Leonem Martinus in chronica sua posuit Joannem natione Anglicum. Qui sedit anno Domini 850 in cathedra Petri annis duobus, mensibus tribus, diebus sex. Quo mortuo, cessavit papatus mense uno. Hic, inquit Martinus, ut asseritur, fœmina fuit et in puellari ætate a quodam suo amasio in habitu virili Athenas adducta, sic in diversis scientiis profecit, ut nullus sibi par inveniretur, adeo ut post Romæ in triviis legens magnos magistros, discipulos et auditores haberet. Et cum in urbe in scientia et vita magnæ opinionis esset, in papam concorditer eligitur post Leonem; sed in papatu per suum familiarem impregnatur. Verum tempus partus ignorans, cum de S. Petro in Lateranum tenderet, angustiata in partu inter ecclesiam S. Clementis et Colisæum peperit in via. Et in partu mortua ibidem sepulta dicitur. Et quia papa eamdem viam semper obliquat, cum Lateranum accedit, creditur a plerisque quod ob detestationem facti hoc faciat. Nec ponitur in catalogo summorum pontificum propter mulieris sexum. »

5° Testimonium Platinæ in lib. de Vitis Pontificum in Joanne VIII. « Joannes, inquit, Anglicus ex Moguntiaco oriundus, malis artibus, ut aiunt, pontificatum adeptus est. Mentitus enim sexum, etc. », ut in testimonio Martini Poloni, præterquam quod addat de sede stercoraria.

6° Pontifices eundo ad Lateranum semper declinant a via in qua Joanna peperisse dicitur, licet sit brevior, in detestationem hujus facinoris.

7° Tandem in hujus rei memoriam posita fuit in eadem via statua quædam repræsentans mulierem cum infante, quæ postea aliquo jubente pontifice in Tiberim projecta est. Item Senis in majori templo, inter pontificum statuas collocatum fuit Joannæ papissæ simulacrum usque ad Clementis VIII pontificatum.

Resp. 1° generaliter, scriptoribus coævis quos retulimus majorem esse fidem adhibendam quam recentioribus, præsertim cum eorum narratio contradictionibus scateat et alios habeat characteres fabulæ, ut ostendimus.

Resp. 2° ad singula. Ad primum: 1° In antiquissimis codicibus Mariani Scoti hanc fabulam non reperiri testatur qui edidit Coloniæ, anno 1574, Metropolim Alberti Krantsii et notis illustravit, etsi hanc notam eraserint typographi Francofurtenses, ut observat Leo Allatius. Hujus responsionis veritas inde firmatur quod nullus ex assertoribus hujus fabulæ post Marianum Scotum, exceptis recentioribus, ejus testimonium proferunt, sed Martini Poloni : « Omnes quos legi, inquit Ptolomæus Lucensis, l. 16 *Hist.*, c. 8, præter Martinum (Polonum), tradunt post Leonem IV fuisse Benedictum III ; Martinus autem Polonus ponit Joannem Anglicum. »

2° Dato sic scripsisse Marianum, varii ejus anachronismi etiam in hac ipsa ætate, de qua agitur, fidem ipsi auferunt : inter alios scribit

Leonem IV obiisse prima augusti 853, et tamen constat ex Anastasio Bibliothecario, Leonem, eodem anno 8 decembris, congregasse Romæ concilium, in quo depositus fuit Anastasius cardinalis. Item constat ipsum, anno sequenti, condidisse urbem Leopolim : totum ergo tempus quod Joannæ papissæ concedit, ad annos ipsius Leonis spectat, sicque nullum pro papissa relinquitur. Insuper scribit Benedictum III sedisse ad annum 857, et tamen constat ex Anastasio supra citato exaltatum fuisse 19 septembris 855. Præterea si Leo IV obiit 8 augusti 853, et Benedictus III fuit tantum creatus anno 857. non igitur duobus tantum annis et quinque mensibus inter utrumque sedit Joanna, ut scribit, sed ad minus tribus annis et quinque mensibus. Plures alios hujus scriptoris nævos refert Natalis Alexander citatus.

Ad secundum : Sigeberti *Chronicon* hac in parte esse interpolatum, et hæc quæ objiciuntur manu aliena esse addita, constat ex autographo monasterii Gemblacensis, ubi Sigebertus erat monachus, quod testantur se vidisse Joannes Molanus doctor Lovaniensis, et Aubertus Miræus qui illud edidit, in quo hæc lacinia de Joanne papissa desideratur. Id confirmatur ex eo quod Vincentius Bellovacensis, l. 25 *Speculi historialis*, cap. 36, et Guillelmus Nangius in *Chronico*, qui Sigebertum in historiis horum temporum de verbo ad verbum exscribunt, nullam Joannæ papissæ mentionem faciant.

Ad tertium : *Chronicon* Martini Poloni esse pariter corruptum, eique assutam fuisse hanc papissæ fabulam, invicte probat noster Echard in opere cui titulus : «Scriptores ordinis Prædicatorum ad Martinum Polonum», t. 1, p. 361.

Advertit 1° eruditissimus scriptor Martinum in scribendo suo chronico hanc methodum servasse. In una pagina ad lævam exhibet pontifices, in altera ad dexteram imperatores. Quamlibet paginam in quinquaginta lineas dividit, et in margine ad caput cujusque lineæ annum scribit, adeo ut in qualibet pagina sint quinquaginta anni distincte notati, nomen cujusque pontificis positum est initio lineæ, cui junctus est in margine annus quo iniit pontificatum, totque sibi vindicat lineas quot sedit annis, licet non omnes plenas, sed quandoque vacuas. Idem de imperatoribus. Ea methodo scriptum esse codicem Vaticanum Urbani VIII innuit Allatius, eadem suum Fabricius, eadem quosdam ex Cæsareis Lambecius, eadem Florentinum S. Mariæ Novellæ testatur ipse Echard qui vidit.

Advertit 2° quod in omnibus codicibus hujus methodi a quibus exulat fabula papissæ, servetur exacta chronologia. Sic Leo IV, seu V, in linea scriptus est ad quam e latere signatus est annus 847; et cum dicatur sedisse octo annis, tribus mensibus et sex diebus, debentur ei octo lineæ quas implet. Benedictus III collocatur immediate in linea sequenti ad annum 855, et sic habent codices laudati ; nullus, ut patet, superest locus, nec superesse potest Joanni Moguntino. In codicibus vero ejusdem methodi, in quibus assuta est fabula, chronologia est omnino perturbata et confusa; patet in codice Victorino, in quo ut locum Joannæ papissæ reperiret exscriptor, duas integras paginas perturbavit, collocando pontifices Leonem præcedentes annis superioribus quam electi fuerant, paucioresque lineas et annos concedendo quam sederint, et eadem ratione rejiciendo sequentes Leonem ad annos inferiores, et eorum pontificatum intra pauciores annos coarctando.

Advertit 3° codices manuscriptos esse quadruplicis generis. Primi puri et sinceri sunt a quibus omnino exulat fabula, quales sunt Vaticanus, Urbani VIII, ab Allatio laudatus, Fabricianus, quatuor Cæsarei a Lambecio laudati, Naudæanus a Labbæo Biblioth. Nov., p. 222, Navarricus et indubie plures alii.

Secundi generis sunt in quibus fabula in margine tantum est addita, pontificum catalogo intacto, quales sunt Florentinus S. Mariæ Nov., Parisiensis D. abbatis de Camps, Tongerloensis a Suffrido laudatus, Leodiensis ornatissimi viri D. Baronis de Crassier, quem in ejus elegantissima atque amplissima Bibliotheca ego ipse legi.

Tertii generis sunt secundum methodum Martinianam, et ipsi interpolati, in quibus a margine in textum fabula irrepsit et chronologia est interturbata, ut Victorinus.

Quarti generis sunt citra methodum Martinianam, in quibus vel deest chronologia, vel unus tantum annus in margine, aut in textu apponitur inserta in plerisque fabula, et hi corrupti.

Ex his manifestum apparet, nullam fidem esse adhibendam iis codicibus qui illam fabulam referunt, eamque contra mentem auctoris fuisse assutam.

Conjectat eruditissimus scriptor rem sic evenisse. Cum *Chronicon* Martini hac methodo scriptum, commodum videretur et omnes desiderarent, aliunde ista fabula jam a pluribus annis in vulgus esset sparsa, eam 1° ad

marginem e regione Leonis quidam scripserunt, utut res se haberet : postea vero e margine in catalogum alii invexerunt, et ut locum ei facerent, pontifices Leonem antecedentes et subsequentes, loco eis ab auctore dato moverunt, omninoque in duabus paginis perturbarunt. Nec ibi cessatum ; nam cum *Chronicon* istud ad methodum Martini semper scribere esset molestum, quia id nonnisi in codicibus in folio servari poterat, et forma minori scriptum commodius videretur, quidam chronologiam omnino omiserunt, alii aliquem ex annis cujusque pontificis annotarunt, non attendentes scrupulose, an esset primus, vel secundus, vel tertius, et inde in hujusmodi codicibus tanta chronologiæ varietas. Hæc fusius discussa et probata legi possunt apud laudatum Echard. Addam duntaxat neque in opere interpolato Martini hanc fabulam asseri ut veram historiam, sed ut populari et incerta fama jactatam : « Hic, inquit, ut asseritur, fœmina fuit.... Et in partu mortua, ibidem sepulta dicitur... Et quia papa eamdem viam semper obliquat, creditur a plerisque quod ob detestationem facti hoc faciat. »

Ad quartum : S. Antoninus ab interpolatoribus Martini Poloni deceptus, eorum duntaxat verba refert et de eorum veritate dubitat, maxime ob silentium Vincentii Bellovacensis et Joannis de Columna : « Vere, inquit, valde mirandum.... si verum fuit quod vulgo dicitur, ut iste refert.... Vincentius tamen in *Speculo historiali* et Joannes de Columna nihil de hac re referunt. Sed etsi verum fuit, etc. »

Ad quintum : Platina pariter ab interpolatis Martini Poloni codicibus fabulam hausit ; nec tamen eam ut veram asserit, quinimo significat potius eam fabularum loco habendam esse ; subdit enim : « Hæc quæ dixi vulgo circumferuntur, incertis tamen et obscuris auctoribus : quæ ideo ponere breviter et nude institui, ne obstinate nimium et pertinaciter omisisse viderer, quod fere omnes affirmant. Erremus etiam nos hac in re cum vulgo, quanquam appareat ea quæ dixi ex his esse quæ fieri posse creduntur. »

Quod vero de sede stercoraria additur ad explorandum sexum pontificis destinata, id ut fabulosum rejicit ipse Platina, aitque pontificem in illa sedere ut se hominem esse et naturæ necessitatibus obnoxium meminerit : unde et stercoraria dicitur. Idque fit non ante electionem sed post, cum novus pontifex ritu solemni Lateranensem Basilicam prima vice ingreditur. Alii volunt hanc sedem lapideam in porticu Lateranensis Basilicæ collocatam, « stercorariam » dictam, non a forma , neque enim est perforata, sed a versu qui, pontifice in ea sedente, canebatur : « Suscitat de pulvere egenum et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus et solium gloriæ teneat. »

Adde Platinæ fidem in pontifices esse suspectam ob injuriam ipsi a Paulo II factam, a quo propter seditionis suspicionem in carcerem detrusus fuerat.

Ad sextum : Pontifices eundo Lateranum deflectunt ab illa via breviori, non in detestationem ullius sceleris, sed quia est angusta et anfractuosa, ideoque incommoda pontificio comitatui, qui semper frequentissimus esse solet. Quanquam teste Onuphrio in notis ad Platinam, pontifices per hanc viam non semel transierint, etiam ab eo tempore quo fingitur fabula papissæ.

Ad septimum : Statua quæ olim visebatur, non mulierem repræsentabat, nec infantem in sinu positum, sed puerum grandiorem præcedentem : unde conjecerunt rei antiquariæ periti in ea repræsentari sacerdotem ethnicum ad sacrificandum, præeunte ministro, pergentem, præsertim, cum altera manu ramum palmæ deferret, quod non est insigne pontificum, qui crucem aut claves gestantes repræsentantur. Illa autem statua sublata est tempore Sixti V, qui hanc viam sicut plures alias rectiorem et ampliorem fieri curavit in urbis ornamentum et utilitatem.

Statua templi Senensis equidem papissam repræsentabat ; at imperitiæ eorum qui opus curabant et Senensium conniventiæ , atque errori ac licentiæ sculptoris tribuendum est, juxta illud Horatii. « Pictoribus atque poetis quælibet audendi semper fuit æqua potestas.» Hæc vero statua jussu Clementis VII sublata est.

DISSERTATIO IV.

De Episcopatu.

D. Th. Suppl. q. 40.

Episcopus græce, idem est ac latine, inspector, explorator, superintendens ; sacerdos, sacradonans ; presbyter, senior ; diaconus, minister.

Tria hic potissimum inquirimus : 1° an episcopus sit institutione divina superior presbyteris ? 2° an episcopatus sit ordo distinctus a presbyteratu ? 3° quot episcopi requirantur ad ordinationem episcopalem ?

ARTICULUS I.

Utrum episcopus sit institutione divina superior presbyteris ?

Aerius, sæculo quarto, ægre ferens repulsam ab episcopatu quem ambierat, ut se solaretur, contendit nullum esse jure divino discrimen inter episcopos et presbyteros : de quo Epiphanius *Hæresi* 75, et S. Augustinus, l. *de Hæresibus*, cap. 53. Similiter Wiclef, spe frustratus obtinendi episcopatum Vigorniensem, eamdem insaniam adoptavit, ut scribit Thomas Valdensis, l. 2 *Doctrinæ fidei*, a. 3. Horum vestigia premit Calvinus, l. 4 *Instit.*, cap. 4, cui adhærent puritani seu presbyterani in Anglia, pro quibus Blondellus calvinistarum minister prolixam instituit disputationem quam inscripsit : Apologia S. Hieronymi de episcopis et presbyteris : hunc enim S. Doctorem vel invitum in suas partes trahere conantur.

Observa quæstionem esse de jure divino; non enim negant hæretici episcopos præeminere presbyteris jure humano, sive tanquam primogeniti qui fuerunt prius admissi in clerum, sive sicut princeps electus est superior civibus ex eorum electione et institutione ; unde plures ex nostris frustra congerunt argumenta quibus probant simpliciter eminentiam episcoporum supra presbyteros, non distinguentes inter jus divinum et humanum : insistendum est ergo juri divino.

Duplex in episcopo distinguitur potestas : una ordinis, qua non solum sacramenta conficit et administrat, sed etiam fideles confirmat, chrisma conficit, sacerdotes et alios ministros consecrat, etc.; altera jurisdictionis, tam in foro interno qua ligat vel absolvit a peccatis, quam in foro externo, qua regit ecclesiam, dogmata definit, disciplinam sancit, mores corrigit, refractarios coercet, etc. Est enim jurisdictio exterior potestas dicendi jus in alterum etiam invitum. De utraque potestate est quæstio.

Dico : Episcopi sunt ex institutione divina[1] superiores presbyteris potestate ordinis et jurisdictionis.

Prob. de potestate ordinis : 1° Apostolus ad Tit. 1 dicit : *Hujus gratia reliqui te Cretæ..... ut constituas per civitates presbyteros.* Potestas instituendi presbyteros est potestas ordinis; nec ab alio quam a Christo potest obvenire episcopis; nihil enim Ecclesia potest in potestatem absolutam conferendi sacramenta : unde, licet possit, v. g., impedire ne sacerdos licite consecret, non potest tamen impedire quin valide consecret. 2° Christus solis Apostolis, et non septuaginta duobus discipulis dixit : *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos,* quod comprehendit utramque potestatem ordinis et jurisdictionis, Joan. 20. Item solis Apostolis

[1] Supp. q. 40. a. 1. o.

concessa est potestas dandi Spiritum Sanctum per Confirmationem, quod est actus ordinis, Act. 8, v. 14 et sequentibus : episcopi autem sunt successores Apostolorum, sicut presbyteri septuaginta duorum discipulorum, ut definit Tridentinum, sess. 23, cap. 4, post Damasum, epist. 4, S. Hieronymum, epist. 27, *ad Marcellam*, et S. Leonem, epist. 88. Si dicas secundum ipsum Trid., sess. 22, cap. 1, sacerdotes etiam succedere Apostolis, resp. eos succedere Apostolis restricte quoad sacerdotium, seu munus sacrificandi et absolvendi tantum, non vero simpliciter quoad omnia alia munia. Hunc e se sensum Tridentini patet ex ipso textu. 3° Ecclesia ab initio constanter agnovit in solis episcopis potestatem confirmandi, chrisma conficiendi, sacerdotes, et alios ministros ordinandi; nec alia ratione synodus Alexandrina declaravit Ischyram S. Athanasii accusatorem, non esse presbyterum, quam quia ordinatus fuerat a Collutho simplici presbytero: potestas autem conferendi sacramenta, ut jam dixi, non est nisi a Christo.

Prob. de potestate jurisdictionis [1] : 1° Quamvis sacerdotes accipiant in sua ordinatione potestatem absolvendi in foro interno, usum tamen hujus potestatis non habent, nisi dependenter ab episcopo, qui sic denegare aut restringere potest, ut non possit sacerdos valide illa uti; quod inutiliter tentaret episcopus, nisi sic esset ordinatum a Christo ; sicut inutiliter restringeret, aut impediret usum potestatis consecrandi in sacerdote, quia hæc potestas est a Christo.

2° Episcopi sunt instituti a Christo ad regendam Ecclesiam: sic Apost., Act. 20 : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* 2° Ad definiendum dogmata fidei et religionis : sic, Act. 15, Apostoli in concilio Jerosolymitano congregati dixerunt : *Visum est Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria*, etc. 3° Ad corrigendum: Apost., ad Tit. 1 : *Reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas*, qua potestate usus est ipse Apostolus excommunicando in nomine Domini incestuosum Corinthium, 1 Cor. 5, quamque dicit se a Deo accepisse, 2 Cor. 10 : *Etsi amplius*, inquit, *gloriatus fuero de potestate nostra quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non in destructionem vestram, non erubescam.* 4° Ad judicandum presbyteros : 1 ad Timoth. 5 : *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus* : porro nihil horum legimus unquam fuisse concessum presbyteris vi sui ordinis : ergo jure concludimus hæc episcopis esse concessa ex institutione divina, ut expresse dicit Apostolus de potestate corrigendi devios, et regendi Ecclesiam.

Prob. utraque pars : Juxta Tridentinum, sess. 23, can. 6 : « In Ecclesia est hierarchia, divina ordinatione instituta, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris. » Idem docent SS. Patres et concilia. Et eadem sess., cap. 4, dicitur : « Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hanc hierarchiam præcipue pertinere, et positos, sicut Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, eosque esse presbyteris superiores, ac sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, etc. » Et can. 7 : « Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem, anathema sit. » Ex his constat, quod quamvis concilium non dicat expresse episcopos presbyteris esse superiores jure divino, id tamen aperte indicat, tum quia dicit hierarchiam esse ex institutione divina, et episcopos præcipue ad illam pertinere, quatenus positi sunt a Christo, ut regant Ecclesiam, et conferant Confirmationem et ordines, in hisque sunt superiores presbyteris quibus hæ prærogativæ non competunt, quod est aperte dicere eos esse ex institutione divina presbyteris superiores; tum quia synodus non definiret tanquam fidei dogma episcopos præeminere presbyteris, si hanc præeminentiam haberent ab hominibus.

Prob. iterum ex SS. Patribus : S. Ignatius Martyr, epist. ad Ephesios : « Episcopi per terræ terminos definiti ex Jesu Christi sunt sententia : unde decet vos in episcopi sententiam concurrere. » Epist. ad Magnesianos : « Sed et vos decet, inquit, non familiarius ac superbe uti ætate episcopi, sed secundum virtutem Dei Patris omnem impertiri illi reverentiam..... non respicientes ad apparentem juvenilem ordinationem, sed ut prudentes in Deo credentes ipsi, non ipsi autem, sed Patri Jesu-Christi omnium episcopo. In honorem igitur illius qui vult, decet vos obedire sine ulla hypocrisi, quia nequaquam episcopum hunc quis fallit qui videtur, sed illudit invisibili, etc. » His et aliis S. Ignatii epistolis nihil habent presbyteriani quod respondeant, nisi quod sint supposititiæ; at eorum germanitatem solide vindicant nostri, inter quos Natalis Alexander,

[1] Ibid.

dissert. 20, in *Hist. primi sæculi*, et dissert. 44, in *Hist. quarti sæculi*.

S. Cyprianus, epist. 37, *ad Lapsos* : « Dominus noster, inquit, cujus præcepta metuere et observare debemus, episcopi honorem, et Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evangelio loquitur et dicit Petro : *Ego tibi dico, quia tu es Petrus, et super istam petram ædificabo Ecclesiam meam*, etc. Inde per temporum et successionum vices, episcoporum ordinatio, et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cum hoc itaque divina lege fundatum sit, miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse, quando Ecclesia in episcopo et clero, et in omnibus stantibus sit constituta? » Nihil expressius contra presbyterianos. Innumeros pene alios Patres omitto, quia prolixius foret eos referre : id unum advertant novatores, aerianos juxta Epiphanium, *Hæresi* 75, semper in Ecclesia habitos fuisse hæreticos, præcipue quod nullum discrimen agnoscerent inter episcopos et presbyteros.

Ratio congrua suadet [1] : Divina ministeria debent, Deo disponente, esse magis ordinata quam humana : atqui humanorum officiorum ordo exigit, ut in quolibet officio præponatur unus qui sit princeps illius officii ; sicut præponitur militibus dux : ergo et sacerdotibus debet aliquis præponi, qui sit sacerdotum princeps ; et hic est episcopus.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° : Juxta S. Scripturam idem est episcopus ac presbyter : ergo. Prob. ant. S. Paulus, ad Philipp. 1, salutat episcopos et diaconos, ubi per episcopos intelligit presbyteros, non enim in una civitate erant plures episcopi. Idem, ad Tit. 1, cum illi dixisset : *Reliqui te Cretæ ut.... constituas per civitates presbyteros*, statim subjungit : *Oportet episcopum sine crimine esse*. Et Act. 20, cum vocasset ad se *majores natu Ecclesiæ*, id est, presbyteros, ipsos alloquens, appellat episcopos : *Attendite*, inquit, *vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* : ergo.

Resp. dist. ant. Juxta S. Scripturam idem est episcopus ac presbyter, quoad nomen, conc. ; quoad gradum et potestatem, neg. Quamvis ergo dignitates, gradus, potestates et officia episcoporum et presbyterorum fuerint semper distincta, nomina tamen eorum initio Ecclesiæ erant communia, ita ut episcopi quandoque vocarentur presbyteri, et presbyteri episcopi. Hinc S. Chrysost. expendens illa verba epist. ad Philippenses : *Cum episcopis et diaconibus* : « Quid hoc ? inquit, unius urbis multi erant episcopi ? Nequaquam, sed presbyteros appellavit : tunc enim adhuc communicabant nominibus ; procedente vero tempore, proprium cuique distributum est nomen, ut hic quidem episcopus, ille vero presbyter appelletur. »

Inst. : Episcopus potest ordinari a presbytero, ut patet de Timotheo, 1 ad Timoth. 4, ubi dicitur ordinatus per manum presbyterii : ergo par est episcopi et presbyteri potestas.

Resp. neg. ant. Per presbyterium enim intelligitur cœtus episcoporum seu presbyterorum, qui præter ordinem presbyteralem, etiam episcopalem habebant : ita S. Chrysostomus qui, hom. 13, in 1 ad Timoth., dicit « presbyterium non intelligendum esse de presbyteris, sed de episcopis ; non etiam presbyteri episcopum ordinaverant. »

Obj. 2° : S. Hieronymus in cap. 1 epist. ad Tit., et epist. 101, ad Evangelum, alias 85, sequentia docet : 1° eosdem esse presbyteros quos et episcopos ; 2° eminentiam episcoporum non fuisse ab Ecclesiæ exordio, sed in remedium schismatis ; 3° Ecclesiam tunc communi presbyterorum consilio fuisse gubernatam ; 4° episcopos magis ex consuetudine Ecclesiæ quam dispositionis dominicæ veritate, presbyteris esse majores ; 5° presbyterum fieri episcopum electione compresbyterorum, sicut miles vel tribunus fiebat imperator electione commilitonum, et diaconus archidiaconus nominatione condiaconorum : in electione autem imperatoris aut archidiaconi non est præter electionem alius ritus seu consecratio quæ conferat characterem seu potestatem aliquam internam : ergo juxta S. Hieron., episcopi non præeminent presbyteris jure divino sed humano.

Antequam huic argumento, cui potissimum confidunt presbyteriani, respondeam, observo 1° S. Hieronymum iis ipsis locis objectis dogma catholicum aperte docere. In primo loco comparat episcopos Moysi, « qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israël, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret » : indubium est autem Moysen ordinatione divina, majori præditum fuisse potestate quam septuaginta quos elegit. In secundo loco agnoscit in episcopo potestatem

[1] Ibid, in arg. s. c.

ordinandi quam denegat presbyteris : « Quid enim, inquit, facit, excepta ordinatione, episcopus quod presbyter non faciat? » Sub ordinatione intelligit etiam Confirmationem, ut patebit ex mox dicendis. Ibidem dicit « omnes episcopos Apostolorum successores esse. » Erant autem Apostoli jure divino presbyteris quos ordinabant, superiores. Tandem hanc epistolam ad Evangelum sic concludit : « Et ut sciamus traditiones apostolicas sumptas de veteri Testamento; quod Aaron et filii ejus atque levitæ in templo fuerint, hoc sibi episcopi et presbyteri et diaconi vindicent in Ecclesia. » Nemo autem nescit majorem ex institutione divina fuisse potestatem Aaronis quam levitarum ; erat enim Aaron summus sacerdos seu pontifex, solus poterat ingredi semel in anno sanctuarium, habebat partem specialem ex oblationibus, et super sacerdotes et levitas amplissimam jurisdictionem : Exod. 28, Levit. 9, Eccli. 45.

Eamdem doctrinam aliis in locis constanter tenet S. Doctor : In Dialogo contra luciferianos dicit potestatem confirmandi in episcopis, « ex auctoritate descendere, quod Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit. » Epist. 54, ad Marcellam, hoc inter catholicos et montanistas ponit discrimen : « Apud nos Apostolorum locum tenent episcopi, apud eos episcopus tertius est. Item lib. 1, *adversus Jovin.*, cap. 19, epist. 2, ad *Nepotiam*, et alibi.

Observo 2° S. Hieronymum in priori loco agere contra episcopos qui immoderate supra presbyteros se efferebant; in secundo contra arrogantiam Falcidii diaconi, qui se presbyteris coæquabat; et ideo in utroque loco totus est in extollenda presbyterorum dignitate : familiare autem est scriptoribus, cum unum extremum acrius impugnant, ut in aliud extremum acrius impingere videantur.

Observo 3° ut supra, duplicem esse episcopi potestatem, ordinis scilicet et jurisdictionis præsertim hic exterioris; hancque posse considerari dupliciter, vel secundum se et in actu primo, vel quoad usum et actum secundum. Quamvis autem priori modo considerata sit propria solis episcopis, ejus tamen usum et exercitium in exordio Ecclesiæ communicabant presbyteris, eos adhibentes tanquam consiliarios in regimine exteriori Ecclesiæ ad exemplum Moysis, inquit ipse S. Hieronymus citatus, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta eligit cum quibus populum judicaret.

Ex his facile intelligitur quæ fuerit mens S. Hieronymi, et sponte fluit solutio ad ea quæ ex ipso objiciuntur : unde

Ad primum dist.: Secundum S. Hieronymum iidem sunt presbyteri qui et episcopi quoad nomen et aliquem usum jurisdictionis externæ gratis concessum, conc.; quoad characterem, gradum et ipsam potestatem sive ordinis, sive jurisdictionis, neg. Solutio patet ex dictis, et partim traditur ab ipso S. Hieronymo in Commentariis citatis in epist. ad Tit.: « In una civitate, inquit, plures, ut nuncupantur, episcopi esse non poterant, sed quia eosdem episcopos illo tempore quos et presbyteros appellabant, propterea differenter de episcopis quasi de presbyteris est locutus. » Insuper ex his verbis colligitur S. Hieronymum agnovisse episcopum gradu et dignitate distinctum a presbytero; si enim non poterat esse nisi unus episcopus in una civitate in qua plures essent presbyteri : ergo episcopus gradu et dignitate distinguebatur a presbyteris.

Ad secundum, eadem est distinctio : Præeminentia episcoporum supra presbyteros, quoad potestatem ordinis et jurisdictionis, non fuit ab exordio Ecclesia, sed in remedium schismatis, neg.; quoad aliquem usum istius jurisdictionis, conc. Diximus enim tunc ecclesias regi et res ecclesiasticas administrari communi presbyterorum, cum episcopo, consilio, cui tamen episcopus jure suffragii, et auctoritate judicandi et decernendi, præsidebat. Cum vero schismata inde orirentur, et diceretur in populis : Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ut contigit apud Corinthios, hæc regiminis forma immutata est, et penes solum episcopum omnis Ecclesiæ cura remansit.

Quod vero ex hoc schismate S. Hieronymus repetat institutionem episcoporum, ut prætendit Blondellus, aperte falsum est ; non enim ignorabat S. Doctor F. Jacobum fratrem Domini fuisse ordinatum episcopum Jerosolymis, S. Petrum sedisse Antiochiæ, Marcum Alexandriæ, et S. Petrum Evodium successorem suum ordinasse, antequam oriretur schisma inter Corinthios.

Ad tertium patet solutio ex dictis.

Ad quartum dist.: Episcopi magis consuetudine quam dispositione divina sunt majores presbyteris quantum ad potestatem ordinis et jurisdictionis, neg.; quantum ad actuale regimen Ecclesiæ et totius jurisdictionis usum, conc. Non enim est juris divini quod res Ecclesiæ a solo episcopo, seclusis presbyteris, de facto administrentur : imo secundum se, et sepositis inconvenientibus, convenientius fo-

ret quod ecclesiæ administrarentur communi senatus ecclesiastici consilio; et hoc sensu addit S. Hieronymus « episcopos in communi debere Ecclesiam regere. » Hanc esse mentem S. Doctoris clare significat exemplum Moysis, de quo supra, quod immediate subjungit : « Imitantes, inquit, Moysen qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit cum quibus populum judicaret. » Ex quo constat juxta S. Hieronymum, ut jam observavimus, quod episcopi sint jure divino presbyteris superiores quoad ipsam potestatem, sicut Moyses erat ex institutione divina superior septuaginta quos elegerat, quamvis initio consueverint usum suæ jurisdictionis communicare presbyteris, sicut Moyses septuaginta electis. Unde quod nunc amplius non communicent, consuetudine potius quam institutione divina effectum est.

Ad quintum: Comparatio S. Hieronymi tenet quoad aliquid, non quoad omnia ; in hoc ergo est paritas quod sicut olim eligebatur imperator a commilitonibus ex corpore exercitus, sic eligebantur episcopi a compresbyteris ex cœtu presbyterorum. Sed in hoc est disparitas quod præter electionem requiratur in episcopo consecratio, qua illi conferatur potestas interna ordinis et jurisdictionis; secus in imperatore. Hanc autem consecrationem in episcopo requisitam non expendit S. Hieronymus, quia nihil ad suum institutum conferebat.

Si objicias Catonem presbyterum et S. Britium apud S. Gregorium Turonensem, nec non quosdam alios ex quibusdam historiis Scoticis et Britannicis, qui videntur creati episcopi ex sola sacerdotum aut populorum electione, absque ulla alia consecratione, resp. vel illos non fuisse veros episcopos, ut patet de Catone ex ipso Gregorio Turonensi, vel præter electionem cleri aut populi fuisse consecratos ab episcopis, sive vicinis, sive extraneis advocatis vel quæsitis, ut probat Natalis Alexander, dissert. 44, in *Hist. quarti sæculi.*

Ex huc usque dictis de S. Hieronymo habetur solutio ad quædam affinia quæ opponuntur ex S. Chrysostomo, Theodoreto, Theophilacto, Isidoro Hispalensi, Beda, Alcuino, Amalario, Hincmaro et aliis. Multa insuper opponit Blondellus ex aliis SS. Patribus et scriptoribus antiquioribus, sed sunt levioris momenti et partim ex dictis solvuntur : ea sigillatim refert et solide refellit laudatus Alexander, dissert. citata : nobis autem diutius iis immorari non vacat.

Obj. 3° ; Presbyteri baptizant, consecrant, intersunt conciliis, interdum etiam ordinant et confirmant, ut alibi diximus : quod ergo inter eos et episcopos discrimen ? Item juxta S. Augustinum, S. Hieronymum, et Isidorum, hoc est discrimen inter episcopum et presbyterum, quod nomen episcopi sit nomen officii, nomen autem presbyteri, nomen ætatis. Denique S. Augustinus episcopus, epist. 82, olim 19, non audet se præferre S. Hieronymo simplici presbytero : ergo.

Resp. ad primum : Presbyteri baptizant et consecrant, sed non generant alios presbyteros, inquit Epiphanius. Quod si generent ministros inferiores et confirment baptizatos, id non faciunt potestate ordinaria sicut episcopi, sed ex dispensatione et commissione. Intersunt conciliis, non jure suffragii et decisionis, et ideo non subscribunt decretis conciliorum, nisi sint missi ab episcopis ; sed jure consultationis, atque ut fidem adstruant ac defendant. Ad secundum: Laudati patres recte explicant horum nominum etymologiam ; episcopus enim idem est ac inspector, seu superintendens, ut jam dixi, quod est officii ; presbyter idem ac senior, quod est ætatis ; at aliud est id a quo nomen imponitur, aliud id ad quod significandum imponitur. Ad tertium: S. Augustinus non audet se comparare S. Hieronymo, non quoad dignitatem episcopalem, sed quoad ætatem, eruditionem et sanctitatem, quod ejus humilitati tribuendum est.

Obj. 4° : Secundum plurium sententiam episcopus accipit jurisdictionem a Papa : ergo non est jure divino presbyteris superior saltem quantum ad jurisdictionem.

Resp. neg. conseq. Esto enim episcopus accipiat suam jurisdictionem immediate a Papa, de quo nunc non est quæstio, non sequitur quod Christus non sic instituerit ut episcopus majorem a Pontifice jurisdictionem accipiat quam presbyter, sicque sit ex institutione divina presbytero superior etiam quoad jurisdictionem. Hanc autem jurisdictionem accipit episcopus, quando ex apostolicæ sedis licentia ordinatur.

ARTICULUS II.

UTRUM EPISCOPATUS SIT ORDO DISTINCTUS A SACERDOTIO ?

Ordo potest dupliciter accipi [1], uno modo stricte secundum quod est sacramentum ordinatum ad Eucharistiam ; alio modo late se-

[1] Suppl. q. 40, a. 5, o.

cundum quod est officium quoddam respectu quarumdam actionum sacrarum.

Item episcopatus potest dupliciter considerari : 1° adæquate secundum omnem potestatem quam essentialiter importat, scilicet consecrandi, absolvendi, ordinandi, confirmandi et gubernandi; est enim episcopus essentialiter sacerdos, ut dicam modo ; 2° inadæquate pro eo quod addit simplici sacerdotio, seu pro potestate tantum ordinandi, confirmandi et gubernandi.

Suppono 1° episcopatum inadæquate sumptum [1] esse ordinem in latiori significatione a sacerdotio distinctum, quia confert potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis Christi mystici, scilicet potestatem ordinandi, confirmandi et jurisdictionis, quam non habet simplex sacerdos.

Suppono 2° episcopatum adæquate sumptum vere esse et dici ordinem stricte sumptum seu sacramentum Ordinis ; quia, ut jam dixi et dicam iterum infra, essentialiter importat sacerdotium, et quod illi superaddit non destruit rationem et denominationem Ordinis; quia perfectio superveniens generi non destruit rationem et denominationem illius. Sic rationale superveniens animali non destruit rationem et denominationem animalis in homine; qualitas ducis superveniens militi non destruit rationem et denominationem militis in duce.

Superest itaque quæstio utrum episcopatus inadæquate sumptus pro eo quod addit simplici sacerdotio sit Ordo stricte sumptus pro sacramento, ab ipso sacerdotio distinctus.

Dico : Episcopatus [3] inadæquate sumptus pro eo quod addit simplici sacerdotio, probabilius non est ordo stricte sumptus seu sacramentum Ordinis, nec consequenter ordo distinctus a sacerdotio, sed est ejus extensio et perfectissimum complementum.

Præter Auctorem citantur pro ea sententia Magister, Albertus magnus, S. Bonaventura, Scotus, Richardus, Paludanus, Dominicus Soto, Nugno, Bonacinas, Reginaldus, Henriques, Comitolus, Amicus, Gabriel, etc., et communiter thomistæ, exceptis paucis, contra plures præsertim recentiores.

Prob. 1° : Trid., sess. 23, cap. 2, recensendo ordines, septem tantum numerat et nominat, omisso episcopatu, et, can. 2, loquitur de sacerdotio tanquam de supremo ordine ad quem per alios ordines ascenditur : « Si quis, inquit, dixerit præter sacerdotium non esse in ecclesia catholica alios ordines majores et minores, per quos velut gradus quosdam in sacerdotium tendatur, anathema sit » : atqui si episcopatus esset ordo distinctus a sacerdotio, non tantum forent septem, nec apparet ratio cur concilium illum omisisset : item nec sacerdotium foret ordo supremus, sed episcopatus.

Respondent concilium non numerasse episcopatum inter ordines; quia licet a sacerdotio specie distinguatur, genere tamen est unus.

Sed contra : Eadem ratione non debuisset numerare septem ordines, quia licet inter se specie distinguantur, sunt tamen etiam genere seu ratione generica Ordinis, unus.

Prob. 2° : Distinctio ordinum accipitur secundum habitudinem quam habent ad Eucharistiam, quia potestas ordinis aut est ad consecrationem, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad sacramentum sacramentorum : atqui episcopatus non dicit specialem habitudinem ad Eucharistiam consecrandam, sed eam supponit completam et perfectam in sacerdotio; non enim potest episcopus magis consecrare, quam simplex sacerdos : ergo.

Respondent quod dicat habitudinem indirectam et remotam ad Eucharistiam, quatenus ordinat presbyteros qui possunt illam conficere, et consecrat calices ad Eucharistiam conficiendam.

Sed contra : 1° Episcopatus non ordinat proprium subjectum ad Eucharistiam sicut alii ordines, sed alienum tantum subjectum; et cum supponat in proprio subjecto completam potestatem consecrandi ratione characteris sacerdotalis, non potest esse nisi illius complementum, quo scilicet fit potens alios ad Eucharistiæ ministerium ordinare. 2° Si per hanc habitudinem indirectam et remotam episcopatus constitueretur ordo distinctus a sacerdotio, esset illi inferior, siquidem potestas sacerdotalis consecrandi corpus Christi sit longe nobilior et excellentior quam potestas consecrandi sacerdotes et calices.

Confirm.: Si episcopatus esset ordo distinctus a presbyteratu, vel esset ipsi par, vel inferior, vel superior : non par, quia essentiæ rerum non secus ac numeri per inæqualitatem constituuntur; non inferior, quia episcopatus est et dicitur apex sacerdotii, et episcopus dicitur a S. Augustino primus sacerdos, seu princeps sacerdos ; non superior, quia, ut modo dicebam, nulla est potestas superior et sublimior potestate in corpus Christi naturale, quam confert sacerdotium, hæc que

[1] Ibid. [2] Ibid. [3] Ib. et q. 37, a. 2, o.

longe præstat potestati in corpus Christi mysticum, quam confert episcopatus.

Prob. 3°: [1] Episcopatus includit sacerdotium, non eminenter tantum, sicut, v. g., sacerdotium includit diaconatum, sed essentialiter formaliter, ita ut non possit esse nec concipi episcopus sine sacerdotio, et ideo dicitur sacerdos primus, sacerdos princeps, nec characterem distinctum imprimit, sed sacerdotalem tantum extendit : ergo non est ordo a sacerdotio specie distinctus ; una enim species non includit formaliter, essentialiter alteram, alias jam non forent duæ species, sed una. Prob. ant. Si episcopatus contineret tantum eminenter et non formaliter, essentialiter sacerdotium, sicut ordines superiores continent inferiores, et imprimeret characterem distinctum, non sacerdos posset valide fieri episcopus, sicut non diaconus potest valide fieri sacerdos ; inter enim ordines distinctos non esset essientialis dependentia, sic ut susceptio superioris pendeat a susceptione inferioris ; et sicut non diaconus sacerdos consecratus posset omnia munia diaconi implere, quia illum eminenter continet, ita non sacerdos consecratus episcopus, posset omnia sacerdotis munia exercere, consequenter conficere Eucharistiam sine charactere sacerdotali, quia episcopatus illum eminenter continet ; quod plane est absurdum : ergo.

Respondent Tournely et Berti post Estium, ideo non posse valide consecrari episcopum qui non sit sacerdos, quia potestas ordinandi et confirmandi, cum sit eximia, ex divina institutione, solis sacerdotibus communicari potest.

Sed contra ; non advertunt oculatissimi theologi potestatem consecrandi corpus Christi esse nedum eximiam, sed longe præstantiorem potestate confirmandi et ordinandi, et tamen non esse divinam institutionem, ut non communicetur, nisi diaconis. Quare ergo esset divina institutio, ut potestas longe inferior ordinandi et confirmandi non communicetur, nisi sacerdotibus ; sic enim se habet episcopatus ad sacerdotium, in hypothesi respondentium, sicut sacerdotium ad diaconatum. Gratuita igitur videtur hæc responsio, et aliunde repetenda est hujus disparitatis ratio : nec videtur alia quam quia sacerdotium continet diaconatum eminenter tantum, non formaliter ; episcopatus e contra contineat sacerdotium formaliter. Admittimus itaque divinam institutionem, sed eam qua presbyteratus et episcopatus sic sunt instituti, ut episcopatus contineat formaliter presbyteratum ; sic autem diaconatus et presbyteratus, ut presbyratus contineat eminenter tantum diaconatum, ideoque presbyter sine diaconatu possit ordinari, non episcopus sine sacerdotio.

[1] Hic ib in a. s. c.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Ex his quæ Apostolus dicit, 1 ad Timoth. 4 : *Noli negligere gratiam quæ data est tibi.... cum impositione manuum presbyterii ;* et 2 ad Timoth. 1 : *Admoneo te ut resuscites gratiam quæ est in te per impositionem manuum mearum,* probant nostri theologi ordinem esse sacramentum, nec habent unde efficacius illud probant ex S. Scriptura ; atqui ibi agitur de episcopatu collato Timotheo : ergo vel episcopatus est sacramentum, vel non habemus unde efficaciter probemus ex S. Scripturis contra hæreticos Ordinem esse sacramentum.

Resp. 1° hoc argumentum non militare contra nos qui dicimus episcopatum adæquate sumptum esse vere sacramentum Ordinis, includens formaliter, essentialiter sacerdotium. 2° Etiam sumendo episcopatum inadæquate, neg. conseq., quia hoc ipso quo est complementum intrinsecum sacramenti Ordinis, ex locis S. Scripturæ, in quibus agitur de illo, bene probatur Ordinem esse sacramentum ; quia fieri non potest quod Ordo compleatur in ratione sacramenti per episcopatum, nisi Ordo sit sacramentum.

Obj. 2° : Plures SS. Patres consecrationem episcopi vocant ordinationem, ordinem, sacramentum. Tridentinum, sess. 23, can. 6, definit ecclesiasticam hierarchiam divina ordinatione institutam constare episcopis, presbyteris et ministris ; et, cap. 4, declarat episcopos ad eam præcipue pertinere. S. Dionysius, cap. 5, de ecclesiastica hierarchia assignat hos tres ordines ecclesiasticæ hierarchiæ episcopum, sacerdotem et ministrum : ergo.

Resp. hæc intelligenda esse, vel de ordine prout est officium ad aliquos actus sacros, qui diversi sunt, secundum diversos gradus hierarchiæ, vel de episcopatu adæquate sumpto, prout includit formaliter sacerdotium : sin minus appellant sacramentum, quia est complementum intrinsecum sacramenti.

Obj. 3° : consecratio episcopi est cæremonia sensibilis distincta a consecratione presbyteril confert gratiam et characterem : ergo nihi, ipsi deest quominus sit sacramentum, et Or-

oc distinctus a presbyteratu. Ant. quoad primam partem constat ; secunda traditur a concilio Trident., sess. 23, can. 4, a D. Thoma in cap. 4, 1 ad Timoth., lect. 4 et in cap. 1, 2 ad Timoth., lect. 1, a Sancto Ambrosio de dignitate episcopali, cap. 5 et aliis. Tertia pars probatur ; quia traditur specialis potestas spiritualis et indelebilis ad ordinandum et confirmandum, quæ non competit sacerdoti : atqui character nihil est aliud quam potestas spiritualis indelebilis ad sacros actus : ergo.

Resp., concessa prima parte ant., ad secundam sufficere quod episcopatus sit complementum intrinsecum sacramenti, ut conferat gratiam.[1] Ad tertiam, nego conferri characterem distinctun a sacerdotali, sed hunc extendi, non moraliter , sed, per realem et physicum modum ad ministeria ulteriora, sicut in ordinatione presbyteri, character sacerdotalis ad consecrandum collatus in porrectione instrumentorum extenditur ad absolvendum et ligandum, quando postea dicitur : *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata,* etc.

Obj. 4° : S. Th., *Opus.* 18, cap. 24, sic habet : « Quod quarto opponitur quod episcopatus non est ordo, hoc manifeste continet falsitatem, si absolute intelligatur. » Et postea : « Quod autem habeat aliquem ordinem, et non jurisdictionem solam, sicut archidiaconus, vel curatus presbyter, patet ex hoc quod potest multa facere quæ non potest committere, sicut confirmare, ordinare, etc. » Et scribens in 2 ad Timoth., cap. 1, dicit quod in impositione manuum qua Timotheus fuit ordinatus episcopus data fuerit gratia Spiritus Sancti. Hæc autem scripsit post commentaria in 4 : unde conclusio nostra desumpta est, ideo censeri debent probabiliora, et præcedentium revocatoria. Ita doctiss. Sylvius.

Resp. Miror spectatissimum doctoris Angelici interpretem, hæc non potuisse conciliare cum his quæ hic docet S. Doctor, siquidem aperte se explicet : dicit ergo quod episcopatus sit ordo, si nempe ordo consideretur « secundum quod est officium quoddam respectu quarumdam actionum sacrarum, non vero secundum quod ordo est Sacramentum. » Hæc dicit non solum in præsenti articulo quem expendimus, sed etiam in ipso opusculo 18 citato in objectione, ubi post verba objecta subjungit : « Habet enim ordinem episcopus per comparationem ad corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia....., sed quantum ad corpus Christi verum, non habet ordinem supra presbyterum. » Docet autem priori loco, quod ordo ut est sacramentum attendatur secundum relationem ad corpus Christi naturale. Quantum ad collationem gratiæ, diximus sufficere quod episcopatus sit pars et complementum intrinsecum sacramenti.

[1] Ib. ad 2.

ARTICULUS III.

QUOT EPISCOPI REQUIRANTUR AD ORDINATIONEM EPISCOPALEM ?

Suppono 1° tanquam certum tres episcopos requiri ex præcepto saltem ecclesiastico ad unius episcopi ordinationem licitam, ita ut aliter ordinans, et ordinatus peccent mortaliter. Ita enim præcipitur can. 20 concilii Arelat. 1, anno 324; can. 4 concilii generalis Nicæni 1, anno 325; can. 12 concilii Carthag. 2; can. 39 concilii Carthag. 3 et in pontificali Romano, atque ita ab Ecclesiæ exordio constanter observatum est.

Suppono 2° etiam ut certum, quidquid dicant aliqui, ordinationem episcopalem factam ab uno tantum ex dispensatione pontificia esse et licitam et validam. Constat ex variis exemplis. 1° S. Gregorius, l. 10, epist. 64, interrogatus a S. Augustino Anglorum episcopo, an posset solus episcopos ordinare? sic respondet : « Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus tu episcopus inveniris, ordinare episcopum non aliter nisi sine episcopis potes. » Vitiosa est altera lectio, quæ habet, « nisi cum episcopis potes », ut notat nova editio Parisiensis ; et patet quia non præmisisset Gregorius : « Tu solus episcopus inveneris », si voluisset significare quod non nisi cum episcopis posset alios episcopos ordinare. 2° Henriques, tom. 4, cap. 20, refert Gregorium XIII concessisse patriarchæ Æthyopiæ jesuitæ ut solus consecraret episcopos. 3° Herinx, referente Henno, testatur se vidisse duo indulta Innocentii X, quorum uno concedebat ut Jacobus de la Torre consecraretur archiepiscopus Ephesinus a solo episcopo Neritensi, qui fuit postea Alexander VII, modo assisterent duo in ecclesiastica dignitate constituti ; et altero, permittebat suffraganeo Leodiensi consecrari in episcopum Dionyensem a quolibet antistite catholico, modo concurrerent duo abbates mitrati. 4° Alexander VII, anno 1663, teste Andræa a Matre Dei, concessit Josepho a S. Maria carmelitæ discalceato episcopo Hierapolitano, ut solus cum duobus presbyteris consecraret

episcopum in regno Malabar Alexandrum de Compo. 5° Innocentius X, teste Gavardi, tom. 6, p. 526, concessit Godefrido duci Franciæ orientalis, ut ab uno episcopo, cum assistentia duorum abbatum ordinaretur episcopus. Hæc autem omnia negare, morosi foret ac pervicacis animi.

Et ex his quidam inferunt tres episcopos non requiri jure divino ad validitatem ordinationis episcopalis, sed unum sufficere, quia, inquiunt, pontifex non potest dispensare in jure divino. Verum arbitror illegitimam esse illationem : potuit enim Christus instituere ut tres episcopi essent ministri ordinarii consecrationis episcopalis, et quod unus ex commissione Pontificis esset minister extraordinarius, sicut diximus de ministro Confirmationis et Ordinis ; in quo casu Pontifex non dispensaret in jure divino, sed secundum jus divinum ageret. Et ita censent plures qui sustinent necessitatem trium episcoporum jure divino ad validam consecrationem episcopalem.

Quæstio est itaque utrum, seclusa dispensatione pontificia, tres episcopi jure divino requirantur ad consecrationem validam unius? Plures affirmant, nec improbabiliter. Plures negant, et ut videtur probabilius: cum quibus

Dico : Tres episcopi non requiruntur jure divino ad validam ordinationem episcopalem, sed unus sufficit.

Prob. 1° : In Constit. Apost. quæ tribuuntur S. Clementi, l. 8, cap. 27, alias 33, dicitur : « Si necessitas urgeret, episcopus ab uno ordinari posset. » Respondet Gonet hunc textum esse vitiatum, sed non sufficienter probat. Si insuper dicas Constitutiones Apostolicas esse dubiæ fidei, quia sunt apocryphæ, dicam pariter epistolam Anacleti, in qua potissimum fundantur adversarii, esse dubiæ fidei, quia etiam est apocrypha.

2° In pontificali Romano, unus tantum episcopus vocatur consecrator, alii vero assistentes ; et S. Gregorius citatus, episcopos alios ab uno consecrante vocat testes : quamvis autem non repugnet consecratorem dici assistentem et testem, si tamen omnes æque consecrent, non est ratio cur unus tantum dicatur consecrator, et alii solum assistentes et testes.

Confirm. Juxta can. 2 concilii Carthag. 4, ab omnibus episcopis tangitur caput electi, sed ab uno tantum funditur benedictio, seu forma pronuntiatur : ergo unus est consecrator. Si dicas Christum sic potuisse instituere, ut plures ponerent materiam et unus proferret formam, ita quidem potuit, sed an fecerit quæstio est, nec supponendum, sed probandum.

3° Unus episcopus habet plenam potestatem ordinis, quæ ex aliorum præsentia non augetur, nec minuitur : ergo potest unus quod possunt tres.

Confirm.: in aliis sacramentis, sufficit unus minister ; quidni in ordinatione episcopi sive sit sacramentum, sive complementum sacramenti ? Neque est quod iterum recurras ad voluntatem Christi sic instituentis; de hac enim voluntate disputatur, nec sufficienter probatur in sententia opposita, ut patebit ex Solutionibus objectionum.

4° Prob. exemplis : Inter plura duo seligo, primum, Theodoretus, l. 5 *Hist.*, cap. 23, refert Evagrium, quarto sæculo, consecratum fuisse episcopum Anthiochenum a solo Paulino, hujusque Evagrii communionem, occidentales retinuisse contra Flavianum etiam episcopum Anthiochiæ, consequenter ejus ordinationem ut validam habuisse, quamvis factam contra canones. Item Innocentius, epist. 22, ad Bonifacium jubet ordinatos ab Evagrio recipi, et quamvis causa ejus in synodo Romana, Capuana et Alexandrina fuerit discussa, semper habita fuit valida.

Respondent 1° ex Baronio, Theodoretum Flaviani partibus addictum falsa narrasse de ordinatione Evagrii facta a solo Paulino; quia Socrates, l. 5, cap. 15 et Sozomenus, l. 7, cap. 12, referunt Evagrium non fuisse ordinatum nisi post mortem Paulini. 2° Dato Evagrium a solo Paulino ordinatum fuisse, probandum restaret id factum fuisse sine dispensatione pontificis.

Sed contra primum : Sozomenus nihil hæc de re habet loco citato a Baronio saltem in editione Coloniensi 1613 qua utor. Socrates vero dicit tantum « quod cum Paulinus morte occubuerat, populus illius ecclesiæ Flavianum detestatus est; et propterea Evagrium sive suæ factionis episcopum designari constituit. » Quibus verbis non significatur Evagrium tunc ordinatum fuisse, sed Paulini votis accessisse populi suffragium, eumque episcopum voluisse quem prius ordinaverat Paulinus : Idem dicit ipse Theodoretus : « Cum Evagrius, inquit, ejus (Paulini) sedem post illum obtinuisset. »

Quoad secundum facile probatur non accessisse dispensationem Pontificiam pro hac ordinatione a solo Paulino facta, ex ipso Theodoreto qui scribit ibidem « Evagrium contra

legem Ecclesiæ designatum fuisse, complures canones in ejus ordinatione violatos, siquidem canones neque faciunt potestatem cuiquam jam mortem oppetituro, quemquam in locum suum sufficere; atque omnes provinciæ episcopos jubent in unum ad eam rem convocari : quin etiam vetant rursus quemquam, absque tribus episcopis, episcopum constitui, attamen nihil horum scire cupientes (Romani et Ægyptii) Evagrii communionem sunt illi amplexati. »

Alterum exemplum : Concilium Regense, anno 439, improbat ordinationem Armentarii, quia ordinatus fuerat episcopus Ebredunensis a duobus tantum episcopis non expetitis comprovincialium litteris et sine consensu metropolitani ; et tamen can. 4 concedit ipsi ut baptizatos confirmet et ordinatis ab ipso, si sint inculpatæ vitæ, permittit in suis ordinibus permanere.

Respondent simplicem presbyterum posse confirmare ex dispensatione pontificia, et ordinatos ab Armentario fuisse de novo consecratos. Et hæc, quia in secundo canone ordinatio Armentarii dicitur « irrita, vacuanda et nihil habere quod faceret episcopum. »

Sed contra : Quis credat Patres concilii Regensis presbytero simplici canonum violatori indulsisse ut episcopi munia obiret, eamque licentiam a Summo Pontifice in ejus gratiam emendicasse? Ordinatos ab Armentario, rursus nova ordinatione fuisse initiatos, figmentum est, cujus ne vel umbra in dicto concilio. Ratio autem utriusque responsionis, omnino frivola; quia hi termini, « irrita, nulla, evacuanda, non facere episcopum, non esse episcopus » et similes, sunt æquivoci et tam solius executionis quam substantiæ privationem important : sic pontifices et synodi declarant simoniacorum ordinationes esse cassas et irritas. Item concilium Nicænum, can. 17, declarat irritam ordinationem factam a non proprio episcopo. His ego terminis in præsenti materia significatur non ordinatum a tribus episcopis privari non charactere et potestate episcopali, sed ejus functionibus, honore nominis et gradus, ac si non esset episcopus, eumque esse deponendum, alioquin sequeretur invalidam etiam esse ordinationem factam, non expetitis comprovincialium litteris et voluntate metropolitani neglecta : hæc enim jungit concilium defectui trium episcoporum. Confer objectiones sequentes.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Can. *Porro*, d. 66, ex Anacleto epist. 2, ad episcopos Italiæ dicitur : « Jerosolymitanus primus archiepiscopus B. Jacobus... a Petro, Jacobo et Joanne Apostolis est ordinatus, successoribus videlicet suis dantibus formam ut non minus quam a tribus episcopis, reliquis omnibus assensum præbentibus, nullatenus episcopus ordinetur, et communi voto ordinatio celebretur. » Nec obstat quod Jacobus jam esset ordinatus a Christo et tantum fuerit, ut ita dicam , intronisatus a tribus Apostolis; saltem juxta Anacletum per hunc ritum Apostoli dederunt formam ordinandi episcopum per tres alios episcopos : sine forma autem non subsistit ordinatio : ergo.

Resp. Omisso quod opponi posset contra auctoritatem hujus decretalis, quæ communiter habetur apocrypha, dist. maj. Apostoli in ordinatione Jacobi dederunt formam ordinandi episcopos cæremonialem et accidentatem, sine qua ordinatio est illicita, conc.; essentialem sine qua ordinatio est invalida, neg. Veritas hujus solutionis manifesta est ex canone præcedente ibidem, ubi ex Aniceto, epistola ad episcopos Galliæ, dicitur : « Archiepiscopus ab omnibus suæ provinciæ episcopis ordinetur..., sin aliter præsumptum fuerit viribus carere non dubium est, quia irrita erit ejus secus acta ordinatio. » Hæc sane fortius urgent quam quæ objiciuntur, siquidem in illis declaretur « viribus carere et irritam » esse ordinationem archiepiscopi non factam ab omnibus suffraganeis, quod non habetur in epistola Anacleti; et tamen nemo censet ordinationem archiepiscopi non factam ab omnibus suis suffraganeis esse invalidam. Hi ergo termini et similes, ut jam dixi, nihil aliud significant quam quod sic ordinatus contra canones privetur functionibus et honore sui ordinis, habeaturque tanquam non episcopus.

Obj: 2° : Cap. *Chorepiscopi*, d. 68, ex Damaso papa, dicitur de chorepiscopis : « Quod autem episcopi non sint qui minus quam a tribus sunt ordinati episcopis, omnibus patet; quoniam ut bene nostis, prohibitum a sanctis est Patribus, ut qui ab uno vel a duobus sunt ordinati episcopis nec nominentur episcopi : si nomen non habent, qualiter officium habebunt. » Idem Joannes III : ergo.

Resp. dist.: Ordinati minus quam a tribus episcopis non sunt episcopi quoad honorem, gradus et officium, ut canon ipse dicit, conc.; quia sunt suspensi a suis functionibus, et

quantum ad hoc habentur quasi non episcopi; quantum ad characterem et potestatem episcopalem, neg. Solutio patet ex præcedentibus.

Inst. : Leo III ad episcopos Galliæ tempore Caroli Magni, declarat non esse sacerdotes et diaconos qui erant a chorepiscopis ordinati : ergo.

Resp. vel Leonem loqui de chorepiscopis qui erant simplices sacerdotes; vel intelligit ordinatos illicite ab ipsis non esse sacerdotes et diaconos quoad excercitium sui ordinis, non quoad characterem, ut dictum est.

Urgebis : Episcopi Galliæ et Germaniæ, hoc responso Leonis accepto, pronuntiarunt irritum quidquid a chorepiscopis episcopaliter præsumptum est : « Nam episcopi non erant, inquiunt, quia nec canonice a tribus episcopis ordinati » : ergo.

Resp. iterum ut ante : Pronuntiarunt irritum, id est, illicitum, dixerunt non esse episcopos quoad officium scilicet et usum suarum functionum. Vel dicendum quod cum essent chorepiscopi duplicis generis, ut alibi diximus, alii simplices presbyteri, alii episcopi, et ubique lex de adhibendis tribus episcopis in ordinatione episcopi servaretur, bene inferebant præsules Galliæ et Germaniæ eos qui ab uno tantum ordinati fuerant, non fuisse ordinatos in episcopos, sed in simplices presbyteros.

Repones : S. Cyprianus, epist. 68, scribit custodiendum et tenendum esse «de traditione divina et apostolica ordinatione, ut ad ordinationes rite celebrandas, cum plebe, cui præpositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciæ proximi quique conveniant » : ergo.

Resp. 1° hanc instantiam non favere iis quos oppugnamus, qui tres tantum episcopos de necessitate sacramenti requirunt, non plebem, nec omnes episcopos proximos provinciæ. 2° Neg. conseq.; non enim solum quæ sunt essentialia sacramentis, sed etiam quæ sunt tantum ipsis cæremonialia quandoque habemus ex apostolica traditione, ut patet in mixtione aquæ cum vino ad consecrationem. Unde in hac materia sicut in aliis pluribus distinguendæ sunt traditiones quæ pertinent ad disciplinam et quæ statuunt dogmata inviolabilia.

Cæterum his omnibus testimoniis Anacleti, Damasi, Leonis, Joannis et præsulum Galliæ et Germaniæ, oppono can. 1 Apost. in quo dicitur : « Episcopus a duobus vel tribus ordinetur », cap. 2, l. 3 Constitut. Apost., ubi legitur : « Jubemus ut a tribus episcopus ordinetur, et ut minimum a duobus, ita ut ab uno constitui non possit; testimonium enim duorum et trium firmius est et certum. » Neque dicas intelligi duos præter metropolitanum ; id enim aperte falsum evincit secundum testimonium; sic enim dicit posse a duobus ut non possit ab uno : ergo duos sic intelligit ut, altero detracto, remaneat unus. Item dicit, quia « testimonium duorum et trium est firmius et certum » : si autem intellexisset metropolitanum cum duobus aut tribus, debuisset dicere testimonium trium et quatuor. Aliunde probandum foret tunc fuisse metropolitanos in omnibus provinciis in quibus ordinabantur episcopi, quod difficile probaretur. Item oppono cap. 27 Constitut. Apost., l. 8 citato, ubi dicitur quod « si necessitas urgeat, episcopus ab uno ordinari possit. »

Obj. 3° : Novatianus cum non inveniret Romæ a quo episcopus ordinaretur, accersivit ex aliqua Italiæ provincia tres viles episcopos, a quibus temulentis et crapula oppressis fuit consecratus : ergo tunc ea erat opinio fidelium, invalidam fore ordinationem episcopalem quæ non fieret a tribus episcopis.

Resp. neg. conseq. Ideo enim voluit Novatianus ordinari a tribus episcopis, ut se conformaret disciplinæ communiter receptæ, ne si eam aperte transgrederetur, majorem in se concitaret invidiam et difficilius pontificatum obtineret.

Obj. 4° : Juxta Apost. Heb. 7 : *Quod minus est a meliore benedicitur :* atqui unus episcopus non est melior aut dignior alio : ergo ad benedicendum episcopo plures requiruntur qui simul sunt meliores et digniores uno.

Resp. 1° benedicentem propria auctoritate debere esse meliorem et digniorem ; secus si benedicat auctoritate Dei et ut ejus minister. 2° Episcopus nondum benedictus, sed benedicendus, est minor episcopo benedicente, nec tres sunt majores et meliores uno intensive.

Verum observandum est quod quamvis hæc sententia nobis sit speculative probabilior, quia tamen opposita est etiam vere probabilis, et hic agitur de valore sacramenti, quod est maximi momenti, in praxi standum est contrariæ sententiæ.

Et hæc sufficiant de sacramento Ordinis.

TRACTATUS DE MATRIMONIO

D. Th. supp. q. 41 ad 67.

SUMMA DOCTRINÆ CATHOLICÆ DE MATRIMONIO

EX CONCILIIS FLORENTINO ET TRIDENTINO.

Decretum concilii Florentini pro instructione Armenorum [1].

« Septimum est sacramentum Matrimonii [2] quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem : *Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Causa efficiens Matrimonii, regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Assignatur autem triplex bonum Matrimonii. Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas Matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et Ecclesiæ. Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit. »

Canones concilii Tridentini de Matrimonio.

I « Si quis dixerit [3] Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit. »

II « Si quis dixerit licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit. »

III « Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum et dirimere contractum ; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant, anathema sit. »

IV « Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit. »

V « Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit. »

VI « Si quis dixerit Matrimonium ratum non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. »

VII « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi ; et utrumque, vel etiam innocentem qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui, dimissa

[1] Sub Eug. IV, anno 1439. [2] Ex S. Th. Opus. 5.
[3] Sess. 24, 11 nov. 1563, sub Pio IV.

adultera, aliam duxerit, et eam, quæ, dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit. »

VIII « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit. »

IX « Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares, castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, et oppositum nihil aliud esse quam damnare Matrimonium, posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari. »

X « Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi Matrimonio, anathema sit. »

XI. « Si quis dixerit prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethniocrum superstitione profectam, aut benedictiones et alias cæremonias, quibus Ecclesia in illius utitur, damnaverit, anathema. sit. »

XII « Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit. »

DISSERTATIO I.

De Matrimonio secundum se.

D. Th. Supp. q. 41 et 42.

ARTICULUS I.

DE NOMINIBUS, DEFINITIONIBUS ET ESSENTIA MATRIMONII.

Nomina.

Matrimonium secundum varias considerationes varia sortitur nomina [1]. Consideratum secundum essentiam, quæ est, ut dicemus, nexus seu conjunctio maris et fœminæ, dicitur conjugium, quasi junctio duorum sub uno jugo, unde et conjuges. Spectatum secundum causam quæ est desponsatio seu contractus solemnitas, vocatur connubium et nuptiæ a verbo nubo seu velo, quia in ipsa solemnitate desponsationis capita nubentium velantur, seu velamine obnubuntur in signum pudoris et modestiæ quam inter se servare debent. Consideratum secundum effectum, nempe prolem, vocatur Matrimonium quia, ut ait S. Augustinus, lib. 19, *contra Faustum*, cap. 26 : « Non ob aliud debet fœmina nubere, quam ut mater fiat. » Potius autem dicitur Matrimonium a matre, quam patrimonium a patre, tum quia, ut ait Gregorius IX, cap. *Ex litteris*, de Conversione infidel., licet pater sit sexu dignior, matri tamen fœtus est « ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus », maxime enim illi cura prolis incumbit; tum quia prolis certa mater est, non semper certus pater.

[1] Suppl. q. 44, a. 2.

Definitiones.

Matrimonium est et contractus civilis in officium naturæ quam propagat et conservat,

et sacramentum novæ legis gratiam conjugibus conferens ad proles christiane educandas et ad sustinenda Matrimonii onera.

Ut est in officium naturæ [1] communiter definitur ex Magistro sententiarum : « Viri mulierisque conjunctio maritalis inter legitimas personas, individuam vitæ societatem retinens »; quibus particulis si addas : « Et gratiam conjugibus conferendam significans », habebis definitionem Matrimonii ut est sacramentum novæ legis.

Explicatur definitio : Dicitur : Conjunctio, et hæc particula tenet locum generis, cæteræ particulæ tenent locum differentiæ.

Dicitur : Maritalis, ut distinguatur ab aliis conjunctionibus viri et mulieris; puta filiali, fraterna, negotiationis, etc.

Dicitur : Viri et mulieris, quo designatur subjectum Matrimonii, et quidem viri et mulieris in singulari, ut excludatur polygamia.

Dicitur: Inter legitimas personas, id est, inter personas habiles ad contrahendum quæ nullo impedimendo sunt irretitæ.

Dicitur : Individuam vitæ societatem retinens, id est, perpetuam et indissolubilem; Matrimonium enim sola morte unius conjugis, non consensu partium, ut alii contractus, solvi potest.

Dicitur : Gratiam conjugibus conferendam significans, practice scilicet et efficaciter, quod est proprium sacramentum novæ legis.

Essentia.

In Matrimonio plura concurrunt : 1° mutuus consensus exterius expressus, seu contractus; 2° mutua corporum traditio ; 3° nexus seu vinculum resultans inter conjuges ; 4° jus mutuum ad copulam ; 5° denique usus Matrimonii seu ipsa copula. Quæstio est in quo ex his omnibus sita sit essentia Matrimonii considerati in facto esse et ut est res permanens. Si enim consideretur in fieri et causaliter, constat sitam esse in ipso consensu exterius expresso seu contractu.

Dico [2] : Matrimonium in facto esse consistit essentialiter in vinculo formali seu nexu indissolubili resultante ex mutuo contrahentium consensu.

Innuitur his verbis, Genes. 2 : *Erunt duo in carne una... quamobrem derelinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ.*

[1] Ib. a. 3, o. [2] Ibid, a. 1. o.

Prob. Matrimonium in facto esse non consistit essentialiter in consensu mutuo, sive externo, sive interno, neque in mutua traditione corporum ; quia ista transeunt remanente Matrimonio ; neque in jure mutuo ad copulam, tum quia jus istud ad copulam est quid consequens ad Matrimonium jam constitutum ; ideo enim conjuges habent jus ad copulam, quia sunt Matrimonio juncti ; tum quia subsistit Matrimonium absque isto jure, ut in iis qui mutuo consensu se obligant ad servandam continentiam, nisi forte intelligas de jure radicali, quod nihil est aliud quam ipse nexus seu conjunctio formalis et passiva. [1] Neque consistit in ipso usu seu copula; 1° quia usus et operatio rei non est de illius essentia ; facultas enim et potentia est essentialiter constituta antequam operetur; 2° quia fuit verum Matrimonium inter Adam et Evam in paradiso terrestri, cum tamen inter eos non intercesserit copula, nisi post expulsionem e paradiso. Item inter S. Josephum et B. Virginem fuit verum Matrimonium sine copula : pariter est verum Matrimonium inter eos qui voto mutuo se ad continentiam adstringunt, aut qui ante consummationem religionem profitentur : ergo.

Dixi : In vinculo formali ; quia non sumitur vinculum causaliter pro re quæ vinculat, sic enim est ipse contractus, sed pro modo et nexu formali seu conjunctione passiva ex vinculo causali resultante, quam Auctor, q. 44, a. 1, reponit in relatione conjunctorum.

Dices 1° : Matrimonium est sacramentum : atqui vinculum istud non est sacramentum cum non sit aliquid sensibile : ergo.

Resp. dist. maj. Matrimonium in fieri [2] et causaliter sumptum est sacramentum, conc.; in facto esse et essentialiter sumptum, subdistinguo : Est sacramentum tantum, neg.; est sacramentum et res sacramenti, conc. Quod autem est sacramentum et res sacramenti, non necessario debet esse sensibile secundum se, sed sufficit quod sit sensibile in sua causa.

Dices 2° : Matrimonium est in officium generationis et in remedium concupiscentiæ : atqui neutrum habetur nisi per copulam : ergo copula pertinet ad essentiam Matrimonii.

Resp. neg. conseq., quia assecutio finis alicujus rei non est de illius essentia [3]. Insuper remedium contra concupiscentiam, unum est in habitu, et hoc præstatur per gratiam ante copulam, ut scilicet legitimo affectu conjuges

[1] Suppl. q. 42, a. 4, o. [2] Ib. q. 44, a. 1, ad 2.
[3] Ib. q. 42, a. 4, ad 3 et 4.

possint convenire. Alterum est in actu seu usu per quem satisfaciendo concupiscentiæ cavet ab alia turpitudine; hoc autem non pertinet ad essentiam Matrimonii, sed ad perfectionem seu integritatem ejus secundariam et accidentalem.

Dices 3°: Quod pertinet ad significationem sacramenti, est de illius essentia: atqui carnalis commixtio pertinet ad significationem sacramenti: ergo. Prob. min. Matrimonium significat conjunctionem Christi cum Ecclesia: atqui hæc conjunctio significatur per commixtionem carnalem.

Resp. dist. maj. Quod pertinet ad significationem sacramenti [1] quantum ad rem in eo contentam, scilicet gratiam, est de illius essentia, conc.; quantum ad rem in eo non contentam, qualis est conjunctio Christi cum Ecclesia, neg. Insuper duplex est conjunctio Christi cum Ecclesia, una naturalis per incarnationem, altera moralis seu spiritualis per charitatem et amorem: hæc significatur per mutuum consensum contrahentium; prima significatur formaliter per commixtionem carnalem, radicaliter et remote etiam per ipsum consensum mutuum qui ordinatur implicite ad copulam.

Possent objici quædam auctoritates Patrum ex Gratiano, cap. *Institutum*, cap. *Sic quippe*, cap. *Non dubium*, causa 27, q. 2. Sed Gratianum depravatis SS. Patrum sententiis fuisse deceptum ostendunt Soto in 4 d. 26, q. 2, a. 4, Sylvius hic q. 42, a. 4, et alii.

ARTICULUS II.

DE MATRIMONIO UT EST IN OFFICIUM NATURÆ.

Tria in præsenti articulo ponuntur in quæstione: primum, utrum Matrimonium sit hominibus naturale? secundum, utrum sit in præcepto? tertium, utrum ejus actus sit licitus, possitque esse meritorius?

§ I.

Utrum Matrimonium sit hominibus naturale?

Sensus quæstionis non est utrum coitus maris cum fœmina causa generationis sit naturalis? Id enim indubium est, quandoquidem affectus et instinctus naturæ in rebus corruptioni obnoxiis sit conservare speciem per generationem. Sed sensus est, utrum id sit hominibus, præter alia animalia, a natura inditum, ut mas et fœmina ad officium generationis destinati, nexu indissolubili copulentur? Hoc enim intelligitur nomine Matrimonii, ut dictum est.

Naturale dupliciter dicitur [1]: uno modo prout distinguitur contra liberum, quod scilicet ex principiis naturæ necessario causatur, ut igni moveri sursum, gravi deorsum, et sic certum est Matrimonium non esse naturale; alio modo dicitur naturale ad quod natura inclinat, licet per liberum arbitrium compleatur, ut actus virtutum exercere, sumere cibum, etc. Quo sensu

Dico: Matrimonium est hominibus naturale. [2]

Prob.: [3] Illud est homini naturale ad quod ejus ratio naturalis inclinat: atqui ratio naturalis hominis inclinat ad Matrimonium: ergo. Prob. min. Naturalis ratio hominis ipsum inclinat ad conservationem speciei per generationem prolis, non minus, imo fortius quam ad conservationem individui per sumptionem cibi; quia bonum speciei est universalius et præstantius bono individui: atqui ad hunc finem est necessarium Matrimonium: ergo. Prob. min. Natura in conservatione speciei non solum intendit generationem prolis, sed et ejus traductionem ac promotionem ad statum perfectum secundum corpus et animam: atqui ad hæc requiruntur determinati parentes aliquo vinculo colligati, in quo consistit Matrimonium, ut diximus: ergo. Conferantur dicenda de indissolubilitate Matrimonii.

Inferes: Ergo virginitas et cœlibatus sunt contra inclinationem naturalem; consequenter sunt peccata.

Resp.: Data prima illatione, neg. secundam; non enim omne quod est contra naturalem inclinationem præcise est semper peccatum, sed tantum id quod est contra inclinationem naturalem ex dictamine rationis obligantem: nunc vero, multiplicato sufficienter genere humano, ratio dictat ad id non esse necessarium Matrimonium in quolibet, consequenter inclinatio naturalis non obligat ad illud. Adde quod etiam quandoque liceat agere contra inclinationem naturalem propter majus bonum animæ, ut patet in eo qui mortificationis ergo abstinet a cibo utili et aqualiter necessario corpori, ad quem tamen est inclinatio naturalis.

Dices: Inclinatio naturalis est communis

[1] Ib. ad 2.

[1] Suppl. q. 41. a. 1. o. [2] Ibid. [3] Ibid.

omnibus : atqui non apparet in omnibus inclinatio naturalis ad Matrimonium : ergo.

Resp. esse quidem in omnibus, sed in aliquibus non ita sensibiliter se exerit, eo quod conservationi speciei sufficienter sit provisum. Sit paritas in inclinatione naturali quæ omnibus inest defendendi bonum commune et rempublicam:

§ II.

Utrum Matrimonium cadat sub præcepto ?

Dico 1° : Matrimonium cadit aliquo sensu sub præcepto naturali.

Prob.: Medium maxime necessarium ad finem a natura intentum cadit sub præcepto naturæ : atqui Matrimonium est maxime necessarium ad finem a natura intentum, scilicet ad debitam et congruam conservationem speciei, ut patet ex §. præcedenti : ergo. Hoc autem præceptum indicavit Deus dum dixit Genes. 2: *Quamobrem relinquet homo patrem suum et Matrem, et adhærebit uxori suæ.*

Neque simile est de aliis animalibus quibus non datur præceptum, sed sufficit inclinatio naturalis ad conservationem speciei ; tum quia non sunt præcepti capacia ; tum quia homo, non obstante hac inclinatione naturali, manet adhuc liber ad illi assentiendum vel dissentiendum.

Si petas ad quod præceptum naturale istud reducatur ? Resp. reduci ad præceptum de dilectione proximi.

Dico 2°: Præceptum de Matrimonio [1] obligat per se directe et primario communitatem, ut curet aliquos nubere, non unumquemque ut nubat, nisi forte casu quo paucitas hominum exigeret, ut quilibet generationi vacaret.

Prob. prima pars [2] : Jure naturali quisque tenetur ad ea quæ propriam perfectionem et conservationem spectant : atqui Matrimonium spectat perfectionem et conservationem communitatis : ergo præceptum de Matrimonio illam per se directe obligat. Verum cum homines propria voluntate sufficienter vacent conservationi speciei, respublica ab illa cura nunc liberatur.

Prob. secunda pars [3] : 1° Apost. 1 Cor. 7, dicit : *Qui non jungit Matrimonio virginem suam, melius facit,* scilicet quam qui jungit. Ibidem : *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem.* Item : *Dico non nuptis et viduis, bonum est illis si sic permaneant sicut et ego;* et alia similia ibidem. 2° Nulli debetur præmium propter transgressionem præcepti ; sed virginibus debetur præmium speciale, scilicet aureola : ergo. 3° Ad ea quæ spectant perfectionem multitudinis, cum multa sint hujusmodi, quorum unum impedit aliud, non obligatur quilibet, alias omnes tenerentur ad agriculturam, ad artem ædificatoriam et similia quæ sunt communitati necessaria; sed huic inclinationi satisfit cum, per diversos, diversa de prædictis complentur : atqui ad perfectionem multitudinis humanæ necessarium est aliquos vitæ contemplativæ vacare, quæ maxime per Matrimonium impeditur : ergo.

Tertia pars patet; quia sicut in casu necessitatis quilibet tenetur ad defensionem reipublicæ, ita ad conservationem speciei ; hæc enim non est minus necessaria quam illa.

Dices 1° : Apost., 1 ad Cor. 7, dicit : *Unusquisque uxorem suam habeat;* et Exod. 23, præcipitur ut *non sit infœcunda et sterilis in terra Israel:* ergo.

Resp. ad primum, hæc Apostoli verba spectare conjugatos, quibus non præcipitur sed permittitur ad vitandam fornicationem sua conjuge uti. Ad secundum. Non continetur ibi præceptum, cum non sit in potestate hominum ut mulieres non sint steriles, sed promissio fœcunditatis.

Dices 2° : Quilibet tenetur ad cibum : ergo et ad conjugium.

Resp. neg. cons.; quia individuum servari non potest absque eo quod quilibet sibi sumat cibum : species autem potest conservari absque eo quod quilibet vacet generationi.

Cætera argumenta require in tractatu de Temperantia, dissert. 4, a. 2, ubi probavimus contra lutheranos virginitatem esse licitam.

§ III.

Utrum actus Matrimonii sit licitus, possitque esse meritorius?

Dico : Actus Matrimonii est licitus, potestque esse meritorius.

Est contra antiquos hæreticos [1], Saturninum, Marcionem, manichæos, encratitas et alios. Sequitur ex dictis; si enim natura inclinat, imo præcipit Matrimonium, evidens est quod ejus actus sit licitus et possit esse meritorius. Insuper tamen

Prob. prima pars [2] ex Apost., 1 Cor. 7 : *Si nupserit virgo, non peccavit;* ibidem : *Uxori*

[1] Ib. a. 2, o. [2] Ibid. [3] Ibid. in a. s. c. et o.

[1] Ibid. a. 3 et 4, o. [2] Ib. a. 3, in a. s. c.

vir debitum reddat : similiter autem et uxor viro; et plura similia ibidem. 1 Timoth. 5 : *Volo juniores nubere, filios procreare.* Lege Matth. 19 et Joan. 2, in quem locum S. Aug., tract. 9, dicit quod Dominus invitatus venit ad nuptias ut prædamnaret eos « qui futuri erant, de quibus dixit Apostolus : Prohibentes nubere et dicentes quod malæ essent nuptiæ, et quod diabolus eas fecisset. » Plura alia scribit in hanc rem S. Doctor l. 1, de *Nupt.* et *Concupis.*; c. 4 ; de *Bono conjugali ;* c. 7, de *Hæresibus ;* contra duas epist. Pelag. et alibi. Item alii Patres.

Accedit ratio [1] : Ea quæ pertinent ad conservationem naturæ corporalis et ad quæ inclinat natura, non possunt dici universaliter mala et illicita ; natura enim corporalis non est a Deo malo creata, ut somniabant manichæi et alii veteres hæretici, sed a bono Deo instituta : atqui ex dictis natura inclinat ad actum Matrimonii seu prolis procreationem, per quam natura speciei conservatur : ergo.

Prob. secunda pars [2] : 1° Omnis actus quo impletur præceptum est meritorius, si ex charitate fiat : atqui est hujusmodi actus Matrimonii : *Uxori vir debitum reddat : similiter autem et uxor viro :* ergo. 2° Ad actum Matrimonii inducere potest virtus vel justitiæ ut debitum reddat, vel religionis ut proles ad cultum Dei procreetur : atqui tunc erit meritorius, si nulla intercedente circumstantia vitietur ; omnis enim actus virtutis est meritorius : ergo. Ne tamen inde inferas consulendum esse conjugibus frequentare actus Matrimonii ; quamvis enim sint boni, non tamen sunt optimi : sic bonum est comedere, melius tamen aliquando abstinere.

Obj. 1° ab auctoritate : 1° Luc. 14, Matrimonium impedit hominem a cœna patrisfamilias. 2° Rom. 8 : *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt :* quod Siricius papa, epist. 1, cap. 6 et 7, applicat Matrimonio ; et cap. 5, Matrimonium vocat pollutiones. 3° Ubi venia seu indulgentia est, ibi culpa : « Evidenter denotat culpam, dum tribuit veniam », inquit S. Aug., l. de *Peccato originali*, cap. 38 ; at juxta Apostolum, 1 Cor. 7, Matrimonium conceditur secundum indulgentiam. 4° Ibid. Apost. dicit : *Bonum est homini mulierem non tangere ;* ex quo S. Hieronymus, l. 1, *contra Jovin.*, c. 4, infert : ergo malum est tangere. 5° Idem Apost., 1 Cor. 7, dicit : *Qui nubunt, sint tanquam non nubentes ;* sed non nubentes non habent actum matrimonialem : ergo.

Resp. ad primum, id contingere non conjugii, sed conjugati vitio. Ad secundum : Sensus est quod qui in carne et secundum carnem vivunt, Deo placere non possunt. Siricius autem locis citatis loquitur de conjugiis sacerdotum, monachorum et eorum qui post publicam pœnitentiam attentabant nova conjugia, quod erat illis prohibitum can. 21 concilii Arelat. 2, vel aliunde illicitis fruebantur amplexibus. Ad tertium : Apostolus intelligit de usu Matrimonii qui, licet intra limites Matrimonii, non sit tamen propter fines debitos, scilicet causa debiti reddendi vel prolis generandæ, quem esse peccatum veniale dicemus infra. Ad quartum : Data consequentia S. Hieron., tangere mulierem est malum non culpæ, sed pœnæ ; quia id non fit sine turpi concupiscentia, quæ est pœna peccati originalis, quod tamen excusatur a peccato per bona Matrimonii, ut dicam infra. Alii negant consequentiam S. Hieronymi et dicunt Apostolum per *bonum*, intellexisse *melius*, sicut ibidem dum dicit : *Qui judicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit :* per *bene* intelligit *melius* ; statim enim addit : *Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit, et qui non jungit, melius facit.* [1] Ad quintum : Apostolus in his verbis non prohibuit usum Matrimonii, sicut nec rerum possessionem, cum dixit ibidem : *Qui utuntur hoc mundo, sint quasi non utentes;* sed in utroque fruitionem prohibuit : quod patet ex ipso modo loquendi : non enim dixit, sicut non utentes vel non habentes, sed *tanquam* seu quasi non utentes, vel non habentes.

Obj. 2° a ratione : 1° Actus matrimonialis habet semper annexam concupiscentiam, concupiscentia autem est turpis. 2° Superfluitas passionis corrumpit virtutem : atqui in usu Matrimonii est superfluitas passionis, adeo ut absorbeat rationem quæ est principale bonum hominis : ergo. 3° Nihil excusatur nisi peccatum ; sed actus Matrimonii indiget excusari per bona Matrimonii, ut dicetur infra : ergo. 4° Usus Matrimonii dividit hominem a Deo : unde Exod. 19 et alibi, qui debebant Deum videre aut sacra tangere, prohibentur accedere ad uxores : solum autem peccatum dividit hominem a Deo juxta illud Isaiæ 59 : *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum.* 6° Matrimonium post peccatum est institutum in remedium concupiscentiæ : ergo qui eo sic utuntur, peccant, cum ipsam concupiscentiam expleant. 6° Usus Matrimonii est causa originalis peccati in prole : ergo.

Resp. ad primum ut ante [2] ; Concupiscentia

[1] Ibid. o. [2] Ib. a. 4, in a. s. c. et o.

[1] Ib. a. 3, ad 1. [2] Ibid. ad 3

quæ reperitur in actu conjugali est turpis turpitudine pœnæ provenientis ex peccato primi parentis, non turpitudine culpæ. [1] Ad secundum : Superfluitas passionis quæ virtutem corrumpit, non solum impedit rationis actum, sed etiam tollit rationis ordinem, quod non facit delectationis intensio in actu matrimoniali ; quia etsi tunc non ordinetur homo, est tamen a ratione præordinatus. [2] Ad tertium : Dist. Nihil excusatur per bona extrinseca nisi peccatum, conc. ; per bona intrinseca, neg. Bona itaque quæ Matrimonium honestant, sunt de ratione ipsius, et idcirco non eis indiget quasi extrinsecis quibusdam ad honestandum, sed quasi causantibus in ipso honestatem quæ ei secundum se competit, consequenter est secundum se bonum. Dicitur autem excusari, quia habet similitudinem mali et adfert quædam incommoda, quæ indigent compensari. De hoc latius infra. [3] Ad quartum : Actus conjugalis non dividit hominem a Deo quantum ad habitum charitatis, quod est proprium peccato, sed tantum quoad actum contemplationis et amoris, quod accidit etiam iis quæ non sunt peccata ; aliqua enim occupatio licita circa res inferiores animum distrahit, ut actu Deo conjungi non sit idoneus, et hoc præcipue accidit in carnali commixtione, in qua detinetur mens propter delectationem intensam. Ad quintum : Matrimonium sive ante sive post peccatum non est proprie institutum in remedium concupiscentiæ, sed ad procreationem et educationem prolis ; hæc enim est ejus proprius finis in utroque statu. Remedium autem concupiscentiæ est aliquis ejus effectus, quem qui spectant, dum utuntur matrimonio propter proprium ejus finem, aut causa reddendi debiti, non peccant. Ad sextum negatur ; non enim usus Matrimonii, sed voluntas Adami est causa peccati originalis. De quo vide dissert. 6, de Peccatis, a. 2, § 2.

ARTICULUS III.

De Matrimonio ut est sacramentum, et primo, Utrum sit sacramentum novæ legis proprie dictum ?

Sacramentum generaliter et late sumptum, ut alibi scripsi, est quodcumque signum rei sacræ ; sacramentum stricte et proprie dictum, prout sumitur in nova lege, est signum practicum et effectivum rei sacræ, gratiæ scilicet nos sanctificantis.

Suppono Matrimonium ex institutione divina esse sacramentum late sumptum ; fuit enim institutum a Deo ut significaret conjunctionem Christi cum natura humana, et Ecclesia, tam naturalem per incarnationem, quam moralem et spiritualem per charitatem. Patet ex his quæ, Genes. 2, Adam afflatus divino Spiritu prophetice dixit : *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea.... Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ.* Juxta enim SS. Patres, his verbis Adam prædixit conjunctionem Christi cum Ecclesia in sua incarnatione, figuratam per suum Matrimonium cum Eva ; Ecclesia enim est ex ossibus Christi in cruce pendentis formata ; Christus dereliquit Patrem suum in cœlis, non derelictione divinitatis, sed assumptione humanitatis, et matrem suam synagogam, erat enim natus Judæus, atque adhæsit indissolubiliter Ecclesiæ sponsæ suæ. Ita interpretantur Tertullianus, l. de *Anima*, cap. 11; S. Hieronymus, in cap. 5, ad Ephes.; S. Aug. l. 9, de Genes. ad litt., c. 19 ; et ipsum Trid., sess. 24, cap. unico de Matrim.; atque aperte exprimit Apost. ad Ephes. 5 : *Propter hoc*, inquit, *relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una : sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia.*

Neque dicas cum hæreticis, τo *sacramentum* in textu Apostoli non referri ad Matrimonium, sed ad unionem Christi cum Ecclesia, ita ut sensus sit conjunctionem Christi cum Ecclesia esse magnum *sacramentum*, græce *mysterium*. Enimvero τo *hoc* refertur ad id quod præcedit : *Propter hoc relinquet*, etc., id est, ad Matrimonium : quando ergo Apostolus dicit *sacramentum hoc*, intelligit Matrimonium ; favet etiam textus Græcus qui habet *in Christum et Ecclesiam*, significans unionem Christi cum Ecclesia esse terminum seu objectum significatum per unionem conjugalem Adæ et Evæ.

Negant a fortiori lutherani et calvinistæ Matrimonium esse sacramentum novæ legis proprie dictum. Magister sententiarum, quamvis annumeret Matrimonium sacramentis novæ legis, ipsi tamen denegat vim causandi gratiam. Durandus non agnoscit ipsum nisi ut sacramentum late sumptum pro signo rei sacræ : hi duo ante definitiones solemnes Ecclesiæ in conciliis Constantiensi, Florentino et Tridentino, quorum ideo opinionem Doctor

[1] Ibid. ad 6. [2] Ibid. ad 4 et q. 49, a. 1, ad 2.
[3] Hic ib. ad 2.

Angelicus non impugnat ut hæreticam, sed tantum ut minus probabilem.

Dico : Matrimonium in nova lege est vere et proprie dictum sacramentum[1].

Quamvis quidam arbitrentur conclusionem probari posse tantum ex traditione, conciliorum definitionibus firmata, non ex Scriptura sacra, duo tamen loca proferimus ex quibus non obscure eruitur veritas catholica.

1° Apost., Ephes. 5, ut jam observavimus, dicit Matrimonium esse sacramentum seu signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, et ibi loquitur de conjunctione non solum naturali per incarnationem, quæ est communis toti generi humano, sed etiam de conjunctione morali per gratiam et charitatem, quæ est propria Ecclesiæ ; dixerat enim prius : *Viri, diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam :* atqui Matrimonium non posset esse signum hujus unionis moralis, nisi conjuges uniat non solum carnali vinculo, sed etiam gratia et charitate, consequenter nisi sit signum practicum et efficax gratiæ, quod est sacramentum stricte dictum ; atque ita ratiocinatur Trid., sess. 24, cap. unico de Matrimonio.

2° Christus, Joan. 2, invitatus ad nuptias, illas insigno miraculo approbavit, atque illis benedixit, eis conferendo vim causandi gratiam. Ita tradunt SS. Patres : Cyrillus, epist. ad Nestor. a patribus Ephesinis confirmata, p. 1 Act., cap. 26, dicit « Christum dispensatorie ipsis tunc benedixisse nuptiis, cum in Cana Galilææ cum sanctis vocatus est. » Idem, l. 2 in Joan., scribit Christum ad nuptias venisse, « ut illas sua præsentia honestaret et veterem partus tristitiam depelleret, iisque quoque qui postea nascituri erant, gratiam præstitueret. » Epiphan., *Hæresi* 67 : « Nam, inquit, venerabiles esse nuptias et Dei aspirante gratia regnum obtinere, quis vel ex eo non agnoscat, quod ad nuptias invitatus Salvator ipse fuerit, ut iis benediceret?» S. Aug. tract. 9, in Joan., c. 2 ; « Per hoc ergo, inquit, Dominus invitatus venit ad nuptias, ut conjugalis castitas firmaretur, et ostenderetur sacramentum nuptiarum. »

Prob. traditione : Tertullianus, de *Præscript.*, cap. 4, dicit diabolum æmulari « res divinorum sacramentorum in idolorum mysteriis », tingere suos, frontibus obsignare, mitra condecorare, panem offerre, id est, imitati sacramenta Baptismi, Confirmationis, Ordinis et Eucharistiæ. Tum addit : « Quid? Quod et summum pontificem in unis nuptiis statuit » : ubi Tertullianus sacramentis proprie dictis Matrimonium annumerat.

S. Ambrosius, l. 1, *de Abraham*, c. 7 : « Cognoscimus, inquit, præsulem custodemque conjugii esse Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui ; et si qui fecerit peccare in Deum, cujus legem violat, gratiam solvat ; et ideo quia in Deum peccat, sacramenti cœlestis amittit consortium. » Siricius papa, epist. 1, vocat violationem Matrimonii a sacerdote benedicti, sacrilegium.

S. Aug., l. 1, de *Nuptiis et Concup.*, cap. 10, l. 5 contra Julianum, c. 12, l. *de Bono conjugali*, c. 24, duo distinguit in matrimoniis infidelium, nempe finem, qui est generatio prolis, et fidem ; tertium autem addit in matrimoniis fidelium, scilicet sacramentum : « Bonum igitur nuptiarum, inquit ultimo loco citato, per omnes gentes atque homines in causa generandi est, et in fide castitatis ; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti. » Evidens est quod sumat stricte sacramentum, cum illud deneget matrimoniis infidelium, quæ tamen habent rationem sacramenti late sumpti pro signo unionis Christi cum natura humana per incarnationem. Et eodem lib. de *Bono conjugali*, cap. 18, vocat Matrimonium « signaculum et sacramentum », et caput sic concludit : « In nostrarum quippe (mulierum) nuptiis plus valet sanctitas sacramenti quam fœcunditas uteri » ; et l. de *Fide et Operibus*, c. 7 : « In Ecclesia nuptiarum non solum vinculum, verum etiam sacramentum ita commendatur. » Plura alia, tum S. Augustini, tum cæterorum Patrum testimonia, brevitatis causa omitto. Legi possunt apud Bellarminum, et alios.

Hanc traditionem firmant varia concilia : Lucius III, qui florebat sæculo tertio, in concilio Veronæ habito, anathema dicit omnibus qui de Baptismo, Eucharistia, Confessione, Matrimonio, vel reliquis sacramentis aliter senserint quam sacrosancta Romana ecclesia. Refertur cap. *Ad abolendam*, Extra de Hæreticis.

Concilium Constantiense, sess. 15, et in bulla Martini V, *Inter cunctas:* Florentinum in decreto Unionis agnoscunt Matrimonium, ut sacramentum novæ legis ; ac denique concilium Trid., sess. 7, can. 1, annumerat Matrimonium septem sacramentis ; et sess. 24, can. 1, sic definit : « Si quis dixerit Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis, a Christo Domino in-

[1] Supp. q. 42, a. 1 et 3, o.

stitutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit. »

Confirm. ex hoc quod ab Ecclesiæ incunabulis Matrimonium semper celebratum fuerit, ut res sacra, in loco sacro, ritibus sacris, coram ministro sacro, quod sane non ita semper observatum fuisset, si esset contractus mere civilis.

Confer insuper dissert. 7, de Sacramentis in genere, a. 1, ubi probavimus ex S. Scriptura, Patribus, conciliis, ac consensu utriusque ecclesiæ, Græcæ et Latinæ, esse septem sacramenta.

Vix aliquid momenti objiciunt hæretici, unde eorum argumenta leviter perstringam.

Dicunt itaque 1°: Unum sacramentum non opponitur alteri; sed Ordo opponitur Matrimonio : ergo. 2° In unoquoque sacramento assignari debet sacramentum tantum, res et sacramentum, et res tantum, quæ assignari non possunt in Matrimonio. 3° Sacramentum efficit quod significat. Matrimonium significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per incarnationem et charitatem, et tamen eam non efficit. 4° Non datur pecunia pro sacramentis, datur autem pro Matrimonio. 5° Inter primos parentes, deinde in lege naturæ et scripta, ac tum inter infideles, est et fuit verum Matrimonium, et tamen nec est, aut fuit sacramentum proprie dictum. 6° Matrimonium non causat gratiam, alioquin sequitur quod deserens statum virginitatis quem sancte colebat, adipisceretur augmentum gratiæ, quod videtur absurdum, cum a perfectiori statu ad imperfectiorem deficiat, et est contra Apostolum, 1 Cor. 7, dicentem; *Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit, et qui non jungit melius facit.* 7° Actus conjugalis est pars Matrimonii, et tamen non causat gratiam. 8° Magister et Durandus tenent Matrimonium non esse proprie sacramentum, nec causare gratiam, et tamen neque S. Thomas, neque S. Bonavent. illos damnant ut hæreticos. 9° Esto Matrimonium causet gratiam, non sequitur inde quod sit proprie sacramentum; martyrium enim causat gratiam, neque tamen est sacramentum. 10° Ecclesia in concilio Trid. mutavit materiam Matrimonii, irritando consensum clandestinum; quod facere non potuisset, si Matrimonium esset sacramentum.

Resp. ad primum, sacramentum Ordinis non opponi Matrimonio, siquidem sacerdotes Græci utantur Matrimonio; sed in ecclesia Latina conjugati arcentur ab ordinibus, non ratione sacramenti, sed ratione status conjugalis, qui adfert varia impedimenta functionibus sacerdotii.

Ad secundum, neg. min. [1]; in Matrimonio enim sacramentum tantum est consensus mutuus contrahentium exterius expressus, res et sacramentum est vinculum, res tantum est gratia.

Ad tertium: Matrimonium ut sacramentum late sumptum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia quam non efficit ; ut sacramentum stricte sumptum significat gratiam quam efficit.

Ad quartum : Matrimonium est simul contractus civilis et sacramentum : datur pecunia pro illo, non prout est sacramentum, sed prout est contractus civilis gravia inferens onera, quibus sublevandis necessaria est pecunia.

Ad quintum, dist. Inter primos parentes, in lege naturæ et scripta, et inter infideles est et fuit verum Matrimonium in ratione contractus civilis in officium naturæ, conc.; in ratione sacramenti, subdistinguo : In ratione sacramenti late sumpti pro signo conjunctionis Christi cum Ecclesia, conc.; in ratione sacramenti proprie sumpti pro signo efficaci gratiæ, neg.

Ad sextum : Comparando statum cum statu, status continentiæ est excellentior statu Matrimonii, et melius facit qui non jungit virginem suam quam qui jungit, sed hoc non impedit quin continens, contrahendo Matrimonium, crescat in gratia, quia sacramentum, in quocumque statu suscipiatur, confert gratiam; verum si continens in suo statu mansisset, plus gratiæ invenisset apud Deum, quam sit id quod habet per sacramentum.

Ad septimum : Usus Matrimonii non est pars Matrimonii, sed ejus actus et officium : gratia autem datur dum perficitur Matrimonium. Si dicas copulam posse esse partem Matrimonii casu nempe quo sponsalibus superveniret affectu maritali in locis in quibus Tridentinum non est receptum, resp. 1° nihil absurdi esse quod in hoc casu copula secundum se possit causare gratiam, sicut non est absurdum quod sit meritoria; de facto tamen non causaret, quia Ecclesia semper prohibuit Matrimonia clandestina, et ideo peccaret qui sic contraheret, atque gratiæ poneret obicem. Resp. 2° non copulam, sed consensum de præsenti comitantem copulam, efficere sacramentum.

Ad octavum, Magister et Durandus non satis

[1] Ib. a. 1, ad 5.

attendentes ad traditionem erraverunt, et in hoc sunt deserendi; excusantur tamen ab hæresi eo quod nondum esset tunc solemnis Ecclesiæ definitio.

Ad nonum : Disparitas est quod martyrium non sit a Deo institutum tanquam instrumentum ordinarium et permanens in Ecclesia ad causandam gratiam, quod requiritur ad rationem sacramenti ; secus Matrimonium, ut jam dicam.

Ad decimum : Ecclesia non mutavit materiam Matrimonii formaliter, est enim semper consensus legitimus; ut erat antea, sed mutavit materialiter tantum, efficiendo quod contractus qui erat legitimus, non sit amplius legitimus, sicut qui converteret vinum in acetum, mutaret materiam Eucharistiæ materialiter tantum, non formaliter. De hac distinctione jam dixi dissert. 1, de Sacram. in genere, art. 5, object. 3, et amplius dicam infra dum de clandestinitate.

Petes 1° quandonam Christus instituit hoc sacramentum ?

Resp. id non constare inter auctores. Quidam assignant nuptias in Cana Galilææ, quando eis Christus benedixit et eas sua præsentia ac insigni miraculo honestavit; idque innuunt Patres superius laudati, SS. Cyrillus, Epiphanius et Augustinus. Alii dicunt institutum fuisse quando Christus, Matth. 19, abrogata lege repudii, Matrimonium ad suam primam indissolubilitatem revocavit dicendo : *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Alii tandem institutum existimant post resurrectionem intra illos quadraginta dies, quibus Christus frequenter de regno Dei cum Apostolis loquebatur.

Petes 2° ad quid valeat gratia sacramentalis Matrimonii ?

Resp. valere ad sanctificationem conjugum, ad fovendum et perficiendum inter eos amorem mutuum ut se caste diligant, se intra limites Matrimonii contineant, et infirmitates invicem supportent, atque ad educationem christianam prolium.

ARTICULUS IV.

UTRUM MATRIMONIUM INTER ABSENTES CONTRACTUM SIT PROPRIE DICTUM SACRAMENTUM ?

Suppono Matrimonium inter absentes initum esse validum in ratione contractus civilis, modo serventur conditiones requisitæ a jure, de quibus infra ; quia alii contractus inter absentes sunt validi, quidni matrimonialis ? Aliunde jus canonicum, cap. finali de Procuratoribus, in 6, l. 1, tit. 19, statuit certas conditiones ut Matrimonium inter absentes contrahatur : ergo supponit valide contrahi. Item, l. *Sufficit*, l. finali ff. de Sponsalibus, habetur validus contractus Matrimonii inter absentes. Et l. *Mulieres*, de Ritu nuptiarum, dicitur : « Mulierem absenti per litteras ejus vel nuntium posse nubere placet. » Neque Trid. hæc jura revocavit aut mutavit ullatenus ; sed tantum requisivit præsentiam parochi et duorum testium, quæ conditio servari potest inter absentes.

Difficultas est igitur utrum valeat in ratione sacramenti. Dupliciter autem vel tripliciter Matrimonium potest contrahi inter absentes : 1° per procuratores, qui gerant vices contrahentium dicendo, v. g.: Accipio te in uxorem nomine Petri ; et mulier respondeat : Et ego, te mediante, accipio Petrum in meum ; idque fiat coram parocho et duobus testibus ; 2° per litteras, ut si vir scribat mulieri : Me tibi trado in maritum et accepto tui traditionem, ubi facta fuerit coram parocho et testibus ; et mulier vicissim scribat viro : Me tibi trado in uxorem et accepto tui traditionem, ubi facta fuerit coram parocho et testibus. Tunc lectis utriusque litteris coram parocho et testibus perficitur sacramentum ; quia litteræ succedunt loco contrahentium, non secus ac procuratores : similiter si loco litterarum contrahant per nuntios qui coram parocho et testibus exprimant mutuam traditionem et acceptationem contrahentium.

Dico : Matrimonium inter absentes contractum, sive per procuratores, sive per litteras, sive per nuntios, est proprie dictum sacramentum. Est communior contra Cajetanum, Cano, Sylvium et quosdam alios.

Prob. 1° : Ecclesia permittit hæc matrimonia, ut patet ex jure citato, et usu præsertim inter magnates : atqui Ecclesia non permitteret nec permittere posset, si non essent vera sacramenta ; tum quia est contra institutionem Christi qui rationem sacramenti annexuit omni valido contractui matrimoniali; tum quia esset privare perpetuo sic contrahentes gratia sacramentali, eo quod traditio et acceptatio corporum semel valide facta, iterari non potest, cum res donata non sit amplius sub dominio donatoris ; proindeque si non fuit ab initio sacramentum, nunquam fiet sacramentum, nec consequenter gratiam unquam conferet. Confer infra petitionem 6, art. seq.

2° Christus instituendo sacramentum Matrimonii nihil immutavit in contractu matrimoniali, sed eum validum elevavit ad esse sacramenti : atqui ex suppositis est contractus validus inter absentes : ergo.

Confirm.: In hoc contractu reperiuntur omnia necessaria ad esse sacramenti, materia, forma, minister, sive sit sacerdos, sive sint contrahentes, et intentio ; contrahentes enim sunt moraliter præsentes per procuratores, qui sunt eorum instrumenta : ergo.

3° Ecclesia judicat de istis matrimoniis : ergo non sunt contractus mere civiles, sed sacri.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° : Alia sacramenta non recipiuntur per procuratores : ergo nec Matrimonium.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod alia sacramenta non fundentur in contractu sicut Matrimonium, cujus ideo naturam sequitur; contractus autem fieri potest inter absentes per procuratorem.

Inst. 1° : Quamvis sacramentum Matrimonii fundetur in contractu, ipsa tamen ratio sacramenti superaddita impedit quominus possit conferri absenti : ergo. Prob. ant. Sic quamvis aliquis absens possit judicialiter absolvi in foro externo, attamen absolutio pœnitentialis in foro interno, eo quod sit sacramentalis, non potest conferri absenti : ergo similiter quamvis, etc.

Resp. neg. ant. Ad probat., dato ant., neg. conseq. Disparitas est quod in judicio externo alius sit reus, alius accusator, alius testis, nec in reo requiratur dispositio, et ideo potest exerceri in absentes; at in foro interno Pœnitentiæ, idem reus, accusator et testis in quo requiritur dispositio, et quæ debet innotescere judici. Quapropter absolutio pœnitentialis, non solum quia est sacramentalis, sed etiam quia est judicialis, non potest exerceri in absentes, et ideo omisi ant. Verum nihil obstat quominus Matrimonium, cum sit contractus humanus, perficiatur inter absentes, non solum in ratione contractus, sed etiam in ratione sacramenti, quippe quæ fundata est in ipso contractu, et ipsi accommodata.

Inst. 2° : Sicut collatio sacramenti est personalis, ita et ejus receptio: ergo sacramentum Matrimonii recipi non potest per procuratorem.

Resp. dist. conseq. Ergo sacramentum Matrimonii non potest recipi per procuratorem, sic ut procurator recipiat sacramentum, conc.; sic ut procurator sit instrumentum mediante quo mandans seu contrahens recipiat sacramentum, neg. Non ergo procurator sed contrahens recipit sacramentum recipiendo gratiam, sicque receptio est personalis.

Inst. 3° : Hujusmodi Matrimonium non potest causare gratiam : ergo. Prob. ant. Cum sacramenta novæ legis secundum nos causent physice gratiam, debent existere physice : atqui consensus contrahentis quo efficitur Matrimonium, dum procurator ejus nomine contrahit, non existit physice, sed moraliter tantum in consensu procuratoris · ergo.

Resp. neg. ant. Ad probat. Dixi in tractatu de Sacramentis in genere sacramenta novæ legis causare gratiam physice, quando adsunt conditiones requisitæ ad causalitatem physicam, quarum præcipua est existentia, qua deficiente causant tantum moraliter.

Inferes : Ergo si dum procurator contrahit, mandans dormiat, recipiet gratiam dormiendo: atqui id videtur absurdum : ergo.

Resp. neg. min. Sicut enim non est absurdum quod qui ante somnum habuit intentionem suscipiendi Baptismum aut patiendi martyrium, si dormiens baptizetur, aut occidatur, recipiat gratiam in somno : ita similiter in nostro casu.

Obj. 2° : Hæc verba : « Baptizo te, absolvo te etc., requirunt præsentiam physicam baptizandi aut absolvendi : ergo et ista : Accipio te in meam, etc., requirunt præsentiam physicam contrahentium.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod hæc verba : Baptizo te, absolvo te, etc., directa ad personam præsentem sint essentialia sacramento Baptismi et Pœnitentiæ, quia sunt eorum formæ ; at hæc verba : Accipio te in meam, etc., non sunt essentialia sacramento Matrimonii, sed possunt adhiberi quæcumque alia, vel etiam signa aut nutus quibus exprimatur consensus contrahentium, quod proinde potest fieri per procuratores, vel per litteras aut nuntium.

Inst. : Concilium Trid., sess. 24, cap. 1. de Reformat., exigit ut parochus « viro et muliere interrogatis et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat : Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, etc., vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum » : atqui hæc supponunt præsentes contrahentes : ergo.

Resp. dist. min. Hæc supponunt contrahentes præsentes physice, neg.; præsentes mo-

raliter per procuratores, conc. Dum enim interrogat procuratores interrogat contrahentes quorum vices gerunt, rogat dum dicit; Conjungo vos, conjungit contrahentes, non procuratores, qui se habent tantum tanquam instrumenta; sicut dum sacerdos in nomine Christi, dicit: Hoc est corpus meum, non suum, sed corpus Christi consecrat. Adde Tridentinum ibi præscribere modum ordinarium celebrandi Matrimonium in facie Ecclesiæ, non quæ sunt necessaria ad ejus validitatem.

Obj. 3° : Qui contrahunt per procuratores, iterum contrahunt personaliter coram parocho : ergo Matrimonium contractum per procuratores, non erat sacramentum, alioquin iterari non posset.

Resp. quosdam sentire quod renovent consensum, ut si forte prior fuerit invalidus ad rationem sacramenti, jam nunc valeat. At immerito; contractus enim donationis semel validus iterari non potest, ut jam dixi, cum res semel valide donata non sit amplius sub dominio donatoris, et ideo nec fieri sacramentum, si antea non erat; quia ratio sacramenti sequitur ad contractum in fieri, non in facto esse. Vide petit. 6 art. sequentis. Negandum est itaque ant., et dicendum quod suppleantur tantum solemnitates omissæ, et quod contrahentes, ratihabendo Matrimonium per procuratores contractum, declarent se perseverantes fuisse in consensu dum contrahebant suo nomine.

ARTICULUS V.

VARIÆ QUÆSTIUNCULÆ CIRCA PRÆSENTEM MATERIAM BREVITER RESOLVUNTUR.

Petes 1° quæ sint conditiones a jure requisitæ, ut Matrimonium inter absentes sit validum?

Resp. sex requiri. Prima est ut procurator ad hoc habeat speciale mandatum, nec sufficit generalis commissio ad omnia quæ mandantem spectant.

Secunda, quod non possit alium deputare, nisi hoc eidem sit specialiter concessum.

Tertia, quod mandatum non sit revocatum etiam mentaliter, antequam procurator contraxerit; si enim revocatum fuerit, licet revocatio, neque mandatario, neque mulieri cum qua contrahit, innotuerit, nullum est Matrimonium, quia deest consensus quem jus supplere non potest, sicut potest in aliis contractibus, qui ideo in præsenti casu sunt validi, ut habetur in jure, l. *Si mandatum* 15, ff. *Mandati* Clementina unica de Renuntiatione; et cap. *In parte* 33, Extra de Rescriptis. Has tres conditiones expresse requirit Bonifacius VIII, cap. finali de Procuratoribus in 6, l. 1, tit. 19.

Quarta, ut mandatum sit speciale non solum de Matrimonio contrahendo, sed etiam cum determinata persona : l. generali 34, ff. de Ritu nuptiar.

Quinta, quod mandatarius non excedat fines mandati, l. *Diligenter*, ff. Mandati : unde si illi sit mandatum, ut sub tali dote, sub his vel illis conditionibus contrahat, aliter contrahens nihil efficit; secus tamen, si formam mandati excedat, ut si mandatum ipsi fuit contrahere secundum formam Tridentini præmissis bannis, et omittat sive ex licentia, sive sine licentia, valet Matrimonium ; quia mandans non censetur præscripsisse formam aliter quam sit ab Ecclesia præscripta, nec voluisse apponere conditionem, sine qua non valeat Matrimonium, sed tantum indicare, et certiorem reddere mandatarium, ut hoc modo mandatum exequatur.

Sexta, ut contrahat coram parocho et testibus secundum formam a Tridentino præscriptam.

Petes 2° an mandatum debeat dari coram parocho et testibus?

Resp. negative; quia id tantum requirit Trid. quando Matrimonium de facto contrahitur.

Petes 3° utrum, si mandans dederit mandatum ficte, valeat Matrimonium, si, antequam celebretur mutaverit animum et ratum habuerit mandatum?

Resp. probalius affirmative; quia verba procuratoris sunt tantum signa consensus pro tunc in mandante existentis, et si consensum præteritum significent, est quatenus censetur moraliter præsens.

Petes 4° an si mandans incidat in amentiam, antequam mandatarius contrahat, validum sit Matrimonium?

Resp. probabilius affirmative quia, quamdiu consensus non revocatur, semper remanet virtualiter. Vide de Sacram. in genere, dissert. 5, a. 7, § 3, concl. 1, in object.

Petes 5° utrum inter fideles baptizatos possit dari Matrimonium validum in ratione contractus, et non in ratione sacramenti?

Suppono posse dari inter infideles, et etiam fideles non baptizatos, scilicet catechumenos, quippe qui defectu Baptismi, sunt aliorum sacramentorum incapaces.

Resp. ad quæstionem affirmative; quia Christus elevando contractum matrimonialem ad esse sacramentale, non minuit vim contractus, sed virtutem tantum supernaturalem superaddit; sicut, elevando ablutionem corporalem in Baptismo ad rationem sacramenti, non abstulit illi vim abluendi, sed virtutem tantum supernaturalem abluendi spiritualiter, seu sanctificandi contulit, et sic de aliis sacramentis. Sicut ergo qui ablueret sine intentione conferendi sacramentum, vere et efficaciter ablueret corpus, et non conficeret sacramentum; ita qui contractum Matrimonii iniret, sine intentione sacramenti, vere et valide contraheret et non faceret sacramentum, quia ad validitatem sacramenti requiritur intentio.

Quamvis ergo Deus instituerit sacramenta independenter a voluntate hominum, noluit tamen hæc in actu poni absque eorum voluntate et intentione, ut alibi probavimus. Neque obstat quod dixerit : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* ; hoc enim dixit de indissolubilitate Matrimonii, non de conjunctione contractus cum sacramento. Aliunde non omnia quæ Deus conjunxit talia sunt, quæ separari non possint, aut debeant: conjunxit animam corpori quam tamen justus judex, occidendo furem, separat.

Petes 6° utrum Matrimonium, inter infideles contractum, fiat sacramentum, dum postea baptizantur, præsertim si renovent consensum.

Resp. negative, quia sacramentum Matrimonii consistit in fieri contractus, sicut omnia alia sacramenta, excepta Eucharistia, consistunt in fieri, et in actione transeunte, sic Baptismus consistit in actuali applicatione aquæ ad corpus, et sic de cæteris : atqui in casu non potest fieri novus contractus Matrimonii, quia res semel donata et tradita, cum non sit amplius sub dominio donatoris, non potest amplius valide donari ; sicut qui vendidit et tradidit equum, nihil efficeret, si vellet iterum illum vendere.

Unde quando S. Thomas dixit in 4 d. 39, q. unica, a. 2, ad 1, Matrimonium infidelium esse « aliquo modo sacramentum habitualiter non actualiter », sic intelligi debet quod hujusmodi Matrimonium quantum est ex se et ratione contractus, sit aptum, ut fiat sacramentum, si contraheretur in fide Ecclesiæ suscepta per Baptismum.

Petes 7° utrum sacramentum Matrimonii possit claudicare, ita quod sit in uno contrahentium et non in alio, ut si fidelis ex dispensatione pontificia contraheret cum infideli, aut si fideles contrahentes intendant ambo conficere sacramentum, unus autem non intendat recipere?

Resp. probabilius negative ; quia Matrimonium, ut contractus, non potest esse in uno et non in alio, sed est necessario in duobus : ergo similiter Matrimonium, ut sacramentum ; sequitur enim ut tale naturam contractus : unde quamvis duo contrahentes intendant conferre sacramentum, si unus intendat non recipere, nec alter recipit, non obstante intentione recipiendi; quia non est subjectum capax ; non enim sunt plura sacramenta, quorum unum sit in uno contrahente, et aliud in alio, sed est unum in duobus partialibus subjectis se habentibus per modum unius. Si dicas quod unus possit recipere gratiam, et non alter defectu dispositionis, ita est, sed in hoc casu uterque recipit sacramentum, cujus effectui unus ponit obicem, non alter.

ARTICULUS VI.

QUIS SIT MINISTER MATRIMONII?

Unanimis fuit antiquorum theologorum sententia, si forte excipias Guillelmum Parisiensem, contrahentes esse ipsos ministros Matrimonii, non solum in ratione contractus, sed et in ratione sacramenti, donec Melchior Cano, l. 8, de Locis Theologicis, cap. 5, in sol. ad 3, novam viam ingressus, docuit sacerdotem esse ministrum sacramenti Matrimonii ; verba : Ego vos conjungo, esse formam ; materiam, consensum mutuum contrahentium. Hunc non pauci nec ignobiles theologi sunt secuti, Estius, Sylvius, et inter recentiores Juenin, Tournely et alii. Verum cum scholarum principibus, Magistro sententiarum, Doctore Angelico, Doctore Subtili, cumque antiquiori et etiam nunc communiori sententia.

Dico : Minister sacramenti Matrimonii sunt ipsi contrahentes.

Prob. 1° : Causa efficiens sacramenti Matrimonii est illius minister : atqui contrahentes sunt causa efficiens sacramenti Matrimonii : ergo. Prob. min. ex concilio Florentino in decreto pro instructione Armenorum, ubi dicitur : « Causa efficiens Matrimonii est mutuus consensus per verba de præsenti regulariter expressus », seu contrahentes per hunc mutuum consensum : ergo. Dixit autem concilium, « per verba regulariter expressus »,

quia potest exprimi consensus aliter quam per verba, nempe per nutus ac signa.

Respondet Tournely quæ dicit concilium de causa efficiente non spectare Matrimonium quatenus est sacramentum, sed quatenus est contractus ex quo resultat vinculum indissolubile : « Et ita esse, inquit, ostendit mutata loquendi ratio, qua uti solet Eugenius in aliis sacramentis ; statim enim ac dixit, v. g.: Primum omnium sacramentorum est Baptismus, addit : « Hujus sacramenti materia, etc. » At in præsenti casu mutat consuetam loquendi rationem et simpliciter ait : « Causa efficiens Matrimonii», etc., ne scilicet rem figeret in scholis hinc et inde agitatam.

Sed contra : Concilium in his verbis loqui de Matrimonio ut est sacramentum, constat 1° quia loquitur de Matrimonio quod immediate ante dixerat esse « septimum sacramentum », id enim exigit sermonis series; nec verisimile est quod proponens agere de Matrimonio ut sacramento, statim ab instituto deflectat ; 2° quia initio hujus capitis de sacramentis dicit : « Ecclesiasticorum sacramentorum veritatem pro ipsorum Armenorum.... faciliori doctrina, sub hac brevissima redigimus formula. » De sacramentis ergo qua talibus concilium intendit instruere Armenos, consequenter de Matrimonio ut sacramento ; et velim, ut quid indigebant instrui Armeni de causa efficienti Matrimonii in ratione contractus ? Ignorabant forte, quod neminem latet, esse consensum contrahentium ? 3° Nullum alium ministrum designat concilium, neque sacerdotis meminit, cujus tamen præsentiam cum aliqua formula debuisset requirere, ne forte ejus defectu nullum esset sacramentum, si vera sit adversariorum sententia.

Conjectura autem Tournely futilis est ac infundata ; ideo enim concilium dixit : « Causa efficiens Matrimonii », et non « hujus sacramenti », ut in aliis sacramentis, ne τo *hujus sacramenti* referretur ad conjunctionem Christi cum Ecclesia, de qua immediate locutum fuerat : en ejus verba : « Septimum est sacramentum Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, secundum Apostolum dicentem : *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* : causa efficiens Matrimonii est, etc. » Res in aperto est.

Prob. 2°: Concilium Trid., sess. 24, cap. 1, de Reformat. Matrim., declarat quod quamvis Ecclesia semper detestata sit atque prohibuerit matrimonia clandestina, « ea tamen sint rata et vera matrimonia », quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et anathemate damnat eos qui ea *vera ac rata* esse negant.

Respondet Tournely, matrimonia clandestina fuisse vera et rata in ratione contractus, non in ratione sacramenti.

Sed contra : Secundum jura omne Matrimonium christianorum ratum est sacramentum ; ita declarat Innocentius III, cap. *Quanto* de Divortiis, Extra. l. 4, tit. 19 : « Etsi, inquit, Matrimonium verum inter infideles existat, non est tamen ratum ; inter fideles autem verum et ratum existit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii sacramentum. » Vides Matrimonium inter infideles esse verum sed non ratum ; quia defectu Baptismi non est sacramentum : inter fideles autem ratione Baptismi esse ratum, quia est sacramentum. Unde Fagnanus ad cap. *Quod nobis*, de Clandest. Desponsat., n. 51, et plures apud ipsum, docent catholicos semper sensisse Matrimonium verum et ratum christianorum, cum debita intentione contractum, esse sacramentum, ita ut contrarium asserere, sit secundum illos periculosum in fide.

Prob. 3°: Sacra Congregatio concilii Trid., 2 martii 1580, declaravit hæc verba : Ego vos conjungo, quæ juxta Trid., sess. 24, cap. 1, de Reformat. Matr., parochus, viro et muliere interrogatis, debet dicere, non pertinere ad substantiam Matrimonii ; « Ideoque valere, etiamsi verba prolata sint tantum a contrahentibus et non a parocho, dummodo adsit præsentia parochi quam absque verbis sufficere putavit.» Palam est Congregationem loqui de Matrimonio ut sacramento ; tum quia de hoc interrogabatur ; tum quia loquitur de Matrimonio ad sensum Tridentini quod interpretatur.

Respondent Tournely post Sylvium, hanc declarationem nullius esse ponderis nec illi fidem esse adhibendam ; quia Urbanus VIII, decreto dato 2 Augusti 1631, edixit declarationibus Congregationis concilii Tridentini « tam impressis et imprimendis quam manuscriptis nullam esse fidem in judicio et extra adhibendam ; sed tantum illis quæ authentica forma, solito sigillo et subscriptione eminentissimi cardinalis præfecti ac secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentis, munitæ fuerint. »

Sed contra : 1° Fagnanus, vir integerrimus, qui circa tempora Urbani erat secretarius Congregationis, et decretum pontificis appri-

me noverat, refert hanc declarationem ad cap. *Quod nobis* jam citatum: eam autem verisimiliter non citasset, si authentica non fuisset. 2° Dato non esse authenticam, Urbanus hujusmodi declarationibus denegat fidem juridicam tantum, non historicam, ut late probavi, dissert. 6, de Scientia media, a. 6, § 8, tit. *De Paulo V*, object. 2. Non enim Papa potest efficere, id quod factum est, non fuisse factum.

Prob. 4° : Matrimonium contractum invalide coram parocho et testibus propter impedimentum occultum gravis metus, si postea accedat consensus spontaneus utriusque partis, fit validum absque præsentia parochi, juxta responsum S. Congregationis et declarationem S. Pii V, apud Fagnanum ad cap. *Is qui fidem*, de Sponsalibus, n. 14. Convalescere autem non solum in ratione contractus, sed etiam sacramenti, juxta mentem Summi Pontificis et S. Congregationis indubitatum videtur, cum non sit credibile Summum Pontificem et S. Congregationem voluisse tantum docere quid esset necessarium ad validitatem contractus civilis, et omisisse quod requiritur ad rationem sacramenti conjugatis summe necessarii.

Similiter Matrimonium contractum per verba de præsenti coram parocho et testibus sub conditione de futuro, adimpleta conditione convalescit absque præsentia parochi ut declaravit S. Pius V, apud Fagnanum loco citato. Id autem fieri non posset si parochus proferens hæc verba : Ego vos conjungo, ut formam sacramenti, esset minister : forma enim sacramenti debet proferri dum perficitur sacramentum, ut patet in omnibus aliis sacramentis.

Item dum Sacra Pœnitentiaria committit confessario facultatem dispensandi super Matrimonio inito cum impedimento occulto affinitatis ex fornicatione, apponit hanc clausulam : ut commissarius cum taliter conjugatis de nullitate prioris consensus certioratis dispenset, « ut Matrimonium secreto inter se contrahere valeant. » Non est autem verisimile, ut jam dixi, Sacram Pœnitentiariam esse sollicitam de procuranda validitate contractus civilis, et non curare sanctitatem Matrimonii eorum qui ad eam pro dispensatione recurrunt.

Prob. 5° : Christus, instituendo sacramentum Matrimonii, nihil aliud fecit quam elevare inter christianos contractum matrimonialem validum, ut in usu erat, ad dignitatem sacramenti ; si quid aliud, probent adversarii, si possunt, ex S. Scriptura vel traditione : ergo iidem sunt ministri sacramenti qui et contractus ; et qui antea faciebant contractum tantum, jam faciunt sacramentum. Subsumo : Atqui ministri contractus, secundum omnes, sunt contrahentes : ergo et sacramenti.

Quantum ad D. Th. expressa est ejus sententia in 4 d. 26, q. 2, a. 1, ad 1, refertur in Supp. q. 42, a. 1, ad 1 : « Verba, inquit, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus sacramenti, non autem benedictio sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale. » Item in 4 d. 28, q. unica, a. 3, o, Supp. q. 45, a. 5, o, ubi quærit utrum consensus in occulto per verba de præsenti faciat Matrimonium, dicit : « Consensus expressus per verba de præsenti inter personas legitimas ad contrahendum, Matrimonium facit, quia hæc duo sunt de essentia sacramenti ; alia autem omnia sunt de solemnitate sacramenti, quia ad hoc adhibentur ut Matrimonium convenientius fiat : unde si omittantur, verum est Matrimonium quamvis peccent sic contrahentes, nisi per aliquam legitimam causam excusentur. » Et cum ibidem secundo loco sibi objecisset : « Sacramentum Pœnitentiæ non perficitur nisi mediantibus Ecclesiæ ministris : ergo nec Matrimonium perfici potest in occulto absque sacerdotali benedictione. » Respondet sic : « Ad secundum, dicendum quod actus noster in Pœnitentia, quamvis sit de essentia sacramenti, non tamen est sufficiens ad inducendum proximum effectum sacramenti, scilicet absolutionem a peccatis; et ideo oportet quod ad perfectionem sacramenti interveniat actus sacerdotis ; sed in Matrimonio actus nostri sunt causa sufficiens ad inducendum proximum effectum, qui est obligatio ; quia quicumque est sui juris, potest se alteri obligare. Et ideo sacerdotis benedictio non requiritur in Matrimonio quasi de essentia sacramenti. » Hæc testimonia sole clariora obscurare nititur Sylvius, sed irrito conatu, ut patebit ex solutionibus objectionum.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° : Concilium Trid., sess. 24, cap. 1, de Reformat. Matrim., præcipit ut parochus intellecto contrahentium consensu dicat : Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, etc.: ista autem verba vera sunt : ergo parochus vere illos conjungit in Matrimonium; non quatenus est contractus, quia sic jam sunt conjuncti per mutuum consensum : ergo in ratione sacramenti. Ita Sylvius.

Resp. dist. conseq. Ergo parochus vere illos conjungit absolute et coram Deo, neg.; in facie

Ecclesiæ, quatenus efficit ut habeantur in jure pro legitime conjunctis, conc.; vel, ut alii dicunt, conjungit approbative, quatenus approbat et declarat legitimam eorum conjunctionem. Si dicas hoc non esse proprie conjungere, sed declarare conjunctionem, dist. ut ante : Non est proprie conjungere coram Deo, conc.; in facie Ecclesiæ, neg. Sic dum quis secreto absolutus ab excommunicatione, postea absolvitur iterum publice a judice per hæc verba : Absolvo te a vinculo excommunicationis, sensus est : Te absolvo in facie Ecclesiæ, approbo, declaro legitimam esse tuam absolutionem. Ita similiter in nostro casu.

Porro hunc et non alium esse concilii sensum, nec usquam intendisse hæc verba esse formam essentialem sacramenti, et sacerdotem ea proferentem esse ministrum, manifeste constat ex eo quod non jubeat absolute parochum uti his verbis, sed his « vel aliis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum » : si autem hæc verba habuisset pro forma essentiali, ea non reliquisset arbitratui provinciarum, sed illis determinate uti jussisset. 1° Quia, quamvis in formis accidentalibus sit cuique provinciæ suus ritus, id tamen nunquam passa est nec patitur Ecclesia in formis essentialibus, etiam quoad verba æquivalentia; patet ex concilio Florent., quod eamdem materiam et formam sacramentorum etiam quoad verba determinata præscribit omnibus provinciis saltem pro ecclesia Latina; et merito, cum in tanta varietate facile posset subrepere mutatio substantialis, eaque tam multiplex varietas dedeceat dignitatem sacramentorum et fundamenta religionis christianæ : unde communiter docent theologi eum peccare qui verba formarum in sacramentis determinata et recepta ab Ecclesia, mutat in alia etsi æquivalentia; ut si, v. g., pro : *Baptizo*, dicat : *Abluo*. 2° Quia sciebant patres Tridentini in omnibus fere Ecclesiæ provinciis hæc verba : Ego vos conjungo, non haberi pro forma essentiali : « Sic enim omnes fere sentiebant », inquit cardinalis Palavicinus, l. 20, c. 4, n. 1. Item noverant in aliquibus adhiberi quædam verba omnino diversa etiam quoad sensum : sic forma ecclesiæ Constantiensis in suo rituali est hæc: « Matrimonium per vos contractum secundum ordinem matris Ecclesiæ, ego auctoritate qua hac in parte fungor, ratifico, confirmo et benedico in nomine Patris », etc. Dominicus Soto qui concilio interfuit in 4 refert in quibusdam Hispaniæ provinciis hanc adhiberi formulam: « Ego vos sponso *et sacramentum confirmo.* » In aliis istam: « Quod Deus conjunxit, homo non separet ». Approbat ergo concilium has et similes formulas, et tamen non conjungunt, sed conjunctionem supponunt, declarant ac ratificant, seu, ut dixi, conjungunt in facie Ecclesiæ tantum.

Adde quod concilium matrimonia clandestina pronuntiat vera et rata : Matrimonium autem ratum, est secundum jura sacramentum, ut patet ex secunda probatione. Item S. Pius V et Congregatio cardinalium concilii Trident. interpretum declararunt hæc verba : Ego conjungo vos, non pertinere ad substantiam Matrimonii, ut patet ex tertia et quarta probatione.

Inst. 1° Sylvius; Sacerdos dicendo : Absolvo te, in omni proprietate absolvit : ergo dicendo : Conjungo vos, in omni proprietate conjungit.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod ex definitionibus Ecclesiæ habeamus hæc verba : Absolvo te, esse formam essentialem sacramenti Pœnitentiæ, non supponere anteriorem absolutionem, et sacerdotem hæc proferre judicialiter tanquam sacramenti ministrum: ex quibus sequitur quod sacerdos vere absolvat in foro Dei et non solum in facie Ecclesiæ, nec tantum declaret aut confirmet absolutionem : at nihil simile habemus ex definitionibus Ecclesiæ pro his verbis : Conjungo vos, quin potius suadent contrarium quæ hucusque diximus, et communior doctorum sensus.

Instat 2° laudatus Sylvius : Multa ritualia et concilia provincialia post Tridentinum declarant sacerdotem esse ministrum hujus sacramenti, ut rituale Atrebatense, Iprense, Mechliniense, synodus Cameracensis, Coloniensis, præsertim in Enchyridio, etc. : ergo.

Resp. sacerdotem esse et dici ministrum sacramenti Matrimonii, quia est minister sacrorum rituum quibus Matrimonium juxta Ecclesiæ leges celebratur ; sic enim revera suum ministerium exhibet sacramento, licet illud non conficiat : unde in concilio Viennensi, Clementina *Religiosis*, l. 5, tit. 7, celebrantes Matrimonium, non dicuntur « conficientes », « sed solemnizantes » id est, ministri solemnitatis.

Obj. 2° cum eodem Sylvio ex Patribus : Patres concilii Carthaginensis IV, can. 13, et ante illos Evaristus, epist. 1, dicunt sponsum et sponsam a sacerdote esse benedicendos. S. Ambros., epist. 70, nunc 19, ait : « Ipsum conjugium sacerdotali benedictione sanctificari oportet. » Tertull., lib. 1, *ad Uxorem*, cap. 9 ; Innocentius 1, epistola 1, *ad Victri-*

cium ; Siricius, epist. 1, *ad Himerium* et alii, hujus benedictionis meminerunt : ergo.

Resp. neg. conseq. Benedictio sponsorum requiritur equidem, non ut essentialis, et de necessitate sacramenti, sed ut cæremonialis, et de necessitate præcepti, quia matrimonia clandestina semper prohibuit Ecclesia. Proferant adversarii, si possunt, aliquem textum in jure vel Patribus, in quo dicatur conjunctionem Matrimonii per hæc verba : Vos conjungo, aut æquivalentia, esse benedictionem nuptiarum ; quousque id præstiterint, incassum congerunt testimonia Patrum requirentium benedictionem, cum hæc sola, quam dixi, sit secundum ipsos adversarios benedictio essentialis, cæteræ accidentales.

Inst. 1° : S. Ambrosius citatus dicit hac benedictione sanctificari Matrimonium ; Evaristus item citatus declarat aliter contracta conjugia esse adulteria et fornicationes ; concilium Carthag. ibidem vult quod sponsi « cum acceperint benedictionem, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant », quod non præscriberet, si esset tantum benedictio cæremonialis : Siricius vocat sacrilegium hujus benedictionis violationem : ergo.

Resp. 1° et insto in dictis : Hæ benedictiones erantne per hæc verba : Ego vos conjungo? dicant, si audeant, adversarii ; et tamen sola quæ fit per hæc verba est essentialis secundum ipsos. Deinde ad singula.

Resp. 2° ad primum, nihil inde sequi ; scriptum est enim : *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc*. Quid ergo vetat quod conjugium ex institutione Christi sanctum, adhuc sanctificetur per benedictionem Ecclesiæ ?

Ad secundum : Evaristus vocat matrimonia sine benedictione Ecclesiæ, adulteria et fornicationes, non quod non sint valida, sed quia non habent omnem honestatem sibi debitam. Hunc sensum necessario admittere debent ipsi objicientes, 1° quia ipsi concedunt hæc matrimonia fuisse valida in ratione contractus, consequenter non esse adulteria et fornicationes ; 2° quia Evaristus eodem modo loquitur de matrimoniis contractis sine dote, et sine consensu parentum aut tutorum, quæ tamen constat non esse adulteria et fornicationes ; 3° quia in fine addit : « Nisi voluntas propria suffragata fuerit, et vota succurrerint legitima » ; his ergo solis censet confici conjugia.

Ad tertium : Quamvis benedictio nuptialis non sit sacramentum, est tamen aliquid sacramentale, ut ait D. Th. et habet sacramentum adjunctum, in cujus ideo reverentiam non minus decet abstinere eadem nocte ab actu conjugali, quam decebat olim secundum legem vel consuetudinem ab eo abstinere diebus dominicis et festis.

Ad quartum : Eadem ratione, scilicet quod benedictio nuptialis sit quid sacramentale, ejus violatio merito dicitur sacrilegium ; non enim violatio sacramenti tantum, sed et accessorii ad sacramentum violatio, est sacrilegium.

Inst. 2° : Alexander III, cap. *Cum in Ecclesiæ* 9, de Simonia, dicit quod sit « horribile pro sepulturis et exequiis mortuorum et benedictionibus nubentium, seu aliis sacramentis aliquid requiri. » Quibus verbis jungit benedictionem nuptialem aliis sacramentis. Et Martinus V, in fine concilii Constantiensis, jubet suspectos de hæresi interrogari : « an credant quod christianus contemnens susceptionem sacramentorum Confirmationis vel Extremæ-Unctionis, vel solemnizationis Matrimonii, peccet mortaliter ? » Ubi solemnizationem Matrimonii vocat sacramentum : ergo.

Resp. ad primum : Alexander jungit benedictionem nuptialem aliis sacramentis, non quia est sacramentum, sed quia sacramentum involvit; est enim benedictio sacramenti, quatenus nubentes benedicuntur, dum in facie Ecclesiæ efficiunt sacramentum; non est tamen forma essentialis sacramenti, nec sacerdos qui benedicit est minister, neque hoc dixit Alexander.

Ad secundum: Martinus sumit solemnizationem Matrimonii, non in abstracto, sed in concreto pro ipso Matrimonio solemni, seu contracto in facie Ecclesiæ, cujus contrahentes sunt ministri, non parochus, qui est tantum minister solemnitatis.

Insuper ad utrumque : Ex dictis, ista benedictio vel solemnizatio non fiebat per hæc verba : Ego vos conjungo ; quis enim id adversariis revelavit ? et tamen hæc sola est secundum ipsos forma essentialis.

Inst. 3° : Si benedictio nuptialis non sit essentialis Matrimonio, ruit præcipuum fundamentum quo probamus ex traditione contra hæreticos Matrimonium esse sacramentum : ergo. Prob. ant. Non alio argumento melius probamus, contra novatores, Matrimonium esse sacramentum, quam ex benedictione illa sacra apud SS. Patres toties commendata : ergo. Ita Tournely.

Resp. neg. ant. Ad probat. neg. ant. Nequaquam enim inde probavimus Matrimonium

esse sacramentum, sed ex eo quod SS. Patres formalibus terminis asserant esse sacramentum. Vide art. 3, prob. 2 ex traditione. Neque tamen negamus ex benedictione sacra posse aliqualiter probari Matrimonium esse sacramentum, quia hoc ipso quo celebratur in loco sacro, cum benedictione sacra a ministris sacris impertita, infertur legitime non esse contractum mere civilem, sed sacramentum.

Obj. 3°: Juxta concilium Florentinum in decreto Unionis, sacramenta novæ legis tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et intentione ministri : atqui si contrahentes sint ministri, erit sacramentum sine verbis, et sine intentione ministri : sine verbis, quia contrahentes possunt nutibus contrahere; sine intentione ministri, quia, cum ut plurimum contrahentes ignorent se esse ministros, non intendunt conficere sacramentum : ergo.

Resp. ad primam partem min., dist. Erit sacramentum sine verbis formalibus, conc.; sine verbis æquivalentibus, neg. Cum enim Matrimonium sit contractus, et contractus possit iniri nutibus, hi nutus æquivalent verbis, quatenus non secus ac verba significant interiorem consensum ; et nihil aliud requirere concilium constat ex eo quod agens de Matrimonio dicat, quod causa efficiens sacramenti Matrimonii sit « mutuus consensus per verba de præsenti regulariter expressus. » Dixit : Regulariter, quia aliquando exprimitur per nutus qui verbis æquivalent.

Ad secundam partem, min. illam neg. Quamvis enim contrahentes ignorent se esse ministros, sufficit quod intendant facere, quod alii faciunt, et quod intendit Ecclesia ut faciant.

Inst. : Si quis tentaret aliquod aliud sacramentum conficere per nutus et signa, nihil efficeret : ergo similiter in Matrimonio.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod alia sacramenta non fundentur in contractu sicut Matrimonium, ex quo fit quod sicut ad contractum sufficiunt nutus qui æquivaleant verbis, ita ad sacramentum Matrimonii.

Obj. 4° : Ministri aliorum sacramentorum sunt sacerdotes : ergo et Matrimonii.

Resp. 1° neg. ant. universaliter sumptum. Instantia est in Baptismo, cujus minister potest esse laicus. 2° Dato ant., neg. conseq. Disparitas est proxime data, quod alia sacramenta non fundentur in contractu, Matrimonium autem nihil sit aliud quam contractus elevatus ad esse sacramenti : unde causa efficiens contractum efficit simul sacramentum. Disparitatem amplificat Auctor, [1] ut vidimus in probationibus.

Inst. 1° : In aliis sacramentis non est idem conficiens et suscipiens sacramentum : ergo nec in Matrimonio.

Resp. neg. conseq. Eadem est semper disparitatis ratio. Sacramentum Matrimonii id habet speciale quod sit contractus elevatus ad esse sacramenti : unde sicut contrahentes sunt ministri, et subjecta contractus, ita et sacramenti ; neque id mirum videri debet, quod in duobus sit unum sacramentum, quia in duobus est unus contractus, quod non contingit in aliis sacramentis.

Inst. 2° : Vel quilibet contrahens sibi, vel unus alteri vicissim sacramentum administrat : primum dici non potest, quia nullus sibi ministrat sacramentum quod in actione consistit; secundum difficile concipitur in nostra sententia, vix enim exponi potest an prius vir mulieri, an viro mulier sacramentum conferat, an simul et eodem instanti sibi invicem. Ita Tournely.

Resp. eodem modo contrahentes sibi invicem conferre sacramentum quo contractum conficiunt; et quia contractum simul conficiunt per mutuam traditionem et acceptationem, ita simul sibi conferunt sacramentum ; nec refert quod unus prius loquatur, moraliter enim durat ejus consensus datus, donec alter accedat : quo accedente completur contractus et sacramentum.

Inst. 3° : Minister cujusvis sacramenti illud confert vice et in persona Christi juxta illud ; « Hic est qui baptizat » : atqui dum contrahentes dicunt : Accipio te in meum vel meam, non loquuntur vice et in persona Christi ; non enim Christus principaliter accipit in suam, aut uxorem ducit : ergo.

Resp. dist. min. Dum contrahentes dicunt : Accipio te, etc., non loquuntur vice et in persona Christi, quatenus ineunt contractum civilem, seu se jungunt in ordine ad carnale commercium, conc. ; quatenus faciunt sacramentum seu se jungunt per gratiam sacramentalem, neg. Sic enim Christus est principalis minister et accipit sponsum in suum et sponsam in suam, sicut accipit in suos omnes quibus confert gratiam.

Inst. 4° : Ante Tridentinum et in locis in quibus non est receptum, copula supplebat et supplet vices horum verborum : Accipio te,

[1] Supp. q. 45, a. 6, ad 5.

etc.: atqui copula non fiebat, nec fit vice et in persona Christi : ergo.

Resp. dist. maj. Copula præcise supplebat vices verborum : Accipio te, etc., neg.; copula cum manifestatione consensus mutui in ordine ad contractum matrimonialem, conc. Causa itaque efficiens sacramentum Matrimonii est consensus mutuus signo externo expressus : sit autem hoc vel illud signum, materialiter et accidentaliter se habet. Cum ergo copula, etiam post sponsalia, possit haberi animo fornicario vel conjugali, non ipsa, sed consensus mutuus maritalis exterius expressus, fit vice et in persona Christi.

Obj. 5° : S. Th. in 4 d. 1, q. 1, a. 3, ad 5, hæc habet : « Matrimonium secundum quod est in officium naturæ, et Pœnitentia secundum quod est virtus, non habet aliquam formam verborum; sed secundum quod utrumque est sacramentum, in dispensatione ministrorum existens, utrumque habet aliqua verba, sicut in Matrimonio sunt verba exprimentia consensum et iterum benedictiones ab Ecclesia institutæ. » Item d. 17, q. 3, a. 3, q. 1, Supp. q, 8, a. 1 : « Solus, inquit, est ille minister sacramentorum in quibus gratia datur, qui habet ministerium super corpus Christi verum quod solius sacerdotis est. » Item q. 18, q. 2, a. 2,q. 2, o, Supp. q. 22, a. 2, et l. 4, *cont. Gent.*, cap. 78, dicit Matrimonium esse sacramentum Ecclesiæ, quia per ministros Ecclesiæ dispensatur : « Unde, inquit, et quædam benedictio nubentibus per ministros Ecclesiæ adhibetur. » Ex his infert doctiss. Sylvius quod si S. Doctor *Summam* absolvisset, agniturus fuisset sacerdotem pro ministro Matrimonii.

Resp. quod cum omnia fere quæ objiciuntur scripserit S. Thomas, antequam scriberet quæ pro conclusione nostra retulimus, et his prioribus non obstantibus, decretorie asserat conclusionem nostram in sequentibus; ex prius dictis infundate conjicit Sylvius quod si *Summam* absolvisset, agnovisset sacerdotem pro ministro Matrimonii ; sicut enim prius dicta in *Commentariis* in 4, non obstiterunt quominus in sequentibus asseruerit conclusionem, ita non obstarent si eadem dixisset in *Summa*; et hoc maxime quia hæc facile conciliantur, si priora intelligantur non de ministro et forma sacramenti quoad substantiam, sed de ministro et forma solemnitatis, ut ipse se explicat primo loco in objectione posito : « Sicut in Matrimonio, inquit, verba exprimentia consensum, et iterum benedictiones ab Ecclesia institutæ»: ubi aperte affert pro forma essentiali verba exprimentia consensum, et benedictionem sacerdotis pro cæremonia seu forma accidentali, quippe quæ non sit a Christo, sed « ab Ecclesia instituta ». Adde quod si ita non intelligas, cogeris admittere S. Doctorem in posterioribus operibus, quæ citavimus pro conclusione nostra, vel mutasse sententiam in favorem nostrum, vel sibi contradicere; idemque foret dicendum, si similia haberet in *Summa*.

Nec alio sensu accipiendus est textus ex lib. 4, *contra Gentes ;* non enim dixit S. Th. Matrimonium esse sacramentum, quia « per ministros Ecclesiæ dispensatur »; quasi existimasset sacerdotem hujus sacramenti ministrum essentialem, sed quia ex eo quod adhibeatur minister Ecclesiæ, dignoscitur, tanquam ex signo, quod Matrimonium sit sacramentum, et non contractus mere civilis. Ita Ferrariensis in hunc locum.

Quantum ad alia quædam argumenta quæ opponi possunt, consule art. sequentem.

ARTICULUS VII.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI MATRIMONII.

Qui tenent sacerdotem esse ministrum sacramenti Matrimonii, dicunt contrahentes esse materiam remotam seu circa quam; actus sensibiles contrahentium, materiam proximam et ex qua; hæc verba sacerdotis : Ego vos conjungo, formam. At aliter qui contrahentes pro ministris agnoscunt : unde

Dico 1° : Materia remota et circa quam sacramenti Matrimonii, sunt contrahentium corpora; seu, ut alii volunt, quod perinde est, dominium mutuum in corpora in ordine ad usum conjugalem.

Patet, quia Matrimonium tam in ratione contractus quam in ratione sacramenti, versatur circa corpora contrahentium, seu circa mutuum eorum dominium, sicut venditio agri versatur circa agrum et ejus dominium. Dixi : In ordine ad usum conjugalem, per quod distinguitur ab aliis contractibus in quibus res conceditur ad omnem usum lege permissum.

Dico 2° : Materia proxima et ex qua sacramenti Matrimonii, sunt verba contrahentium, prout exprimunt traditionem mutuam corporum ; forma, eadem verba prout exprimunt acceptationem traditionis; eadem enim verba, scilicet : Accipio te in meam et : Accipio te in

meum, sic significant acceptationem ab una parte, ut etiam significent traditionem proprii corporis seu ejus dominii ; sine enim hac mutua traditione et acceptatione, non subsisteret Matrimonium, et ideo eadem verba secundum diversas considerationes sunt materia et forma.

Prob.: Sacramentum Matrimonii nihil est aliud quam contractus civilis elevatus ad esse sacramenti, nulla mutatione facta circa materiam et formam : ergo ea est materia et forma sacramenti quæ contractus. Subsumo : Atqui in contractibus civilibus, consequens in matrimoniali, traditio rei seu consensus in traditionem exterius expressus est materia ; acceptatio seu consensus in acceptationem exterius expressus est forma : ergo. Prob. subsumptum : Illud habet rationem materiæ quod est determinabile, habet autem rationem formæ quod est determinativum, ut dixi de sacramentis in communi : atqui in omni contractu civili traditio est determinabilis, completurque in ratione perfecti contractus per acceptationem quæ se habet ut determinativum : ergo.

Neque obstat quod acceptatio aliquando videatur præcedere traditionem, ut in eo qui cupit habere, antequam alter velit dare; ista enim cupiditas debet potius dici voluntas accipiendi quam acceptatio, quippe quæ est correlativa ad traditionem ; nec censetur perfectus contractus, nisi, re donata, donatarius perseveret in priori acceptatione, aut eam ratihabeat.

Dices insuper: Consensus est causa efficiens sacramenti : ergo non est neque materia, neque forma.

Resp. dist. conseq. Non est neque materia neque forma, sub eadem ratione, conc.; sub diversa ratione, neg. Quatenus causat vinculum est causa efficiens ; quatenus determinat traditionem compartis, est forma; quatenus vero ut traditio determinatur ab acceptatione compartis est materia.

Inst.: In aliis sacramentis materia distinguitur realiter a forma, et minister efficiens a materia remota : unde concilium Florent. in decreto Unionis dicit sacramentum perfici tribus, ut realiter distinctis, materia, forma et intentione ministri : ergo et in Matrimonio. Subsumo : Atqui in nostra sententia ibidem consensus est materia et forma ; et minister efficiens est materia remota : ergo.

Resp. neg. conseq. Quia id est speciale Matrimonio quod sit contractus; in contractu autem non est distinctio realis inter materiam et formam, sed idem consensus sub diverso respectu est materia et forma. Item potest idem esse causa efficiens et materia remota contractus, ut patet in eo qui se vendit in servum. Quamvis autem Florentinum dixerit sacramenta perfici materia, forma et intentione ministri, non tamen dixit hæc tria in omnibus sacramentis debere distingui realiter.

DISSERTATIO II.

De Sponsalibus.

D. Th. Supp. q. 43.

Postquam Auctor essentiam matrimonii tam in ratione contractus quam sacramenti expendit, agit de sponsalibus quæ sunt dispositiones ad Matrimonium, et quædam ejus inchoatio : unde sit

ARTICULUS I.

QUID SINT SPONSALIA?

Sponsalia, sic dicta a *spondendo*, sumuntur aliquando late et improprie pro muneribus

sponsalitiis, quæ dicuntur jocalia, 1 Reg. 18; vel etiam pro ipso Matrimonio rato non consummato, quo sensu, Matth. 1, B. V. dicitur *desponsata Joseph;* quia[1] sicut qui init sponsalia proprie dicta spondet Matrimonium, ita qui init Matrimonium spondet ordinarie actum Matrimonii. Itaque

Dico :[2] Sponsalia proprie sumpta sunt et definiuntur a jure, a D. Th. et communiter : « Futurarum nuptiarum mutua promissio, aliquo signo sensibili expressa. »

Explicatur. Dicitur: Futurarum nuptiarum, per quod distinguitur a Matrimonio quod contrahitur per verba de præsenti, ut : Accipio te in meam; sponsalia vero per verba de futuro, ut : Accipiam te, etc.

Dicitur: Promissio; quia simplex desiderium aut propositum etiam exterius expressum non sufficit.

Dicitur: Mutua promissio ; quia cum sponsalia sint Matrimonium inchoatum, ejus naturam sapiunt : Matrimonium autem non potest esse sine mutua et reciproca obligatione ; unde sicut maritus non est sine uxore, sic non est sponsus sine sponsa ; et ideo in jure, l. 1, tf. de Sponsalibus, promissio sponsalium dicitur « repromissio ».

Itaque si una pars tantum promitteret et altera præcise acceptaret, non repromittendo, non forent sponsalia, nec induceretur impedimentum publicæ honestatis: teneretur tamen promittens præstare promissum, non vi sponsalium, sed vi promissionis simplicis; quamvis enim Matrimonium fieri non possit absque reciproca obligatione, potest tamen quis promittere et se obligare ad contrahendum Matrimonium, si et quando alter voluerit contrahere : sicut, v. g., licet non possit esse venditio sine emptione, potest tamen aliquis promittere et se obligare ad vendendum, puta domum, si et quando alter voluerit emere, absque eo quod iste incurrat obligationem emendi. Aliud ergo est contrahere de facto Matrimonium, aliud se obligare ad contrahendum; aliud acceptare fidem alterius, aliud illi suam obligare : per quod evertitur fundamentum oppositæ sententiæ quam tenent Vasques, Pontius et quidam alii. Supponi tamen debet quod promittens intendat vere promittere et se obligare, etiamsi alter non repromittat ; quod fateor rarum esse, nisi forte id quandoque fiat ad significandam gratitudinem pro accepto beneficio.

Dicitur: Signo sensibili manifestata; quia homines non communicant inter se, nisi per signa sensibilia. Vide diss. 2, de Contr., a. 1.

Insuper sponsalia debent habere alias conditiones communes omnibus promissionibus et contractibus : unde debent esse vera promissio, hoc est, cum animo promittendi et se obligandi, alias non esset promissio ; non tamen cum animo præstandi promissum, licet in hoc casu teneretur reparare injuriam alteri factam, aut ejus damnum si quod patiatur. Vide loco citato.

Item debet esse promissio libera, non solum libertate physica, sed etiam morali, ita ut non fiat ex gravi metu injuste incusso ; hujusmodi enim sponsalia, etiamsi jurata, irritantur,cap. *Ex litteris* de Desponsat. impub., Extra. l. 4, tit. 2, quia juramentum, quod sine peccato impleri non potest, non obligat ; contractus autem qui propter bonum commune irritantur, qualis est contractus sponsalium ex gravi metu initus, non possunt impleri sine peccato, quia quod est contra bonum commune, peccatum est. Vide dissert. 1, de Contractibus, art. 6. Sponsalia vero inita ex levi metu, injuste incusso, non sunt ipso facto irrita, sed irritanda tantum ad nutum metum passi. Hæc est autem differentia inter sponsalia irrita et irritanda, quod prima non inducant impedimentum publicæ honestatis, secunda vero inducant.

Tandem debet promissio esse acceptata ; id enim jure positivo et naturali requiritur ad omnem promissionem validam. Vide dissert. 2, de Contract., art. 1. Utrum vero debeat esse expressa acceptatio, an sufficiat silentium promissarii ? Resp. sufficere in ratione simplicis acceptationis, non in ratione repromissionis, ita ut promissio valeat in ratione simplicis promissionis, non in ratione sponsalium ; quia in rebus in quibus commodum et nihil incommodi sequitur, valet hæc regula 46 juris : « Qui tacet, consentire videtur » : secus ubi incommodum sequitur, quod accideret, si ex silentio sequeretur repromissio. Excipitur tamen si parentes acceptent sponsalia pro filiis præsentibus et non contradicentibus ; ita expresse statuitur in jure cap. unico de Desponsat. impub. in 6, l. 4, tit. 2.

Petes 1° utrum sponsalia clandestina post Tridentinum sint valida ?

Resp. affirmative ; quia nec in concilio Trid. nec alibi datur ulla lex positiva civilis aut ecclesiastica irritans sponsalia clandestina : ergo cum jure naturæ sint valida, non est unde fiant nulla.

[1] Supp. q. 43, a. 1, ad 6. [2] Ibid. o.

Dices ex lege *Oratio* ff. de Sponsalibus : « Prohibito Matrimonio censetur prohibitum id omne per quod ad illud pervenitur : atqui Matrimonium clandestinum est prohibitum et irritum : ergo et sponsalia clandestina.

Resp. verum esse illud allatum axioma, quando Matrimonium absolute et omnibus modis prohibetur, tunc enim sponsalia forent promissio rei illicitæ et ideo nulla ; at vero Matrimonium a Tridentino non prohibetur absolute, sed tantum ne clandestine fiat : unde cum nulla sit connexio inter sponsalia clandestina et Matrimonium clandestinum, possunt enim sponsalia clandestine contrahi et Matrimonium publice celebrari, ex irritatione Matrimonii clandestini, non sequitur ullo modo irritatio sponsalium clandestinorum. Adde quod ratio cur prohibitum sit et irritatum Matrimonium clandestinum, scilicet ad adulteria vitanda, non militet pro sponsalibus.

An autem sint etiam licita ? Resp. quod jure communi sint licita et in usu in pluribus diœcesibus, ut in nostra Leodiensi ; in quibusdam tamen aliis diœcesibus prohibentur. An sub gravi peccato ? Affirmative respondet Natalis Alexander et cum ipso Henricus a S. Ignatio ; sed, ut nobis videtur, parum dure, cum vix unquam fiant publice, nisi antea contracta fuerint privatim inter amasium et amasiam; de quo tamen non solent reprehendi.

Verum quia in locis in quibus viget mos contrahendi sponsalia publice, multi ignorant clandestina esse valida, et inde contrahi impedimentum publicæ honestatis, de hoc contrahentes monendi sunt a pastoribus, si subsit periculum quod promiserint Matrimonium sorori suæ sponsæ, aut alteri in primo gradu consanguineæ.

Petes 2° utrum Matrimonium clandestinum, aut quodvis aliud jure sive naturali sive positivo nullum, habeat saltem vim sponsalium ?

Resp. negative ; contractus enim invalidus nullam inducit obligationem, nec consensus in unum ex natura rei est consensus in alterum, suntque qui velint de facto contrahere et tamen qui nollent promittere Matrimonium in futurum, sicut sunt qui hic et nunc volunt dare et tamen nolunt se obligare ad dandum in posterum. Insuper refertur declaratio S. Congregationis Cardinalium his verbis : « Matrimonium contractum coram testibus, sed sine parocho, vel alio sacerdote de ejus licentia, post concilium Tridentinum, non solum est nullum, sed nec vim habet sponsalium, adeo ut sic contrahentes ad denuo contrahendum compelli non possint.» Item altera similis declaratio ejusdem Congregationis data fuit episcopo Patavino. Hæc leguntur in editione concilii Trid., Antuerpiæ 1633, ad sess. 24, cap. 1 de Reformatione Matrimonii, pag. mihi 353.

Excipitur Matrimonium inter impuberes contractum propter specialem dispositionem juris cap. finali de Desponsat. impub., Extra l. 4, tit. 2, et cap. unico eodem tit. in 6, modo tamen non sit clandestinum, ut habetur in dictis declarationibus concilii Trid., ad cap. 2 ejusdem sess. 24, pag. 373, ubi de Matrimonio inter impuberes contracto dicitur « quod si malitia ætatis defectum non supplevit, hujusmodi Matrimonium, si, modo forma servata concilii, contractum fuit, resolvi in sponsalia de futuro, ex quibus etiam oritur vinculum publicæ honestatis justitiæ» : ergo si non servata fuit forma concilii, non resolvitur in sponsalia.

Petes 3° utrum dum vir dicit puellæ : Nullam aliam ducam nisi te, vel e contra puella viro, sint sponsalia ?

Resp. negative ; quia sensus hujus propositionis est disjunctivus, scilicet, vel : Nullam ducam, vel : Si aliquam, te ducam : unde non obligatur ad ducendum, sed tantum casu quo velit nubere, quod ipsi liberum est.

Petes 4° an necessario sint præmittenda sponsalia Matrimonio ?

Resp. negative, re spectata secundum se ; quia potest fieri mutua traditio corporum absque eo quod præcesserit promissio tradendi, sicut quis potest vendere domum, etsi antea non promiserit vendere. Unusquisque tamen debet sistere moribus suæ diœceseos.

Petes 5° quibus de causis præmittuntur sponsalia Matrimonio ?

Resp. : 1° ut Matrimonium tot oneribus et difficultatibus implicatum, cum majori deliberatione et dispositione celebretur ; 2° ut hoc tempore intermedio possit deprehendi, an nihil obstet Matrimonio ; 3° ut dicit S. Aug., l. 8 Confess., cap. 3, « ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit dilatam.»

ARTICULUS II.

QUOT MODIS CONTRAHUNTUR SPONSALIA ? UBI DE SPONSALIBUS CONDITIONATIS.

Dico[1] : Sponsalia duobus modis contrahuntur, absolute et conditionate. Absolute quatuor

[1] Hic q. 43, a. 1, o.

modis : 1° nuda promissione, ut cum dicitur: Accipiam te in meam, et e converso ; 2° datis arrhis sponsalitiis, ut pecunia vel aliquo hujusmodi ; 3° annuli subarrhatione ; 4° interveniente juramento. Conditionate autem contrahuntur dupliciter, scilicet sub conditione honesta vel inhonesta. Si honesta, ut : Accipiam te in meam si parentibus placeat ; stante conditione, sive sit de præsenti sive de futuro, stat promissio, non stante non stat. Si inhonesta, vel est contraria bonis Matrimonii ; ut si dicam : Accipiam te si venena sterilitatis procures, et tunc non contrahuntur sponsalia; aut non est contraria bonis Matrimonii, ut si dicam : Accipiam te si furtis meis consentias; et tunc stat, promissio, inquit S. Doct.,sed tollenda est conditio. Verum hoc ultimum D. Thomæ intellige pro foro externo, in quo ejusmodi turpes conditiones habentur pro non adjectis, cap. *Quicumque*, cap. *de Illis*, cap. *Si conditiones* extra de Condition. apposit. et in quo his non obstantibus præsumitur abolutus consensus. In foro tamen interno, si conditio turpis apponatur revera ad indicandum dissensum, seu non esse consensum nisi conditione posita, ut plerumque fit, v. g., dicendo : Accipiam te si dederis mihi copiam tui corporis, non stant sponsalia conditione non impleta ; nec etiam starent in foro externo si de tali dissensu constaret : idem dic de conditione impossibili. Vide dissert. 1 de Contractibus, art. 7, ubi hæc materia fuse discutitur. Conditione autem quamvis turpi posita convalescunt sponsalia ; quia licet nulla possit esse obligatio ad ponendam conditionem turpem, ideoque rescindenda sint hujusmodi sponsalia, et auferenda sit conditio, ea tamen purificata, licet illicite, oritur obligatio servandi promissum, ut late probavi, diss. 1 de Contract., a.8. Vide.

Petes 1° utrum si conditio sit honesta sed tamen contraria bonis Matrimonii, v. g., ut uterque conjux maneat in perpetua castitate, valeant sponsalia ?

Resp. sub distinctione : Si hæc conditio feratur in ipsum jus ad copulam impediendum, non valent, quia jus ad copulam est essentiale Matrimonio ; si vero feratur tantum in usum copulæ impediendum, concesso jure, sed ligato, valent, quia usus copulæ non est essentialis Matrimonio, ut fusius dicam infra dum de objecto consensus matrimonialis.

Petes 2° an contractus sponsalitius initus sub conditione honesta de futuro, adimpleta conditione statim valeat, absque novo contractu aut consensu ?

Resp.: Perseverante eadem contrahentium voluntate, valet; non perseverante autem, non valet, nisi novus consensus accedat, ad quem quidem pars dissentiens tenetur.

Ratio primæ partis est quia, perseverante eadem voluntate, perinde est ac si tunc primo poneretur consensus ; et hoc modo convalescunt alii contractus, ut probavimus dissert. 1 de Contract., a. 7, concl. 3. Censetur autem perseverare virtualiter quandiu non revocatur.

Ratio secundæ partis est quia licet in aliis contractibus jura suppleant id quod deest consensus, ita ut, semel posita conditione, in absolutum transeant, id tamen non possunt in Matrimonio et sponsalibus, in quibus consensus personalis contrahentium est essentialis.

Ratio tertiæ partis est quia ex contractu conditionato oritur duplex obligatio, una absoluta expectandi eventum conditionis ; altera suspensa et conditionata præstandi quod promissum est, si purificetur conditio : priorem autem hanc obligationem, utpote ortam ex mutuo consensu, non potuit resiliens propria auctoritate extinguere, sicque tenetur reddere consensum quem illicite revocavit. Vide dissert. 1 de Contract., art. 9, concl. 2.

Hinc inferes sponsalia inita cum impedimento dirimente dispensabili sub conditione futuræ dispensationis, obtenta dispensatione probabilius valere sine novo consensu, modo prior non fuerit revocatus. Utrum idem censendum sit de Matrimonio conditionato ? Dicam infra.

Id autem venit observandum quod ex sponsalibus conditionatis, nullum oriatur impedimentum publicæ honestatis, donec impleatur conditio ; quia eo usque sunt invalida. Existimat Sylvius hic, quæstiunc. 3, quod oriatur ex Matrimonio coram parocho et testibus sub conditione contracto; quia juxta ipsum, Matrimonium conditionatum, juxta formam Tridentini contractum, habet vim sponsalium, donec impleatur conditio : id quidem non probat laudatus theologus, sed videtur innui in declaratione S. Congregationis ad cap. 2, sess. 23 concilii Trid. citata in responsione ad petit. 2 præcedentis art.

Cæterum nunquam permittant parochi ut tam sponsalia quam matrimonia conditionata contrahantur, sed omnino efficiant, ut sint absoluta juxta formam in ritualibus præscriptam.

Petes 3° utrum sponsalia conditionata inter personas habiles ad Matrimonium, per copulam subsequentem transeant in absoluta ?

Resp. negative post Tridentinum, in locis ubi est receptum. Ideo enim ante Tridentinum copula auferebat conditionem, quia per eam affectu conjugali habitam efficiebatur Matrimonium : at nunc cum non valeat ad Matrimonium, conditionem non aufert.

Petes 4° utrum possit apponi sponsalibus conditio pœnalis quæ resilientem obliget?

Secundum jura, l. *Mulier*, c. de Sponsalibus, lib. 5, tit. 1, et Novella 18 Leonis imperatoris, duplex pœna hic distinguitur, una de præsenti, ut si quis in ipso contractu sponsalitio tradat aliquid, ut annulum, torquem, pecuniæ summam, etc., quod cedat alteri si tradens resiliat; si e contra recipiens resiliat, reddat acceptum, et insuper æquivalens, aut duplum, secundum quod conventum est. Altera pœna est de futuro, ut dum contrahentes inter se paciscuntur de solvenda pecuniæ summa ab eo qui resiliet. Primum in jure dicitur *arrha*; secundum *pœna*, licet utrobique sit pœna.

Resp.: In contractu sponsalitio illicite et invalide apponitur pœna, tam de præsenti quam de futuro, juste resilienti; aut indistincte juste vel injuste resilienti, nec juste resiliens ad illam obligatur. Licite autem et valide imponitur injuste resilienti, isque ad illam obligatur.

Prob. prima pars : Jura, cap. *Gemma*, de Sponsalibus, Extra l. 4, tit. 1, l. *Titia*, ff. de Verborum obligat., l. *Mulier*, c. de Sponsalibus, prohibent et irritant pœnam appositam in contractu sponsalitio, quæ læderet libertatem Matrimonii : atqui obligatio ad pœnam, sive præsentem, sive futuram, in eo qui habet justam causam resiliendi, læderet libertatem Matrimonii, cum, ne perderet arrham, vel cogeretur solvere pecuniam, quandoque invitus contraheret Matrimonium, ex quo jurgia, rixæ et alia plurima inconvenientia orirentur: ergo.

Confirm.: Non debet imponi pœna, ubi non est culpa : ergo juste resiliens non obligatur ad pœnam. Et de haç pœna imposita juste resilienti intelligendus est S. Th. hic, a. 1, ad 4, dum dicit quod « talis conditio non stat.»

Idem dicendum, etiamsi non ipsi contrahentes, sed eorum parentes et amici paciscerentur de pœna, quia damnum parentum et amicorum reputatur proprium, et ejus motu pariter læderetur libertas Matrimonii ; secus si ab extraneis, non instantibus sponsis, sed motu proprio apponeretur.

Totumque id verum est, etiamsi pœna sit levis; quia jura non distinguunt inter pœnam gravem et levem, sed prohibent absolute ullam pœnam apponi, et ab illa eximunt obligatum. Insuper, quamvis levis, semper minueret aliqualiter libertatem contrahentium; quod si in aliquo casu ita non accidat, erit per accidens: lex autem non attendit id ad quod raro, et per accidens, sed quod per se et communiter accidit: excipe nisi pœna adeo esset levis, ut pro nihilo reputaretur.

Prob. secunda pars : Si injuste resiliens a sponsalibus non obligaretur ad pœnam, nec liceret eam apponere, ideo esset quia læderet libertatem Matrimonii, ideo enim jura prohibent apponi, et est ratio adversariorum : atqui ista ratio non currit in injuste resiliente; quia, etiam seclusa pœna, tenetur stare promissis, et ad hoc ipsa jura eum cogunt : ergo.

Si dicas : Jus civile, l. *Mulier*, c. de Sponsalibus, permittit arrhas, prohibet pœnas, nos vero de utrisque eodem modo loquimur.

Resp. hoc jus antiquius esse emendatum per Novellam 18 Leonis imperatoris, nec esse amplius in usu.

Petes 5° utrum si juste resiliens se obligaverit sub juramento solvere pœnam, illud juramentum firmet contractum, aut saltem per se obliget?

Resp. probabilius negative. 1° Non firmat contractum, quia contractus, qui a jure infirmatur propter bonum commune, ut est contractus sponsalitius sub conditione pœnæ juste resilienti impositæ, juramento non firmatur, quia observari non potest sine peccato. 2° Ipsum juramentum per se non obligat, quia juramentum quod non potest servari sine peccato, nullum est; non est enim vinculum iniquitatis. Vide hanc materiam abundanter tractatam, dissert. 1 de Contractibus, a. 6.

Petes 6° utrum si juste resiliens solvat pœnam alteri, iste possit retinere ?

Resp. : Vel solvens sciebat se non obligari, vel non sciebat : si primum, recipiens potest retinere, quia tunc alter non censetur dare vi promissionis, quam scit esse nullam, sed vel gratuito, vel ut salvet fidem suam coram hominibus, etsi ad hoc non teneatur ; si secundum, recipiens non potest retinere, quia donans censetur dare vi promisssionis quæ secundum jura est nulla.

ARTICULUS III.

QUI POSSINT CONTRAHERE SPONSALIA ?

Dico 1° : Quicumque habent impedimentum, sive dirimens, sive impediens Matrimonium,

nec licite, nec valide contrahunt sponsalia; quia promissio illicita est nulla.

Dico 2° : Sponsalia contracta ante usum rationis, etiamsi post septennium, sunt invalida, quia promissio est actus humanus, qui non est absque usu rationis.

Dico 3° : [1] Septennium est tempus a jure convenienter determinatum ad contrahenda sponsalia.

De hujus temporis determinatione extant in jure plura decreta: cap. *Litteras*, cap. *Accessit*, cap. *Ad dissolvendum*, de Desponsat. impub., et cap. *Infantes* eodem tit. in 6.

Ratio hujus convenientiæ est, quia qui contrahunt sponsalia debent habere aliquam providentiam de futuris, cum sint promissiones futurorum : hoc autem communiter contingit in fine primi septennii, in quo incipit illucescere ratio : ergo.

Hinc inferes sponsalia, contracta notabili saltem tempore ante septennium, ex juris dispositione esse invalida, nec inducere impedimentum publicæ honestatis. Dixi : Notabili saltem tempore ; et ideo

Petes 1° an si paulo ante septennium contrahentes habeant usum rationis sufficientem, valeant sponsalia ?

Resp. probabilius affirmative : Ita determinarunt de Matrimonio, quoad tempus pubertatis, Alexander III, cap. 9, de Desponsat. impuberum, et Innocentius III, cap. ultimo eodem tit. : ergo idem dicendum de sponsalibus ; quia cum ordinentur ad Matrimonium, ut ejus inchoatio, debent sequi ejus leges, et aliunde non sunt tanti momenti ac Matrimonium, et possunt facilius dissolvi: unde D. Th. sic ait [2] : « In sponsalibus etiam similiter, si appropinquant contrahentes ad tempus septennii, contractus sponsalium habet robur; quia secundum philosoph. in 2. *Physic.*, l. 2, textu 56 : Quod parum deest, quasi nihil deesse videtur. Hæc autem propinquitas a quibusdam determinatur tempus sex mensium ; sed melius est quod determinetur secundum conditionem contrahentium, quia in quibusdam magis acceleratur usus rationis quam in aliis. »

Dicere quod S. Th. loquatur attento jure naturæ, non positivo, videtur aperte falsum, tum, quia in toto articulo, nihil aliud intendit probare, quam quod septennium sit convenienter a jure positivo determinatum; tum quia argumentum cui respondet, procedit de jure positivo determinante tempus pro Matrimonio.

[1] q. 43, a. 2, o. [2] Ib. ad 7.

Si dicas argumentum a paritate in positivis non probare, resp. id esse verum, quando nullum est fundamentum interpretandi intentionem legis pro pari ; hic autem habemus fundamentum intelligendi legem de tempore sponsalium ad sensum legis de tempore Matrimonii, tum ex ipsa natura contractus sponsalium, qui est inchoatum Matrimonium, nec tanti momenti; tum ex D. Th. et ex communiori theologorum sententia : sic quia professio religiosa secundum jura dissolvit Matrimonium ratum, inferunt theologi etiam dissolvere sponsalia.

Inst.: Cap. *Litteras* et cap. *Accessit* de Desponsat. impub., Pontifex interrogatus an sponsalia ante septennium completum valeant, respondet negative attendens ad solam ætatem.

Resp. ita respondisse Pontificem, quia in foro externo præsumitur non adesse sufficientem usum rationis ante septennium, nisi probetur.

Notat tamen Sylvius non fore valida sponsalia eorum in quibus tertio vel quarto anno (dicerem ego, uno vel altero anno) fuisse acceleratus usus rationis, quia intentio Ecclesiæ fuit hujusmodi sponsalia irritare, eo quod communiter non sit sufficiens discretio ante septennium aut circiter; lex enim attendit quod communiter, non quod per accidens et raro contingit.

Petes 2° quis rationis usus requiratur ad contrahenda sponsalia ?

Resp.: Quibusdam videtur sufficere illum usum rationis qui satis est ad peccandum mortaliter, sed oppositum expresse docet Auctor [1] ; quia, inquit, ad peccatum mortale sufficit consensus præsens seu in rem præsentem, sed in sponsalibus est consensus in futurum; major autem discretio rationis requiritur ad providendum in futurum, quam ad consentiendum in unum actum præsentem : et ideo potest homo peccare mortaliter antequam posset se obligare ad aliquid futurum.

Petes 3° an parentes possint sponsalia contrahere pro filiis minoribus ?

Resp. posse quidem ex causa rationabili [2], sed valida non subsistunt, nisi ratificentur a filiis qui absolute possunt ea non habere rata: unde quod dicitur cap. *Tua nos*, de Desponsat. impuberum, filios debere implere sponsalia contracta a parentibus, debet intelligi de debito decentiæ seu reverentiæ erga parentes, si nulla filii subsistat causa recusandi. Censen-

[1] Ib. ad 2. [2] Ib. ad 1.

tur autem, inquit S. Doctor, ea ratificare, cum, ad debitam ætatem venientes, non reclamant.

Petes 4° an qui contraxerunt sponsalia ante pubertatem (quæ in masculis est annus decimus quartus, in fœminis duodecimus), cum eam attigerint, possint ab eis resilire etiam invita una parte?

Resp. affirmative, modo intra triduum resiliant, nec inter eos, ante pubertatis annos, intervenerit copula carnalis, nec juramento firmata sint : ita in jure cap. *de Illis* et cap. *a Nobis*, tit. de Desponsat. impuberum, et cap. *ex Litteris* de Sponsalibus.

ARTICULUS IV.

DE EFFECTIBUS SPONSALIUM.

Dico : Duplex est effectus sponsalium : primus est obligatio gravis ad contrahendum Matrimonium cum ea persona cum qua fuerunt inita ; alter est impedimentum justitiæ publicæ honestatis, quod oritur ex omnibus et solis sponsalibus validis.

De hoc secundo agemus dum de impedimentis Matrimonii. Quantum ad primum, præter varia summorum pontificum decreta, ratio est quia omnis promissio acceptata, præsertim mutua, adeoque utrinque onerosa, obligat ex justitia, et quidem graviter ubi est materia gravis, qualis est præsens : unde D. Th. in 4 d. 27, q. 2, a 1, ad 2, dicit resilientem sine legitima causa peccare mortaliter.

Petes 1° quo tempore sint adimplenda sponsalia?

Resp. adimplenda esse tempore præfixo, si quod fuit; si non, primo tempore opportuno, parte petente implicite vel explicite. Qui renuerit censetur esse in mora ; quia in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur, et solvi debet si petatur, reg. juris 14, ff. de Reg. jur. Insuper quando quis promittit Matrimonium, promittit alteri pro toto tempore vitæ consortium conjugale: ergo tandiu illum suo jure injuste fraudat, quandiu illo instante et opportunitate data, differt.

Petes 2° an nolens aut differens adimplere sponsalia sit compellendus?

Resp. compelli debere tam a confessario per negationem absolutionis, quam a judice ecclesiastico etiam per censuras, carcerem, mulctas et similes modos ; quia ipsis ex officio incumbit compellere subditos ut reddant quod ex justitia debent ; maxima tamen in his prudentia opus est, cum ex talibus matrimoniis coactis sæpe nimis sequantur exitus perniciosi, jurgia, dissidia, rixæ, divortia, etc. : unde ubi talia fundate metuit judex, si rogando, monendo, obligationem inculcando, non potest nolentem vincere, expedit ut, interposita sua auctoritate, absolutum dimittat, ipsum tamen obligando, ut omnia compartis damna inde obvenientia resarciat, imo ipsum egregie mulctando : unde in his totum negotium relinquitur prudentiæ judicis attentis omnibus. Et juxta hanc explicationem intelligendum venit capitulum *Requisivit*, tit. de Sponsalibus, ubi Lucius III dicit monendam potius quam cogendam eam quæ a sponsalibus juratis vult resilire, quia matrimonia debent esse libera ; loquitur enim ex præsumptione metus gravium malorum, qui metus dum cessat, Alexander III, ibidem, capitulo *ex Litteris* 2, vult ecclesiasticis censuris agendum, ut pars reclamans fidem servet.

Petes 3° an obligatio, quam habent desponsati, tanta sit ut si alteruter peccatum fornicationis committat cum alia persona, sit peccatum speciale, nedum contra castitatem et temperantiam, sed etiam contra justitiam, adeoque distinctum a simplici fornicatione et in confessione accusandum?

Resp. probabilius affirmative; quia licet desponsati non habeant jus in re ad corpus alterius, habent tamen jus ad rem, eo quod promissio contractus sponsalium obligans ex justitia, sit promissio faciendi corpus proprium, sponsi vel sponsæ corpus, ex quo sequitur quod si alteri ipsum tradat, sicut tradit per fornicationem, peccet peccato speciali injustitiæ, quod reductive pertinet ad speciem adulterii, sicut imperfectum ad perfectum sui generis ; sicut enim sponsalia reducuntur ad Matrimonium, suntque Matrimonium inchoatum, ita peccata contra sponsalia reducuntur ad peccata contra Matrimonium.

Dices : Sic se habent sponsalia ad Matrimonium, sicut votum religionis ingrediendæ ad professionem religiosam· atqui qui post votum ingrediendæ religionis committeret peccatum carnis, ejus peccatum non esset distinctum a simplici fornicatione : ergo.

Resp. dist. maj. Sic se habent secundum quid sponsalia ad Matrimonium, sicut votum religionis ingrediendæ ad professionem religiosam, conc. ; sic se habent simpliciter, neg. In hoc ergo est paritas, quod sicut sponsalia sunt promissio, et Matrimonium traditio, ita

votum religionis ingrediendæ est promissio, et professio religiosa est traditio; sed in hoc est disparitas quod votum religionis ingrediendæ fiat soli Deo, et ex eo religio nullum jus acquirat in voventem. At sponsalia sunt promissio mutua sponsorum, quorum quilibet acquirit jus licet imperfectum, scilicet ad rem, in corpus alterius, quod violatur dum alteri traditur per fornicationem.

ARTICULUS V.

ASSIGNANTUR CAUSÆ EX QUIBUS DIRIMI POSSUNT SPONSALIA.

1° Dissolvuntur sponsalia etiam jurata mutuo et libero contrahentium puberum consensu [1], cap. *Præterea* de Sponsalibus. Ratio est quia omnis contractus natura sua solubilis potest per eas causas dissolvi per quas potest fieri, nisi jus resistat ejus dissolutioni : atqui contractus sponsalitius fit mutuo contrahentium consensu, est natura sua solubilis, nec jus ejus dissolutioni resistit, imo permittit : ergo. Insuper sic dissolvi possunt omnes alii contractus solubiles, quidni sponsalitius ?

Dixi [2] 1° : Etiam jurata ; quia quando juramentum annectitur promissioni homini factæ, pendet ab illa ut accessorium a principali, quo cessante, cessat accessorium.

Dixi 2° : Consensu libero ; quia non sufficit si vi vel dolo fuit extortus.

Dixi 3° : Puberum ; quia impuberes, quandiu tales, non possunt etiam mutuo consensu valide renuntiare sponsalibus, cap. *a Nobis*, de Desponsat. impuberum ; puberes autem facti possunt, etiam una parte invita, resilire, modo id fiat intra triduum, nec sint sponsalia jurata, nec subsecuta sit copula carnalis; alias non possunt nisi mutuo consensu : eodem cap. et cap. *Ex litteris Sylvani* de Sponsal. Si unus prior pubes factus sit, potest, sub iisdem restrictionibus tamen, resilire, non expectata alterius pubertate. Si vero dum contraxerunt, unus esset pubes alter impubes, hic adepta pubertate potest pro nutu resilire, non alter nisi ex mutuo consensu.

Observandum quod ubi sponsalia contrahuntur publice, quamvis secreto consensu mutuo valide dissolvantur, non tamen licite, nisi interveniente auctoritate Ecclesiæ per quam fuere contracta.

2° Solvuntur sponsalia etiam jurata per professionem religiosam ; si enim Matrimonium ratum per eam solvitur, cap. *Commissum*, de Sponsal., et can. 6 sess. 24 concilii Trid., a fortiori sponsalia, quorum obligatio minor est quam Matrimonii rati : unde tam in sponsalibus quam in Matrimonio rato subintelligitur ex jure hæc conditio : «Nisi religionem suscepero.» [1] Idque ratio suadet ; sponsalia enim sicut et Matrimonium ratum non consummatum, nondum important vinculum carnale, sed spirituale tantum : ergo sicut vinculum carnale solvitur per mortem carnalem, ita spirituale per mortem spiritualem, qualis est professio religiosa.

Si petas an sponsalia dissolvantur non tantum per professionem, sed etiam per solum ingressum religionis ?

Resp. quod dissolvantur respectu manentis in sæculo, non alterius ; ita ut priori liberum sit alteri nubere, non posteriori, casu quo egrediatur et a comparte requiratur.

Ratio primæ partis est quod ingrediens religionem censeatur cedere juri suo, et in pejori statu respectu compartis se constituit, cum plures nollent contrahere cum deserente religionem.

Ratio secundæ partis est quia in tantum religio dissolvit sponsalia, in quantum est mors spiritualis, ut dicit D. Th. citatus; et in quantum inhabilem reddit contrahentem ad Matrimonium : atqui hoc facit sola professio, non ingressus religionis : ergo.

Adde quod nullum sit jus dirimens absolute sponsalia in hoc casu. Nec obstat quod dixerimus supra sponsalia non claudicare , id verum est quidem de sponsalibus in fieri, non in facto esse, ut patet si una pars fornicetur, altera manet libera, non fornicans.

De voto ingrediendæ religionis quid sit censendum, dicemus in fine articuli.

Observandum quod, sicut invita comparte liberum est ac licitum profiteri, ita similiter liberum et licitum sit et ingredi et vovere ingressum religionis, modo tamen id non fiat in fraudem, vel cum damno gravi alterius partis, quod aliter quam per Matrimonium reparari non possit, ut quod spe Matrimonii sit violata cum infamia, aut imprægnata ; tunc enim et ingressus religionis et votum de illo forent illicita et invalida utpote de re mala ex circumstantiis.

Dices : Alexander III, cap. *Commissum*, de Sponsalibus juratis, dicit tutius esse religione juramenti servata prius contrahere, et postea si elegerit ad religionem migrare.

[1] 3, 11, ab. 3. q ad 3. [2] 2 2 q. 89, a. 9, ad 2.

[1] Supp. q, 61, a. 2. o.

Resp.: Dato quod sit tutius secundum vulgi opinionem, non tamen verius. Insuper loquitur Pontifex de eo qui, instante Matrimonio, nondum plene resolutus adhuc deliberat de religione, ut patet ex his verbis : « Et postea si elegerit» ;cui ut tali tutius est prius contrahere, et postea si, tempore bimestri concesso post Matrimonium ratum ad deliberandum, religionem elegerit, ad eam migrare, quam ex intentione nondum firma religionem ingrediendi, sponsum deserere et fidem juratam non servare.

3° Dirimuntur sponsalia per susceptionem ordinis sacri, quia affert impedimentum dirimens Matrimonii futuri, cap. unico de Voto in 6 ; ubi autem promissionis adimpletio fit impossibilis, desinit obligare. Utrum etiam votum suscipiendi ordines sacros pariter dissolvat sponsalia, possitque sponsus invita sponsa illos suscipere, patebit ex dicendis in fine articuli de voto simplici castitatis.

4° Solvuntur sponsalia per Matrimonium subsequens cum altera persona [1], propter suam indissolubilitatem, cap. *Sicut*, cap. *Si inter* de Sponsal. etc., ita tamen quod mortua uxore debeat redire ad partem relictam si ipsa petierit ; quia cum Matrimonium subsequens non sit vinculum perpetuum, sicut ordo sacer aut professio religiosa, non extinguit absolute sponsalia, sed potius suspendit, quandiu fortius vinculum durat : pars autem relicta omnino absolvitur a sua obligatione, quia alter cessit juri suo.

5° Pariter solvuntur [2] si superveniat impedimentum dirimens Matrimonium futurum, ut affinitas orta ex copula cum consanguinea alterius in primo vel secundo gradu, aut cognatio spiritualis ex susceptione prolis sponsæ; quia, ut jam dixi, promissio cujus adimpletio est impossibilis, desinit obligare ; si tamen pars innocens urgeat promissionis adimpletionem, pars altera quæ contraxit voluntarie impedimentum, tenetur petere dispensationem.

6° Et est regula generalis pro dissolvendis sponsalibus : Si superveniat talis mutatio sive intrinseca sive extrinseca, quæ si tempore contractus extitisset, aut prævisa fuisset, homines hujus conditionis prudenter retraheret a contrahendo. Ratio est quia promissio sponsalium, sicut quælibet altera, intelligitur facta, rebus in eodem statu permanentibus, et nulla notabili mutatione superveniente : unde communi hominum sensu censetur apponi hæc conditio : Nisi superveniat tale quid, ratione cujus homo prudens ejusdem conditionis non erat promissurus.

Nec tamen inde sequitur omnia sponsalia esse conditionata et nunquam inducere impedimentum publicæ honestatis, quia hujusmodi conditio non apponitur ut suspendat valorem contractus, sed ut habeatur jus illum rescindendi ubi ratio sufficiens supervenerit : unde, posita conditione, non est de facto rescissus, sed rescindibilis.

Dixi : Quæ viros prudentes retraheret ; non enim sufficit, ut quidam volunt, quod contrahens dicat se, si talis causa substitisset, non fuisse promissurum; inde enim fieret quod quilibet ex levi causa a sponsalibus posset resilire.

Hinc colliges 1° posse rescindi sponsalia etiam jurata [1], ob supervenientem gravem et habitualem infirmitatem quæ compartem multum debilitet, ut epilepsia vel paralysis; aut eam multum deformet, ut abscissio nasi, orbitas oculorum, vel aliquid hujusmodi; aut quæ sit contra bonum prolis, ut lepra, etc., cap. *Quemadmodum* de Jurejurando, Extra lib. 2, tit. 24. Addit ulteriorem rationem Auctor; ne, inquit, invicem sibi displiceant et Matrimonium sic contractum malum exitum sortiatur; nec pro pœna punitur relicta, sed ex pœna damnum reportat, quod non est inconveniens.

Idem dicendum si compars propter crimen proprium, vel parentum propinquorum, aut ex alio quovis eventu patiatur notabile detrimentum in fama, honore aut divitiis.

Colliges 2° sponsalia etiam jurata posse dissolvi propter fornicationem subsequentem alterutrius, eod. cap. *Quemadmodum*, in quo quamvis fiat tantum mentio de fornicatione sponsæ, quia turpius est ejus delictum, attamen juxta communem sensum theologorum, extendi debet ad sponsum, eo quod uterque frangat fidem; frangenti autem fidem, fides non est servanda. Idem etiam videtur dicendum si sponsa vi oppressa fuerit, quia licet non fregerit fidem, inde tamen facta est vilior. Idem etiam multi censent si sponsa voluntarie admittat ab alio tactus impudicos, quia isti tactus ex parte sponsæ cedunt in magnum dedecus sponsi : non sic similes tactus habiti a sponso cum alia, saltem si transeunter et raro fiant; nam si essent frequentes, indicarent animum in aliam propensum, idque sufficeret sponsæ ad resiliendum.

[1] Hic. q. 43, a. 3, ad 7. [2] Ib. ad 4.

[1] Ibid. ad 3.

Sed quid si uterque fornicetur? Quidam volunt neutrum posse resilire, quia datur compensatio delicti. Sed oppositum videtur verius; non datur enim compensatio delicti ubi delicta sunt imparia; at sponsus et sponsa fornicando non sunt in pari delicto quoad omnia; in ordine enim ad Matrimonium longe gravius est crimen sponsæ quam sponsi, eo quod major infamiæ nota sit, si sponsus ducat sponsam fornicantem, quam si sponsa nubat viro fornicanti : unde sequitur quod in hoc casu possit sponsus fornicans dimittere sponsam fornicantem, non e contra.

Neque simile est de compensatione quæ datur inter conjuges adulterantes; quia in adulterio conjugum sola spectatur fides conjugalis quæ æque a viro ac ab uxore frangitur; in sponsalibus autem insuper spectatur infamia quæ major est in sponsa fornicante quam in sponso.

Quidam volunt quod si una pars inexpectato fiat longe ditior, non possit ideo resilire, sive quia per hoc alleviatur Matrimonium; sive quia nulla est mutatio in comparte quæ est objectum consensus. Verum hæ rationes videntur nobis elumbes ; his enim non obstantibus, hæc mutatio est talis, quæ si tunc extitisset, retraxisset virum prudentem ejusdem conditionis a contrahendo: quæ ratio sufficit ad dissolvenda sponsalia, ut dictum est.

7° Et est altera regula generalis pro dissolvendis sponsalibus : Si comparti ignoranti innotescant causæ antecedentes sponsalia, quæ, si fuissent cognitæ, retraxissent virum prudentem ejusdem conditionis ab illis contrahendis, si tamen dederint causam contractui; quia perinde est ac si mutatio notabilis sponsalibus superveniret; censetur enim res fieri cum innotescit, et e contra idem est non esse et non apparere, l. *In lege* ff. de Contrahenda emptione, l. 18, tit. 1: ideoque, sicut in præcedenti casu censetur apposita hæc conditio : Nisi superveniat cognitioni meæ id quod prudentem virum ejusdem conditionis retraheret a sponsalibus. Igitur causæ quæ superveniente sponsalibus, de quibus casu præcedenti, sufficiunt ad eorum rescissionem, eædem regulariter sufficiunt si ignotæ præcesserint.

Hinc si sponsus reperiat sponsam corruptam quam credebat virginem, pauperem quam credebat divitem, ignobilem quam credebat nobilem, potest resilire a sponsalibus : similiter sponsa respectu sponsi, nisi in casu fornicationis sponsi, quæ si præcedat non sufficit ad dissolvenda sponsalia, cum tamen sufficiat si sequatur. Ratio hujus discriminis est, quia antecedenter ad sponsalia fornicando fidem non fregit, quam fregit fornicando post sponsalia, nec ex fornicatione antecedente censetur vilis factus, sicut mulier : aliud tamen esset si ex fornicatione sponsi antecedente nata sit proles expensis familiæ nutrienda; inde enim natæ sunt sequi dissensiones.

Dixi 1° : Ignoranti ; quia si scivit, censetur cedere juri suo et velle inire Matrimonium cum tali onere : unde etiam si sit dispar conditio, ut si sit longe nobilior comparte, tenetur stare promissis, nisi ex tali Matrimonio prævideantur secutura scandala, jurgia et dissensiones inter parentes et consanguineos: quo casu sponsalia etiam jurata non essent servanda, quia essent de re illicita.

Dices : Qui promittit mille aureos meretrici pro usura ejus corporis, non tenetur ad hanc summam, sed ad id quod justum est : ergo qui sciens promittit Matrimonium longe dispari, non tenetur eam ducere.

Resp.: Dato ant. neg. conseq. Disparitas est, quod hæc magna pecuniæ summa promittatur meretrici in pretium contractus ; in pretio autem debet semper servari æqualitas ; at in nostro casu non promittitur traditio corporis per Matrimonium in pretium, sed ex mera liberalitate illius qui est dominus sui, et cui vult nubere potest.

Dixi 2° : Si tamen istæ causæ antecedentes dederint causam contractui ; quia si contrahendo ita affectus esses, ut si has causas cognovisses, nihilominus contraxisses, non potes resilire, quia in tantum id jus habes, in quantum censeris promisisse sub conditione : Si esset talis causa non contraherem : ergo si sis ita affectus ut, non obstante tali causa, contraheres , censeris promisisse nulla apposita conditione, sicque resilire non potes.

Petes utrum qui habet defectus occultos teneatur illos detegere comparti ante sponsalia, seu saltem ante Matrimonium ?

Resp. sub distinctione : Vel illi defectus sunt comparti probrosi et damnosi, ita ut positive incommodum afferant, reddantque Matrimonium odiosum et injuriosum alteri, ut sunt lepra, morbus Gallicus, infamia orta ex genere vel delicto, et ea quæ sive generationi sive educationi prolis officiunt; vel illi defectus non sunt probosi aut damnosi, ita ut Matrimonium non reddant positive odiosum et injuriosum alteri, sed tantum minus gratum et minus commodum, ut si compars sit pauper, ignobilis, corrupta, etc., quæ creditur dives, nobilis, virgo, etc.

Si primum, tenetur detegere; quia nemo potest quærere suum commodum cum damno alterius, et sicut qui vendens equum cum defectu quo redderetur inutilis aut nocivus emptori vel fini ad quem emitur, tenetur illum manifestare, ita in nostro casu. Adde quod ex talibus matrimoniis nati sint sequi infaustissimi eventus.

Si secundum, non tenetur manifestari parti non inquirenti; quia in aliis contractibus, v. g., emptionis, nemo tenetur manifestare defectus occultos, leviores et non positive nocivos; et ea est praxis communis tam in sponsalibus quam in venditionibus et permutationibus. Insuper debet sibi imputare compars quæ diligentiorem inquisitionem non fecerit; excipe tamen nisi compartem deceperit se fingendo divitem, nobilem, virginem, cum non sit.

Dixi : Non inquirenti ; quia si petat, cum habeat jus petendi, videtur inesse obligationem alteri veraciter et sincere respondendi, nisi foret defectus infamans, puta, quod fuerit corrupta, in quo casu potest, non quidem negare mentiendo, sed dissimulare.

8° Et est tertia regula generalis pro dissolvendis sponsalibus : Si pars una ita se gerit ut moraliter juxta prudentum judicium censeatur resilire : quod duobus modis potissimum contingit, scilicet per lapsum temporis Matrimonio contrahendo præfixi, vel per recessum ad alias partes. Itaque

Inferes 1° quod si una pars non legitime impedita recuset adimplere promissum tempore præfixo ad adimplendum, hoc ipso cessat obligatio ex parte illius qui est paratus adimplere : cap. *Sicut ex litteris* de Sponsalibus.

Nec obstat quod l. *Celsus* ff. de Receptis qui arbit. videatur contrarium adstrui ; ibi enim agitur de tempore præfixo non ad finiendam obligationem, sed ad eam sollicitandam; sponsi autem solent præfigere tempus ad finiendam obligationem, quia nolunt diutius obligari et expectare seu Matrimonio frustrari, cum ex longiori mora immineat ipsis periculum non melius nubendi vel incidendi in fornicationem. Aliunde jus civile in hac præsertim materia cedere debet juri canonico, ut mox dicam.

Dixi : Non legitime impedita; quia qui propter legitimum impedimentum, saltem brevi terminandum, differt, non videtur ideo privandus jure suo ; hæc enim exceptio, licet non fuerit expressa in contractu, rationabiliter censetur tacite inclusa et habet fundamentum in jure cap. *Quia diversitatem* de Concessione præbendæ extra l. 3, tit. 8, ubi dicitur quod legitime impedito tempus non currat.

At vero si nullum sit tempus præfixum, tunc cessat obligatio ex parte illius qui non est causa dilationis, quando oblata commoda opportunitate contrahendi Matrimonium, alter ter aut quater requisitus, ulterius differt, nulla allegata causa dilationis sufficiente; quia censetur tunc moraliter cedere juri suo, cum sciat intentionem compartis non fuisse se tanto tempore privare Matrimonio.

Inferes 2° quod, si unus sponsorum sine consensu alterius discedat in alia loca, unde non est brevi rediturus, alter maneat deobligatus : ita Alexander III, cap. *De illis*, tit. de Sponsal. et Mat., his verbis : « De illis autem qui præstito juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, et postea eis incognitis dimittunt terram, se ad alias partes transferentes, hoc tibi volumus innotescere, quod liberum erit mulieribus istis (si non est amplius in facto processum, hoc est, secuta copula aut Matrimonium), ad alia se vota transferre, recepta tamen de perjurio pœnitentia, si per eam steterit quominus Matrimonium fuerit consummatum. » Et ratio est, quia, per talem discessum, discedens suam fidem retractare et voluntatem mutare censetur, et insuper gravatur inde sponsa.

Quidam volunt ex jure civili, l. 2, c. de Spons.,et l.2,c. de Repudiis, expectandum esse biennio si intra eamdem provinciam discedat, triennio si ad aliam provinciam. Alii excipiunt casum quo ex justa causa discedat, juxta l. *Sæpe*, ff. de Sponsal.

Sed contra : Nihil horum meminit jus canonicum citatum : in causis Matrimonii vero magis standum est dispositioni juris canonici quam civilis ; cum enim Matrimonium sit sacramentum, decisio controversiarum ad illud spectantium, magis spectat ad judices ecclesiasticos, quam ad sæculares, et ideo solis primis id committitur a concil. Trid., sess. 24, can. 12; cur autem hic jura discordent? Ratio est, quia jus canonicum intendit bonum spirituale, scilicet vitare periculum fornicationis ex nimia mora : jus autem civile per se intendit publicam utilitatem tantum.

Petes an sponsalia solvantur per posteriora jurata, aut subsecuta copula ?

Resp. negative pro utraque parte. Ratio primæ partis, quia cum promissio posterior sit nulla, utpote de re alteri obligata, juramentum superveniens est etiam nullum, quia est de re illicita.

Ratio secundæ partis est : si copula sequens secunda sponsalia, prima irritaret, ideo esset quia est traditio corporis, ut volunt adversarii : atqui falsum consequens : ergo. Prob. min. Nulla fit traditio valida corporis nisi per Matrimonium : atqui post Tridentinum irritans matrimonia clandestina, in locis in quibus est receptum, copula subsequens sponsalia non facit amplius Matrimonium : ergo. Unde sententia opposita admitti potest in locis in quibus Tridentinum non viget.

Existimat noster Gonet, quod si ex copula cum secunda sponsa ignara priorum ipsi gravia damna obveniant solo Matrimonio reparanda, priori autem nullum aliud quam non exhibitio rei promissæ, sponsus debeat ducere secundam non quidem vi posteriorum sponsalium quæ nulla sunt, neque vi præsumpti Matrimonii quod nullum est, sed ratione damnorum quæ secunda sponsa injuste pateretur, ad quæ reparanda vir magis obligatur, quam ad implendam promissionem, ex cujus omissione nullum aut leve damnum promissario obvenit. Addi potest priorem sponsam in hoc casu teneri ex charitate relaxare obligationem sponsi. Id totum est probabile.

CASUS DUBIUS.

UTRUM VOTUM SIMPLEX CASTITATIS PERPETUÆ SUBSEQUENS SPONSALIA, ILLA ABSOLUTE DISSOLVAT ?

Dixi : Subsequens sponsalia ; quia si præcedat, certum est quod illa etiamsi jurata dirimat, quia sunt de re jam Deo obligata, ideoque de re illicita.

Circa casum propositum est duplex sententia ferme æque probabilis, et in hoc versatur difficultas, an in contractu sponsalitio subintelligatur hæc conditio : Nisi statum perfectiorem elegero. Negant plurimi cum S. Antonino, quia neque ex jure, neque ex natura rei hæc conditio supponitur ; alioquin etiam supponeretur ista : Nisi a Matrimonio abstinere voluero ; quia perfectius est non nubere, quam nubere. Si autem sponsalia sint absolute et sine conditione inita, Deus non acceptat votum de re alteri obligata. Insuper proferunt cap. *Veniens*, tit. *Qui clerici et voventes*, ubi mulier quæ post sponsalia votum castitatis emiserat, jubetur pœnitentiam agere de fide non servata sponso, et permittitur inire Matrimonium cum illo.

Alii affirmant hanc conditionem : Nisi statum perfectiorem elegero, subintelligi in sponsalibus ex voluntate præsumpta contrahentium ; quia cum contrahentes non intendant promittere in grave sui præjudicium, præsumuntur contrahere sub hac tacita conditione : Nisi statum perfectiorem elegero, sicut omnes fatentur ex eodem principio, quod contrahant sub hac tacita conditione : Nisi notabilis mutatio superveniat. Nec inde sequitur quod etiam contrahant sub hac tacita conditione : Nisi voluero abstinere a Matrimonio, quia non nubere præcise sine voto, non est status nec notabilis vitæ mutatio in melius. Ad caput *Veniens* respondent, quod illa mulier votum emiserat fraudulenter, eo scilicet fine ut non cogeretur illi sponso copulari, sed posset alteri, non enim statuerat servare continentiam : unde jubetur agere pœnitentiam pro fide sponso mentita. Et quia erat periculum fornicationis, dispensatum est, ut Matrimonium cum eodem posset inire, imposita tamen pœnitentia, etiam pro voto violato, ex quo patet valuisse : unde Pontifex dicit : « Tutius est ut præfata mulier post fidem datam, et votum simpliciter oblatum Matrimonium contrahat, quam fornicationis reatum incurrat. »

Quantum ad D. Thomam, citatur pro hac secunda sententia infra q. 53, a. 1, ad 1, ubi dicit : «Propter votum simplex sunt sponsalia dirimenda. » Sed reponunt alii S. Thomam loqui de voto antecedente, non subsequente sponsalia, « ut, inquiunt, ex argumento et responsione S. Doctoris patet ».

Itaque juxta priorem sententiam, votum illud tenet tantum ex parte voventis, qui illud servare debet quantum potest sine injuria compartis, ita ut ipsa requirente teneatur inire Matrimonium et reddere debitum, nisi primo bimestri, non tamen petere : ipsa vero consentiente, debet absolute servare continentiam, nec potest mortua conjuge ad alias nuptias transire ; quia, inquiunt, licet Deus non acceptet hujusmodi votum in præjudicium compartis, acceptat tamen in quantum præcise respicit voventem.

Pariter dicunt votum profitendi religionem et votum suscipiendi ordines sacros non irritare sponsalia præcedentia, præsertim cum sint de futuro, imo nec posse suscipi sacros ordines invita comparte ; quia eædem rationes militant, scilicet quod corpus sponsi sit absolute, et sine conditione obligatum sponsæ, excepto solo casu religiosæ professionis. Est tamen disparitas inter utrumque votum, quod

votum suscipiendi ordinis non impediat petitionem debiti, quam impedit votum castitatis; quia qui vovet suscipere sacros ordines, nondum vovet castitatem.

Juxta vero posteriorem sententiam potest una pars alia parte invita vovere non solum castitatem et religionem profitendam, sed etiam susceptionem sacrorum ordinum, et illos de facto suscipere ; quia contractus sponsalitius fuit initus sub hac conditione : Nisi statum perfectiorem eligere voluero. Quod si vovens, non obstante voto alterutro, ineat Matrimonium, tenetur votum servare, quantum potest : si vovit castitatem, potest reddere debitum, non petere; si vovit profiteri religionem, aut suscipere sacros ordines, potest reddere et petere : mortua vero conjuge, vel ea consentiente, vel adulterante, tenetur profiteri religionem, et suscipere sacros ordines; et qui vovit castitatem, eam perpetuo servare, ut dictum est in prima sententia.

Utramque sententiam probabilem cum suis fundamentis et consectariis erudito lectori propono, ut quam probabiliorem judicaverit sequatur. Quantum ad me, quamvis utcumque propendeam in secundam, quænam tamen sit vera definire nolim.

Petes an in omnibus casibus assignatis ipso jure solvantur sponsalia?

Respondet Auctor [1] « quod in duobus tantum, scilicet cum quis ad Religionem confugit, et cum alter conjugum cum altera per verba de præsenti contrahit, ipso jure sponsalia dirimantur. Sed in aliis casibus dirimi debent secundum judicium Ecclesiæ. » Hoc ultimum tamen intellige ubi sponsalia sunt publica, et non certo constat de causa sufficienti dissolutionis : si enim sint occulta, possunt ipsi contrahentes dissolvere : imo etiamsi sint publica, modo causa dissolutionis sit etiam evidens et publica. Si autem sint publica sponsalia et causa occulta, recurrendum est ad judicem, propter evitandum scandalum.

Sed quid si causa occulta probari non possit in judicio, v. g., fornicatio sponsæ?

Resp. quod secluso scandalo possit altera propria auctoritate resilire : si autem sit scandalum et compars juridice urgeat, debet suppresso crimine acquiescere; quia crimen quod non potest probari, injuste aperitur.

Ibid. a. 3, o.

ARTICULUS VI.

DE BANNIS, SEU PUBLICIS FUTURI MATRIMONII DENUNTIATIONIBUS [1].

Bannum est vox germanica significans edictum, seu publicam proclamationem : igitur banna hic sunt publicæ denuntiationes futuri Matrimonii inter tales personas.

Dico : Publicæ denuntiationes futuri Matrimonii sunt necessario præmittendæ Matrimonio, necessitate præcepti, non sacramenti.

Prima pars constat ex concilio Lateran. III, cap. ultimo de Clandest. desponsat. in quo sic decernitur : « Statuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publice proponatur competenti termino præfinito, ut intra illum qui voluerit et valuerit, legitimum impedimentum opponat.»

Quod decretum innovans et extendens concilium Trid., sess. 22, cap. 1, de Reformat. Matrimonii, ait : « Præcipit (synodus) ut in posterum antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter missarum solemnia publice denuntietur inter quos Matrimonium sit contrahendum, quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum impedimentum opponatur, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur..... quod si aliquando probabilis fuerit suspicio Matrimonium malitiose impediri posse si tot præcesserint denuntiationes, tunc, vel una tantum denuntiatio fiat, vel parocho et duobus vel tribus testibus præsentibus Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta facilius detegantur, nisi ordinarius ipse expedire judicaverit ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ et judicio S. synodus relinquit. »

Secunda pars etiam constat, quia quamvis a laudatis conciliis severe prohibeantur matrimonia sine præviis bannis, nullibi tamen irritantur. Nec obstant quædam edicta regum Galliæ quibus declarantur hujusmodi matrimonia « non valide contrahi »; hæ enim par-

[1] Super his consulat unusquisque statuta lata ab episcopo diœceseos in qua versatur. Notandum duximus morem generaliter receptum in Gallia, vi cujus præscribitu proclamatio bannorum in domicilio parentum quando agitur de minoribus, quod quidem domicilium vocatur *domicilium juris*. Relative ad Matrimonium, minor censetur mas qui nondum est 25 annos natus, item femina quæ nondum 21 annos est nata.

ticulæ, juxta jurisconsultos et theologos Gallos, referuntur ad defectum præsentiæ parochi aut libertatis, qui etiam in his edictis est insertus; et ita responsum fuisse regis nomine, anno 1630, clero Gallicano qui postulaverat dictæ clausulæ in edicto Ludovici XIII insertæ interpretationem, refert Honoratus Tournely.

Verum cum plura contineat laudatum decretum Tridentini rem præsentem spectantia, indiget expositione: quapropter

Exponitur decretum concilii Tridentini.

Imprimis: Cum ista lex de præmittendis Matrimonio publicis denuntiationibus sit in re gravi, graviter obligat, ita ut tam parochus assistens quam contrahentes illam transgredientes peccent mortaliter, nisi in casu necessitatis, quo, v. g., quis instante morte vellet ducere concubinam ad legitimandas proles, nec superesset tempus recurrendi ad episcopum pro dispensatione.

2° Dicitur in decreto has denuntiationes debere fieri «a proprio contrahentium parocho», ita ut si sint duplicis parochiæ, ab utroque parocho debeant fieri; si quis tamen a pauco tempore habitaret in una parochia, et ibi vellet contrahere Matrimonium, videtur quod convenientius proclamationes fierent a parocho loci in quo prius morabatur quam a parocho loci in quo nunc habitat, alias non obtinetur finis legis, qui est detegere impedimenta Matrimonii: quando autem littera adversatur menti legistatoris, est deserenda. Cæterum quisque sequatur mores suæ diœceseos.

3° Dicitur proclamationes debere fieri « ter tribus continuis diebus festivis. » Dies festivi, quo nomine venit etiam dies dominica, intelliguntur continui, quando inter eos non intercedit alius festus dies, licet intercedat dies ferialis. Imo in alibus diœcesibus, si tres dies festi se immediate sequantur nullo alio interjecto, non debent intra istud triduum fieri omnes denuntiationes, sed oportet intra primam et secundam, vel inter secundam et tertiam, diem unam saltem intercedere, ne brevitate temporis eludantur qui aliquod impedimentum revelare tenentur: ita rituale Parisiense: secundum vero statuta hujus diœcesis Leodiensis emanata a Georgio Ludovico, secunda proclamatio non debebat fieri nisi infra octiduum a prima.

4° Dicitur debere proclamari banna « in Ecclesia inter missarum solemnia », quia tunc frequentior est populus, unde facilius detegi potest si quæ sint impedimenta. Non videretur tamen culpandus saltem graviter parochus, qui extra Ecclesiam, aut die feriali in solemni concione, vel ubi adest magnus populi concursus, proclamationes faceret; quia in hoc non deviaret a fine legis.

5° Dicitur ordinarium posse dispensare ex legitima causa, et quamvis unam tantum assignet concilium, scilicet ne Matrimonium malitiose impediatur, alias tamen non excludit, ut patet ex praxi communi et ex eo quod hanc dispensationem episcopi « prudentiæ et judicio committat »; non tamen sic ut a solo ejus arbitrio pendeat, sed si occurrat justa causa dispensandi: unde idem Tridentinum, sess. 25, cap. 18, generaliter dicit: « Sciant universi sacratissimos canones exacte ab omnibus et quoad ejus fieri poterit indistincte observandos. Quod si urgens, justaque ratio et major quandoque utilitas postulaverint cum aliquibus dispensandum esse; id causa cognita ac summa maturitate atque gratis a quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum; aliter facta dispensatio subreptitia censeatur. » Hinc viderint qui ob quamcumque causam etiamsi levem et levissimam, vel ad solam petitionem contrahentium aut parochi, nulla allegata causa sufficiente, dispensant. Nomine ordinarii hic venit etiam vicarius generalis episcopi, nisi episcopus in his dispensandi facultatem sibi reservaverit.

Petes 1° utrum non sint aliquando repetendæ denuntiationes?

Resp. verbis ritualis Romani: « Si infra duos menses post factas denuntiationes Matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter episcopo videretur. »

Petes 2° quas pœnas incurrunt tam parochus assistens, quam contrahentes Matrimonium sine præviis proclamationibus, aut legitima dispensatione?

Resp.: Parochus aut alter sacerdos assistens Matrimonio contracto sine præviis denuntiationibus debet suspendi ab officio ad triennium: cap. *cum inhibitio* Extra lib. 4, tit. 3; ex Innocentio III, in concilio Lateran.

Contrahentes vero sine denuntiationibus in gradu prohibito, etiamsi illum ignoraverint « spe dispensationis consequendæ careant..... Non enim dignus est qui ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salutaria præcepta temere contempsit. » Ita Trid., sess. 24, cap. 5 de Reformat. Matrim. Unde in petitione dispensationis super gradu prohibito debet exprimi iste defectus proclamationum, alioquin dispen-

satio censebitur subreptitia. Item quamvis secundum jura, filii nati ex Matrimonio contracto in gradu prohibito legitimentur, non sic tamen, si non præcesserint denuntiationes: eodem cap. *Cum inhibitio.*

Petes 3° utrum qui post unam aut duas proclamationes contrahit Matrimonium, has pœnas incurrat?

Resp. : Qui post unam denuntiationem contrahunt Matrimonium, non incurrunt pœnas latas a concilio Lateran., cap. citato *Cum inhibitio;* quia concilium non requirit plures denuntiationes, sed tantum quod publice proponatur in Ecclesia Matrimonium esse contrahendum, ut patet ex ejus textu initio articuli. Qui vero post duas denuntiationes contraherent, probabile est quod etiam non incurrerent pœnam latam a Tridentino, secus si post unam tantum; quia hæc pœna est lata contra eos « qui solemnitates requisitas neglexerunt »; qui autem adhibuit duas proclamationes, non neglexit solemnitates sed solemnitatem tantum. Odiosa porro sunt restringenda et stricte intelligenda : non tamen culpa vacaret.

Petes 4° utrum qui novit impedimentum, teneatur revelare ?

Resp. 1° Si sit impedimentum dirimens, sive publicum sive occultum quod possit probari, tenetur secundum omnes revelare ; quia ideo fiunt proclamationes, et alioquin tacens causa foret cur contrahentes viverent in continuo concubinatu, aut cum scandalo separarentur.

2° Si impedimentum dirimens non possit probari, et contrahentes sint in bona fide, quidam censent non esse revelandum, quia inutilis foret revelatio. Alii dicunt esse revelandum, quia hic non agitur de reo puniendo, ad quod requiruntur duo testes omni exceptione majores, sed de malo vitando, ad quod, inquiunt, sufficit unus testis fidei probatæ, et juratus, qui deponat ex certa scientia, idque colligi putant ex jure : hoc autem testimonio fretus parochus potest et debet denegare assistentiam Matrimonio. Verum si lis ea de re moveatur coram officiali, quid continget? Dicant jurisperiti.

3° Si impedimentum sit tantum impediens, ut votum simplex castitatis, tenetur resciens revelare eo fere modo quo tenetur revelare impedimentum dirimens, quatenus scilicet tenetur impedire, in quantum potest, peccatum proximi.

4° Quæ possunt et debent revelari, potest et debet resciens revelare etiamsi sciat sub secreto naturali, quia secretum naturale debet cedere honori sacramenti et saluti proximi, etiam cum aliqua ejus infamia, nisi forte secretis monitionibus possint contrahentes a Matrimonio retrahi.

Sed quid si parochus noverit impedimentum ex sola confessione sacramentali ?

Resp.: Si ex confessione impediti, debet in quantum potest a Matrimonio contrahendo deterrere ; quod si non obtineat et pœnitens petat Matrimonium, non potest parochus recusare propter religionem sigilli. Si autem sciat ex confessione compartis aut alterius, debet ipsum monere de obligatione revelandi impedimentum, qui, si nolit satisfacere, non est absolvendus.

DISSERTATIO III.

De Consensu ad Matrimonium requisito.

D. Th. a q. 45 ad 49.

ARTICULUS I.

UTRUM POSSIT ESSE MATRIMONIUM SINE CONSENSU CONJUGUM ?

Matrimonium, ut jam observavimus, potest considerari, vel causaliter et in ratione contractus, vel formaliter et in ratione vinculi. Certum est Matrimonium non posse etiam de potentia Dei absoluta subsistere in ratione contractus sine consensu mutuo conjugum ; quia contrahere est consentire, et contractus est mutuus conjugum consensus ; nec consequenter potest esse sacramentum sine consensu contrahentium, quia sacramentum fundatur in contractu, et est ipse contractus ad esse sacramenti elevatus. Quæstio est igitur de Matrimonio in ratione vinculi cujus causa efficiens, inquit Florentinum, est consensus contrahentium.

Dico : Deus potest absolute efficere vinculum Matrimonii, sine mutuo conjugum consensu, non aliqua potestas humana.

Prob. prima pars : Cum Deus sit supremus dominus corporum et animorum, potest tradere dominium corporis viri mulieri et vicissim, eisque inspirare amorem mutuum quem connaturaliter exigit Matrimonium : atqui ex ista traditione dominii mutui in corpora, adjuncto præsertim amore mutuo, resultat vinculum inter utrumque, sicut resultat dum mutuo consensu sibi invicem tradunt dominium in sua corpora : ergo. Quod si forte nolis hoc vinculum vocari matrimoniale, quia non efficitur a consensu matrimoniali, non disputabimus de nomine, modo fatearis esse vinculum æquivalens matrimoniali, quod unum intendimus.

Prob. secunda pars : Nulla potestas humana sive civilis, sive ecclesiastica potest tradere dominium corporis viri in mulierem, nec mulieris in virum in ordine ad Matrimonium : atqui in illa mutua traditione situm est vinculum matrimonii, seu ex illa resultat : ergo. Prob. maj. Nulla est potestas humana contra bonum sive commune sive privatum ; non enim datur a Deo in destructionem, sed in ædificationem : atqui talis potestas foret exitiosa bono communi et privato : ergo. Prob. min. Quia ex hujusmodi matrimoniis sine consensu et amore mutuo, quem potestas humana infundere non potest sicut Deus, nati sunt sequi infaustissimi eventus in perniciem boni communis et privati, continuæ dissensiones, jurgia, homicidia, adulteria, divortia, pessima prolium educatio, etc. : ergo.

Confirm. : Nunquam Ecclesia aut respublica usa est hoc jure, quamvis eo utendi, si habuisset, non raro fuerit necessitas pro regnorum tranquillitate aut fidei propagatione : ergo illud non habet.

Obj. contra primam partem : 1° Matrimonium est corporum et animorum conjunctio : atqui non potest esse conjunctio animorum sine consensu : ergo. 2° Non datur vinculum religionis sine voto : ergo nec vinculum Matrimonii sine consensu. 3° Non datur relatio mutui juris in qua consistit vinculum Matrimonii sine fundamento ; istud autem fundamentum quid est nisi consensus mutuus ? ergo.

Resp. ad primum, neg. maj. Patet in eo qui metu juste incusso ducit mulierem sibi exosam, vel qui amore divitiarum aut honoris, potiusquam mulieris, Matrimonium init. Item in eis qui divertio sunt disjuncti : dicitur ergo

Matrimonium unio animorum, non quod amor sit illi essentialis, sed quia illum connaturaliter exigit et fovet; hunc autem Deus in casu infunderet

Ad secundum, neg. ant. Potest enim Deus ratione supremi dominii subjicere aliquem religioni et ejus oneribus, sicut ipse se per votum subjicit. Quod si velis hoc vinculum non debere dici religionis, quia non est ex voto, dicam ut ante esse quæstionem de nomine.

Ad tertium, fundamentum hujus relationis in casu foret voluntas Dei tradentis dominia corporum.

Obj. contra secundum partem : 1° Respublica habet dominium in corpora civium ; potest enim ex causa eos vita privare seu tradere in servitutem : ergo. 2° Ecclesia potest cogere invitum ad acceptandum episcopatum, qui est Matrimonium spirituale episcopi cum Ecclesia : ergo similiter. 3° Ante Tridentinum, juxta cap. *Is qui fidem* de Sponsalibus, sponsalia transibant per copulam in Matrimonium; et cap. finali de condition. appos. habetur validum Matrimonium sub conditione impossibili contractum : atqui in his casibus non videtur adesse consensus : ergo.

Resp. ad primum, dist. ant. Respublica habet dominium in corpora civium in ordine ad bonum commune, ut contingit in casibus assignatis, conc.; contra bonum commune ut accideret si invitos in Matrimonium compelleret, neg.

Ad secundum, dist. ant. Ecclesia potest præcepto vel minis cogere, hoc est inducere invitum ut consentiat in episcopatum, conc.; ut sine consensu fiat episcopus, neg. Similiter Ecclesia potest quandoque justis de causis cogere seu inducere præcepto vel minis virum et mulierem ad consentiendum Matrimonio; non autem efficere ut sine consensu sint Matrimonio juncti.

Ad tertium, Ecclesia in his casibus supponit adesse consensum.

ARTICULUS II.

QUALIS DEBEAT ESSE CONSENSUS ?

Dico 1° :[1] Consensus necessario requisitus ad Matrimonium debet esse interior, nec sufficiunt verba consensus exterius prolata.

Prob.: 1° Secundum omnia jura et omnes theologos, consensus requiritur ad Matrimonium : atqui hoc vocabulum *consensus* dicit actum interiorem voluntatis : unde communiter dicitur ex causa 27, q. 2, c. 1 : « Matrimonium non coitus facit, sed voluntas ». 2° Innocentius III, cap. *Tuanos* de Sponsalibus, declarat irritum fuisse Matrimonium alicujus viri qui licet verba exterius protulisset, quia tamen nomen proprium simulaverat, credebatur non habuisse propositum contrahendi, addens pro ratione : « Quoniam... sine consensu cætera nequeunt fœdus perficere conjugale. » Et causa 27, q. 2, cap. *Sufficiat,* Nicolaus papa dicit : « Si consensus in nuptiis solus forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur. » Ratio est quia nemo transfert a se dominium rei quam habet, nec graves sibi imponit obligationes, nisi velit ; idque est essentiale omni contractui, ut latius probavi dissert. 1, de Contract., a. 2. Inspice.

Petes 1° ad quid teneatur qui ficte consentit ?

Resp. regulariter et per se loquendo teneri ponere consensum et partem deceptam ducere ; quia quando duo contrahunt, una parte sincere procedente, tenetur altera pariter sincere procedere, alioquin alteri illudit et contra justitiam agit : atqui hoc debitum per ejus fraudem non extinguitur : ergo. Unde dicit Auctor[1] quod fraus et dolus ei « non patrocinantur, nec in foro conscientiæ, nec in foro Ecclesiæ, quia in utroque foro pro hoc punitur », quatenus scilicet in utroque obligatur ducere eam quam decepit.

Dixi : Regulariter et per se loquendo ; quia in certis casibus non tenetur, 1° si tanta sit conditionis disparitas, vel tanta evidentia fictionis ut merito censeatur mulierem voluntarie fuisse deceptam ; 2° si mulier deceperit virum, simulando se virginem ; tunc enim datur compensatio injuriæ ; 3° si decipiens legitime contrahat cum alia, quia hoc secundum Matrimonium est validum et primum invalidum : unde, inquit Auctor[2], « debet potius excommunicationis sententiam sustinere, quam ad primam uxorem accedere, vel debet in alias regiones remotas fugere »; tenetur tamen injuriam priori illatam arbitrio prudentum compensare ; sed hic casus rarus est, quia Ecclesia ordinarie præsumit pro primo Matrimonio, nec secundum permittit. 4° Si grandia mala ex tali Matrimonio fundate timeantur : quo casu sufficit compensatio pecuniaria.

[1] Supp. q. 45. a. 4. o.

[1] Ib. ad 1. [2] Ibidem ad 3.

Petes 2° utrum pars decepta teneatur alteri simpliciter asserenti se non consensisse, credere et ab usu conjugii abstinere ?

Resp. negative : nec enim ipsa Ecclesia sic asserenti credit, sed potest existimare quod qui asserit se prius mentitum fuisse, nunc mentiatur : « Indignum est, inquit Innocentius III, cap. *Per tuas* de probationibus, ut quod sua voce quispiam dilucide est protestatus, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare. »

Si tamen evidentia proferret indicia se non consensisse, teneretur alter credere et posset ad alias nuptias convolare, accedente tamen judicis ecclesiastici sententia, si Matrimonium fuit publicum et passim habitum pro valido. Idem quidam dicunt, si juret se non consensisse, modo sit de quo præsumi possit quod non pejeret.

Dico 2° : Consensus internus[1] debet exterius exprimi per verba aut signa de præsenti.

Ita Florentinum in decreto Unionis : « Causa efficiens Matrimonium, inquit, regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus » ; ubi τo regulariter, ut jam observavi, non afficit consensum exterius expressum, sed verba, quia regulariter consensus exprimitur per verba ; potest tamen exprimi per alia signa verbis æquivalentia.

Ratio conclusionis est quia Matrimonium et est sacramentum, consequenter signum sensibile, et contractus humanus : contractus humanus postulat ex natura sua fieri aliquo signo humano et sensibili ; per eum enim homo agit cum homine ut homo est constans corpore et anima, nec aliter fiunt cæteri contractus. Plura vide dissert. 2, de Contract., a. 1.

Dices : Cap. *Tuæ fraternitati* de Sponsalibus, l. 4, tit. 1, Innocentius III dicit : « Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum, sed necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de præsenti » : ergo.

Resp. Innocentium loqui de verbis proprie dictis quæ dicit esse necessaria quoad Ecclesiam, quia talis est ejus praxis, et certius per ea illi constat de consensu interno. Patet ex verbis immediate sequentibus : « Nam, inquit, surdi et muti possunt contrahere Matrimonium per consensum mutuum sine verbis », non tamen sine signis æquivalentibus.

Inst. : Cap. *Cum loco* ibid., cap. *Sufficiat*, causa 27, q. 2 et alibi, dicitur per solum consensum perfici Matrimonium ; ergo.

Resp. τo *solum* non excludere verba vel signa consensum exprimentia, sed quædam accidentalia, ut cæremonias, consensum parentum, etc.

Repones : Deus qui videt animos, potest consensus internos approbare : ergo.

Resp. : Potest quidem, sed non sic approbat ut efficiunt Matrimonium, quod voluit et instituit fieri humano modo. Alia argumenta require loco citato de Contractibus.

Dixi 1° : Per verba vel signa, verbis utique æquivalentia,[1] quia modo per hæc exprimatur consensus, sufficiunt in Matrimonio sicut in aliis contractibus : unde Innocentius III mox citatus definit Matrimonium posse contrahi a surdis et mutis, et Florentinum dicit contrahi « regulariter » per verba, innuens posse aliquando contrahi aliter.

Si petas quæ signa sufficiant ?

Resp. et sit regula generalis : Quoties signum, vel ex natura sua, vel ex juris dispositione, vel ex regionis consuetudine est certa nota interni consensus conjugalis erga sponsum aut sponsam, sufficit ad Matrimonium.

Hinc in quibusdam sufficit annuli subarrhatio, in aliis porrectio manus, in aliis traductio solemnis sponsæ in domum sponsi, etc.[2] ; imo et consensus parentum præsente et tacente sponsa præ verecundia, nisi forte taceret quia non consentiret.

Observandum tamen præsentes debere per verba contrahere quando loqui possunt, quia sic certius innotescit et facilius potest probari consensus. Unde qui recusaret, juxta Sylvium et quosdam alios, peccaret mortaliter, quia sine causa recederet a notabili ritu quem Ecclesia semper observavit et videtur præcepisse observari cap. citato *Tuæ fraternitati*. Alii tamen reputant tantum peccatum veniale, quia non videtur res gravis momenti, nisi signa sint æquivoca.

Dixi 2°[3] : Per verba vel signa de præsenti ; quia qui promittit aliquid se facturum, nondum facit illud : qui autem consentit per verba de futuro, ut cum dicit : Accipiam te in meam, habebo te in uxorem, promittit tantum se cum illa contracturum Matrimonium : ergo. Confirm. Matrimonium consistit non in promissione tradendi corpora, sed in ipsa mutua traditione : ergo non potest exprimi per verba de futuro, dicendo : Accipiam te, quæ solum important pro-

[1] Ibid. a. 2, o.

[1] Ibid. ad 2. [2] Ibid. ad 3. [3] Ibid. a. 3, o.

missionem, sed per verba de præsenti, dicendo : Accipio te, quæ important actualem traditionem.

Observandum tamen quandoque verba grammaticaliter esse de futuro, quæ ex adjunctis habent sensum de præsenti, et e contra, v. g., hæc: Ex nunc habebo te in meam, « habebo » grammaticaliter est de futuro; propter tamen « ex nunc » adjunctum, est de præsenti. E contra : Accipio te pro paschate proximo : « Accipio » grammaticaliter est de præsenti, revera tamen de futuro propter adjunctum. Quando autem attentis omnibus dubium est an sint de præsenti vel de futuro, consulenda est intentio contrahentium.

Præter has conditiones requiritur insuper quod consensus sit in facie Ecclesiæ et immunis ab errore et metu. De primo agit Auctor hic, art. 3; de secundo, q. 51, art. 1. De utroque dicemus dum de Impedimentis. De tertio agit q. 47, a. 3, pro quo sit

ARTICULUS III.

UTRUM MATRIMONIUM EX METU INITUM SIT IRRITUM, ET QUO JURE?

Pro præmissis ad hunc articulum habeat et legat studiosus lector quæ dixi dissert. 1 de Contract., art. 4, cui titulus est : *Utrum metus irritet contractum?* His suppositis, nunc

Dico [1] : Matrimonium contractum ex gravi metu, a causa libera injuste et ad extorquendum consensum incusso, irritum est jure positivo, non naturali.

Prob. prima pars ex pluribus locis juris[2], cap. *Significavit* 2, De eo qui duxit, cap. *Cum locum* 14, c. *Veniens* 15, et c. *Consultationi* de Sponsalibus.

Neque dicas jura præsumere metu coactum non vere consensisse; contrarium enim aperte patet ex cap. citato *Significavit,* ubi Pontifex diserte significat eum qui consensit in unam, sed per vim et non sponte, validum cum altera Matrimonium contraxisse. Insuper, ut arguit Auctor[3], Ecclesia non præsumit peccatum de aliquo nisi probetur : præsumeret autem peccatum mendacii, si existimaret eum qui coactus est, non consensisse quando dicebat se consentire.

Prob. secunda pars : Si metus gravis injuste incussus ad extorquendum consensum jure naturæ irritaret Matrimonium, esset vel propter defectum consensus voluntarii, vel propter injuriam illatam patienti metum : atqui ex neutro capite id præstat : ergo. 1° Non propter defectum consensus voluntarii, quia quæ fiunt ex metu sunt simpliciter voluntaria. Et licet omnimoda spontaneitas convenientior foret Matrimonio ob perpetuitatem ejus, non tamen essentialiter requiritur, sed sufficit illud voluntarium quod satis est ad translationem dominii corporis, ut in aliis contractibus; alias sequeretur quod Matrimonium contractum ex metu gravi justo a causa libera vel naturali foret etiam invalidum, cum nec ista sit spontaneitas omnimoda, quod tamen nullus admittit. 2° Non propter injuriam illatam, quia supposito consensu sufficienti ad translationem dominii corporis, nulla injuria ullum contractum ex naturo rei irritat, sed dat tantum jus vel rescindendi, si rescindibilis sit, vel petendi satisfactionem; sufficit enim jure naturæ ad validum contractum consensus voluntarius contrahentium. Insuper sequeretur, quod metus injuste incussus ob alium finem quam ad consensum extorquendum etiam irritaret Matrimonium, cum tunc non minor irrogatur injuria: quod tamen communiter non admittitur.

Dixi 1° : Ex gravi metu; si enim sit levis metus non irritatur Matrimonium, quia jura requirunt metum cadentem in virum constantem; et l. *Nec timorem* ff. De eo quod metus causa sit, metus levis pro nihilo reputatur. Sed

Petes 1° quæ mala debent timeri ut censeatur gravis metus?

Resp. hæc isto versu contineri : [1]

Stupri sive status, verberis atque necis.

et similia ejusdem momenti, vel gravis infamia; sive ista immineant timenti, vel proximis ejus parentibus, patri, matri, uxori, fratribus, etc.

Petes 2° an si minora mala timeantur, sed timens sit pusillanimis et timidus, censeatur etiam metus gravis irritans Matrimonium?

Resp. sub distinctione : Vel, spectata hujusmodi conditionis personarum qualitate, in dole, etc., ejusmodi mala, ut gravia ab eis solent apprehendi vel non, sed solum ab hac particulari persona ob ejus specialem meticulosam indolem talia apprehenduntur. Si primum, metus censetur respective gravis irritans Matrimonium; secus, si secundum.

Ratio primi est, quia licet talis metus non sit absolute gravis, est tamen talis respective, nec

[1] Supp. q. 47, a. 3, o. [2] Ibid. in a. s. c. [3] Ibid. c.

[1] Ib. a. 2, ad 2.

minus voluntarium et libertatem minuit, respectu talium personarum, quam gravis absolute respectu constantium virorum. Adde quod, l. *Metus autem* 3, ff. ex quibus causis majores, dicitur, justum metum intelligi ex affectu ejus qui eum patitur; quod tamen sic intellige, ut ita evenire soleat in personis ejusdem conditionis : unde

Ratio secundi est, quia jura non respiciunt quid in particulari sit huic proprium, sed quid communiter soleat accidere; alias omnia essent plena litibus et incerta.

Petes 3° an metus reverentialis censeatur gravis?

Resp. : Vel consideratur pro solo pudore et verecundia quam habent proles respectu parentum, pupilli respectu tutorum, subditi respectu magistrorum, etc., si eorum voluntati non acquiescant; et tunc ille metus censetur levis, et insufficiens ad irritandum Matrimonium; vel consideratur, ut habet adjunctas graves minas, periculum diuturnæ offensionis cum asperitate vultus et verborum ejus cui reverentia debetur; et tunc, respectu præsertim puellarum, censetur gravis metus.

Dixi 2° : A causa libera; quia si a causa naturali, v. g., a tempestate, bello, peste, etc., sit incussus metus, non irritat Matrimonium, cum nulla tunc contrahenti irrogetur injuria, ad quam maxime attendunt jura. Hinc valet Matrimonium si quis concubinam ducat metu inferni vel mortis ex naufragio.

Dixi 3° : Injuste; quia si a causa libera quidem sive publica, sive privata, sed juste metus incutiatur, non irritat Matrimonium, quia tunc nulla fit injuria coacto, qui potius a suo delicto, adeoque a seipso cogitur quam ab alio. Unde solet Ecclesia etiam sub gravissimis pœnis cogere ad Matrimonium stupratores virginum, aut qui a sponsalibus injuste resiliunt.

Hinc si parentes minentur adducere coram judice inventum in stupro, et tali metu compulsus stupratam ducat, validum est Matrimonium. Si autem minarentur mortem per se inferre, aut aliud grave malum nisi ducat; compulsus hoc metu invalide contraheret, quia in hoc casu foret injuste incussus metus; habent enim parentes jus accusandi coram judice stupratorem, non autem per se mortem, aut vulnera inferendi. Si autem ex ira velint interficere stupratorem, ipse autem sua sponte offerat Matrimonium sperans se ita iratos animos posse placare, et mortem evadere, valide contrahit, quia metus non est incussus in ordine ad Matrimonium : unde

Dixi 4° : Et ad extorquendum consensum incusso; quia si incutiatur ad alium finem, per accidens se habet ad Matrimonium, ac proinde habendus est eodem loco ac si fuisset incussus a causa mere naturali. Hinc valet Matrimonium, si ad mortem damnatus et petitus ab aliqua in conjugium, cum ea contrahit, ut mortem evadat. Item si puella ne occidatur a sicario offerat ipsi nubere, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° contra primam partem : Si Matrimonium ex metu gravi, etc. initum, sit jure positive irritum, sequitur sic contrahentem necessario reum esse mendacii et sacrilegii : mendacii in quantum dicit : Accipio te in meam, quod non intendit; sacrilegii in quantum utitur forma sacramenti super materiam indebitam; sicut qui metu mortis proferret formam absolutionis in subjectum indispositum : atqui hoc videtur absurdum : ergo.

Resp. neg. utramque sequelam. Quantum ad primam, etsi verum sit quod si contrahens, sciens tale Matrimonium esse nullum, verba proferat formaliter, et intus non consentiat, peccet mentiendo, ad id tamen non necessitatur; potest enim consentire quantum fieri potest ex parte sua, vel proferre verba solum materialiter more psittacorum, quia in his circumstantiis non tenetur respondere juxta intentionem cogentis, et verba a circumstantibus sic intelligi possunt et debent, cum sciant talem in Matrimonium efficaciter consentire non posse: utrovis modo fiat, potest non esse mendacium.

Ex quo etiam patet ad secundam sequelam scilicet nullum esse sacrilegium ; proferens enim verba alterutro modo, ea non profert ut formam sacramenti, nec ponit illius materiam, sed se habet sicut qui missam exercendo, verba consecrationis super hostiam chartaceam proferret.

Ad exemplum de proferente verba absolutionis super indispositum, disparitas est, quod ille ex persona Dei falsum judicium exterius proferat et consentiat ei qui directe petit aliquid impium et sacrilegum : unde externum sacrilegium committit. Matrimonium autem directe tantum petitur, ut est contractus, non qua sacramentum. Quare contrahentes non sustinent immediate personam Christi sua merita dispensantis, sed personam privatam ineuntis contractum, cui per accidens adjuncta est a Christo ratio sacramenti ; atque ita

metu contrahens, cum manifestum sit talem contractum esse nullum, non fingit sacrilege se dispensare merita Christi, aut sacramentum ponere, sed tantum inire contractum, qui cum nullus sit, nullum est etiam sacramentum, adeoque nullum sacrilegium.

Repones : Talis contrahens utitur quibusdam ritibus sacris contra eorum reverentiam.

Resp. quod hæc reverentia in tanto periculo non obliget.

Inferes : Ergo metu coactus licite poterit contrahere cum quovis alio impedimento.

Resp. quod si impedimentum sit juris ecclesiastici, poterit eadem ratione ; si vero impedimentum sit juris divini aut naturalis, quidam tenent non licere, quia sic contrahere esset intrinsece malum, quippe contra jus naturæ tale Matrimonium prohibens. Alii vero dicunt licere : ratio est, quia ex una parte non fit Matrimonium, neque ponitur id cui annexa est ratio sacramenti, adeoque abest sacrilegium. Ex altera autem parte consensus ille inefficax in Matrimonium ex gravi metu a peccato excusatur.

Nec refert quod videantur attentare id quod est contra jus naturæ ; attentant enim duntaxat inefficaciter sine animo, imo cum certitudine non faciendi : suppono enim quod non intendant consummare, alias peccarent.

Obj. 2° contra secundam partem : Vinculum Matrimonii est perpetuum et indissolubile, atqui metus repugnat perpetuitati ; coacta enim non durant, ut dicitur communiter : ergo jure naturæ est irritum Matrimonium ex metu contractum ; et ita arguit S. Thomas, hic o.

Resp. dist. min. Metus repugnat connaturaliter perpetuitati, conc.; essentialiter, neg. Potest enim esse vinculum perpetuum etsi coactum, ut in servitute, et ut non excurramus extra præsentem materiam, Matrimonium initum ex metu a causa naturali vel libera, sed juste incusso, aut etiam injuste, sed sine ordine ad Matrimonium, inducit vinculum perpetuum, et tamen non est minus coactum, quam illud quod est in quæstione. Non diffitemur tamen Matrimonium ob perpetuitatem exigere connaturaliter esse liberum a metu, et hac ratione mota est Ecclesia, ut aliter contractum irritaret. Nec aliud intendit S. Thomas adferens duntaxat rationes congruentes quæ moverunt Ecclesiam, ut hujusmodi matrimonia declararet invalida.

Inst. : Matrimonium est vinculum amoris : atqui metus injustus impedit amorem : ergo.

Resp. Matrimonium dici vinculum amoris, quia, ut jam observavi, amor ordinarie in illud inducit, et ab illo fovetur : non vero quod amor sit illi essentialis ut patet in iis qui ex metu naturali, aut solo amore divitiarum vel honorum Matrimonium ineunt : item in eo qui ex metu juste incusso ducit puellam sibi exosam, quam defloravit. Item in iis qui divortio sunt sejuncti.

Obj. 3° : Donatio facta latroni jure naturæ est invalida : ergo similiter Matrimonium ex metu contractum.

Resp. dist. ant. Donatio facta latroni, præcise ut cesset ab injusta vexatione, est invalida, conc.; ob alium finem, neg. Ideo in primo casu ista donatio est invalida, non ob defectum voluntarii, sed quia cessatio ab injusta vexatione non est materia de qua possit contrahi ; cum enim sit ex justitia debita vexationem patienti, non est vendibilis magis quam equus furto sublatus sit vendibilis suo domino. At in Matrimonio ultra cessationem a vexatione, datur corpus, quod est materia contractus. Vide loco citato de Contractibus, conclus. 1.

Obj. 4° : Si tale Matrimonium jure naturæ sit validum, non potest irritari a jure positivo: ergo. Patet ant., quia jus positivum nihil potest in jus naturæ.

Resp. dist. ant. Non potest irritari factum, conc.; faciendum, neg., quia jus positivum potest apponere certas conditiones sine quibus non subsistit Matrimonium, ut patet de præsentia parochi ; nec in hoc jus positivum dominatur juri naturæ, quia jus naturæ hic se habet tantum permissive sicut circa divisionem bonorum et similia.

Inferes : Ergo tale Matrimonium erit validum inter infideles?

Resp. affirmative si nulla lex civilis sit apud eos quæ illud irritet.

Petes 1° utrum Matrimonium ex metu gravi initum et jure positivo nullum, firmetur juramento, aut saltem juramentum obliget?

Resp. negative ; quia contractus qui a jure positivo irritantur propter bonum publicum, ut contingit in præsenti casu, juramento non firmantur, ut docuimus, dissert. 1, de Contract., art. 6. Neque juramentum superveniens secundum se obligat, quia quod est contra bonum publicum est contra bonos mores et illicitum ; juramentum autem non obligat ad illicitum. Vide loco citato.

Si tamen qui contraxit ex metu, postea

sponte et libere juret se validaturum hujusmodi Matrimonium, ad id virtute religionis tenetur, quia hoc Matrimonium validari non est illicitum.

Utrum autem hoc matrimonium validetur per copulam, aut per consensum clandestinum sequentem liberum et spontaneum, dicemus infra.

Petes 2° utrum si coactus ad contrahendum Matrimonium similiter cogatur ad consummandum, possit licite?

Resp. negative, quia Matrimonium est absolute nullum.

Petes 3° quæ sint pœnæ cogentium ad Matrimonium?

Resp. ex concilio Tridentino, sess. 24, cap. 9, de Reformat. Matrim. : « Dominos temporales et magistratus, qui quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogunt quominus libere Matrimonium contrahant », ipso facto incurrere excommunicationem. De aliis cogentibus qui non sunt domini temporales aut magistratus, silet concilium.

Petes 4° utrum proles natæ ex Matrimonio defectu consensus, aut ratione alicujus impedimenti nullo, sint legitimæ?

Resp. : Si Matrimonium fuit contractum in facie Ecclesiæ et cum bona fide saltem ex parte unius conjugum, proles in tali Matrimonio natas, imo et conceptas ante ejus dissolutionem esse legitimas. Ita declaratur in jure, cap. *Cum inter* et cap. *Ex tenore* Extra l. 4, tit. 17. Et ita docent jurisconsulti, tam canonici quam civiles.

ARTICULUS IV.

DE MATRIMONIO CONDITIONATO.

Quæ spectant Matrimonium conditionatum prævenimus, dissert. 1, de Contractibus, art. 7, § 1, et dissert. præcedenti, a. 2, de Sponsalibus conditionatis; eadem enim est ratio de Matrimonio conditionato ac de sponsalibus conditionatis; cum utrinque sit contractus humanus : unde ne eadem tædiose repetamus præsertim in materia infrequenti, breviter

Dico 1° : Matrimonium initum sub conditione sive de præterito, sive de præsenti, sive de futuro non necessario, sive possibili sive impossibili, sive honesta, sive turpi, modo bonis et substantiæ Matrimonii non sit contraria, posita conditione subsistit Matrimonium, non posita, non subsistit, saltem in foro interno. Quia vinculum Matrimonii dependet a contrahentium voluntate : ergo si illud non velint non posita conditione, et velint ea posita, habetur. Explicationem hujus conclusionis require locis citatis.

Dico 2° : Probabilius est Matrimonium sub conditione de futuro contingenti contractum, conditione posita statim convalescere absque novo consensu, modo prior non fuerit revocatus.

Prob. 1° : Quia prima voluntas virtualiter durans se habet ac si de novo poneretur, censetur autem virtualiter durare quamdiu non revocatur. 2° Quia alii contractus sic convalescunt et de Matrimonio sic declarasse S. Pium V et Clementem VIII refert Fagnanus in cap. *Super eo* de conditionibus appositis.

Dices 1° : S. Th., hic o, dicit; « quod idem sit judicandum de tali consensu, sicut de consensu qui fit per verba de futuro : unde non facit Matrimonium » : ergo.

Resp. cum Sylvio S. Thomam loqui respective ad tempus quo initur iste contractus conditionatus, non respective ad tempus quo adimpletur conditio. Et sic verum est quod dum initur iste contractus, sit judicandum de illo quod non sit Matrimonium sicut nec ille qui fit per verba de futuro; quia non est absolutus, sed pendens in futurum. Nihilominus plus valet quam contractus sponsalitius ; est enim medius inter sponsalia et Matrimonium absolutum, magisque accedit ad hoc quam ad illa, quia consensus exprimitur per verba de præsenti, licet suspendatur in futurum.

Dices 2° : Matrimonium est sacramentum : ergo aliquid ejus sensibile debet existere physice, dum perficitur : atqui dum conditio ponitur, nihil tale existit : ergo.

Resp. neg. subsumptum ; existit enim tunc physice ipsa conditio per quam ex pacto contrahentium sensibilis efficitur eorum consensus virtualiter perseverans ; in illam enim conditionem dirigitur et ad illam usque extenditur.

Intelligendam arbitror hanc sententiam, modo parochus et testes, in locis ubi Tridentinum est receptum, adsint præsentes et dum consensus ponitur et dum adimpletur conditio, aut de ea certiorentur; quia si adsint tantum dum ponitur consensus, vere non assistunt Matrimonio, cum enim tunc non sit præsens, sed futura tantum corporum traditio, consequenter non est præsens matrimonium, aut saltem de illo non erunt certi, si non sufficienter ipsis significetur adimpletio conditio-

nis : si vero adsint tantum adimpletioni conditionis, non fuerunt præsentes consensui, qui proinde debet coram eis renovari.

Plures aliæ difficultates possunt circa præsentem materiam proponi ; sed quia ut plurimum sunt solutæ locis citatis de Contract., et dissert. præced. de Sponsalibus conditionatis, et aliunde rarissime permittantur et fiant matrimonia conditionata, eas ut inutiles aut jam præoccupatas omittimus.

ARTICULUS V.

DE OBJECTO CONSENSUS MATRIMONIALIS.

Suppono censensum contrahentium debere necessario ferri in ipsam mutuam corporum traditionem, seu in vinculum inde resultans; quia, ut alibi dixi, in eo sita est essentia Matrimonii : unde difficultas est, an etiam debeat necessario ferri in copulam carnalem ? Quidam absolute negant ; quidam absolute affirmant; alii, media via incedentes cum Auctore, dicunt consensum implicitum in copulam requiri, non explicitum, cum quibus.

Dico : Consensus explicitus[1] in copulam non est necessarius ad matrimonium, sed implicitus.

Probat. utraque pars simul[2] : Consensus qui facit Matrimonium sic est in copulam sicut copula se habet ad Matrimonium ; quia consensus qui facit Matrimonium, est consensus in Matrimonium, hoc est in essentialia Matrimonii; effectus enim proprius voluntatis est ipsum volitum : atqui copula carnalis non continetur explicite et essentialiter in Matrimonio sed implicite tantum, sicut actus in potentia et effectus in causa: ergo. Prob. min. Matrimonium, ut diximus diss. 1, a. 2, non est essentialiter ipsa copula carnalis, sed jus seu potestas ad illam : ergo.

Prob. prima pars seorsim : Jus seu potestas est distincta et separabilis ab usu, sive, ut alii dicunt, dominium directum est distinctum et separabile a dominio utili; sæpe enim lege fit ut habens dominium directum et proprietatem, non habeat dominium utile seu usum, ut patet in feudo et emphiteusi : item in pupillis quorum dominium in propria bona est ligatum et impeditum quoad usum : ergo possunt conjuges sibi tradere jus seu dominium directum in mutua corpora, non tradendo nec intendendo explicite tradere usum. Subsumo : Atqui in tali jure seu dominio directo consistit essentialiter Matrimonium ; ergo.

Confirm. : Qui, cum animo expresso ingrediendi religionem ante consummationem Matrimonii, contrahit Matrimonium, valide contrahit, ut patet ex cap. *Commissum* de Sponsal.: atqui talis non potest explicite intendere copulam : ergo. Imo inter baptizatos omne Matrimonium sub tali conditione et pacto contrahitur ut neuter teneatur reddere debitum, si velit ante consummationem religionem ingredi. Tandem inter B. Virginem et S. Joseph, fuit verum Matrimonium, ut docet S. Th. 3 p. q. 29, a. 2, et dicam infra : atqui tamen B. Virgo nunquam consensit explicite in copulam, utpote virgo mente et corpore.

Prob. secunda pars : Qui consentit in id quod essentialiter ordinatur ad copulam carnalem, consentit implicite in illam : atqui qui consentit in Matrimonium , consentit in id quod essentialiter ordinatur ad copulam : ergo. Prob. min. Qui consentit in Matrimonium formaliter et explicite, consentit in jus et potestatem ad copulam et in causam illius : atqui jus essentialiter ordinatur ad usum, potentia ad actum, causa ad effectum : ergo.

Unde quod quidam dicunt requiri tantum consensum implicitum in copulam ex parte contractus, non ex parte contrahentis, non videtur admittendum; est enim implicantia, quod quis intendat jus et contractum essentialiter ordinatum ad copulam, et eam ipse implicite non intendat. Quamvis enim alio actu tale jus possit suspendere et ligare, vi tamen actus quo jus intendit, implicite, licet inefficaciter, usum intendit.

Hinc colliges consensum implicitum in carnalem copulam non ita esse accipiendum, quasi esset propositum quoddam virtuale copulæ carnalis ; sed quia est consensus in eam potestatem in qua talis copula continetur implicite, ut actus in potentia, et effectus in causa.

Solvuntur objectiones.

Objicies 1° contra primam partem : Copula carnalis pertinet ad essentiam Matrimonii : ergo debet esse consensus explicitus in illam sicut in Matrimonium. Prob. ant. multipliciter: 1° S. Aug., l. 19, *contra Faustum*, c. 26 : « Matrimonium, inquit, ex hoc appellatum est quod non ob aliud fœmina debeat nubere nisi ut mater fiat. » 2° Idem, l. *de Bono viduitatis* c. 9, dicit ex Apostolo, 1 Timoth 5, quod, vo-

[1] Supp. q, 28, a. 1, o. [2] Ib. in a. s. c.

ventibus virginitatem, non solum nubere, sed et velle nubere damnabile est: id autem non esset damnabile nisi ratione copulæ quæ sola opponitur virginitati. 3° Idem S. Doctor apud Grat.., cap. institutum causa 27, cap. 39: « Non dubium est illam mulierem non pertinere ad Matrimonium cum qua docetur non fuisse commixtio sexus. » 4° In commixtione corporum consistit ratio sacramenti, ut constat ex cap. *Societas,* ibid. desumpto ex S. Leone epist. 92, ubi legitur: « Cum societas nuptiarum ita a principio sit instituta, ut præter commixtionem sexuum non habeant in se nuptiæ conjunctionis Christi et Ecclesiæ sacramentum, non dubium est illam mulierem non pertinere ad Matrimonium cum qua docetur non fuisse nuptiale ministerium. » 5° Denique referuntur multi patres qui docent Matrimonium perfici carnali commixtione: ergo.

Resp. neg. ant. ut patet ex probationibus conclusionis et ex a. 2 dissert. 1 hujus Tractatus. Ad primam probationem, S. Augustinus loquitur de illis quæ nubunt propter carnales amplexus et docet quod non debeant illos appetere propter concupiscentiam, sed propter prolem generandam, seu ut matres fiant, quod probat ex ipso vocabulo Matrimonii.

Ad secundam, Apostolus et S. Aug. loquuntur de virginibus quæ volunt nubere cum intentione aut periculo consummandi Matrimonium, ut fit ordinarie, et sic intelligenda est responsio D. Thomæ hic ad primum conformiter ad ea quæ dicit in 4 d. 30, q.2, a. 1, q. 2, ad 3; alioquin votum virginitatis non repugnat Matrimonio: hæc enim duo simul constituunt, vovere Deo perpetuam continentiam, et tradere homini potestatem corporis, qua certo scis nunquam usurum.

Ad tertiam, hæc verba non sunt S. Augustini, sed Gratiani, ut notatur in emendatione decreti.

Ad quartam, item verba S. Leonis non referuntur fideliter: sic habet S. Leo: « Unde cum societas nuptiarum ita ab initio instituta sit, ut præter sexuum conjunctionem, haberet in se Christi et Ecclesiæ sacramentum: dubium non est eam mulierem non pertinere ad Matrimonium in qua non docetur nuptiale fuisse mysterium. » Quibus verbis docet S. Leo concubinam non esse uxorem; quia, quamvis non desit commixtio sexuum, non est tamen cum ea initum mysterium seu fœdus nuptiale significans conjunctionem Christi et Ecclesiæ.

Ad quintam, Patres intelligunt Matrimonium perfici per copulam, perfectione non essentiali, sed accidentali sicut potentia perficitur per suum actum.

Obj. 2°: Si mulier dicat viro: Consentio in te, dum tamen non cognoscas me, est invalidum Matrimonium: atqui si non requireretur consensus explicitus in carnalem copulam, foret validum: ergo. Prob maj. Quia talis conditio est contra substantiam Matrimonii: ergo.

Resp. dist. maj. Si conditio illa apponatur ut impeditiva juris concedendi, conc. maj.; si ut impeditiva usus tantum, neg. maj. Ad hunc sensum, dist. ejus probationem. Talis ergo conditio: Modo non cognoscas me, et similes ex intentione contrahentis potest apponi, vel quia non vult ipsi concedere jus in proprium corpus, vel quia licet jus tale concedat, vult tamen ipsum ligari et usum denegat. Si primo modo, repugnat substantiæ matrimonii, et quia iste sensus est hujus conditionis et locutionis connaturalior, ideo D. Th. hic ad 3 et Gregorius IX, cap. *Si conditiones*, de Conditionibus appositis, dicunt quod repugnet substantiæ matrimonii; si secundo modo, non repugnat substantiæ matrimonii; quia 1°, ut diximus, matrimonium essentialiter consistit in jure ad usum et non in ipso usu; 2° quia illam apponere possunt, si velint ingredi religionem et sic quidem semper de jure censetur apposita; 3° quia pactum de servanda castitate consistere potest cum matrimonio jam contracto, adeoque et contrahendo; quod enim est contrarium essentiæ alicujus rei, nunquam cum ea sive in fieri, sive in facto esse consistere potest; vel enim illam elidit, vel ab illa eliditur. Neque obstat quod impedimentum superveniens matrimonio stat cum illo jam contracto, non tamen cum contrahendo: disparitas est enim quod impedimentum dirimens se teneat ex parte causæ, reddens scilicet personam inhabilem ad contrahendum: defectus autem qui est in causa efficiente habet bene quidem vim impediendi effectum secuturum, non destruendi jam factum; quia effectus a causa pendet in fieri non in facto esse; sed conditio sive obligatio, quæ essentiæ ipsius contractus repugnat, ei sive in facto esse, sive in fieri repugnat, cum sit eadem essentia in fieri et in facto esse.

Inst.: Talis conditio apposita obest bono prolis: ergo est contra substantiam Matrimonii.

Resp.: Obest bono prolis positive, neg.; ne-

gative, id est, nihil confert ad bonum prolis, conc. Sed ad hoc nihil tenentur conferre nubentes, cum possint variis de causis abstinere ab usu conjugii; et si possint post Matrimonium ex mutuo consensu continentiam servare, quidni possint nubendo illam Deo promittere, salvo Matrimonio et nihil agendo contra substantiam ejus.

Insistes : Totum dominium reale quod per Matrimonium acquiritur in corpora, nihil est aliud quam ipsum jus utendi corpore conjugis ad usum generationis : atqui jus utendi non stat cum conditione seu obligatione non utendi, alias esset jus et non jus : ergo.

Resp. : Data maj. dist. min. Jus utendi proximum et expeditum non stat, etc., conc. min.; jus utendi remotum et ligatum, etc., neg. min. Illud autem sufficit ad Matrimonium contrahendum siquidem sufficiat contracto. Sic in pupillis stat jus remotum et ligatum disponendi de rebus suis (quod dicitur dominium directum et proprietatis) cum obligatione tamen non disponendi.

Replicabis : Talis conditio aut etiam intentio nunquam exercendi copulam non stat cum consensu etiam implicito in copulam; quia sunt intentiones contrariæ : atqui tamen, ex secunda parte, requiritur etiam ex parte contrahentis consensus implicitus in copulam : ergo.

Resp. dist. maj. Talis conditio, etc., non stat cum consensu implicito efficaci in copulam, conc. maj.; cum consensu implicito inefficaci, neg. Nihil enim obstat aliquem velle aliquid inefficaciter, dum vult contrarium efficaciter, maxime dum illud quod inefficaciter intenditur, non in se sed in alio, a quo separari potest, intenditur, ut fit in præsenti casu : in tantum enim contrahens dicitur intendere copulam, in quantum intendit jus ad illam ; quod tamen cum velit ligari, copulam inefficaciter intendit.

Repones : Tale jus nullum habebit usum eritque omnino inutile : ergo nullum.

Resp. 1° neg. conseq.; quia cum dominium distinguatur ab usu, nihil repugnat aliquem habere dominium inutile, ut patet in pupillis.

Resp. 2° neg. ant.; quia tale jus et dominium efficit, 1° ut conjuges nequeant aliud Matrimonium contrahere; 2° quod accessus ad aliam sit adulterium; 3° quod si se mutuo cognoscant non sit fornicatio, imo si non voverint castitatem nullo modo peccent; 4° efficit bonorum communionem et vinculum charitatis qua se mutuo juvant et solantur in administratione familiæ et casibus adversis; 5° individuam vitæ societatem.

Urgebis tandem : Qui transfert dominium equi ad certum usum, censetur et ipsum usum concedere : ergo qui concedit jus corporis ad usum copulæ, censetur et copulam concedere.

Resp. dist. conseq. Ergo censetur, etc. ordinarie, conc. ; si pactum de contrario interveniat, neg. Cur autem in primo casu ita semper transferatur usus cum dominio, ideo est quia alias equi concessio foret inutilis et nugatoria, imo nociva, non sic in nostro casu, ut patet ex solutione præcedenti : argumentum contra secundam partem præoccupavimus in probationibus. De matrimonio inter B. Virginem et S. Joseph dicemus infra in Digressione historica.

ARTICULUS VI.

UTRUM AD MATRIMONIUM REQUIRATUR NECESSARIO CONSENSUS PARENTUM ?

Lutherani et calvinistæ contendunt Matrimonium sine consensu parentum esse irritum jure naturali et divino positivo. Inter catholicos quidam volunt esse irritum jure humano.

Suppono Ecclesiam potuisse illud irritare, quia cum sit contractus, potuit reddere filios inhabiles ad contrahendum sine consensu parentum, sicut reddidit omnes inhabiles ad contrahendum sine præsentia parochi et duorum testium.

Dico 1° : Matrimonium sine consensu parentum contractum non est irritum jure naturali nec divino positivo.

Prob. prima pars : 1° Non parentum, sed contrahentium consensus est causa efficiens Matrimonii. 2° Filius sufficientis ætatis et rationis habet plenum dominium in proprium corpus in ordine ad statum totius vitæ eligendum, ut iterum dicam Conclusione subsequenti. 3° Ex natura rei convenit ut homo sit plene liber et soli Deo subditus in disponendis iis quæ ad totius vitæ statum pertinent, ut sunt Matrimonium, continentia perpetua, professio monastica : unde canones maxime cavent ne lædatur ista libertas, ut vidimus in præcedentibus : hæc autem libertas valde minueretur si filiifamilias penderent a consensu parentum ad contrahendum valide Matrimonium. 4° Si jure naturali matrimonia filiorum sine consensu parentum essent irrita, neque filii emancipati, neque viduæ possent valide

contrahere sine consensu parentum, quod non admittitur : ergo.

Prob. secunda pars : S. Scriptura nullibi irritat Matrimonium filiorum sine consensu parentum contracta, ut patebit ex sol. obj. E contra exhibet plura matrimonia valida sine consensu parentum inita, ut matrimonium Jacob cum Lia et cum anciliis, Genes. 29 et 30; matrimonium Tobiæ junioris, Tob. 7; matrimonium Esau cum tribus mulieribus, invitis Isaac et Rebecca, Genes. 26; et Apost., 1 Cor. 7, de vidua dicit : *Cui vult nubat tantum in Domino :* ergo.

Dico 2° : matrimonium filiorumfamilias, sine consensu parentum contractum, non est jure humano invalidum [1].

Prob. cap. *Sufficiat* causa 27, q. 2, dicitur : « Sufficiat secundum leges solus eorum consensus de quorum conjunctionibus agitur ». Cap. *Eum virum* Extra de Regularibus, l. 3, tit. 31, de Puella nubili dicitur « cuia liberum habet arbitrium in electione propositi sui, sequi parentum non cogitur voluntatem. » Sed maxime Trid., sess. 14, cap. 1, de Reform. Matrim. : « Anathemate damnat eos qui falso affirmant Matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse et parentes ea rata vel irrita facere posse. »

Respondent quidam Tridentinum his verbis voluisse duntaxat damnare lutheranos et calvinistas, qui dicunt hujusmodi matrimonia jure naturali et divino esse irrita; non autem statuisse disciplinam universalem contrariam legibus plurium regnorum.

Sed contra : 1° Concilium statuit parentes non posse irritare hujusmodi matrimonia, si autem intendisset tantum damnare hæreticos intactis legibus civilibus contrariis, possent adhuc modo parentes vi illarum hæc matrimonia irritare. 2° Concilium non distinguit inter jus naturale aut divinum et jus humanum, sed pronuntiat indefinite proindeque universaliter hæc Matrimonia non esse irrita, nec irritari posse a parentibus : figmentum est ergo istud decretum restringi ad jus divinum aut naturale, præsertim cum quæstio maxime controverteretur in concilio, an expediret hæc matrimonia lege ecclesiastica irritari?

Rationes quibus mota est S. synodus ut matrimonia filiorum sine consensu contracta declararet valida, sunt 1° quia interdum filii sunt parentibus prudentiores, præsertim dum sunt jam ætate provecti, et parentes præ senio minus sapientes; 2° quia quandoque parentes sunt perversæ et suspectæ religionis; 3° quia sæpe contingit parentes esse sordide avaros, qui, ne dotem solvere in filiorum vel filiarum nuptiis cogantur, aut eorum laboribus priventur, recusant aut procrastinant consensum cum magno animarum detrimento, aut uxores magis dotatas quam morigeratas quærunt; 4° quia quandoque ex zelo præpostero vel etiam ex deteriori causa filios aut filias in monasterium detrudere volunt; 5° quia plerumque non attendunt ad filiorum seu filiarum inclinationem eisi rationabilem, quæ tamen maxime est necessaria Matrimonio, sed solum ad majus commodum et decus familiæ : ex matrimonio autem absque inclinatione et amore mutuo contracto quid expectare licet, nisi continuas discordias, odia, jurgia, adulteria, divortia et alios infaustissimos eventus, ut infelici et quotidiana experientia comprobatur? 6° Multi sunt filii et filiæ extra patriam potestatem, ut emancipati, illegitimi, vidui, viduæ, longe distantes, quos omnes iniquum foret ea lege adstringi, ut sine consensu parentum, non possent valide Matrimonium inire.

Dico 3° : Pater non potest per se præcepto cogere filium aut filiam ad Matrimonium [1], sed potest eum inducere ex rationabili causa; et tunc sicut se habet filius ad causam, sic se habet ad præceptum patris, ut scilicet si causa illa cogat de necessitate vel de honestate, et præceptum patris similiter, alias non.

Prob. prima pars [2] : 1° In Matrimonio est quasi quædam servitus perpetua, in quam ordinarie inducit amor et ad quam connaturaliter requiritur : atqui pater non potest præcepto cogere filium ad hanc perpetuam servitutem, cum sit natus liberæ conditionis, et coactio impediat amorem, seu saltem non inducat : ergo.

Neque dicas secundum jura antiqua patrem posse vendere filium in servum. Disparitas est quod servitus civilis non sit perpetua, potest enim redimi pecunia, neque connaturaliter exigit amorem, sicut Matrimonium.

Prob. 2° : Superioris [3] est aliquem compellere præcepto : atqui pater non est filio superior dum agitur de Matrimonio eligendo : ergo. Prob. min. verbis et ratione Auctoris : In his quæ ad naturam hominis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo,

[1] In Gallia, vi art. 148 codicis civilis, minores non possunt coram lege civili contrahere matrimonium. Quod quidem si attentarent, tale matrimonium ut nullum haberetur, quoad effectus civiles. Sed, coram Ecclesia, tale matrimonium, licet illicitum, esset validum. Et in hoc ex civillis contradicit legi ecclesiasticæ, imo et divinæ.

[1] Supp. q. 47, a. 5, o. [2] Ibid. [3] 2 2 q. 104, a. 5, o.

quia omnes homines sunt natura pares, non hoc sensu quod attenta sola natura, nulla foret hominum inæqualitas, sed quod quantum ad ea quæ spectant naturam, hoc est, corporis sustentationem et prolis generationem, omnes homines sint pares et nullus alteri obedire teneatur per se loquendo, sicque ubi agitur de Matrimonio contrahendo et de sustentatione corporis per cibum et potum, neque servi dominis, neque filii parentibus per se obedire tenentur.

Secunda pars patet, quia filii, propter pietatem et reverentiam debitam parentibus, tenentur eorum voluntati acquiescere pro ratione et justitia eorum voluntatis, etiam in his rebus, in quibus illis non subduntur, alioquin gravem, pro gravitate materiæ, illis irrogaturi injuriam.

Juxta hanc rationem, ista obligatio,ut patet, non est obedientiæ, sed pietatis et reverentiæ. Potest etiam esse obedientiæ per accidens ; si enim filius aliunde teneatur ad Matrimonium, puta quia virginem defloravit sub spe Matrimonii, aut Matrimonium est necessarium ad sedandas graves et inveteratas inimicitias, vel ad sustentandam inopiam patris, potest pater præcipere filio, ut faciat id ad quod aliunde tenetur, et consequenter ut incat Matrimonium circa quod libertatem amisit, cui præcepto tenetur filius per accidens obedire, et ideo dixi in conclusione : Per se.

Dico 4° : Quamvis matrimonia inconsultis, aut etiam invitis parentibus sint rata et valida; quamvis parentes per se non possint filios aut filias præcepto cogere ad Matrimonium, plerumque tamen hæc matrimonia sunt graviter illicita.

Prob. 1° : Quia jure tam civili quam canonico severe prohibentur, ut patebit ex sol. obj. 2° Quia, ut modo dicebam, honor debitus parentibus exigit ne liberi quid magnum et perpetuum, quale est Matrimonium, suscipiant absque consilio et consensu parentum . 3° Quia interest parentum quem generum, aut quam nurum sint habituri, cui dotem numerent, et parentis officia tanquam filio et filiæ impendant. 4° Quia parentes, experientia et ætate plerumque filiis prudentiores, possunt illis recte consulere, idque volunt, quia eos impense diligunt. 5° Quia filii etiam conjugati in multis adhuc indigent consilio et auxilio parentum.

Dixi : Plerumque, quia in certis casibus licitum est filiis contrahere Matrimonium inconsultis aut etiam invitis parentibus, ut si filius longe distet a parentibus, et urgeat honestum ac utile Matrimonium, vel si parentes sint, aut prudenter judicentur irrationabiliter inviti, puta, sicut modo dicebam, si contradicant ex odio, ex morositate, ex avaritia, quia nolunt solvere dotem, aut privari laboribus filiorum, vel quia ex pietate præpostera volunt inducere in religionem.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° contra primam conclusionem : S. Scriptura passim filiorum conjugia constituit in potestate parentum, Exod. 22 et 35, Deuter. 7, Eccli. 7, 1 Cor. 7: ergo.

Resp. ex S. Scripturis nihil aliud evinci quam quod ad parentes pertineat cura providendi filiis matrimonia convenientia, et quod honestas et reverentia debita parentibus exigant, quod filii et maxime filiæ, quæ sunt verecundiores, acquiescant in hoc consiliis parentum.

Inst.: Si filia aliquid voverit, pater potest illius votum irritare, Num. 30: ergo pariter Matrimonium.

Resp.legem hanc secundum aliquos spectare puellam impuberem, secundum alios spectare vota de rebus domesticis, non de his quæ pertinent ad statum vitæ.

Obj. 2° contra secundam conclusionem: Evaristus papa, epist. ad episcopos Africanos quæ refertur causa 30, q. 5, cap. 1, dicit non esse legitimum Matrimonium sine consensu parentum, et aliter contracta vocat adulteria, stupra, et fornicationes : ergo.

Resp. Evaristum ibidem præter consensum plura alia requirere ad legitimum Matrimonium, ut quod puella dotetur, quod a paranymphis custodita et sociata offeratur, quod Matrimonium benedicatur a sacerdote cum precibus et oblationibus, et quod conjungendi biduo vel triduo orationi vacent et castitatem servent, atque aliter contracta matrimonia dicit pariter esse illegitima et vocat adulteria, fornicationes, etc. Quis tamen dicat matrimonia absque his omnibus circumstantiis inita esse illegitima, fornicationes et adulteria ? Palam est ergo Evaristum vocare hæc matrimonia illegitima, non quia sunt invalida, sed quia non contrahuntur secundum leges : vocat autem adulteria, fornicationes, etc., secundum quamdam exaggerationem, quia sunt illicita et prohibita , manifestum est enim non esse adulteria ; habent tamen speciem fornicationis et adulterii, quia furtive fiunt, et meretricio

magis quam maritali affectu suscipiuntur : unde Pontifex paulo post vocat ea mala et illicita, non præcipit tamen ea dissolvi, sed puniri.

Inst.: S. Basilius, epist. ad Amphilochium, cap. 42, matrimonia contracta invitis parentibus vocat sicut Evaristus fornicationes. Cap. 40. idem affirmat de conjugiis servorum sine consensu domini. Et can. 42, hanc rationem profert : « Quia eorum qui sunt in alterius potestate, pacta conventa firmi nihil habent. » In eamdem rem laudantur Tertullianus, l. 2, *ad Uxorem*, c. 9 ; S. Ambros., l. 1, *de Abraham*, c. ultimo ; S. Leo, ep. 92, c. 2 ; concil. Aurel., anno 541, Paris. 557, Turon. 757 et alia.

Resp. hæc SS. Patrum dicta et statuta intelligenda esse de matrimoniis illicitis, non invalidis, aut de invalidis, non in foro conscientiæ, sed in foro Ecclesiæ, quæ de occultis non judicat. Nisi dicas cum quibusdam hæc matrimonia, juxta veterem quarumdam ecclesiarum disciplinam habita, fuisse olim invalida, sed hanc veterem disciplinam, et antiqua jura particularia esse emendata per posteriora, præsertim per Tridentinum. Quod non nocet nostræ conclusioni, nec favet Hæreticis qui dicunt hæc matrimonia esse irrita jure naturali et divino.

Obj. 3° : leges et edicta plurium regum Galliæ quibus matrimonia filiorumfamilias sine consensu parentum declarantur invalida (*non valablement contractés*) ; ita fert edictum Henrici III in comitiis Blesensibus, anno 1579, annis sexdecim post concilium Tridentinum : hoc autem edictum fuit confirmatum edicto Henrici IV, 1606, et Ludovici XIII, 1629 et 1639: « Volumus, inquit in priori edicto, omnia matrimonia contra dicti statuti (Blesensis) tenorem contracta, declarari invalide contracta : obligabunturque judices ecclesiastici causas matrimoniales convenienter huic articulo dijudicare » : ergo.

Resp. his edictis matrimonia sine consensu parentum contracta declarari invalida quoad civiles effectus tantum, nempe quoad dotem uxoris, jus ad hæreditatem, prolium legitimationem et similia, non vero quoad contractum humanum et spiritualem sacramenti. Ita respondit Ludovicus XIII libello supplici cleri Gallicani in comitiis generalibus Parisiis congregatis, anno 1629. Tenor libelli supplicis sic est : « Rex humillime supplicatur, ut considerare non pigeat, quantum sit momentum in hoc articulo, qui eget expositione ad duarum difficultatum elucidationem. Prima est ut non aliter intelligantur hæ voces *valide* aut *invalide* contractum Matrimonium, quam per relationem ad contractum civilem, et nullatenus ad contractum spiritualem sacramenti. Secunda, ut non adstringantur ecclesiastici ad judicandum secundum hujus edicti simulque Blesensis articulos, sed juxta sacros canones et ecclesiastica decreta, quæ sunt unica regula et norma judicii ecclesiasticorum. Hi enim nec possunt, nec debent jurisdictionem, quam a solo Deo collatam habent circa res spirituales, ab ipsis laicis mutuare. Quapropter necesse est ex ipso articulo resecare hæc verba : « Et obligabuntur ecclesiastici judices in causis istiusmodi, Matrimonium judicare ad hujus articuli normam. »

Huic cleri Gallicani supplici postulationi, rex christianissimus per regii sigilli custodem *De Marillac*, aliosque selectos comites consistorianos sic respondit : « Commonitio cleri quod spectat ad priorem difficultatem sic resoluta fuit, valide aut invalide contracta matrimonia non esse aliter explicanda, quam per solam relationem ad contractum civilem per laicos judices ; altera pariter difficultas, justa et rationi congrua visa est. » Ita refert Honoratus Tournely ex tom. 5 Commentariorum cleri Gallicani.

Inst. 1° : Ita his edictis matrimonia sine consensu parentum declarantur invalida, ut iis qui sic contrahunt, fiat potestas convolandi ad alias nuptias, quod constat ex pluribus arrestis supremarum curiarum in Gallia, quæ referunt collectores : ergo declarantur nulla non solum quoad effectus civiles, sed etiam quoad contractum humanum et spiritualem sacramenti.

Resp.: Et imprimis his arrestis oppono alia etiam supremarum curiarum quibus dicta matrimonia declarantur valida. Hæc arresta, teste Tournely, referunt auctor Diarii audientiarum, tom. 1, pag. 177 et 284 ; Bardet in sua collectione, tom. 2, pag. 227 et 329 ; Bonagius in Commentariis in consuetudinem Normanniæ, tom. 2, pag. 31. Oppono insuper declarationem contrariam Ludovici XIII, de qua paulo supra. Ut ergo ista omnia concilientur, resp. 2° arrestis in instantia relatis matrimonia sine consensu parentum declarata fuisse nulla, non præcise propter defectum consensus parentum, sed propter vel clandestinitatem, vel raptum, vel aliquod aliud impedimentum dirimens simul occurrens, vel saltem ex præsumptione quod qui insciis parentibus contrahunt, in aliquem defectum

Matrimonio essentialem impingant, nec contrarium evinci potest ex laudatis arrestis.

Inst. 2°: Matrimonia filiæ Caroli Calvi cum Balduino comite, et Gastonis ducis Aurelianensis, fratris Ludovici XIII, cum Margarita Lotharinga, anno 1633, ob solum defectum consensus regis, judicio ecclesiastico et civili declarata fuerunt invalida : ergo.

Respondent scriptores Galli hoc esse speciale privilegium regum Galliæ, « antiqua consuetudine præscriptum et ecclesiastica auctoritate munitum », ut loquitur clerus Gallicanus in comitiis generalibus anni 1637, quod sine eorum consensu invalida sint matrimonia filiorum suorum et aliorum regii sanguinis principum qui solio sunt proximi.

Denique toti huic argumento sit hæc brevis responsio : Cum causas matrimoniales ad judices ecclesiasticos et non ad laicos pertinere definiverit sub anathemate concilium Trid., sess. 24, can. 12, sicque quoad præsentem casum declaraverit Ludovicus XIII jura civilia hac in re cedere debent juri ecclesiastico.

Petes an sint justæ leges civiles permittentes parentibus exhæredare filios, contra eorum voluntatem contrahentes Matrimonium?

Quidam negant, eo quod noceant libertati Matrimonii ; alii tamen communius affirmant, quia videntur necessariæ ad refrenandos stultos et indiscretos adolescentum amores ex quibus tot infelicia et scandalosa matrimonia sequuntur. Ad rationem oppositam resp. eas leges nocere quidem libertati Matrimonii effrenatæ, at non honestæ et moderatæ ; ubi enim probatur injustus parentum dissensus, nulla est aut esse debet exhæredatio ; non enim censentur leges eam in hoc casu permittere. Cæterum meminerint parentes libertatis Matrimonii, nec nimis rigide his legibus insistant.

ARTICULUS VII.

QUOMODO MATRIMONIUM INVALIDE CONTRACTUM RATUM EFFICI POSSIT ET DEBEAT?

Observandum imprimis Matrimonium posse duplici modo invalide contrahi : 1° inter personas inhabiles ratione impedimenti dirimentis ; 2° inter personas aliunde habiles, defectu solius eorum consensus, quia nempe vel ficte, vel ex metu, vel ex errore consenserunt, nullo alio irretitæ impedimento. Item Matrimonium est invalidum vel occulte, vel publice : voco hic publice invalidum, non solum quando est deductum ad forum contentiosum, sed etiam quando duobus testibus idoneis ejus invaliditas probari potest. His observatis,

Suppono 1° ad Matrimonii invalidi revalidationem (venia sit verbo) necessario esse adhibendum et supplendum quod ipsi defuit : unde si defuit consensus inter personas habiles, debet saltem qui non consensit, aut coacte, vel ex errore consensit, libere consentire. Si personæ erant inhabiles ratione impedimenti, debent reddi habiles obtenta dispensatione impedimenti, et tunc de novo consensum mutuum exterius exprimere : 1° quia dispensatio per quam remotum est impedimentum, non dat valorem Matrimonio prius contracto, sed solum facit illas personas habiles ad contrahendum ; 2° quia consensus antea expressus erat omnino illegitimus, utpote inter personas inhabiles et super materiam illegitimam, ac propterea nullus : ergo debet novus accedere. Nec potest dici quod prior perseveret, quia consensus qui nunquam fuit verus, non potest permanere.

Suppono 2° quod quando Matrimonium est publice nullum, aut ejus nullitas potest probari duobus saltem testibus sufficientibus, debeat de novo contrahi coram parocho et testibus, quantumvis jam fuerit antea solemnizatum, quia si tunc sufficeret consensus clandestinus ad Matrimonium valide de novo contrahendum, ex tali Matrimonio oriri possent inconvenientia propter quæ Trid. voluit irrita esse matrimonia clandestina, scilicet dissolubilitas hujus veri Matrimonii, perpetuus cum alia concubinatus, etc. Posset enim probari ejus nullitas et non posset probari validitas, sicque impune conjuges possent ad nutum separari et ad alias nuptias convolare.

Quidam idem censent si aut parochus aut unus testium noverit nullitatem, quod quidem verum existimo si aliunde quam ex confessione nullitatis conscius fuerit, quando prior contractus actu celebrabatur ; quia tunc non potest dici testis Matrimonii, nec potest de ejus valore testificari : secus vero si tunc ignorabat et postea resciat, sed taliter quod non possit probari in foro externo ; quia tunc fuit testis contractus præsumpte validi in facie Ecclesiæ, idque potest testari, quod sufficit; non enim debent nec possunt testes testificari reipsa esse validum Matrimonium, cum id scire nequeant, sed tantum quod secundum formam Ecclesiæ, nullo apparente defectu, contraxerint.

Difficultas est igitur 1° an quando consensus unius tantum defuit, debeat ex parte utriusque renovari; 2° an nullitas Matrimonii debeat innotescere parti cujus requiritur de novo consensus, vel utrique si utriusque requiratur antequam consensum innovent; 3° an consensus debeat iterum exprimi coram parocho et testibus. Graves sunt istæ difficultates pro praxi, nec parum implicatæ. Probabiliora sequendo,

Dico 1° : Quando Matrimonium est nullum defectu consensus unius qui nempe, vel ficte, vel metu, vel errore consensit, probabilius sufficit ut convalescat, hunc poni consensum, quamdiu alter adhuc in priori consensu perseverat, seu eum non revocavit.

Colligitur ex D. Th. q. 47, a. 4, ad 2, ubi dicit quod « ex consensu libero illius qui coactus est non fit Matrimonium, nisi in quantum consensus præcedens in altero adhuc manet »: ergo censet fieri Matrimonium, si consensus præcedens perseverat, censetur autem perseverare quamdiu non revocatur. Citantur etiam pro ea sententia S. Bonaventura, S. Antoninus, Paludanus, Soto, Richardus, Navarrus, Sylvius et alii ; eamque esse communem theologis et canonistis probat Fagnanus ad cap. *Licet* de Sponsa duorum, num. 2. Contradicunt tamen plures : Lessius, Pontius, Hurtado, Aversa, Henno, etc.

Ratio fundamentalis nostræ assertionis est, quia consensus alterius fuit, quantum est ex se, validus et legitimus ac sufficiens ad Matrimonium, nec est revocatus; imo ita moraliter et virtualiter perseverat, ut vi illius persistat in possessione alterius compartis tanquam rei suæ, subindeque nihil ex parte ejus desideratur, sed solum deest consensus legitimus alterius : ergo hoc accedente convalescit Matrimonium.

Confirm. : 1° Secundum omnes, conjugum consensus non debent simul exprimi, id enim foret ridiculum, sed sufficit quod unus ponatur quando alter adhuc moraliter perdurat. 2° Matrimonium spirituale, quod contrahitur inter eligentes et electum, valet licet electi et eligentium consensus eodem tempore non ponantur, cap. *Cum inter canonicos* de Election. 3° Si pars quæ coacte contraxit, spontanee postea cohabitet, vel alteri commisceatur affectu conjugali, convalescit Matrimonium, juxta cap. *Ad id* de Sponsal. et Mat., cap. *Significavit*, De eo qui duxit, et cap. *Proposuit* de Conjugiis servor. Tandem ita convalescunt alii contractus civiles.

Dices : Consensus alterius vero consentientis fuit etiam nullus et illegitimus : ergo etiam debet renovari. Prob. ant. Fuit consensus sub conditione si altera pars nunc consentiat, ita scilicet : Trado me tibi, si tu de præsenti me acceptes; item : Accepto te si nunc te mihi tradas; non enim valet traditio unius sine acceptatione alterius, nec acceptatio sine traditione : atqui alter tunc non traditur, non acceptavit : ergo.

Confirm. ex eo quod Clemens VIII responderit utriusque consensum de novo requiri, ut refert Comitolus, lib. 1 Resp. moral., cap. 120.

Resp. neg. ant. Ad probat. neg. maj. Verum enim quidem est consensum alterius fuisse sub conditione : Si acceptes, si vicissim te mihi tradas, non tamen pro tempore præsenti tantum; ubi enim hoc scriptum est et quo fundamento probatur? Sed consensus fertur in tempus præsens cum perseverantia in subsequens tempus, donec revocetur, ut fit in aliis contractibus civilibus, v. g., venditionis, emptionis, etc. : unde consensus partis serio et libere contrahentis fuit ex se intrinsece validus, valida traditio, valida acceptatio pro quocumque tempore, quo alter vere consentiret, vere traderet et acceptaret, et solum extrinsece quoad effectum pro tunc fuit invalidus, vel potius suspensus, quamdiu altera pars legitime non consentiret, qua proinde consentiente simpliciter Matrimonium convalescit.

Ad Clementis VIII rescriptum, resp. de eo non constare authentice, vel non fuisse datum, nisi tanquam a doctore particulari sequente, quod est tutius. Nam similiter requirit novam parochi et testium præsentiam, cujus tamen opposi' n declarasse Pium V refertur.

Petes utrum saltem ille novus consensus unius partis non debeat aliquo signo exteriori exprimi?

Resp. tutius et probabilius affirmative : Quia cum debeat esse sensibiliter expressus, non videtur posse reddi sensibilis per priorem consensum tamdiu antecedentem. Cæterum ad hoc sufficit quodcumque signum quo quis alteram partem tanquam conjugem tractat et habet.

Dico 2° : Per se loquendo, ut Matrimonium nullum convalescat, nullitas Matrimonii debet innotescere parti cujus consensus requiritur, vel utrique si utriusque requiratur antequam consensum innovent. Est communis.

Ratio est, quia cum prius Matrimonium

fuerit nullum, debent contrahentes novum intendere : atqui contrahens inscius nullitatis Matrimonii, novum Matrimonium non intendit, cum persuasus de validate primi credat id sibi impossibile, sed intendit ad summum prius factum confirmare : ergo.

Non est tamen semper necesse ut causa nullitatis aperiatur ipsi ignoranti, si inde periculum infamiæ aut scandali subsit, ut si, v. g., sit impedimentum affinitatis ortum ex copula illicita cum sorore conjugis ; sed sufficit indicare ob aliquem defectum in genere invalidum fuisse prius Matrimonium : existimat Sylvius posse allegari defectum consensus, etsi fuerit datus ; quia, inquit, cum fuerit invalidus, potest appellari non consensus.

Dixi : Per se loquendo, quia si, ex declaratione nullitatis Matrimonii parti eam ignoranti, gravia mala et scandala timerentur, ut desertio, Matrimonii dissolutio, prolium expositio, infamia gravis, rixæ et odia, etc., ut non raro contingit, tunc sufficeret si novus consensus partis ignorantis procedat ex cognitione non quidem expressa nullitatis Matrimonii, sed æquivalenti ; ut si conscius nullitatis sollicitet alium in sui amorem et dicat : Ita tibi afficior ut si non esset inter nos Matrimonium, nihilominus te acciperem, et jam de facto ita te accipio, numquid tu similiter ? Si respondeat quod sic, Matrimonium convalescit ; quia ignarus nullitatis non solum intendit permanere in Matrimonio prius contracto, sed etiam inire novum, si prius non fuerit validum. Unde talis consensus ex errore non procedit. Ubi adverte non sufficere verba velleitatis : Te acciperem, si non esses mea conjux, sed requiri verba absoluta de præsenti : Te accipio in uxorem si non sis ; vel : Accipio te in meam quasi nunquam accepissem; idem ego facio, etc.

Quis autem modus et quando sit adhibendus, ut talem consensum obtineat a difficili comparte, petendum est ex conjugis conditione variisque circumstantiis rata prudentia perpensis. Cæterum extra casum talis extremitatis et necessitatis sistendum est conlusioni.

Sed si nec talis consensus possit obtineri ? Hoc opus, hic labor est : tunc vel absolute, secreto tamen, sunt separandi saltem quoad thorum ; vel si uterque ignoret nullitatem, in bona fide sunt reliquendi.

Dico 3° : Ut Matrimonium occulte nullum convalescat, non videtur requiri nova præsentia parochi et testium, sed sufficit, obtenta dispensatione si requiratur, ut conjuges nullitatis conscii, ut dictum est, inter se solos renovent consensum.

Est probabilior et communior : ita Navarrus, Binsfeld, Henriquez, etc., quos citat et sequitur Sylvius, Coninch, Layman, Bonacinas, Henricus a S. Ignatio, etc.

Dixi 1° : Occulte nullum, quia si esset publice nullum, aut duobus testibus ejus nullitas posset probari, deberet iterum exprimi consensus coram parocho et testibus, ut advertimus in capite articuli.

Dixi 2°. Nova præsentia ; suppono enim quod prius contraxerint, licet invalide propter occultum impedimentum, coram parocho et testibus : alias indubitatum est coram illis secundum consensum debere exprimi, cum secus utrobique foret Matrimonium clandestinum, adeoque nullum.

Prob. conclusio : Tota ratio quæ movit concilium Trid. ad irritanda matrimonia clandestina, est ut impedirentur grandia mala, quæ ex eis oriri solent, puta, quod contrahentes sæpe cohabitent sine vero Matrimonio, aut, si verum sit, cum probari non possit, dissolvant ad libitum, et ad alias nuptias transeant : atqui ista ratio cessat in nostro casu, nec talia inconvenientia inde obvenire possunt ; constat enim Ecclesiæ de ejus valore quantum constare potest, nec potest malitiose dissolvi, cum fuerit contractum in facie Ecclesiæ et ejus nullitas non possit probari, ut supponimus ; imo gravia incommoda et gravissima scandala sæpissime sequerentur, si matrimonia quæ publice valida habebantur, iterum coram parocho et testibus contrahi deberent : ergo merito colligimus Tridentinum suo decreto non comprehendisse casum quo Matrimonium antea publice contractum, sed occulte invalidum, revalidari debeat.

Confirm.: 1° Concilium Trid., ut ex textu patet, solum intendit irritare matrimonia clandestina quæ jam erant antea prohibita : atqui nullibi apparet prohibitam fuisse occultam revalidationem Matrimonii, prius in facie Ecclesiæ celebrati, sed ob impedimentum occultum invalidi. Confirm.: 2° Quia, juxta stylum curiæ, in rescripto dispensationis super hunc casum a majori Pœnitentiario ponitur : « Dispenso ut matrimonium secreto inter se contrahere valeant. »

Opponitur ex Comitolo, l. 1 Resp. moral., q. 120, contraria resolutio Clementis VIII. Verum nos vicissim opponimus aliam resolutionem S. Pii V, Clementinæ contrariam ex Navarro, cap. 22, n. 7, et lib. 4, concil. Cons.

14. Item aliam S. Congregationis pariter contrariam, ut legitur in remiss. ad concil. Trid., sess. 24, c. 1 de Reformat. Matrim. At neque ex illa neque ex istis declarationibus aliquid certo erui potest pro alterutra sententia, quia non sunt authenticæ. Et forte in casu Clementis VIII nullum periculum aut damnum sequebatur ex iteratione publica Matrimonii: unde merito præcipiebat quod est tutius; forte autem sequebatur in casu S. Pii. V.

Sic enim et nos quantum ad praxim suademus quod est tutius, scilicet revalidationem publicam Matrimonii, in quantum fieri potest sine gravi damno aut scandalo; et si parochus difficile adesse possit, confessarius ab eo obtineat licentiam, quam in hoc casu dare tenetur parochus, et coram duobus fidissimis testibus res secreto agatur. Sed si nec ita res tacite fieri possit, tunc locus est sententiæ assertæ.

Petes an si in rescripto dispensationis ponantur hæc vel similia verba: « Dispenso ut inter se publice et servata forma Tridentini contrahant », possint nihilominus renovare consensum inter se sine parocho et testibus, si jam prius contraxerant coram illis?

Respondent affirmative Sylvius hic q. 45, a. 2, Pontius, Sporer et alii, quia forma concilii quam intendit dispensatio jam servata est, nec ipsi attentarunt aliter contrahere quam coram parocho et testibus [1].

DIGRESSIO HISTORICA.

UTRUM INTER B. VIRGINEM ET S. JOSEPHUM FUERIT VERUM MATRIMONIUM?

Ad art. V præced. dissertat.

Dico: Inter B. Virginem et S. Josephum fuit verum Matrimonium [2]. Est communior et verior.

Prob. ex S. Scriptura: Matth. 1 dicitur; *Jacob genuit Joseph virum Mariæ;* item: *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph;* item: *Joseph vir ejus;* et: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Luc. 2, Joseph ascendit in Bethleem *cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.*

Confirm. ex verbis Virginis, Luc. 2, sic alloquentis filium: *Pater tuus et ego dolentes quærebamus te.* Item verbis ejusdem Evangelistæ: *Erant pater ejus et mater mirantes:* non sic locuta fuisset Mater filio, nec Evangelista fidelibus, nisi Joseph fuisset Mariæ conjux. Confirm. iterum ex eo quod Judæi vocabant Jesum filium Joseph, filium fabri, et Joseph patrem ejus: hujus autem Judæorum opinionis tametsi falsæ, alia ratio non fuit quam quia notum erat Joseph et Mariam esse vere conjuges; alioquin Judæi Christo indubie exprobrassent ipsum ex fornicatione esse natum.

Prob. ex SS. Patribus: S. Ambrosius, l. *de Inst. Virginis*, c. 6, contra id quod objiciebatur tunc et etiam nunc objicitur, inter B.Virg. et Joseph non fuisse verum conjugium, quia inter eos non intercessit copula carnalis, dicit: « Nec illud moveat quod ait, quia Joseph accepit conjugem suam; cum enim initiatur conjugium, tunc conjugii nomen adsciseitur; non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis: denique cum jungitur puella, conjugium est, non cum virili admixtione cognoscitur. »

S. Aug., l. 5, cap. 12, *Adversus Julian.*, qui dicebat Mariam fuisse conjugem Joseph in hominum opinione tantum, sicut Luc. 3 dicitur de Christo quod *putabatur filius Joseph*, sic arguit: « Numquid et angelus loquens unus ad unum contra conscientiam et suam et ipsius cui loquebatur, secundum opinionem potius quam secundum veritatem fuerat locuturus qui ei dixit: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam?*..... Dicit autem Lucas Evangelista de Domino, quod *putabatur filius Joseph*, quia ita putabatur, ut per ejus concubitum genitus crederetur. Hanc falsam voluit removere opinionem, non Mariam illius viri negare conjugem, contra Angelum testem. » Eamdem veritatem asserit S. Augustinus variis in locis, serm. 63, de Diversis, l. 1 *de Nupt. et concupis.*, c. 11, l. *de Consensu Evang.*, c. 1, et alibi. Similiter alii patres.

Huc accedunt rationes propter quas congruebat ut Christus nasceretur ex virgine desponsata [1]. Duodecim enumerat S. Thomas quarum præcipuæ sunt: 1° ut per genealogiam Joseph, cui Maria erat cognata, origo quoque Mariæ monstraretur; 2° ne ipsa Virgo, si extra Matrimonium filium haberet, infamaretur tanquam fornicaria, aut etiam lapidaretur secundum legem Deuteron. 22, et filius ejus tanquam ex fornicatione natus pro Messia non reciperetur; 3° ut B. Virgo fugiens in Ægyptum haberet solatium, atque inde rever-

[1] Sancta Sedes hodie dat interdum dispensationem in tali casu, quæ dicitur *Sanatio in radice*, vi cujus Matrimonium fit ratum, quin renovetur consensus.

[2] 3 p. q. 29, a. 2, c.

[1] Ib. a. 1, o.

tens ipsa et filius haberent obsequia et subsidia paterna ; 4° ut ejus partus celaretur diabolo, dum, occasione Matrimonii deceptus, putat illum non de virgine, sed de uxore natum : quamvis enim potuisset discernere inter virginem et corruptam, attamen vel id ex divina dispensatione non fuit permissum, vel ad singula in rebus humanis non semper attendit.

Obj. 1° ex S. Scriptura : Matth. 1, Luc. 1 et 2, Maria virgo dicitur tantum *desponsata Joseph :* ergo non erat conjugata. Item ibid. Joseph cum invenisset Mariam habentem in utero, *voluit occulte dimittere eam :* juxta vero Deuter. 24, vir non poterat dimittere uxorem nisi dato illi libello repudii : ergo Joseph non habebat Mariam pro uxore.

Resp. ad primum, juxta morem S. Scripturæ, ii dicuntur sponsi et sponsæ, qui quamvis per verba de præsenti sint conjuncti, nondum tamen sunt carnaliter commixti; sic etiam nos loquimur dum in nuptiarum celebratione vocamus conjunctos sponsum et sponsam : unde, Luc. 2, Joseph dicitur ascendisse in Bethleem *cum Maria sibi desponsata uxore* : ex quo manifestum est fuisse eamdem simul desponsatam et uxorem.

Ad secundum, libellus repudii secundum legem non dabatur, nisi cum vir sic dimittebat uxorem, ut illi faceret potestatem alteri nubendi ; non autem sic Joseph volebat dimittere uxorem ut ipse aliam duceret, et illi permitteret alium ducere; sed volebat eam occulte dimittere quoad habitationem tantum. Cum enim videret illam fœtam et causam ignoraret, et aliunde perspectam haberet ejus pudicitiam, noluit eam traducere ut adulteram, voluit tamen occulte se ab ea separare, ne forte, si vi illata, aut aliqua alia ratione sibi incognita, fuisset imprægnata, eam retinendo aliquam infamiam incurreret.

Obj. 2° ex SS. Patribus : Multi patres dicunt Mariam mansisse innuptam, et non fuisse uxorem Joseph : S. Epiph., *Hæres.* 78 : « Desponsata, inquit, fuit Maria, non nupta, et videbatur uxor et non erat. » S. Hieron., *cont. Helvid.*, et in cap. 1 Matth., ad hæc verba : *Jacob genuit Joseph virum Mariæ*, ait : « Cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis S. Scripturarum. quod sponsi viri et sponsæ uxores vocantur. » S. Aug., serm. 18, *de temp.*, de B. Virg. scribit. « Concepit virgo antequam sponsum haberet, parit antequam nubat. » S. Greg. in Evang. l. 2, hom. 26, de Joseph ait : «Qui tamen ad ejus (Mariæ) nuptias non pervenit » : ergo.

Resp. SS. Patres propugnantes contra hæreticos virginitatem Mariæ, in his et similibus sententiis vocare nuptias consummationem Matrimonii, et nuptas seu uxores, jam viro cognitas ; sicut innuptas et sponsas vocant, quæ licet sint Matrimonio junctæ, nondum sunt cognitæ viris: unde S. Epiphan. loco citato dicit quod Virgo non fuerit uxor Joseph ; « Quatenus nullam cum eo habuit corporis copulationem » ; et S. Hier. « quatenus oscula amplexusque non miscuerunt, nec rem egerunt nuptiarum. » Idem censendum de aliis. Insuper sermo laudatus de tempore non est S. Augustini.

Obj. 3° : Secundum communem opinionem, B. Virgo emiserat votum castitatis antequam desponsaretur Joseph : atqui stante ejus voto non poterat Matrimonium inire : ergo.

Resp. Hujus argumenti solutio patet ex art. 5 præced. dissert. : sive ergo B. Virgo ante desponsationem voverit castitatem conditionate tantum, ut sentit Auctor 3 p. q. 28, a. 4, sive absolute, ut volunt alii, votum ejus non repugnabat Matrimonio, quia Matrimonium ut diximus, consistit in traditione potestatis in mutua corpora, quæ potestas potest separari ab usu: solus autem usus repugnat voto castitatis.[1] Cum itaque B. Virgo sciret ex divina revelatione et instinctu, quod usus nunquam sequeretur, potuit sine læsione voti etiamsi absoluti tradere potestatem sui corporis Josepho et acceptare potestatem illius, sicque facere verum Matrimonium.

Petes utrum Matrimonium inter B Virg. et S. Joseph fuerit perfectum ?

Resp. fuisse perfectum perfectione essentiali quæ consistit in mutua traditione et acceptatione potestatis in corpora : defuit autem illi aliqua perfectio accidentalis, nempe copula carnalis, per quam significaretur unio Christi cum Ecclesia per naturam ; sed non erat opus hic illa significatione, quia in illo Matrimonio res ipsa erat exhibenda, scilicet Verbi Incarnatio, per quam conjungitur Ecclesiæ secundum naturam.

[1] In, 4 d. 30

DISSERTATIO IV.

De bonis et actu Matrimonii.

D. Th. q. 49 et 64.

ARTICULUS I.

DE BONIS MATRIMONII.

Ex S. Augustino et aliis patribus, impugnantibus hæreticos qui negabant nuptias esse licitas, inductum est in scholas, nuptias per quædam bona excusari, ideoque esse licitas. [1] Excusatio hic non sumitur ex parte agentis, ut cum quis agit quod est per se malum excusatur per ignorantiam, aut inadvertentiam ; sed ex parte actus, quatenus fit bonus et licitus.

Tria assignantur Matrimonii bona [2] : Proles, fides et sacramentum. Per *prolem* non intelligitur sola ejus procreatio, sed etiam ejus educatio et religiosa institutio. Per *fidem* intelligitur fidelitas quam conjuges sibi invicem debent, sic ut neuter comparti petenti debitum deneget, nec alteri commisceatur. Per *sacramentum* intelligitur firmitas et indissolubilitas quam habet ex sacra significatione; quamvis enim vinculum Matrimonii sit ex se indissolubile, ut dicemus, ex hoc tamen quod Deus ipsum instituit ad significandam conjunctionem Christi cum Ecclesia, majorem habet firmitatem et indissolubilitatem : unde hæc tria bona reperiuntur etiam in matrimoniis infidelium ; ordinantur enim ad prolem, obligant ad fidem, et habent aliquam sacram significationem.

Dico : Convenienter assignantur tria bona [3]; Proles, fides, sacramentum, quibus excusatur Matrimonium.

Prob.: Nemo sapiens [4] debet jacturam aliquam sustinere nisi pro aliqua recompensatione alicujus æqualis vel melioris boni : atqui in Matrimonio plures incurruntur jacturæ, plura damna et incommoda quæ his tribus bonis assignatis compensantur : ergo. Prob. min. Tria potissimum damna et incommoda incurruntur in Matrimonio : primum libido et ex ea resultans detrimentum usus rationis; debilitatio corporis et sensuum obtusio ; e, hoc damnum compensatur bono prolis, seu procreatione liberorum quibus genus humanum propagatur et Deus perpetuo colitur. Secundum damnum, est sollicitudo molesta placendi comparti, suscipiendi, concipiendi, parturiendi, educandi proles et rebus familiæ providendi : et hoc damnum compensatur bono fidei, qua alter alteri tenetur reddere debitum, nec potest alteri commisceri. Tertium damnum est perpetua quædam subjectio seu servitus qua vir uxori, et uxor viro obligatur, et istud damnum compensatur bono sacramenti, id est vinculi indissolubilis, quo conjuges repræsentant conjunctionem Christi cum Ecclesia, tenenturque se invicem diligere, sicut Christus dilexit Ecclesiam Sumitur enim hic sacramentum, ut dictum est, pro vinculo indissolubili Matrimonii quod est res et sacramentum. Quanquam etiam multo magis compensetur hoc damnum bono sacramenti proprie sumpti pro signo efficaci gratiæ, quatenus sanctificat conjuges, eis confert auxilia supernaturalia ad se mutuo diligendum, præstandaque suaviter et fideliter usque ad finem vitæ cætera munia et onera matrimonialia.

Dices : Vel Matrimonium est de se bonum, et sic non indiget magis excusari quam alia bona, vel est malum, et sic nulla excusatio sufficit ; vel est indifferens, et neque sic opus

[1] Supp. q, 49, a. 4, o. [2] Ibid. a. 2, o et in res. ad arg. [3] Ibid a 1 et 2. [4] Ibid.

habet excusatione, quemadmodum nec aliæ res indifferentes, ut ambulare, loqui, etc.: ergo.

Resp. Matrimonium [1] esse simpliciter et absolute bonum, ideoque revera nullis bonis extrinsecis indigere quibus honestetur, quomodo ea quæ sunt indifferentia, aut in malum sonantia de se non bona, possunt honestari. Quia tamen secum affert multa incommoda, indiget illis bonis quæ vocantur bona Matrimonii, quæ quidem sunt de ratione ipsius, quantum nempe ad intentionem, si non contrahentium, saltem instituentis Matrimonium, et hoc sensu dicitur excusari et honestari per ea quasi per sua essentialia et causantia in illo honestatem, quæ ipsi secundum se competit.

Inferes : Ergo omnia alia quæ sunt ex se bona, possunt etiam dici, excusari et honestari per sua essentialia et intrinseca.

Resp. neg. conseq. Quia alia bona non semper secum afferunt speciem turpitudinis, nec tot, et tanta incommoda quæ compensari indigeant sicut Matrimonium : unde cum majori proprietate dicitur illud excusari et honestari per sua bona, quam aliæ res, seu actus boni.

ARTICULUS II.

DE ACTU MATRIMONII.

§ I.

Utrum actus conjugalis excusetur per bona Matrimonii?

Quamvis dissert. 1 hujus tractatus, art. 2, § 3, jam probaverimus actum Matrimonii esse licitum, et posse esse meritorium, occasione tamen bonorum Matrimonii, hic adhuc breviter inquirimus cum Auctore, an et quomodo per ista bona excusetur : unde

Dico : Actus matrimonialis sic excusatur per bona assignata, ut sit bonus, et possit esse sanctus.

Ratio primæ partis quia per bonum prolis habetur intentio debiti finis ; per bonum fidei habetur debita materia, et per hæc actus recedit a duobus extremis mollitie et fornicatione, inter utrumque tenens medium, sicque constituitur in ratione virtutis moralis quæ consistit in medio.

Ratio secundæ partis est quia indissolubilitas, quæ dicitur sacramentum, ex divina institutione, significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ in carne, in gratia, charitate, et gloria : si ergo conjuges adjuti gratia intendant in actu Matrimonii hunc finem, scilicet procreare prolem, non solum, ut filium hominis naturalem, sed ut Ecclesiæ colonum, filium Dei adoptivum, et cœlestis regni hæredem, religiosa educatione perficiendum, actus Matrimonii non solum erit bonus generali ratione virtutis, sed etiam sanctus et meritorius.

Dices 1° : Qui sustinet damnum majoris boni propter minus bonum peccat, quia inordinate agit : atqui bonum rationis quod læditur in ipso actu conjugali est majus quam hæc tria bona conjugum : ergo prædicta bona non sufficiunt ad excusandum, etc.

Resp. dist. maj. [1] Qui sustinet damnum majoris boni quoad habitum, propter minus bonum peccat, conc. maj. ; qui sustinet damnum majoris boni, quoad actum brevem propter, etc., neg. maj. Non enim est inconveniens, quod quandoque aliquis actus, qui est melior secundum genus suum, tantillam patiatur eclypsim propter minus bonum, quod est permanentius et ad perpetuitatem boni communis necessarium ; sic licet quandoque dormire, quandoque ab actu contemplationis vacare, ut vacetur activæ vitæ : jam autem damnum rationis quod homo incurrit per actum Matrimonii, non est per modum habitus, sed per modum actus transeuntis.

Inferes : Ergo pariter licebit se inebriare ad recuperandam sanitatem.

Resp. neg. illationem : Disparitas est 1° quod se inebriare secundum se sit malum, consequenter nullo bono fine cohonestandum, non sic actus matrimonialis. 2° Ebrietas neque a Deo, neque a natura est ordinata ad recuperandam sanitatem, sicut actus Matrimonii est ordinatus ad generandam prolem. 3° In ebrietate totaliter absorbetur ratio, et aufertur potentia proxima ad illam pro nutu recuperandam, non sic in actu Matrimonii. Vide plura de hoc arg., dissert. 3, de Temperantia, art. 3.

Dices 2° ; Hæc bona efficere non possunt, quominus delectatio in illo actu sit immoderata, neque possunt ejus verecundiam abstergere : atqui immoderatio passionis est vitium in moribus et verecundia non est nisi de malo : ergo.

Resp. dist. min. [2] Immoderatio passionis sumpta pro quantitate et intensione est vitium in moribus, neg. ; sumpta pro excessu supra

[1] Ibid. a. 1, ad 2.

[1] Ibid. a. 4, ad 1. [2] Ibid. ad 3 et 4.

limites rationis, conc. Superabundantia igitur passionis quæ facit vitium in moribus non attenditur, præcise secundum quantitatem ipsius ad intensionem, sed secundum disproportionem ejus ad rationem : unde tunc solum passio reputatur proprie immoderata, quando excedit limites rationis : delectatio autem quæ est in actu Matrimonii, quamvis sit intensissima secundum quantitatem, non tamen excedit limites sibi a ratione prius præfixos, quamvis in ipsa delectatione ratio eos ordinare non possit, et ideo sit malum pœnæ. De verecundia similiter respondetur, quod non sit tantum de malo culpæ, sed etiam de malo pœnæ, qualis est turpitudo illius actus, quia de quolibet defectu homo naturaliter erubescit.

Inst. S. Greg. causa 33, q. 4, c. *Vir cum propria,* dicit voluptatem, quæ in actu conjugali reperitur, nullatenus posse esse sine culpa.

Resp. S. Gregorium loqui de voluptate quæ dominatur, et propter quam exerceatur copula, ut inferius subdit.

§ II.

Utrum actus conjugalis excusari possit sine bonis Matrimonii, atque adeo exerceri ob solam voluptatem, aut fornicationem in se vitandam?

Dico 1° : Actus conjugalis excusari non potest sine bonis Matrimonii [1], quia remota causa removetur effectus qui ab ea dependet : atqui causa honestatis actus conjugalis sunt bona Matrimonii, ut dictum est : ergo sine eis excusari non potest. Præterea actus conjugalis non differt a fornicario, nisi in prædictis bonis.

Hinc inferes duobus solum modis conjuges absque omni peccato posse convenire, [2] nempe causa generandæ prolis quod spectat primum bonum, et debiti reddendi, quod pertinet ad bonum fidei : bonum autem sacramenti potius pertinet ad Matrimonium secundum se, quam ad ejus usum, licet possit etiam intendi, ut dictum est, et actus fieri meritorius ; sed etiam tunc intenditur bonum prolis. Verum ut hæc, de quibus non omnes conveniunt, distinctius exponantur,

Dico 2° : Actus conjugalis [3] ob solam volupattem, aut fornicationem in se vitandam, est venialiter malus.

[1] Ibidem, a, 5. [3] Ibid. [3] Ibidem et a. 6.

Sequitur ex præcedenti, quoad utramque partem ; quia licet adsit bonum fidei, et bonum sacramenti, deest bonum prolis, seu saltem non intenditur. Insuper

Prob. prima pars : 1° ex hac propositione damnata ab Innocentio XI: « Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali » : est nona inter damnatas.

Prob. 2° : Perversum est ordinare ad delectationem, operationem ad quam ipsa delectatio est a natura ordinata : atqui natura ordinavit delectationem ad operationem, et non operationem ad delectationem, ut in confesso est apud omnes : ergo.

Confirm. : Agere propter delectationem sensibilem est proprium brutorum, et non hominis, qui debet in omnibus agere ut homo, id est, secundum rationem, consequenter intendere bonum honestum, seu rationi conforme, ut amplius probavimus dissert 6, de Act. human., art. 6. Confer.

Prob. secunda pars de qua major est difficultas : 1° Ex S. Scriptura. : 1 Cor. 7, postquam Apostolus dixit : *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram,* subdit : *Hoc autem dico secundum indulgentiam non secundum imperium :* atqui indulgentia seu, ut græce habetur, ignoscentia, denotat culpam, ut ait S. August., *Enchyrid.* c. 78. « Quis autem peccatum esse neget, inquit, cum dari veniam facientibus Apostolica auctoritas fateatur?»

Prob. 2° ex Patribus : Idem S. August., lib. *Bono conjugali,*, cap. 7 : « Reddere debitum conjugale nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem culpæ venialis. » S. Fulgentius, epist 1, *de Conjugali debito,* c. 4 : « Maculam contrahit... quisquis non pro sola generatione, sed etiam propter fragilitatem carnis suæ miscetur uxori. » S. Greg., lib. 32 *Moral.,* cap. 17 : « Tunc, inquit, solum conjuges in admixtione sine culpa sunt, cum.... pro suscipienda prole miscentur », intellige petendo.

De D. Thoma non potest esse dubium [1] : « Duobus solis modis, inquit, conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causa procreandæ prolis et debiti reddendi ; alias autem semper est ibi peccatum ad minus veniale. » Item [2] : « Si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua infirmitas, et secundum

[1] Ibidem a. 5, o. [2] Ibidem ad 2.

hoc est peccatum veniale, nec ad hoc Matrimonium est institutum nisi secundum indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus. »

Prob. 3° ratione: Obsequi ac servire libidini etiam intra limites Matrimonii est peccatum veniale, ut patet ex dictis : atqui qui mere ad vitandam in se incontinentiam copulatur, obsequitur libidini intra limites Matrimonii, quamvis nolit obsequi extra limites illius : ergo. Prob. min. Ille revera quærit in Matrimonio voluptatem, ne eam quærat extra, eamque pro fine copulæ habet, licet simul intendat abstinere a voluntate non matrimoniali, sicut tentatus ad carnes manducandas die prohibito, si ad hoc evitandum velit delectari in esu delicato piscium, ne delectet se in esu carnium, revera obsequitur gulæ circa materiam licitam, ne ei obsequatur circa materiam illicitam : ergo.

Si dicas hanc delectationem assumi in Matrimonio ut medium ad vitandam delectationem extra Matrimonium, esto : semper verum est eam assumi ut finem proximum copulæ Matrimonii, sicque operationem ordinari ad delectationem, quod est perversum, ut diximus. Insuper delectatio in copula Matrimonii non est medium a Deo, vel natura ordinatum ad vitandam delectationem extra Matrimonium : sicut delectatio in esu piscium, die prohibito, non est medium ordinatum ad vitandam delectationem carnium : unde sicut iste inordinate agit, sic et ille.

Prob. 4° evertendo præcipuum fundamentum adversæ partis : Si actus conjugalis esset licitus ad vitandam in se fornicationem, ideo est quia vitatio fornicationis est finis saltem secundarius Matrimonii, sic volunt adversarii: atqui ista ratio nulla est : ergo. Prob. min. Evitatio fornicationis in se dicitur finis secundarius Matrimonii, non quod Deus aut natura directe et immediate illum ordinaverint ad fornicationem vitandam (Deus enim sub hac ratione indulget tantum, ut vidimus, et natura ordinat ad generationem prolis), sed quia concupiscentia per copulam matrimonialem sedata, non ita stimulat ad fornicationem ; ad quod etiam juvat gratia sacramentalis : unde debet potius dici effectus consequens ad Matrimonium quam ejus finis secundarius, nisi secundum indulgentiam, ut dicit Auctor.

Dixi : venialiter malus [1] : quia usus rei aliunde licitæ ob solum defectum debiti finis non est semper mortaliter malus, ut patet in eo qui manducat et bibit moderate ob solam voluptatem. Posset tamen contingere peccatum mortale ; si nempe quis non attendat in conjuge, quod sit conjux, sed quod sit mulier, affectu actuali paratus idem facere cum ea, si non esset conjux, quia tunc copula exercetur animo fornicario.

[1] Ibid.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Matrimonium est concessum humanæ fragilitati ut fornicatio vitetur : ergo qui eo utitur ad hunc finem, non peccat.

Resp. dist. maj. [1]. Est concessum humanæ fragilitati ut fornicatio vitetur, mediante copula exercita propter bona Matrimonii, conc.; mediante copula exercita propter ipsam fornicationem vitandam, subd. Est concessum secundum indulgentiam ut minus malum, c.; ut quid licitum et bonum, neg. Solutio patet ex probationibus.

Inst. : Licitum est petere debitum ad vitandam incontinentiam in comparte : ergo et propriam.

Resp. neg. conseq. [2] Disparitas est 1° quia dum petit debitum propter alterius periculum, in effectu potius reddit quam petit, quia altera pars tunc interpretative petit : cui ideo ex justitia et ex charitate tenetur petendo reddere. 2° Disparitas est quia unusquisque potest suo periculo occurrere per alia remedia: ut per voluntatem propriam gratia Dei adjutam resistendo, orando, jejunando : periculo autem alterius non potest, cum non habeat in sua potestate voluntatem alienam sicut suam.

Repones : Pars quæ propter periculum incontinentiæ propriæ interpretative petit, illicite petit secundum nos : ergo alter non potest, nec tenetur ei reddere.

Resp. dist. ant. Petit illicite venialiter et ex parte sua, conc.; illicite mortaliter et ex parte actus, neg. Subest autem justa causa in reddente, permittendi istud peccatum veniale in petente, ut dicemus infra de redditione debiti.

Obj. 2° : Qui utitur re sua ad libitum non facit injustitiam : ergo non peccat. Subsumo : Atqui per Matrimonium uxor efficitur res viri et e contra : ergo.

Resp. neg. conseq. [2] Ex hoc enim quod quis non peccet contra justitiam, non sequitur quod non peccet omnino ; quia una debita circumstantia non sufficit ad hoc quod actus sit bonus, et ideo non oportet quod qualitercumque quis utitur re sua sit bonus, ut patet

[1] Ib. a. 5, ad 2. [2] Ibid. [3] Ib. ad 3.

in prodigo, sed quod utitur re sua ut debet secundum omnes circumstantias.

Obj. 3° : Bonum est vitare fornicationem, et actus conjugalis est honestus, aptusque ad illum finem obtinendum : ubi ergo peccatum? Quod enim est bonum ex genere, non efficitur malum, nisi ex mala intentione, ut recte arguit S. Th., arg. 4.

Resp. in hoc esse peccatum quod actus conjugalis non sit a natura ordinatus, nec a Deo, nisi secundum indulgentiam, ad illum finem obtinendum : est autem malum intendere bonum per media indebita et ad id non ordinata. Adde quod in casu sit obsequi libidini et agere propter illam, ut probatum est.

Inst. 1° : Hoc ipso quod aliquod medium habet aptitudinem et proportionem ad aliquem finem obtinendum etsi a natura non sit ad illum primario ordinatum, censetur tamen finis ejus secundarius, ita ut ad illum sine peccato possit ab agente ordinari : v. g., oculi sunt a natura inditi ad videndum, licite tamen quis eis utitur aliquando ad significandum aliquid alteri. Vox est a natura ordinata ad exprimendos alteri suos conceptus, licitus est tamen ejus usus ad cantum. Imo ipsum Matrimonium est institutum ad conservationem speciei, non peccaret tamen qui illud contraheret propter alium finem honestum, v. g., propter probos mores sponsæ, propter conformitatem humorum, propter inimicitias componendas in regno, vel in familia, propter socialem vitam tranquilliorem habendam, etc. : ergo licet actus conjugalis sit primario ordinatus ad generationem prolis, quia tamen potest esse aptus ad fornicationem vitandam, non videtur illicitum eo uti ad illum finem qui potest dici ejus finis secundarius.

Resp. neg. conseq. et paritatem : Disparitas est quod neque in usu oculorum aut vocis aut in ipso Matrimonii contractu ulla reperiatur inordinatio, aut detrimentum rationis : in usu autem Matrimonii semper sequitur inordinatio libidinis, detrimentum et absorptio rationis, propter quæ mala non videtur adhibendus nisi ad eos fines ad quos Deus seu natura permisit aut ordinavit, sicut non potest ebrietas adhiberi, ut remedium sanitatis, quamvis ad eam possit aliquando juvare.

Inst. 2° : Actus matrimonialis propter sanitatem conservandam aut recuperandam est licitus : atqui tamen ad hunc finem non est ordinatus : ergo pariter.

Resp. 1° majorem a S. Th. diserte negari[1] : « Quamvis, inquit, intendere sanitatis conservationem non sit per se malum, tamen hæc intentio efficitur mala, si ex aliquo sanitas intendatur, quod non est ad hoc de se ordinatum, sicut qui ex sacramento Baptismi tantum salutem corporalem quæreret. Et similiter etiam est in proposito in actu Matrimonii. » Adde quod emissio seminis, quando fit ex libidine, sit magis nociva corpori quam proficua. 2° Etsi daretur major, semper foret disparitas quod qui exercet actum conjugalem propter fornicationem in se vitandam, agat propter libidinem et ei obsequatur; secus qui illam exercet propter sanitatem.

Inferes : Ergo saltem juxta sententiam D. Thomæ casu quo quis minaretur conjugi mortem nisi exigat debitum et coeat cum parte, non poterit talis conjux etiam pro evitanda morte certo infligenda petere copulam si compars sit senex, sterilis, aut jam gravida.

Resp. : Vel ille qui minatur mortem, cogit ut coeant coram se, quod est ex se verecundum, pudendum et maxime scandalosum, adeoque ex hoc solo capite illicitum, vel ut coeant in ipsius absentia, et tunc occurrunt alii plures modi tale periculum evadendi, adeo ut casus evadat metaphysicus. Cæterum stando in sententia D. Thomæ non licet facere malum morale etsi veniale tantum pro quovis maximo bono physico.

Obj. 4° : Potest quis inire Matrimonium propter vitandam incontinentiam, ut colligitur ex Apostolo, 1 Cor. 7: dicente : *Quod si non se contineant, nubant: melius est enim nubere quam uri;* non enim id videtur dictum ex indulgentia, sed videtur permissio positiva et consilium : ergo potest etiam uti Matrimonio propter eumdem finem.

Resp. 1° ant. non erui ex textu Apostoli; licitum est enim consulere minus malum volenti committere majus. 2° Dist ant. Potest quis inire Matrimonium propter vitandam incontinentiam per copulam exercendam propter debitos fines, scilicet generationem prolis aut redditionem debiti, conc. ; sicut enim qui exercet copulam propter istos fines, potest intendere et expectare tanquam effectum sedationem concupiscentiæ, sic a fortiori cum init Matrimonium, præsertim cum Matrimonium sit secundum se honestum, nec quidquam inordinatum contineat, sicut ipsa libido in actu Matrimoniali : per copulam exercendam propter libidinem, neg. ; cum enim talis copula

[1] Ib. ad 4.

sit illicita, non potest intendi a contrahente Matrimonium.

Obj. 5° ab inconvenientibus. Ex nostra sententia sequitur 1° quod mulieribus gravidis, sterilibus et senibus sit illicitus actus conjugalis, et viris illicitum cum eis decumbere; 2° quod senes et steriles non possint sine peccato Matrimonium inire, cum ipsis non sit amplius spes prolis, et quod Ecclesia non possit talibus matrimoniis assistere nisi saltem contrahentes moneat de non exigendo debito; 3° quod status Matrimonii sit continuis peccatis venialibus obnoxius, quæ omnia dura sunt, odiosa et quodam modo absurda juxta praxim communem.

Resp. ad primam sequelam, actum conjugalem esse quidem illicitum mulieribus gravidis, sterilibus et senibus, exigendo, non tamen reddendo; viris autem est licitum cum talibus decumbere, non ad exigendum debitum, sed ad reddendum petenti: intellige tamen de mulieribus gravidis quarum ita venter intumuerit ut superfœtatio sperari non possit.

Ad secundam illationem, neg. Conjugium enim non est propter solam filiorum procreationem, sed etiam propter ipsam naturalem in diverso sexu societatem, mutua obsequia. etc., ait S. Aug., lib. de *Bono Conjug.*, c. 3: eo ergo fine possunt senes inire Matrimonium, intendendo caste vivere, vel etiam Matrimonio uti, reddendo tamen, non exigendo debitum; quod si aliud intendant, ut sæpe fit, peccabunt, sed venialiter tantum.

Nec sequitur Ecclesiam imprudenter agere assistendo talibus matrimoniis et ea permittendo, tum quia propter rectum finem assignatum senes et steriles contrahere possunt: quod si intendant copulam ad delectationem, aut ad concupiscentiæ sedationem, id ipsis prudenter permittit cum Apostolo in minus malum ad vitandum majus. Neque necesse est ut eos moneat de non exigendo debito, sicut non monet juvenes de non exigendo ob solam voluptatem, cum id sciat vix aut ne vix ab ipsis esse servandum : unde melius est dissimulare eis minus malum, quam commonendo, exponere eos gravioribus peccatis incontinentiæ extra Matrimonium, quod etiam ab ipsis confessariis observandum est.

Ad tertiam, agnosco esse veram non quidem ratione status Matrimonii præcise, sed ex hominum corruptione, qui ideo in hoc statu sæpe debent dicere : *Dimitte nobis debita nostra;* unde cupit Apostolus ut omnes sint sicut ipse, et S. Petrus dicit quod *non expedit nubere.*

Cæterum sedulo advertant confessarii, ut jam monebam, nunquam avertere a Matrimonio contrahendo, aut copula exercenda eos qui dicunt se id velle in remedium concupiscentiæ, ne sapientes supra Apostolum eos inducant in mortalia, quos a venialibus indiscrete retrahere satagunt. Idem agendum cum iis qui accedunt ad mulieres steriles, senes aut gravidas, cum sit par ratio. Imo expedit nunquam de hac materia loqui coram uxoratis, utramvis sententiam teneas; si enim dicas id licere, ampliabunt ultra limites; si dicas ipsis non licere, eris ipsis in laqueum ad graviora perpetranda.

Petes 1° utrum sit etiam venialis culpa quando intenditur partim delectatio, partim prolis generatio ?

Resp. probabilius affirmative; quia tunc intenditur revera etsi inadæquate finis ad quem actus ex natura sua non ordinatur, servitur que libidini quodam modo dominanti, cum propter eam agatur.

Petes 2° utrum eam delectationem admittere et ei consentire ut medio tantum ad actum propter generationem prolis, vel redditionem debiti exercitum, sit etiam venialis culpa ?

Respondet Sylvius affirmative, quod conatur probare quibusdam SS. Augustini et Fulgentii auctoritatibus quæ tamen possunt explicari ad sensum petitionis præcedentis.

Ratio fundamentalis hujus sententiæ est quia illa delectatio in natura corrupta est in se turpis, immoderata, inhonesta, rationi non obediens, sed eam obscurans, cui ideo nihil deest ad rationem peccati, nisi voluntarium : atqui in casu petitionis ei voluntarie consentit ratio et ei obsequitur : ergo.

Unde iste auctor vult tantum licere conjugibus eam permittere, non ipsi consentiendo sicut princeps potest permittere usuras quibus non consentit, quando habet justam causam eas permittendi.

Neque necesse reputat voluntatem consentire libidini, eo quod consentiat actui cui ipsa adjungitur; non enim qui consentit uni statim consentit omni conjuncto cum illo; sic claudus licet libentissime ambulet, non tamen libenter claudicat. Et si forte sit impossibile rationem in ipso actu libidinem refrenare, quia ea quasi absorbetur, « potest tamen eam ordinare ante principium », ait D. Th. q. 41, a. 3, ad 6 et hic a. 4, ad 3. Hæc sen-

tentia est probabilis, sed difficillimæ praxis. Unde.

Respondet Dominicus Soto hic d. 31, q. 1, art. 3, cum multis aliis nullam esse culpam etiam venialem consentire delectationi propter actum; sive accedere ad conjugem cum delectatione placente, in casu conclusionis.

Ratio ejus est quia exercere actum conjugalem ea ratione et conditione qua a natura instigatur, nullum est peccatum : atqui natura sagaciter illi actui delectationem adjunxit propter conservandæ speciei necessitatem, sicut sumptioni cibi et potus propter conservationem individui : unde S. Hieron., epist. 10, dicit quod voluptas huic actui sit a Deo insita: et certe quis ab illo non abhorreret, si voluptas non alliceret ? Ergo sicut nullum est peccatum cibum et potum cum delectatione sumere, modo non edatur propter delectationem, ita nec exercere pariter conjugalem amplexum ; et qui contrarium sentiunt, inquit præfatus auctor, contendunt homines privare naturali sensu, cum tunc vix aut ne vix possit ratio delectationi dissentire.

Huic sententiæ favere videtur S. Doctor, o, cum dicit hanc delectationem esse secundum se bonam sicut actus ad quem sequitur est per se bonus et honestus; et quidem voluptas sensuum non est per se mala, sed bona ; unde etiam in statu innocentiæ actus conjugalis habuisset voluptatem, ut ait D. Th. 1 p. q. 98, art. 2, ad 3.

Verum utraque sententia conciliari potest: Si prius advertas delectationem veneream in actu matrimoniali posse considerari dupliciter: primo ut delectatio est præcise prout fuisset in statu innocentiæ absque eo quod nunc est in ea inordinatum ; 2° ut est per peccatum originale inordinata, immoderata, rationem non sequens, sed obtenebrans, adeoque turpis et pudenda, quomodo sortitur nomen libidinis. Quo notato,

Resp. Consentire delectationi in actu Matrimonii ad sensum petitionis præcise, ut est delectatio, dissentiendo ejus excessui et inordinationi, nullum videtur esse peccatum etiam veniale, idque probant rationes secundæ sententiæ. Neque debet reputari impossibile consentire delectationi et non ejus inordinationi conjunctæ, siquidem prima sententia non reputat impossibile consentire in actum et non in delectationem annexam ; potest ergo in unum consentire et aliud tantum permittere, dum subest ipsi non consentiendo.

Consentire vero delectationi immoderatæ et inordinatæ, ut nunc est in natura corrupta videtur venialis noxa; et id probant rationes primæ sententiæ.

ARTICULUS III.

DE ALIIS PECCATIS CONJUGUM IN USU MATRIMONII.

Præter peccata quæ conjuges committere possunt ex indebito fine in usu conjugii, ut vidimus art. præced., possunt alia committere ex parte modi, situs, temporis, loci, aliarumque circumstantiarum copulæ. Pro quo, præmissa elevatione mentis ad Deum,

Nota pro fundamento resolutionum tanquam principium generale, modum essentialem copulæ quæ est principaliter ordinata ad generationem prolis, esse ut fiat cum immissione et retentione seminis intra vas naturale, alioquin nisi ibi recipiatur et retineatur semen, impossibilis erit generatio.

Quoad modum et situm copulæ.

Dico : Usus copulæ inter conjuges in quo non servantur tria substantialia assignata vas debitum, immissio et retentio seminis in eo, aut periculum morale subsit, ne non serventur, est peccatum mortale contra naturam, gravius inter conjuges, quam inter solutos, utpote quasi adulterium contra fidem, quæ prohibet omnem usum carnis extra limites conjugii, et obligat, ut uterque servet alteri corpus suum.

Si vero his tribus substantialibus servatis, et certo servandis, accidat inordinatio circa accidentalia tantum copulæ in modo et situ, non est plusquam veniale, quia substantialia copulæ servantur ad finem generationis.

Hinc colliges 1° copulam inter conjuges in vase præpostero, vel quocumque alio non naturali, ore, aure, etc., sive eam ibi consumment, sive propter majorem delectationem ibi inchoent, cum intentione consummandi et seminandi in vase naturali, esse nefandissimum flagitium contra naturam, includens insuper rationem aliquam adulterii, ut dixi, et sodomiæ imperfectæ ; attamen, parce, pudice lector, simpliciter osculari, lambere obiter, solum ore excipere verenda viri, aut ea fricare in superficie vasis posterioris uxoris, excusant a mortali Fillucius, Jacobus Marchantius, Sanchez quos citat et sequitur Sporer, quia sic habentur pro tactibus impudicis.

Colliges 2° quod omnis pollutio voluntaria inter conjuges, aut effusio seminis extra vas legitimum, abrupta, vel nondum inchoata copula, sit lethale crimen : si tamen, ait Soto in 4 d. 31, art. ultimo, dum vir bona fide legitime congredi conatur, festinantius fortasse extra vas seminat, non est vitio dandum, etiamsi metus aliquis eum prius subierit, quia illud festinationi naturæ tribuendum est. Idem videtur dicendum si id præter intentionem accidat ob senium, vel ob indispositionem partis alterius etiam voluntariam, quamdiu spes probabilis remanet copulam debite perficiendi : ita Sporer post Cajetanum, Sanchez, etc.

Colliges 3° uxores quæ semen jam receptum ejiciunt, aut conantur ejicere, quacumque de causa faciant, sive paupertatis ne multiplicetur proles, sive infirmitatis vitandæ, sive etiam periculi mortis in partu, peccare mortaliter.

Si tamen cessante omni periculo pollutionis in utroque conjuge mutuo consensu copulam abrumpant, antequam saltem fœmina seminaverit, ne proles generetur, ob inopiam, sive ob aliam causam, non peccare mortaliter docent satis communiter doctores Cajeta., Palud., Armilla, Sporer, Basilius Pontius et alii, quia illa vasis fœminei penetratio, absque seminatione, et pollutionis periculo, reputatur instar tactuum pudendorum qui inter conjuges excusantur saltem a mortali. Dixi : Antequam fœmina saltem seminaverit, quia si fœmina jam seminavit, aut ad id excitata sit, lethale crimen erit abrumpere copulam ante seminationem viri.

Colliges 4° quod quando vir uxori resupinus succumbit, aut præpostere accedit in vase tamen naturali, non videtur peccatum mortale, sed veniale, crassum quidem, obscenum et viris probis exhorrendum. Quod sit peccatum saltem veniale patet, quia est inversio ordinis naturæ. Quod non sit mortale etiam patet, quia nisi ob peculiarem corporis dispositionem aut morbum, non est periculum seminationis extra vas, aut conceptionis impediendæ, eo quod semen non recipiatur in matricem per infusionem seu descensum, sed per virtutem attractivam, sicut cibus in stomachum : imo multi volunt, et bene, nullum esse peccatum præpostere in vase tamen naturali aut viro succubo coire, si adsit justa causa, v. g., ne proles suffocetur, si uxori prægnanti vir incumbat, etc. : unde in tribunali, quando conjuges confitentur se sic convenisse, non est opus communiter inquirere, an semen extra effuderint, sed tantum acriter eos objurgare, et a tali coitu deterrere, ubi non est justa causa.

Utrum necesse sit ad conceptionem prolis, conjuges simul seminare? Id tanquam magis prolificum requirunt medici, non ut absolute necessarium : unde non peccat saltem mortaliter vir se tactibus ad venerem excitans, sciens se ob id citius seminare; et postquam seminavit, non tenetur fœminæ seminationem expectare : ubi autem vir semine intra vas recepto membrum virile extraxit, potest fœmina quæ nondum seminavit tactibus se excitare ad seminationem; quia ista excitatio est actus conjugalis consummatio et perfectio, et alioquin maximo periculo committendi peccata mortalia exponeretur.

Quantum ad circumstantias loci et temporis.

Dico 1° : Locum secretum esse oportere ipsa naturalis verecundia dictat, et ne fiat in loco sacro, debita ipsi reverentia, et lex Ecclesiæ prohibent sub mortali, etiam probabilius in casu necessitatis : de quo vide de Temperantia, dissert. 6, art. 8.

Dico 2° : Tempus secretum et nocturnum suadet verecundia naturalis, non videtur tamen stricte obligare.

Dico 3° : Convenientissimum et decentissimum est abstinere [1] a carnali copula diebus festivis, præsertim die quo SS. Eucharistia recipienda, vel recepta est; ita tamen quod non sit plusquam veniale in petente, in reddente autem sæpe nullum, maxime si carnales illecebræ non diu hæreant imaginationi : de quo vide de Eucharistia, dissert. 6, art. 4, § 2.

Dico 4° : Exigere copulam tempore menstrui, seu puerperii, multi cum S. Bonaventura accusant peccati mortalis; reddere venialis, propter periculum prolis vitiosæ et monstrosæ, quod ex tali copula imminet; at cum raro credatur conceptio fieri in congressu tempore menstrui, et rarimissa appareant in prolibus damna, licet innumeri tunc copulentur, Sylvius cum Paludano, S. Antonino, Cajetano, Navarro, et aliis quos citat, tenent esse duntaxat veniale in petente, in reddente autem nullum, si non possit commode recusare.

Affertur quidem ab adversariis in contrarium lex Levitici 15, 18, 20 et Ezechiel. 18, quam S. Augustinus, lib. 3, *de Peccatorum meritis*, cap. 2, inter illa præcepta annumerat, quæ non sunt figurate accipienda; sed

[1] Supp. q. 64, a. 5, 6, 7.

Resp. præceptum vetans congressum mariti cum menstruata esse quidem naturale, quatenus ille congressus est jure naturæ malus propter materiæ indispositionem et indecentiam, ac turpitudinem; non videtur tamen hac ratione obligare sub mortali, quapropter ex ea parte, qua lex pœnam mortis comminatur, est judicialis, ac proinde sub hac ratione abrogata.

Dico 5° : Actus conjugalis cum uxore gravida, ubi nulla est spes superfœtationis, est peccatum tantum veniale ex parte petentis, nullum ex parte reddentis, si commode recusare non potest, nisi immineat periculum abortus : unde

Dico 6° : Generaliter exercere actum conjugalem cum periculo morali abortus, monstrosæ prolis, gravis detrimenti salutis corporalis in alterutro conjuge, est per se loquendo peccatum, vel mortale, vel veniale pro gravitate vel levitate periculi et detrimenti. Per se patet, quia sicut non licet ista damna creare, ita nec illorum periculum subire. Id magis explicabitur art. seq.

Quantum ad accessoria copulæ, oscula, tactus, amplexus, aspectus, delectationes morosas, etc.

Dico 1° : Quæcumque oscula, tactus, amplexus, aspectus, turpiloquia libidinosa inter conjuges præsentes sine periculo pollutionis, et intra terminos honestatis naturalis, sunt licita, si fiant in ordine, et ex intentione copulæ ; sunt autem peccata duntaxat venialia, si in eis sistatur, nec ordinentur ad copulam.

Dico 2° : Tactus et aspectus libidinosi proprii corporis in uno conjuge, saltem altera parte absente, sunt peccata mortalia.

Dico 3° : Delectatio venerea de copula in conjuge absente probabilius est peccatum mortale, propter commotionem carnis, quæ in casu non ordinatur ex se ad copulam sed ad pollutionem.

Has tres conclusiones probatas et explicatas habes in tract. de Temperantia, dissert. 6, duas primas, art. 17, tertiam, art. 15, § 4. Illuc te remitto, lector benevole, ne actum agam.

ARTICULUS IV.

DE OBLIGATIONE REDDENDI DEBITUM.

§ I.

Utrum conjux teneatur petenti reddere debitum ?

Est inter debitum conjugale et alia debita discrimen quod qui petit debitum conjugale petat usum rei suæ; per matrimonium enim corpus viri transiit sub dominium uxoris tanquam res sua, et corpus uxoris vicissim in dominium viri : qui autem petit alia debita sive ex contractu sive ex delicto, non semper petit usum rei suæ, sed ut res fiat sua : unde petens debitum conjugale potest comparari repetenti depositum, cum hac tamen differentia quod repetens depositum solus eo utatur; petens autem debitum conjugale, eo non utitur, nisi simul compars utatur : ex quo jam habes quod quando iste usus est intrinsece malus, non possit magis reddi quam peti.

Suppono conjugem per se non teneri petere debitum, quia potest cedere juri suo et non uti re sua [1]. Dixi : « Per se », quia per accidens aliquando tenetur, si nempe judicet compartem desiderare et præ verecundia non audere petere expresse, quod frequentius est in fœminis quam in viris; idque præsertim si videant imminere periculum incontinentiæ ; sed tunc est potius redditio debiti quam petitio, quia alter tacite petit.

Dico [2] : Conjugi serio et rationabiliter petenti expresse vel tacite debitum conjugale, compars reddere tenetur sub mortali.

Ratio est, quia in contractu matrimoniali facta est mutua traditio et acceptatio corporum ad usum conjugalem, ex quo oritur obligatio justitiæ reddendi petenti serio et rationabiliter corpus ad hunc usum; et cum ista obligatio sit in re gravi, est gravis : unde Apost., 1 Corinth. 7 : *Uxori*, inquit, *vir debitum reddat, similiter et uxor viro* ; rationemque reddit : *Quia mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir ; similiter autem vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*.

Ex quo inferes graviter peccare viros contra hanc obligationem, qui sive pollutionibus, sive frequenti accessu ad alias, sive laboribus aut macerationibus indiscretis, se reddunt impotentes ad redditionem debiti : similiter mulieres qui indiscretis abstinentiis aut mortifica-

[1] Supp. q. 64, a. 1, o. [2] Ibid. a. 1, o.

tionibus, ita se deformes exhibent, ut reddantur exosæ maritis; secus tamen si abstinentiis et macerationibus moderatis se minus potentes aut minus gratas redderent, quia non censentur se obligasse ad omittendum moderatum exercitium virtutis cum detrimento salutis ad satisfaciendum huic debito.

Inferes item conjugem non posse diu abesse, conjuge invita, maxime si immineat periculum incontinentiæ, nisi forte id absolute requirant necessitates familiæ, aut nisi contrahendo matrimonium sciverit, aut præmonita fuerit compars de absentiis futuris conjugis, ut si duxit negotiatorem, militem, aulicum, tunc enim censetur consensisse.

Dixi 1° : Serio petenti, tanquam scilicet debitum justitiæ, quod colligitur si instanter petat, nec nisi ægre et cum asperitate repulsam patiatur; secus si petat amicabiliter ut amicus ab amico petit quod aliunde est debitum, sed nolens in rigore obligare; quod colligitur in viro si facile acquiescat, non in uxore, quæ sæpe ex verecundia non audet urgere.

Dixi 2° : Petenti rationabiliter, ita ut nulla subsit causa justa, sive ex parte petentis, sive ex parte reddentis, sive copulæ, sive prolis, denegandi vel differendi; sic enim intelligitur omnis contractus humanus, nec ullus prudenter contrahens censetur se obligare ad aliquid irrationabile.

Hinc inferes 1° non peccare conjugem negando debitum petenti in amentia, in furore vel absoluta ebrietate, quia non petit rationabiliter et ut homo, sed ut bestia; excipe nisi ad aliam esset accessurus aut se polluturus, tunc enim per accidens ex charitate tenetur reddere. Item non peccat denegando frequentius et importunius petenti, ut si ter quaterve in eadem nocte petat, si diu noctuque, neque etiam si rationabiliter petenti parum differat, ut in aliis debitis, nisi forte sit periculum incontinentiæ in mora.

Inferes 2° non peccare [1] qui denegat in morali periculo mortis aut gravis morbi, ut si petens laboret lepra, morbo venereo, vel alio contagioso, aut si mulier ex medicorum consilio, vel experientia constituatur in periculo probabili mortis si concipiat aut pariat: « Quia, inquit Doctor noster, Matrimonium principaliter institutum est in officium naturæ et ideo in actu ipsius servandus est naturæ motus, secundum quem nutritiva non ministrat generativæ nisi illud quod superfluit ad conservationem individui; quia hic est ordo naturalis, ut prius aliquid in seipso perficiatur et postmodum alteri de perfectione sua communicet, et hic est etiam ordo charitatis quæ naturam perficit. Et ideo cum uxor in virum potestatem non habeat nisi quantum ad generativam virtutem, non autem quantum ad ea quæ sunt ad conservationem individui ordinata, vir tenetur uxori debitum reddere in his quæ ad generationem prolis spectant, salva tamen prius personæ incolumitate. » Imo nec liceret in tanto periculo reddere, quia homo non habet dominium sui corporis aut vitæ, etiamsi adverteret in comparte periculum incontinentiæ, quia non est in extrema necessitate, cum possit aliis remediis suæ incontinentiæ subvenire ; posset tamen sancte et laudabiliter reddere in hoc ultimo casu, profundens ex charitate vitam temporalem, ne proximus in æternum pereat.

[1] Ibid. a. 1. o.

Si huic illationi opponas Alexandrum III, cap. 2, de Conjug. lepros., sic respondisse: « Si virum vel uxorem leprosum fieri contigerit et infirmus a sano debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur est solvendum », respondent communiter theologi Pontificem locutum fuisse ex præsumptione quod non adsit periculum proximum infectionis, quippe quod caveri potest vestitu aut situs mutatione: ita etiam intelligendus S. Th. hic ad 4.

Similiter non eximeretur mulier a reddendo debito propter levem febrim, dolorem dentium, aliosve dolores et infirmitates prægnantibus et parturientibus communes.

Inferes 3° quod si sit periculum morale abortus, aut prolem non esse edendam vivam, nec petere, nec reddere liceat cum tanto damno tam corporali quam spirituali prolis, quod si sit tantum periculum infirmitatis in prole, licet reddere, quia, ut ait Auctor, [1] melius est ei sic esse quam penitus non esse.

Inferes 4° probabilius, non esse licitum negare petenti debitum ob multiplicationem prolium, quia matrimonium est ad id institutum et melius est proli quod vivat inops quam quod non vivat, præsertim cum inter Christianos vix unquam eveniat extrema paupertas, Deo, qui volatilia pascit, providente, et piorum hominum charitate opitulante.

Dixi : Per se, quia multi opinantur, quod si parentes nec in re, nec in spe habeant, unde provideant liberis decenter ad suum statum;

[1] Ibid.

in hoc casu licitum sit petenti denegare, secluso tamen incontinentiæ periculo, quod ego arbitror raro abesse, quando perseveranter, et diu denegatur. Consultum foret conjugibus in hoc casu pacisci de non petendo nec reddendo debito, quod licite possunt propter hunc finem.

§ II.

Utrum sit reddendum debitum illicite petenti?

Plures hic distinguunt inter petitionem injustam et illicitam. Dicunt petitionem esse injustam, quando petens privatur jure petendi, ut si contraxit affinitatem per copulam incestuosam cum consanguinea uxoris in primo vel secundo gradu; petitionem esse illicitam, quando petens non est privatus jure petendi, peccat tamen petendo, ut si sit adstrictus voto castitatis. At salva doctissimis theologis reverentia debita, existimo neutrum privari jure petendi debitum, sed in utroque ligari, in uno per legem ecclesiasticam, in altero per votum seu promissionem de non concedendo usu sui corporis alteri; primus enim non minus quam secundus retinet dominium in corpus suæ compartis; et ideo si copulentur non sunt adulteri : ergo retinet jus quod est ipsum dominium aut in quo fundatur, nisi dicas utrumque privari jure proximo et expedito, quod non negamus.

Potest autem copula esse illicita, vel ex parte petentis, ut si prohibeatur petere propter votum, aut affinitatem dictam aut cognationem spiritualem contractam ex Baptismo seu susceptione prolis matris seu communis; vel est illicita ex parte actus, ut si petatur indebito modo, loco, tempore, aut cum periculo suffocationis prolis, etc.

Dico 1° : Quando copula est mortaliter illicita ex parte actus, ut si petatur in loco sacro vel publico, in vase præpostero, cum periculo suffocationis prolis, etc., non licet reddere petenti debitum. Est communis et certa, quia cum reddens ponat copulam sicut ipse petens, concurrit cum ipso ad eumdem actum malum.

Dico 2° : Quando copula est mortaliter illicita ex parte solius petentis, sive ob affinitatem aut cognationem spiritualem, sive ob votum, si debitum possit commode negari, non licet reddere : si vero ex denegatione prævideantur gravia incommoda, iræ, dissensiones, odia, accessus ad aliam, etc., potest et debet reddi.

Ratio primæ partis est quia alioquin reddens concurreret indirecte ad peccatum petentis, quod tenetur impedire dum commode potest. Neque dicas licitum esse dare bursam latroni, usuras usurario, depositum furenti; nec enim id tibi licitum est, si commode possis impedire, nec in eo excusaris, nisi propter necessitatem et periculum graviorum incommodorum.

Ratio secundæ partis est quia tunc reddens se habet permissive ad peccatum alterius, cum habeat justam causam illud non impediendi. Pro utraque conclusione confer quæ dixi, dissert. 8, de Jure et justitia, a. 13, § 6.

Quidam consulunt pro praxi, ut pars libera suspicans partem impeditam petituram debitum, ipsa prius petat, quod si præveniatur a comparte, nihilominus convertat redditionem in petitionem.

Dixi in conclusione utraque : Quando copula est mortaliter illicita, quia plures existimant quod si sit tantum venialiter mala, possit et debeat reddi. Et quidem id videtur certum si sit tantum venialiter mala ex parte petentis, quia non tenemur semper corripere fratrem venialiter delinquentem, nec abstinere ab actu alias licito propter peccatum veniale alterius, alias vix subsisteret societas humana. Non autem est ita certum si copula sit venialiter illicita ex parte actus, quia esset positive concurrere ad actum secundum se malum. At dicunt quod non sit venialiter malus nisi propter aliquam indecentiam, quam abstergit necessitas. Cæterum nollem ingerere scrupulum ingenuæ mulieri quæ pro bono pacis et ne quid pejus contingat, in his morem gereret marito, dum impedire commode non potest.

Pestes 1° quid sit censendum, si uterque conjux habeat impedimentum affinitatis aut voti?

Resp. neutrum posse per se petere nec reddere, quia sive petendo, sive reddendo peccat contra legem aut votum. Si tamen ex negatione redditionis sequerentur gravissima mala, multi volunt quod tunc possit reddi, etiamsi votum mutuo consensu esset emissum, quia, inquiunt, nec Ecclesia obligat, nec Deus votum acceptat cum tanto damno.

Non potest autem conjux sine consensu compartis votum castitatis emittere, quia invalidum est votum de re quæ est alterius aut alteri obligata. An saltem possit vovere, non petere debitum? Require dissert. 4, de Religione, artic. 8, conclus. 7.

Petes 2° utrum si mulier violenter opprimatur a consanguineo viri sui, impediatur petere debitum ?

Resp. quod, quamvis affinitatem contrahat, non prohibeatur tamen petere debitum, quia pœna non imponitur nisi propter culpam ; hic autem non est culpa. Aliud esset si ex gravi metu consentiret, quia esset ibi culpa, quamvis aliis contrarium non improbabiliter videatur, quia Ecclesia benigna mater non censetur velle tam gravi pœna mulctare eos qui in tali angustia non servant ejus leges.

Petes 3° utrum conjux consentiens concubitui incestuoso suæ compartis contrahat inde impedimentum petendi debitum ?

Respondent multi affirmative, quia cap. *Discretionem*, et cap. *Tuæ fraternitatis* de eo qui cognovit, lib. 4, tit. 13, dicitur quod affinitas ista « non debet officere ei qui hujusmodi iniquitatis particeps non existit » : ex quo inferunt a contrario sensu quod si particeps fuerit, ei noceat. Verum respondent alii, nec minus probabiliter, in odiosis et pœnis non recte argui a contrario sensu ; neque pœnam tam gravem esse asserendam, nisi exprimatur formaliter in jure, quod non fit in præsenti casu.

Petes 4° utrum contrahant hoc impedimentum qui ignorant legem ?

Resp. impedimentum, ortum ex copula incestuosa, contrahi ab ignorante legem ecclesiasticam, quia non ignorat legem naturalem quam transgreditur ; pœna autem imponitur ab Ecclesia, non solum propter transgressionem suæ legis, sed etiam propter transgressionem legis naturalis quam vult observari ; non incurreret tamen si ignoraret mulierem ad quam accedit esse consanguineam suæ uxoris in primo vel secundo gradu, quia tunc non foret incestus formaliter. Impedimentum autem ortum ex Baptismo, vel susceptione prolis matris seu communis, non incurritur ab ignorante hanc legem, quia ipse non peccat ; ubi autem non est peccatum, non est pœna. Confer quæ dixi dissert. 5, de Peccatis, art. 7.

Petes 5° quid in dubio de valore Matrimonii, quantum ad petitionem vel redditionem debiti ?

Resp. 1° : Conjux dubitans de valore Matrimonii, dubio non levi aut scrupuloso (illud enim debet contemni), sed fundato et discreto, non potest petere debitum , sed petenti debet reddere. Ita expresse quoad omnes responsionis partes Innocent. III, cap. *Inquisitioni*, de Sentent. Excommunicat. Et ratio est, quia in dubio tutius est eligendum : tutius autem est non petere, quia petendo se exponit periculo fornicationis sine necessitate, cum sit ipsi liberum non petere ; et tutius est reddere ; quia licet reddendo exponatur etiam periculofornicationis, non reddendo exponitur periculo injustitiæ contra compartem, quæ non dubitat, et ideo habet jus petendi ; gravius autem est peccatum injustitiæ quam fornicationis, ideoque tutius est se exponere periculo fornicationis quam injustitiæ.

At forte ideo dubitat de valore Matrimonii, quia dubitat de morte prioris conjugis ? In quo casu erit etiam periculum injustitiæ, si reddat: ergo non poterit reddere. Resp. neg. conseq., quia si non reddat ultra periculum injustitiæ, erit simul ex parte petentis periculum iræ, blasphemiæ, pollutionis, commixtionis cum alia forte uxorata, aut consanguinea, aut moniali, quæ omnia, cum periculo injustitiæ, sunt quid gravius quam periculum simplicis injustitiæ quod incurrit reddendo.

Resp. 2° : Si uterque conjux dubitet de valore Matrimonii, neuter potest petere debitum aut reddere per se loquendo : non petere, quia sine necessitate exponitur periculo fornicationis, ut modo dicebam ; non reddere, quia petens in dubio peccat petendo. Si tamen ex denegatione redditionis prævideantur secutura gravia mala, pejora quam periculum fornicationis, potest reddere et se habere permissive ad peccatum petentis, cum sint justæ causæ illud non impediendi ; sicque semper eligit tutius. Harum responsionum fundamenta habentur in tract. de Actibus humanis, dissert. 6, de Opinionum probabilitate, artic. 2.

Petes 6° utrum adulter privetur jure petendi debitum ?

Resp. non sic privari quod peccet petendo, sed sic quod compars posset illi denegare, quia frangenti fidem fides merito non servatur ; et aperte colligitur ex cap. 5 et 9 Matth.; si autem compars sit etiam adultera, negare non potest, quia jam est compensatio injuriæ. Similiter si pars innocens semel remisit injuriam, sive expresse verbis, sive tacite signis, ut sponte reddendo debitum, aut exhibendo signa amoris conjugalis, modo tamen his non obstantibus animo non gerat servare suum jus.

DISSERTATIO V.

De Unitate et Indissolubilitate Matrimonii.

A q. 59 ad 67.

Postquam egimus de essentia, dispositionibus, causa efficiente et bonis Matrimonii, nunc de ejus proprietatibus quæ sunt unitas et indissolubilitas, quas bona Matrimonii important.

ARTICULUS I.

DE UNITATE MATRIMONII.

Unitatem Matrimonii voco, quando est unius cum una, et dicitur *monogamia*. Illi opponitur multiplicitas virorum cum una, et dicitur *biviratus*, et multiplicitas uxorum cum uno viro, quæ si sit simultanea, dicitur *polygamia*, si sit successiva post mortem prioris uxoris, dicitur *bigamia*.

Suppono [1] ut certum biviratum, seu multiplicitatem virorum simul cum una muliere esse jure naturæ illicitum, quia est contra primarium finem Matrimonii, consequenter contra prima præcepta legis naturæ; finis enim primarius Matrimonii est prolium generatio et educatio; per commixtionem autem plurium seminum impeditur generatio ut patet in meretricibus, et ex plurium congressu cum una incertum est cujus viri sit proles, sicque nullus illius educationis curam suscipit; et ideo nunquam lege vel consuetudine permissum est unam mulierem habere simul plures viros. Est ergo quæstio de polygamia et bigamia : unde

§ I.

Utrum polygamia sit jure naturæ prohibita?

Dico : Polygamia [2] non repugnat finibus primariis Matrimonii, sed secundariis; consequenter non est contra jus primarium naturæ, sed contra secundarium; quia id quod est contra finem primarium a natura intentum in certa materia, est contra primarium naturæ præceptum non universalissimum, sed in ista materia; quod autem reddit istum finem difficilem, seu est contra finem secundarium a natura intentum, est contra secundarium naturæ præceptum.

[1] Supp. q. 65, a. 1 ad 7. [2] Ibid. o.

Prob. prima pars : Finis primarius Matrimonii [1] est procreatio et educatio prolis : atqui unus homo sufficit pluribus fœminis fœcundandis et pluribus prolibus ex eis educandis : ergo.

Prob. secunda pars : Finis secundarius Matrimonii [2] est socialis et pacifica vita atque mutua obsequia : atqui his finibus repugnat pluralitas uxorum; inde enim natæ sunt sequi dissensiones propter zelotypiam naturalem in sexu fragili causatam, sive ex inæqualitate affectus unius viri, sive quia unus vir non potest satisfacere pluribus simul petentibus debitum, sive quia communicatio plurium in eodem officio causat lites, sicut figuli corrixantur ad invicem.

Alter finis secundarius Matrimonii est significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia, quem etiam tollit polygamia; Christus enim est unus et Ecclesia una.

Denique cum uxor totaliter tradat corpus suum, æquitas naturalis exigit ut vir totaliter etiam suum tradat.

Obj. contra primam partem : Matrimonium essentialiter consistit in mutua traditione corporum : atqui quod est semel traditum uni, non potest alteri tradi : ergo. Confirm. Apostolus, 1 Cor. 7, dicit : *Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir : similiter nec vir*

[1] Ibid. [2] Ibid.

potestatem habet sui corporis, sed mulier. 2° Id quod habuit Matrimonium in prima sua institutione, videtur de ejus essentia : atqui ex dictis Matrimonium habuit ex sua prima institutione esse unius cum una : ergo. 3° Unum ex primariis et universalibus naturæ principiis est: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris : atqui vir non vellet uxorem habere alios viros : ergo. 4° Obligatio reddendi debitum petenti est essentialis Matrimonio : atqui vir non potest reddere debitum pluribus uxoribus simul petentibus : ergo. 5° Polygamia est contraria educationi prolis, quam diximus esse de primario fine Matrimonii : ergo. Prob. ant. ex D. Th. hic, art. 1 ad 4, ubi dicit animalia, in quibus ad educationem prolis requiritur sollicitudo maris et fœminæ, naturali instinctu servare conjunctionem unius ad unam, sicut patet in turture et columba et hujusmodi ; et inde probat polygamiam esse contra jus naturæ : ergo quia est contra educationem prolis ; alioquin ejus probatio esset inefficax.

Resp. ad primum, dist. maj. Essentia Matrimonii [1] consistit in mutua traditione corporum, quantum ad usum conjugalem necessarium fœcundationi uxoris, conc.; quantum ad omnia, neg. Unde, attenta præcise essentia Matrimonii, non repugnat quod vir etiam alteri tradat, cum possit plures fœcundare.

Inferes ; Ergo hæc conditio, quod poterit corpus alteri tradere, potest apponi in contractu matrimoniali. Resp. dist. illatum : Hæc conditio potest apponi attenta præcise essentia Matrimonii, conc.; intelligendo scilicet de aliis uxoribus ; attento statu legis evangelicæ in quo polygamia est abrogata, et Matrimonium revocatum ad suam primam institutionem ut dicemus, neg.

Et hinc patet responsio ad confirmationem, quia loquitur Apostolus de Matrimonio attento statu legis evangelicæ, non attenta præcise ejus essentia.

Ad secundum, neg. ant., quia natura humana [2] absque omni defectu instituta est, et ideo non solum fuerunt ei indita illa, sine quibus Matrimonii finis principalis esse non potest, sed etiam illa sine quibus secundarius finis Matrimonii haberi non posset, et hoc modo homini in ipsa sui institutione habere unam uxorem sufficit.

Ad tertium, illud præceptum legis naturæ :[3] Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris, debet intelligi eadem proportione servata ; non enim si prælatus non vult sibi resisti a subdito, ipse subdito resistere non debet; et ideo non oportet ex vi illius præcepti, quod, sicut vir non vult quod uxor sua habeat plures viros vel alium virum, ipse non habeat aliam uxorem, quia unum virum habere plures uxores non est contra prima præcepta legis naturæ, ut dictum est ; sed unam uxorem habere plures viros est contra prima præcepta legis naturæ.

Ad quartum, jam responsum est quod attenta præcise essentia Matrimonii, [2] vir non dat per Matrimonium sui corporis potestatem uxori quantum ad omnia, sed solum quantum ad illa quæ Matrimonium requirit. Non autem requirit Matrimonium ut quolibet tempore uxori petenti vir debitum reddat, nisi quantum ad id ad quod Matrimonium est principaliter institutum, scilicet ad bonum prolis, et hoc est quantum sufficit ad imprægnationem.

Ad quintum, neg. ant. Ad probat. ex D. Th. neg. conseq. Nam S. Th. in corpore articuli expressis verbis asserit quod polygamia « neque aliqualiter impedit Matrimonii primum finem, cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus fœcundandis et educandis filiis ex eis natis » : ergo juxta ipsum polygamia non est contra educationem prolis. Nec tamen sequitur quod ejus probatio sit efficax ; in hoc enim sita est quod, sicut in animalibus sollicitudo de prole causa est cur retineant conjunctionem unius ad unum, ita in hominibus, cum hoc tamen discrimine, quod in animalibus pluralitas fœminarum immediate hanc sollicitudinem impediret, in hominibus impediat tantum aliquid secundarium, sequens ad hanc curam, scilicet socialem vitam et communicationem in mutuis obsequiis, quod est finis secundarius Matrimonii.

Obj. 1° contra secundam partem : 1° S. Ambrosius citatus, c. *Dixit* causa 33, q. 4, excusans Abraham quod præter Saram duxerit Agar, dicit : « Non crmmisit in legem, sed legem prævenit » : ergo censebat polygamiam non esse contra legem naturæ. 2° S. Aug., lib. 22, *contra Faust.*, c. 47, dicit pluralitatem uxorum factam fuisse licitam in antiqua lege ex consuetudine : « Quando, inquit, mos erat, crimen non erat, et nunc propterea crimen est quia mos non est » : atqui consuetudo non potest contra jus naturæ prævalere : ergo. 3° Aliquando pluralitas uxorum est necessaria fini primario Matrimonii, ut si uxor sit sterilis : fines autem secundarii debent cedere primario : ergo. 4° Uxor potest in toto

[1] Ibidem ad 6. [2] Ibidem ad 5. [3] Ibidem ad 7.

[1] Ibidem ad 6.

cedere juri suo, v. g., consentiendo ut vir fiat religiosus : ergo potest cedere in parte, consentiendo ut vir alteri nubat.

Resp. ad primum, S. Ambrosium loqui de lege positiva quæ tunc nondum erat prohibens sub pœna adulterium et polygamiam. Vide § seq.

Ad secundum, S. Augustinus intelligit de consuetudine fundata in legitima dispensatione, quæ hanc consuetudinem induxit, nunc autem quia cessavit dispensatio, cessavit et consuetudo.

Ad tertium, dist. min. Fines secundarii [1] debent cedere primario ex dispensatione legislatoris, conc.; secus, neg. Itaque ea quæ sunt contra legem naturæ quoad secundaria præcepta tantum et conclusiones deductas ex primis, qualis est pluralitas uxorum, ut dictum est, variari possunt secundum diversas conditiones personarum, temporum et aliarum circumstantiarum; sed quia non est facile determinare hujusmodi varietates ; ideo illi, ex cujus auctoritate lex efficaciam habet, reservatur, ut licentiam præbeat legem prætermittendi in illis casibus ad quos legis efficacia se extendere non debet, et talis licentia dispensatio dicitur. Quamvis ergo in aliquibus casibus fines secundarii debeant cedere primario, hoc determinare non pertinet ad quemlibet, sed ad eum qui legem statuit, ut ex ejus dispensatione licite fiat : seu brevius, ut alibi dicit S. Doctor, hoc est per accidens, quod autem est per accidens non cadit sub determinatione legis, sed quod est per se.

Ad quartum, dist. : Uxor potest cedere juri suo in quantum est in ejus favorem, conc., et sic potest consentire ut vir fiat religiosus ; in quantum est in favorem Matrimonii, neg. Unde non potest consentire seu præbere facultatem viro, ut aliam ducat, quia hoc est contra naturam Matrimonii.

§ II.

Utrum polygamia fuerit aliquando licita?

Dico 1° : Post diluvium polygamia fuit licita ex dispensatione divina [2].

Prob. 1° ex S. Scriptura ; Deuteron. 21, Deus per Moysen dicit : « *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam et alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum et præferre filio odiosæ.* Ibi aperte supponitur fuisse apud Judæos consuetudinem habendi plures uxores, nec reprobatur.

2° Ab exemplis sanctissimorum patriarcharum Abrahæ, Jacob et Davidis, qui plures habuerunt uxores, nec in hoc reprehenduntur.

3° Ex SS. Patribus : Ambrosius, l. 1, de Abraham, cap. 4, dicit conjugium Abrahæ cum Agar non fuisse peccatum, quia Deus id voluit ad significandum mysterium. S. August. in pluribus locis, lib. 16, *de Civit.*, c. 30, lib. 22, contra Faust., cap. 47, lib. de *Bono conjugali*, c. 17, lib. 3, de *Doctrin. Christ* c. 12, asserit veteres non pecasse sibi copulando plures uxores. Pariter S. Chrysost., hom. 56, in Genes. Et Innocent. III, cap. *Gaudemus* de divort. : « Nulli, inquit, unquam licuit simul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum; sicut Jacob a mendacio, Israelitæ a furto, Samson ab homicidio, sic et patriarchæ et alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur. »

Obj. 1° : Joan. 8, Judæi dicebant : *Nos ex fornicatione non sumus nati*, id est, non descendimus ex Agar, sicut Ismaelitæ, sed ex Sara legitima uxore. Et S. Ambros., lib. 1 citato *de Abraham*, cap. 4, volens excusare accessum Abrahæ ad Agar, dicit 1° adulterium tunc temporis nondum fuisse prohibitum; 2° quod non amore libidinis, sed posteritatis hoc fecerit ; et quod « pro hujus facti pœnitentia Deus dixit illi ; *Ego sum Deus tuus, emerere in conspectu meo, et esto sine querela* », Genes. 17, v. 1 : ergo juxta S. Ambrosium Deus non dispensaverat in polygamia. Item S. Aug., lib. 22, *contra Faust.*, c. 30, et lib. 16, *de Civit.*, c. 25, hac etiam sola ratione excusat Abraham, quod « non libidine, sed prolis gratia, idque uxore cogente fecerit » : efficacius autem excusasset, si Agar fuisset vera uxor Abrahæ.

Resp. dictum Judæorum intelligendum esse de fornicatione spirituali, id est, idololatria, quippe quæ in S. Scripturis sæpe appellatur fornicatio : patet ex præcedentibus et subsequentibus, prius enim dixerant : *Pater noster Abraham est*, et post verba instantiæ, *unum patrem habemus Deum :* quasi dixissent : Nos non descendimus ex idololatris, sed ex patriarchis qui unum Deum colebant ; sed esto quod de fornicatione carnali loquerentur, non sequitur quod de fornicatione Abrahæ cum Agar intelligerent; et, hoc iterum dato, nihil nos cogit falsæ eorum opinioni subscribere.

Ad S. Ambrosium : Equidem laboravit in

[1] Ibidem a. 2, o. [2] Ibidem a 2, o.

excusando Abraham, et videtur in hoc aliquando fluctuasse. Quantum ad primam ejus rationem, jam diximus intelligendum esse de lege positiva. Quod si de lege naturali intellexerit, admitti in hoc non potest, cum certum sit adulterium omni tempore fuisse lege naturæ prohibitum. Quantum ad secundam rationem, revera per eam excusandus venit Abraham secundum quid et magis quam si ex libidine id fecisset, licet ut omnino excusaretur, non sufficeret sine dispensatione in lege : quod autem addit, quod « Deus pro hujus facti pœnitentia dixit illi: Emerere coram me, » sumit pœnitentiam improprie, pro majori conatu quam antea ad perfectionem et fiduciam; subdubitabat enim Abraham, an Sara sterilis et nonagenaria posset parere : habet Vulgata nostra : *Ambula coram me et esto perfectus.* At tertiam rationem et hanc veram addit S. Ambrosius cur non peccaverit in hoc Abraham, scilicet quia Deus voluit id eum facere propter mysterium.

Ad S. Augustinum : Hanc solam rationem ibi adduxit S. Doctor quia ejus scopo sufficiebat; agebat enim contra manichæos, qui objiciebant libidinem Abrahæ, quibus respondet « non lubrico carnis, sed posteritatis amore ad multas accessisse uxores. » Alibi autem agnoscit veteres non peccasse in polygamia, ut patet ex probationibus.

Obj. 2° : Mulieres quibus antiqui patriarchæ copulabantur, erant concubinæ, sic enim passim vocantur in S. Scripturis : ergo non vere uxores.

Resp. neg. conseq. quia sæpe in S. Scripturis nomine concubinæ significatur vera uxor, sed quæ non cum tanta solemnitate fuerat ducta, neque in omnibus bonis et honoribus communicabat, neque admittebatur ad gubernationem familiæ sicut præcipua uxor, habebat tamen jus ad thorum conjugalem : sic Agar, Cethura, Bala et Zelpha modo uxores, concubinæ vocantur, Genes. 16, 25, 30, 35.

Inst. 1° : S. Leo, epist. 1, alias 92, ad Rusticum, distinguit uxorem a concubina et liberam ab ancilla, dicitque concubinam non esse vere uxorem, in cujus probationem affert exemplum Saræ et Agar : ergo.

Resp. S. Leonem, dum affert exemplum Saræ et Agar, loqui tantum de libera et ancilla, neque inde prætendit eamdem semper esse ancillam et concubinam, cum sint plures concubinæ liberæ. Si quid aliud intendat S. Leo, velitque Agar non fuisse veram uxorem Abrahæ, in hoc est deserendus.

Inst. 2° : Salomon reprehenditur quod plures habuerit uxores, 3 Reg. 11 : ergo.

Resp. Salomonem non fuisse reprehensum præcise quia accepit plures uxores, sed quia accepit alienigenas et idololatras, *per quas cor ejus depravatum est, ut sequeretur Deos alienos.*

Obj. 3° : Deus non dispensat in lege naturæ : atqui, secundum nos, polygamia est contra jus naturæ : ergo.

Resp. dist. maj. Deus non dispensat in jure naturæ quoad primaria et universalissima ejus præcepta, conc.; quoad secundaria, subdistinguo : Non dispensat proprie, conc.; improprie mutata materia, vel mutatis circumstantiis, neg. Deus autem in præsenti casu mutavit materiam legis, quatenus ut supremus corporum Dominus, integram potestatem super corpus viri, quæ uni tantum competere poterat, divisit in plures; et decernendo cultum divinum esse propagandum per prolium multiplicationem, necesse erat uni viro plures jungi mulieres;[1] quia principalior finis magis est observandus quam secundarius : unde cum bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum quod posset in secundariis finibus evenire. Confer pro hac solutione dissert. 2, de Legibus, art. 4.

Dixi in conclusione : Post diluvium, quia Lameth ex nepotibus Cain qui ante diluvium primus accepit duas uxores, Genes. 4, ab omnibus reprehenditur tanquam transgressor legis matrimonii. Vide in jure cap. *An non*, 24, q. 3, et cap. *Quomodo* 31, q. 1 : nulla enim tunc necessitas urgebat, cum longæva ætas hominum sufficeret ad multiplicationem generis humani.

Petes 1° quandonam facta sit hæc dispensatio?

Resp. probabilius statim post diluvium factam fuisse Noe et per ipsum posteris communicatam; quia tunc urgebat necessitas multiplicandi genus humanum, cujus supererant tantum octo animæ, nec ætas hominum esset longæva sicut ante diluvium.

Petes 2° quomodo facta sit hæc dispensatio?

Resp. factam fuisse per internam inspirationem[2], quia cum lex de monogamia non fuerit scripta, sed cordibus impressa, utpote lex naturæ, sic dispensatio non fuit scripto tradita, sed per internam inspirationem factam, ut dixi, Noe, et forte aliis patriarchis

[1] Ibidem a. 2, o. [2] Ibidem ad. 3.

et per eos aliis communicatam ; qualis enim est lex, talis debet esse dispensatio legis.

Petes 3° quibus de causis fuerit dispensatum in lege monagamiæ ?

Resp. primam fuisse multiplicationem generis humani ad Dei cultum propagandum ; secundam ad significationem mysteriorum, nempe distinctionis graduum in Ecclesia tam militante quam triumphante, reductionis populi gentilis et Judaici in unum corpus, duorum testamentorum, ad Galat. 5, et aliorum de quibus agit S. Aug., lib. 22, *contra Faustum*, cap. 54, 55 et 56, et tract. 11, in Joan.

Petes 4° utrum hæc dispensatio etiam pertineret ad gentiles ?

Resp. probabilius affirmative, 1° quia S. Scriptura refert Esau, qui non erat de populo Dei, plures accepisse uxores, nec in hoc ipsum reprehendit; 2° quia piissima Esther non fuisset passa se jungi in Matrimonium regi Assuero jam habenti uxorem (licet enim Vasthi esset repudiata, erat tamen adhuc vera uxor); neque Mardocheus vir timens Deum hoc conjugium consuluisset et approbasset, si illicitum et invalidum fuisset : unde S. Aug., l. 22, *contra Faust.*, c. 47, docet Jacob licite accepisse plures uxores a Laban idololatra, in terra gentilium, scilicet Mesopotamia; ob inculpabilem quæ tunc ibi vigebat consuetudinem : « Quando mos erat, inquit, peccatum non erat, nunc propterea crimen est, quia mos non est. »

Neque tamen inde sequitur nunc adhuc esse licitam inter infideles polygamiam, quia Christus omnia matrimonia, tam fidelium quam infidelium, ad primævam institutionem revocavit, ut jam sum dicturus. Unde

Dico 2° : A tempore legis evangelicæ, polygamia est illicita et irrita.

Prob. : Christus, Matth. 19, revocans Matrimonium ad primævam suam institutionem dicit Pharisæis ipsum interrogantibus an liceret dimittere uxorem quacumque ex causa? *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et fœminam fecit eos ? et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una; itaque jam non sunt duo, sed una caro... Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur.* Et Marc. 10 : *Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Porro si adulter est, qui dimissa uxore alteri conjungitur : ergo a fortiori ea retenta.

In eamdem veritatem asserendam concurrunt Patres et jura : Concil. Milevitanum secundum can. 17; S. Ambrosius, lib. 1, *de Abraham*, cap. 7 ; S. Aug., lib. 2, de Adult. conjug., c. 4 ; Innocentius, lib. Epist. 3 ad Exuperium cap. 6 ; Nicolaus, lib. in respons. ad Consulta Bulgarorum, cap. 51, cap. *Gaudemus*, de Divort., cap. *Licet* de Sponsal. duorum, etc.

Unde Trid., sess. 24, can. 2, sic definit : « Si quis dixerit licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit. »

Hinc inferes polygamiam, ut jam dixi, etiam in infidelibus esse nunc prohibitam, quia lex Christi est universalis : *Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, mœchatur.* Idque docet Innocent. III, cap. citato. *Gaudemus.*

Dices : Gregorius III, apud Gratianum causa 32, q. 7, cap. *Quod proposuisti*, concessit cuidam facultatem ducendi secundam uxorem propter infirmitatem prioris.

Resp. 1° hoc S. Gregorii rescriptum pluribus videri supposititium. 2° Supposita ejus veritate, in eo agitur de muliere, quæ impotentia antecedente perpetua laborabat, seu ut fert rescriptum, quæ « non valuerit debitum viro reddere », consequenter invalide contraxerat.

Oppones insuper quædam exempla imperatorum christianorum : Constantii, Lotharii et Valentiniani, qui plures habuerunt uxores; idque aliis, legibus latis, permiserunt : ergo.

Resp. ex inique factis nullum jus statui. Constantius erat arianus ; Lotharium cum sua pellice excommunicavit Nicolaus papa, cap. *An non*, causa 24, q. 3 ; Valentinianus, ut averteret a se duplicis conjugii dedecus, hanc legem inique tulit, si tamen tulit, nullibi enim præterquam in Socrate, l. 4, cap, 2, ejus mentio reperitur ; et Baronius, ad annum 370, ostendit hanc Socratis narrationem fabulosam esse, Valentinianumque, Severa priore conjuge mortua, Justinam duxisse, ex qua inter cæteros habuit Valentinianum juniorem.

Ex his inferes vinculum prioris Matrimonii, etiamsi non consummati, quod dicitur *ligamen*, esse impedimentum dirimens subsequens Matrimonium ; et ita definitur in jure, c. penult. de Sponsal. cap. *Licet* et cap. finali de Sponsal. duorum.

§ III.

Utrum bigamia sit licita?

Dico[1]: Bigamia est licita et verum sacramentum.

Prob. prima pars: 1° Ex Apost., 1 Cor. 7, ubi dicit: *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit: quod sit dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat tantum in Domino.* Et ibid.: *Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis si sic permaneant sicut et ego: quod si non se contineant, nubant, melius est enim nubere quam uri.* Similiter ad Rom. 7. In his, ut patet, Apostolus non restringit jus bigamiæ ad secundas, tertias aut quartas nuptias, sed indefinite loquitur.

2° Ex concilio Nicæno I generali, can. 8, ubi jubet ut novatiani qui secundas nuptias damnabant, redeuntes ad Ecclesiam, profiteantur inter cætera « bigamis se communicare. »

3° Ex SS. Patribus qui videntur hac in re unanimes: SS. Clemens Alexandrinus, Greg. Nazian., Chrysost., Epiphan., Ambros., August., Hieron.; inter cæteros S. Basilius qui specialiter opponitur, can. 4 epist. *ad Amphiloch.*, sic habet: « Quæ in viduitate potestatem sui habet, et viro cohabitat, ab omni accusatione libera est, si nemo est qui conjugium divellat; cum Apostolus dicat, si mortuus sit maritus, libera est, ut nubat cui velit tantum in Domino. »

4° Ex praxi universalis Ecclesiæ, et ratione; nam per mortem prioris conjugis vinculum Matrimonii est solutum: ergo nihil impedit, quominus licitum sit et validum secundum et ulterius Matrimonium, sicut primum fuit licitum et validum.

Hinc concilium Florentinum in speciali decreto pro Armenis dato pridie nonas februarii 1441, quod legitur tom. 13 conciliorum Labb., pag. 1211, declarat ex Apostolo « non solum secundas nuptias, sed tertias et quartas et ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse. »

Prob. secunda pars[1]: In secundis et ulterioribus nuptiis inveniuntur omnia quæ sunt de essentia sacramenti, scilicet debita materia, quam facit personarum legitimitas, debita forma, nempe expressio consensus interioris per verba de præsenti, ac tandem intentio ministri qui sunt ipsi contrahentes: ergo.

Confirm.: Juxta Trid., sess. 24, can 1, verum Matrimonium est sacramentum: atqui secundum et ulterius Matrimonium est verum Matrimonium, ut probavimus: ergo. Item omne sacramentum quod non imprimit characterem potest iterari: atqui Matrimonium non imprimit characterem: ergo.

Obj. 1°: contra primam partem: Multi SS. Patres damnant secundas et maxime tertias et quartas nuptias, præcipue S. Basil., epist. ad Amphiloch., can. 4, ubi vocat bigamiam « castigatam fornicationem, » et can. 50, tertium Matrimonium « Ecclesiæ inquinamentum »; et quod plus est, eodem can. 4 citato, dicit tertium virum non esse verum maritum, sicut de quinto quem habebat mulier Samaritana dixit Christus: *Quem nunc habes, non est maritus.* Item dicit de secundo viro S. Hieron., lib. 1, *coni. Jovin.*; et S. Chrysost., hom. 32 *Operis imperf. in Matth.*, dicit secundas nuptias esse veram fornicationem: ergo.

Resp. SS. Patres damnasse secundas nuptias[1] non in se, nec ratione sui, sed ratione principii, scilicet incontinentiæ et libidinis, a quo ut plurimum procedunt; et quia in ipsam incontinentiam vehementi impetu invehebantur, visi sunt ipsas secundas nuptias damnasse; sic sæpe contingit in disputationibus, ut dum quis aliquem errorem vehementius impugnat, videtur in errorem oppositum impingere, ut de seipso fatetur S. Augustinus, disputans pro libero arbitrio, et pro gratia. Hanc interpretationem, si non admittas, cogeris admittere 1° quod isti Patres damnaverint praxim, et fidem universalis Ecclesiæ, quæ semper secundas et ulteriores nuptias ut legitimas agnovit et admisit, quod non est credibile de tantis patribus; 2° quod sibi aperte contradicant, cum alibi secundas et ulteriores nuptias ut licitas agnoscant. Patet de S. Basilio in probationibus: item de S. Hieronymo, epist. 30, olim 50, *ad Pammachium*, quæ est apologia pro suis adversus Jovinianum scriptis, ubi sic ait: « Aperiant, quæso, aures obtrectatores mei, et videant me secundas et tertias nuptias concessisse in Domino »: ibid.; « Omnia licent, sed non omnia expediunt: non damno bigamos, imo nec trigamos, si dici potest, octogamos, etc. » Et de S. Chrysostomo, hom. 19, in Epist. ad Cor. et hom. 20 ad Ephes. Insuper opus citatum in objectione non est S. Chrysostomi, quippe in quo plures reperiuntur errores.

Obj. 2°: Convolantes ad secundas nuptias fiunt irregulares; imo in pluribus conciliis

[1] Supp. q. 63, a. 1 et 2. [2] Ibidem, a. 2.

[1] Ibid a. 1, ad 1.

Næocæsariensi, Ancyrano, et Laodiceno, qui illas ineunt pœnitentia plectuntur ; ubi autem non est culpa, non imponitur pœna.

Resp. quantum ad irregularitatem [1], eam non semper incurri propter culpam, sed propter defectum significationis, ut patet in judice, et sic in præsenti casu ; quia secundum matrimonium, si consideretur respective ad primum, non satis significat Matrimonium Christi et Ecclesiæ, quod est unius cum una.

Quantum ad pœnitentiam bigamis impositam, ea fuit severior quarumdam ecclesiarum particularium disciplina in hac re, sicut in pluribus aliis, quam universalis Ecclesia nunquam probavit, et quæ jam diu inolevit. Cæterum pœnitentiam injungebant, non præcise propter ipsas nuptias in se, sed propter ipsam incontinentiam a qua, ut jam dixi, plerumque procedebant ; patet ex ipso concilio Laodiceno, quod can. 1, agnoscit secundas nuptias ut legitimas, et tamen imponit pœnitentiam illis qui eas contrahunt : hinc ad probationem patet non impositam fuisse pœnam sine culpa; ipsa enim incontinentia, propter quam pœna imponitur, culpa est.

Obj. 3° contra secundam partem : Significatio est de essentia sacramenti : atqui significatio deest secundo Matrimonio, non enim significat unionem Christi cum Ecclesia, quia non est unius cum una, et ideo non benedicitur ; ergo.

Resp. dist. min. [2] Atqui significatio accidentalis deest secundo Matrimonio, conc.; essentialis, neg. In unione Christi cum Ecclesia, quam significat Matrimonium, reperitur quod sit unius cum una, et hoc est ipsi primum, et essentiale, item quod non fuerit prius cum altera, et hoc est ipsi secundarium, et accidentale : igitur secundum Matrimonium, si consideretur secundum se, est unius cum una: unde in eo reperitur significatio essentialis; si autem consideretur respective ad præcedens, fuit cum alia, et sic deest ipsi significatio unionis Christi, quoad aliquid secundarium et accidentale, et ratione hujus defectus non benedicuntur secundæ nuptiæ, si tamen sunt secundæ ex parte mulieris ; nam si virgo contrahat cum viro qui habuit aliam uxorem, nihilominus nuptiæ benedicuntur ; salvatur enim aliquo modo significatio etiam in ordine ad primas nuptias, quia Christus, etsi unam Ecclesiam sponsam habeat, habet tamen plures personas despensatas in una Ecclesia, sed anima non potest esse sponsa alterius quam Christi, quia alias cum dæmone fornicatur, nec est ibi Matrimonium spirituale. Et propter hoc, quando mulier secundo nubit, nuptiæ non benedicuntur propter defectum significationis.

Petes 1° utrum sufficiat probabilitas de morte prioris conjugis ad contrahendum secundum Matrimonium ?

Resp. negative, sed requiritur certitudo moralis. Ita resolvit Clemens III, cap. *In præsentia* de Sponsal., ubi dicit : « Consultationi tuæ taliter respondemus quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonice convolare, nec permittas auctoritate Ecclesiæ contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum. » Unde ad id quod opponitur ex cap. *Cum per bellica*, sufficere existimationem de morte conjugis, et ex cap. *Quoniam*, § *Porro*, sufficere verisimilitudinem, intelligendum est de existimatione et verisimilitudine certa moraliter, habita per certum nuntium, vel dicendum hæc jura esse correcta per posteriora. Ratio plane suadet, quia nemo prudenter agit, maxime in re tanti momenti, in qua gravissima inconvenientia occurrere possunt, nisi sit moraliter certus de honestate suæ actionis, ut fuse probavimus dum de probabilitate.

Per certum autem nuntium non intelligitur unus tantum testis, siquidem secundum jura, unus testis sit nullus testis ; neque sola fama publica, cum possit esse ab incerto auctore, nisi adsint adminicula quæ judicio prudentum simul cum uno teste, aut cum fama publica mortem moraliter certam reddant, ut si cum uno teste, vel fama publica diu sit absens, et nihil de ipso auditum, si erat senex, aut infirmæ valetudinis, si fuerit in prælio, et diu expectatus, non est reversus, et similia.

Observandum quod secundum Matrimonium, quantumvis cum certitudine morali de morte prioris conjugis initum, sit nullum, si revera prior conjux non sit mortuus, ita ut conjux quæ convolavit ad secundas nuptias, ubi hoc resciverit, debeat separari à secundo viro, et redire ad primum si compareat : atque ita statutum est, cap. *Dominus* de Secundis Nuptiis.

Petes 2° utrum conjux dubitans de morte conjugis, vel etiam putans eum esse vivum, valide contrahat, si revera obierit prior conjux ?

Resp. : Si credat se posse sic contrahere, et revera contrahat sub conditione mortis conjugis, aut meliori quo potest modo, ut validum

[1] Ibidem ad 4. [2] Ibid. a. 2, ad 3.

sit Matrimonium, valide contrahit, quia nihil deest ad validitatem Matrimonii : si vero credat secundum Matrimonium esse impossibile, non contrahit valide, cum non possit esse voluntas absoluta ad impossibile. Et idem dicendum de contrahentibus cum aliis impedimentis dirimentibus.

ARTICULUS II.

DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII.

Triplex distinguitur Matrimonium : legitimum, ratum et consummatum. Legitimum seu verum est quod valide et secundum leges est contractum, ut est inter infideles. Ratum est quod per sacramentum Baptismi firmatur, ut inter christianos, in quibus est sacramentum proprie dictum et indissolubile, nisi in uno casu religiosæ professionis, ex privilegio Christi. Consummatum est quod per carnalem copulam maritalem et commixtionem seminum completur; quia tunc conjuges fiunt una caro, et perfecte significat inseparabilem Christi unionem cum Ecclesia per incarnationem.

Dixi : Et commixtionem seminum, quia neque per solam penetrationem vasis sine seminatione, neque per solam viri sine seminatione mulieris consummatur Matrimonium in foro conscientiæ, licet consummatum præsumatur in foro exteriori; quia sine commixtione seminum apta generationi, non fiunt una caro inchoative, quæ inchoatio completur per prolem, in cujus una carne complete adunantur.

Plures quæstiones hic occurrunt resolvendæ : prima, an et quo jure Matrimonium sit indissolubile ? secunda, an et quo jure matrimonium infidelium consummatum dirimi possit ? tertia, an Matrimonium dissolvi possit propter adulterium unius conjugis ? quarta, utrum et quo jure matrimonium ratum dissolvatur per religiosam Professionem ? quinta, utrum Summus Pontifex possit dispensare in matrimonio rato ? sexta, de divortio ; septima tandem, de libello repudii apud Judæos. Sit itaque

§ I.

An et quo jure Matrimonium sit indissolubile ?

Dico 1° : Omne matrimonium verum et legitimum jure divino est indissolubile.

Prob. 1° ex ejus institutione et Evangelio cum Tridentino, sess. 24, cap. unico de Matrimonio : « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum, inquit concilium, primus humani generis parens, divino Spiritus instinctu pronuntiavit cum dixit : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una*... Ejusdem nexus firmitatem (Christus) ab Adamo tanto ante pronuntiatam his verbis confirmavit : *Quod Deus conjunxit homo non separet.* » Concilium ergo colligit indissolubilitatem Matrimonii et ex ejus institutione et ex verbis Christi ; loquitur autem concilium de Matrimonio secundum se vero et legitimo, sive sit consummatum, sive non, ut patet ex toto textu capitis. Equidem sunt qui verba Adami intelligunt de matrimonio consummato, ex his verbis : *Erunt duo in carne una.* Verum licet per consummationem modo perfectiori fiant una caro, possunt tamen vero sensu dici fieri una caro per contractum matrimonialem, partim quia fiunt unum principium ad generationem ordinatum, partim propter potestatem quam habet unus conjux in corpus alterius, partim propter affectum quo se mutuo diligunt tanquam unum corpus. Insuper Adam instinctu divino non pronuntiavit firmitatem solius matrimonii consummati, sed indistincte firmitatem Matrimonii legitimi initi.

Quantum ad verba Christi, videntur aperte respicere omne Matrimonium legitimum etsi non consummatum, quia Deus non minus in Matrimonio rato quam consummato operatur vinculum conjugale : *Quod autem Deus conjunxit*, inquit Christus, *homo non separet.*

2° Marci 10, Christus dicit : *Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Et Luc. 16 : *Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, mœchatur, et qui dimissam a viro ducit, mœchatur.* Hi autem termini *quicumque, omnis* spectant, sine exceptione, omnes conjuges, sive ante sive post consummationem Matrimonii.

3° Apost., 1 Cor. 8, dicit iis qui Matrimonio juncti sunt : *Præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Similiter ibid., v. 39, et ad Rom. 7. Qui autem legitimum Matrimonium iniverunt, sunt etiam ante consummationem *Matrimonio juncti.*

Dico : 2° Matrimonium saltem consummatum est jure naturæ indissolubile [1].

Prob : Matrimonium [2] ex intentione naturæ ordinatur ad prolis educationem, non solum ad aliquod tempus, sed per totam vitam prolis : natura enim parentibus hanc curam et sollicitudinem perpetuam filiorum in quovis sint statu et ætate, indicit, estque de lege naturæ quod parentes filiis thesaurizent, et filii sint parentum hæredes : atqui proles est commune bonum viri et uxoris, et ad earum educationem utriusque conjugis cura concurrit : ergo oportet eorum societatem perpetuo manere indivisam secundum dictamen legis naturæ.

Confirm. : Ex dissolubilitate Matrimonii eadem nata sunt sequi inconvenientia quæ ex fornicatione : atqui fornicatio est contra legem naturæ : ergo et dissolubilitas Matrimonii.

Si dicas posse aliunde provideri prolium educationi, resp. id pariter fieri posse in fornicatione, quo tamen non obstante, fornicatio est contra legem naturæ. Et ratio est, quia utrobique id est per accidens, natura autem intendit id quod est per se et non per accidens. Has rationes cum præfata instantia discussas require dissert. 6, de Temperantia, a. 4, ubi de Fornicatione.

Dixi : Saltem consummatum, quia multi negant Matrimonium non consummatum esse juræ naturæ indissolubile ; id tamen non est improbabile, partim quia Matrimonium naturaliter exigit amorem mutuum et mutua obsequia ; ubi autem liberum est uni ab alio discedere, frigescit amor et languent obsequia, partim quia Matrimonium definitur individua, id est, indissolubilis vitæ societas ; quod autem ponitur in definitione pertinet ad naturam rei ; partim quia id est de lege naturæ, quod natura accepit in suo principio, Matrimonium autem accepit in suo principio indissolubilitatem : ergo.

Obj. 1° : Deus non potest dispensare in jure naturæ : atqui dispensat in indissolubilitate Matrimonii etiam consummati infidelium : ergo.

Resp. non potest Solutione jam prius data, dist. maj. Deus dispensare in jure naturæ quoad prima et universalissima præcepta, conc; quoad secundaria præcepta quale est indissolubilitas Matrimonii, subdistinguo : Non potest dispensare proprie, conc. ; improprie mutando materiam præcepti, neg. Sic autem fit in præsenti casu, quatenus Deus ut supremus corporum dominus aufert potestatem quam habebant conjuges in mutua corpora, qua sublata, non est amplius Matrimonium : unde quamvis jus naturæ sit invariabile formaliter, materia tamen in secundariis præceptis mutari potest. Vide dissert. 2, de Legibus, a. 4, ubi hæc quæstio ex professo discutitur.

Obj. 2° : Natura et finis Matrimonii sunt propter prolem : atqui sæpe nulla est spes prolis, ut in Matrimonio sterilium : ergo Matrimonium tunc ex natura sua exigit dissolubilitatem.

Resp. dist. min. Sæpe nulla est spes prolis, et hoc est per acccidens, conc. ; et hoc est per se, neg. Lex autem attendit id quod est per se et non per accidens, ut jam dictum est.

Obj. 3° : Multi imperatores christiani permiserunt repudium, ut Constantinus Magnus, lib. 3 Codicis Justiniani, tit. 16 de Repudiis, et Justinianus, Novella 117. Imo mutuo consensu olim dissolvi Matrimonium probat Basilius Pontius, lib. 9, cap. 1 : ergo.

Resp. neg.conseq.; A facto enim ad jus non valet consequentia. Factum est : ergo licet : non sequitur. Neque cogimur agnoscere omnes leges civiles esse justas et conformes legi æternæ, licet forte legislatores bonum finem intenderent : plures namque jam fuerunt emendatæ et plures sunt adhuc emendandæ : unde S. Hieron., epist. 84, alias 30 : « Aliæ sunt, inquit, leges Cæsarum, aliæ Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. » S. Ambros., lib. 8, in cap. 16 Lucæ : « Dimittis ergo uxorem, quasi jure sine crimine, et putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet, sed divina prohibet. » Et S. Aug., serm. 392, alias 49, inter 50 : « Hoc non licet jure poli, etsi liceat jure fori. »

Obj. 4° : Per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur, ut dicitur in jure : atqui Matrimonium fit mutuo consensu contrahentium: ergo per eumdem dissolvi potest, et ita alii contractus dissolvuntur.

Resp. hoc juris principium valere duntaxat in iis quæ sunt natura sua dissolubilia, non in iis quæ semel facta, ratione finis, exigunt perpetuitatem, ut contingit in Matrimonio.

§ II.

An et quo jure matrimonium infidelium consummatum dirimi possit?

Dico : Matrimonium infidelium [1] etiam con-

[1] Suppl. q. 67, a. 1, o. [2] Ibid.

[1] Suppl. q. 59, a. 5, o.

summatum jure divino dissolvi potest, si unus conjugum ad fidem convertatur, et alter vel discedat, vel nolit cohabitare sine contumelia Creatoris, vel conjugem fidelem pertrahat ad peccatum mortale.

Ita in terminis Innocentius III, cap. *quanto* de divortiis : « Si alter infidelium conjugum, inquit, ad fidem catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini numinis, vel ut pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente : qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit, et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus, si infidelis discedit, discedat; frater enim et soror non est servituti subjectus in hujusmodi. »

Ex his ergo Apostoli verbis, 1 Cor. 7, Ecclesia colligit Matrimonium infidelium, uno ad fidem converso, in tribus casibus assignatis ex dispensatione divina posse dissolvi. Nec obstat quod Apostolus assignet tantum pro causa discessum infidelis, quia qui non vult cohabitare nisi cum contumelia Creatoris, licet physice non discedat, discedit tamen aut quærit moraliter discedere.

At dices : Per *discedat* Apostolus intelligit tantum separationem quoad cohabitationem, non quoad vinculum : ergo. Prob. ant. ex præcedentibus ; cum enim prius dicit Apostolus : *Iis autem qui Matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Per τo *discedere*, intelligit tantum separationem quoad cohabitationem : ergo similiter dum postea dicit : *Si infidelis discedit, discedat.*

Resp. neg. ant. Ad probat. neg. conseq. in prioribus enim verbis manifestum est ex his particulis : *Manere innuptam aut viro suo reconciliari,* Apostolum loqui de separatione quoad habitationem tantum et non quoad vinculum ; at in posterioribus verbis dicit simpliciter et indefinite sine his adjunctis : *Si discedit, discedat :* propositio autem indefinita æquivalet universali, et alioquin conjux fidelis maneret subjectus servituti seu vinculis hujus Matrimonii; merito igitur inde colligit Ecclesia separationem quoad vinculum.

Ex dictis colliges[1] contra Bellarminum, Coninch et quosdam alios, quod si infidelis velit cohabitare pacifice, sine contumelia Creatoris, conversus non possit solvere vinculum conjugii, quia, citato cap. *Quanto,* assignantur tantum tres causæ dissolutionis Matrimonii nempe : « altero non converso, vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini numinis, vel ut pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente. » Et cap. *Gaudemus* ibib., idem Innocentius III expresse definit quod « nunquam ea vivente (uxore) licite poterit aliam, etiam ob fidem Christi conversus habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum. » Ita etiam expresse docet S. Doctor noster citatus in margine. Ratio item suadet, quia istud privilegium non est a Deo concessum nisi in gratiam fidei, et ne conjuges fideles perpetuo maneant cœlibes, quod plures posset retrahere a professione fidei; hoc ipso autem quod infidelis vult cohabitare pacifice, fides non periclitatur et conversus non manet cœlebs.

Petes 1° quandonam Matrimonium in casu censeatur solutum?

Resp. non solvi[1] nisi quando conversus de facto contrahit aliud Matrimonium : patet ex citato c. *Gaudemus,* de Divortiis, ubi Innocent. III, post assignatas tres causas dissolvendi Matrimonium hujusmodi, addit quod « si conversum ad fidem, et illa conversa sequatur antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur » : ergo propter tres causas assignatas non erat solutum vinculum Matrimonii, sed solum per subsequens Matrimonium, alias vir fidelis non compelleretur recipere uxorem postea conversam.

Hinc inferes 1° infidelem invalide contrahere Matrimonium cum alio, priusquam conversus de facto ad alias nuptias transierit.

2° Quod si, post secundum Matrimonium initum, contingat conjugem infidelem converti, non teneatur prius conversus, mortua secunda conjuge, ad priorem conversam reverti, quia fuit extinctum vinculum primi Matrimonii.

3° Quod debeat non conversus moneri an velit legitime cohabitare antequam contrahantur secundæ nuptiæ, quia non possunt valide contrahi nisi in casu quo nolit legitime cohabitare, ut dictum est : excipe nisi monitio esset moraliter impossibilis, vel ob periculum vitæ, aut subversionis, vel ob locorum distantiam. Ita concessit Greg. XIII, Angolanis, Æthyopibus, Brasiliensibus et aliis Indorum nationibus, cujus litteras describit Basilius Pontius, lib. 7, cap. 48, n. 23.

Petes 2° utrum, conjuge fidelii transeunte ad

[1] Ib. ad. 2.

[1] Ib. ad 2.

alias nuptias, infidelis possit pariter inire aliud Matrimonium?

Resp. affirmative; quia per novum Matrimonium fidelis solvitur vinculum Matrimonii : solutum autem ex una parte solvitur ex altera, quia non claudicat Matrimonium.

Petes 3° utrum fidelis conversus possit aut debeat cohabitare cum infideli nolente converti, volente tamen pacifice et legitime cohabitare?

Resp. infidelitatem et adulterium pari passu currere quoad cohabitationem et redditionem debiti, quia utrumque est contra bonum prolis [1] : unde sicut vir innocens potest manere cum adultera sub spe correctionis (non autem si in peccato adulterii sit obstinata, ne videatur patronus turpitudinis) quamvis etiam cum spe correctionis possit illam libere dimittere; similiter fidelis conversus potest cum infideli commanere cum spe conversionis, si eam in infidelitate obstinatam non viderit et bene facit commanendo, tamen non tenetur; et de hoc est consilium Apostoli dicentis, 1 Cor 7: *Cœteris ego dico, non Dominus: si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consensit habitare cum illo, non dimittat illam.*

Observandum quod in primitiva Ecclesia [1], cum Judæi et gentiles passim convertebantur ad fidem, erat spes de conversione infidelis : procedente vero tempore Judæi facti sunt obstinatiores, et ideo, cap. Judæi 28, q. 1, prohibitum fuit in quibusdam Hispaniarum provinciis, quod conversus habitaret cum uxore Judæa, secus cum gentili : nunc autem, inquit Auctor, cum gentiles et Judæi sint obstinati, non permittitur converso habitare cum uxore sive Judæa, sive infideli. Attamen paulo ante tempora D. Thomæ, Innocentius III, qui obiit 1226, cap. *Gaudemus*, de Divortiis, permittit, in favorem religionis et fidei, ut viri conversi maneant cum mulieribus non conversis ; ne, inquit, mulieres timentes se a viris deseri, ipsos a susceptione fidei avocent: unde in casu omnia perpendenda sunt judicio vel episcopi, vel confessarii, vel viri prudentis, et quod videbitur tutius et utilius eligendum.

Petes 4° utrum matrimonium fidelium solvatur per unius hæresim ?

Resp. negative : Ita Trid., sess. 24, can. 6, sic : « Si quis dixerit propter hæresim aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum, anathema sit. » Idem prius definierat Innocentius III, citato cap. *Quanto*, qui rationem hanc affert, quia Matrimonium inter fideles contractum, cum sit sacramentum, firmius est quam contractum inter infideles. Neque hic valet argumentum a paritate, quia totum pendet ex voluntate divina.

[1] Ibid. a. 3, o. [2] Ibidem ad 2.

§ III.

Utrum Matrimonium dissolvi possit propter adulterium unius conjugis ?

Hanc quæstionem adeo obscuram sibi aliquando visam fuisse testatur S. Augustinus, ut l. *de Fide et Oper.*, c. 19, dicat : « In ipsis divinis sententiis ita obscurum est, utrum et iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit ; ut quantum existimo venialiter ibi quisque fallatur » : unde mirum non est si quidam veteres in re implicata et nondum definita obscure et dubie locuti fuerint.

Dico : Matrimonii vinculum dissolvi non potest propter adulterium alterius conjugis.

Prob. 2° ex verbis Christi : Marc. 10 et Luc. 16, § 1, concl. 1 relatis : *Quicumque dimiserit uxorem*, etc., et: *Omnis qui dimittit uxorem*, etc., *mœchatur:* quæ propositiones sunt universales et absque exceptione ulla. Unde S. Aug. illas expendens, lib. 1, *de Adulterinis conjugiis*, cap. 9, dicit : « Qui ergo sumus nos ut dicamus, est qui mœchatur, uxore sua dimissa, alteram ducens, et est qui hoc faciens, non mœchatur, cum Evangelium dicat omnem mœchari qui hoc facit. »

2° Ex Apostolo qui, ut vidimus, § citato, dicit generaliter esse præceptum Domini, ut mulier sit alligata viro et ab eo non discedat, quandiu vivit.

3° Ex SS. Patribus quorum longum catalogum texunt Bellarminus, Tournely et alii, apud quos legi possunt ; eos enim omnes referre majoris esset otii.

4° Denique Trid., sess. 24, postquam cap. unico asseruit absolutam indissolubilitatem Matrimonii, can. 7, sic definit : « Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit et docet juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum , Matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit. » Porro si non errat Ecclesia dum docet

juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, Matrimonium non posse dissolvi propter adulterium alterius conjugis : ergo errat contra evangelicam et apostolicam doctrinam, qui dicit posse dissolvi : consequenter dogma fidei est, et non solum res disciplinæ.

Totus difficultatis nodus situs est in interpretatione horum verborum Christi, Matth. 5 et 19, ubi interrogatus a Pharisæis *an liceret homini dimittere uxorem quacumque ex causa?* respondit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur :* ergo, inferunt a contrario, qui dimiserit ob fornicationem, et aliam duxerit non mœchatur; sicut si dicatur : Quicumque peccaverit, nisi pœnitentiam agat, peribit, valet a contrario : ergo si pœnitentiam agat, non peribit.

Resp. has particulas : *Nisi ob fornicationem,* afficere duntaxat, τo *dimiserit,* et non, τo *aliam duxerit,* quasi dixisset : Quicumque dimiserit uxorem suam, quod non licet, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur. Duo ergo docet hic Christus: primum non licere dimittere uxorem, nisi ob gravem causam, qualis est fornicatio ; secundum quod qui, dimissa uxore, aliam ducit, mœchatur, et sic adæquate respondet interrogationi Judæorum: duo enim continebat, saltem implicite, interrogatio Judæorum: primum utrum liceret dimittere uxorem quacumque ex causa ? alterum an ea dimissa liceret aliam ducere? hæc enim duo continebat dimissio familiaris apud Judæos, quæ licet non distinguebant in interrogatione, prudenter tamen Christus illa distinguit ad ampliorem eorum instructionem. Hanc interpretationem esse legitimam constat ex duobus aliis Evangelistis, Marco et Luca, apud quos, ut vidimus, Christus absolute, et absque hac clausula exceptiva (nisi ob fornicationem) pronuntiat : *Quicumque, et omnis qui dimiserit uxorem, et aliam duxerit, mœchatur :* item ex Apostolo et Trid. in probationibus.

Quapropter non valet hæc illatio a contrario: ergo qui dimiserit uxorem ob fornicationem, non mœchatur, quia non est ibi contrarium, quod debet esse de eodem, sub eadem ratione ; prima enim propositio Christi continet duo membra, scilicet, qui dimittit, nisi ob fornicationem, peccat, et qui alteram ducit, mœchatur ; ita ut *mœchatur* afficiat tantum *qui aliam duxerit* : in illatione autem, τo *mœchatur,* afficit et *dimiserit* et *duxerit:* sicque argumentum non est in genere contrariorum ; et hinc patet responsio ad paritatem ; cum enim dico : Quicumque peccaverit, nisi pœnitentiam agat, peribit, ideo valet ista illatio a contrario : ergo si pœnitentiam agat non peribit, quia prima propositio non est bimembris, et exceptio: Nisi pœnitentiam egerit, non potest afficere nisi unum, scilicet ipsam pœnitentiam, vel ejus absentiam, sicque sunt contrariæ istæ propositiones : Qui pœnitentiam agit, non peribit : Qui pœnitentiam non agit, peribit : unde valet argumentum a contrario ; at non sic in propositione Christi, ut dictum est.

Inst.: Si particula exceptiva afficiat tantum, τo *dimittere,* sequitur quod propter nullam aliam causam quam propter fornicationem, licebit dimittere uxorem, quoad cohabitationem : atqui falsum consequens, cum constat propter plures alias rationes posse separari conjuges, quoad cohabitationem : ergo.

Resp. dist. sequelam : Sequitur quod propter nullam aliam causam quam propter fornicationem licebit dimittere uxorem, sicut potest dimitti propter fornicationem, conc.; absolute, neg. Ideo ergo Christus solam fornicationem (sub qua intellige alia graviora crimina in eodem genere) assignavit, quia, propter hanc solam, potest fieri dimissio perpetua, et jure matrimoniali ita ut pars adultera, etsi emendata, possit ex justitia repelli a thoro et cohabitatione; non sic aliæ causæ dimissionis: unde distincta min. ad hunc sensum, neg. conseq.

Repones : Cap. *Quædam* 33, q. 7, dicitur : « Quædam cum fratre viri sui dormivit : decretum est ut adulteri nunquam conjugio copulentur ; illi vero cujus uxor stuprata est, licita conjugia non negentur. »

Resp. ibi agi de Matrimonio ineundo mortua conjuge, quo in pœnam privabantur olim adulteri, non pars innocens.

Quantum ad argumenta quæ opponi possunt ex Patribus et decretis antiquis, legendi sunt Sixtus Senensis, l. 6 *Annot.* 81 ; Bellarminus, de Matrimon., cap. 17, Tournely; q. 5, de Matrimonio, art. 2 et alii : his, ut jam dixi, immorari non vacat. Id unum observo, quod cum hæc difficultas antiquitus esset implicata, nec eliquata et definita sicut nunc ; quidam antiqui obscure et dubie de illa re visi sunt loqui, quos benigne et bono sensu juvat explicare, uno vel altero excepto, qui videntur aperte contrarium sensisse; sed id traditioni innumeris pene aliorum testimoniis innixæ non officit, cum constet aliquos interdum patres in aliis materiis veritatem non

attigisse, nec ideo concussam fuisse traditionem.

Quantum ad Græcos, equidem recentiores tenent Matrimonium posse dissolvi propter adulterium alterius conjugis; sed in hoc recedunt a suis patribus, ut probant auctores laudati et Arcudius.

§ IV.

Utrum et quo jure Matrimonium ratum per professionem religiosam dissolvatur?

Suppono tanquam certum, [1] matrimonium consummatum non solvi per professionem religiosam, sive unius, sive utriusque conjugis, sive invita comparte, sive ex mutuo consensu; tum quia Ecclesia nunquam agnovit hanc dissolutionem, quinimo in juribus infra referendis contrarium supponit; tum quia, ut ratiocinatur Auctor, per consummationem Matrimonii compars non solum transfertur in dominium, sed etiam in carnalem possessionem compartis, quod non fit in matrimonio rato tantum : quod autem est alteri traditum, et ab illo possessum non potest Deo offerri.

Dico 1° : Matrimonium ratum [2] et non consummatum dissolvitur per solemnem religionis professionem.

Constat ex concilio Trident., sess. 24, can. 6, sic definiente : « Si quis dixerit matrimonium ratum, et non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. »

Id antea definiverant summi pontifices, Innocentius III, cap. *Ex parte tua*, de Convers. conjugatorum, asserens se in hoc sequi vestigia suorum prædecessorum; Alexander III, ibid., cap. *Ex publico*, et cap. *Verum*, ubi probat definitionem suam exemplis sanctorum, et hac ratione, quia conjuges ante consummationem non sunt una caro. Idem. cap. *Commissum*, de Sponsal., et Joannes XXII, Extravag. *Antiquæ*.

Confirm. exemplis sanctorum, qui in prioribus sæculis post initum, sed non consummatum Matrimonium, sponsos aut sponsas reliquerunt, ut perpetuam continentiam profiterentur, voto, ut verisimile est, secundum morem hujus temporis solemni emisso De S. Thecla testantur S. Ambrosius, lib. 2, *de Virg.*, cap. 3, et S. Epiphan., *Hæresi*, 78; de duobus militibus narrat S. Aug., lib. 8 *Confess.*, cap. 6; de Machario eremita apud Grat., cap. *Scripsit* 27, q. 2; de virgine Gregoria, S. Gregorius, lib. 3 *Dialog.*, cap. 14; de Leobardo Greg. Turon., lib. *de Vitis Patrum*, cap. ultimo; de Edildrida regina Venerabilis Beda, lib. 4 *Hist. Anglorum*, cap. 19. Nemini non notum est exemplum S. Alexii.

Unde hic currit regula S. Augustini, lib. 4, *contra Donatistas*, cap. 24, « quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.» Hanc autem doctrinam tenet universa Ecclesia, nec inveniri potest, quando primum instituta est: ergo est ex apostolica traditione.

Dixi: Per solemnem religionis professionem: unde non solvitur matrimonium ratum per ingressum religionis; et ideo pars manens in sæculo debet expectare professionem compartis, antequam possit inire novum matrimonium. Neque dissolvitur per vota simplicia, quæ emittuntur in societate post biennium novitiatus, aut a coadjutoribus formatis, quia non sunt professio solemnis, nec perpetua ex parte societatis admittentis.

Dico 2° : Matrimonium ratum probabilius non solvitur per professionem religiosam jure naturæ, neque jure pontificio, sed solo jure divino.

Prob. prima pars : 1° Quia attenta sola rerum natura, matrimonium ratum potius dissolveret religiosam professionem, quam ab ea solveretur ; siquidem res uni tradita, sicut fit per matrimonium ratum, attenta rerum natura, non posset valide alteri tradi.

2° Ideo secundum adversarios professio religiosa jure naturæ dissolvit matrimonium ratum, quia est mors spiritualis et matrimonium ratum vinculum tantum spirituale; sicut autem mors corporalis solvit vinculum carnale matrimonii consummati, ita mors spiritualis solvit vinculum spirituale matrimonii rati: atqui ista ratio, quæ est Auctoris, est congrua tantum, et illam ut talem profert S. Doctor, non vero convincens : ergo. Prob. min.: Quia mors illa primo est metaphorica, secundo est compossibilis cum vinculo conjugali, ut patet in iis qui mutuo consensu, post matrimonium consummatum, profitentur religionem.

Prob. secunda pars : 1° Summi pontifices qui declarant matrimonium ratum solvi per votum solemne, hoc jus non agnoscunt ut suum, sed ut Traditione ad se transmissum. Alexander III citatus illud eruit « secundum interpretationem sacri eloquii » ; et Innocen-

[1] Suppl. q. 61, a. 1, o. [2] Ibid. a. 2, o.

tius III etiam citatus, ex revelatione. 2° Si matrimonium ratum per professionem religiosam solveretur jure pontificio, posset Summus Pontifex auferre istud jus seu dispensationem, et efficere, ut matrimonium ratum non solveretur per professionem religiosam : atqui falsum consequens, nec puto probatum adversariis : ergo. 3° Matrimonium ratum dirimi per professionem religiosam est certissimum et a nemine negatur ; posse autem Summum Pontificem dispensare in indissolubilitate matrimonii rati est incertum et a pluribus negatur, ut patebit § sequenti, ex quo præsens conclusio confirmabitur : ergo.

Restat ergo quod matrimonium ratum per professionem religiosam dissolvatur jure divino, seu ex privilegio a Christo professioni religiosæ annexo, quod privilegium Ecclesiæ per Traditionem innotescit, ita ut vi illius in omni contractu matrimoniali tacite includatur hæc conditio: Nisi ante consummationem religionem profitear ; quod non potest dici de aliis casibus, nisi simile privilegium probetur: unde argumenta a ratione et a paritate hic deficiunt, et hoc uno solvuntur : sic voluit Christus in hoc casu, non in aliis.

Dico 3° : Conceditur a jure bimestre conjugibus [1], ad deliberandum de ingressu religionis, intra quod tempus non tenentur reddere debitum petenti, quo transacto tenentur. Ita cap. *Ex publico*, de Convers. conjugat., Extra lib. 4, tit. 32.

Petes 1° an elapso bimestri, sed non consummato matrimonio, possit adhuc conjux ingredi religionem, et, si in ea profiteatur, dissolvatur Matrimonium ?

Resp. non posse licite invita comparte, quia elapso bimestri tenetur reddere debitum petenti, sicque non potest, invita comparte, licite profiteri religionem, quæ est incompossibilis cum usu Matrimonii. Videtur tamen quod valide profiteretur et hac professione dissolveretur Matrimonium, quia jura et specialiter Tridentinum in gratiam religionis absolute statuunt per professionem religiosam dissolvi Matrimonium inconsummatum : istud autem in casu, etiamsi elapso bimestri, imo post decem aut vinginti annos, est inconsummatum: ergo. Unde bimestre non censetur ab Ecclesia concessum, nisi ut intra illud possit negari debitum, ultra illud non possit.

Petes 2° utrum conjux qui non intendit ingredi religionem possit intra bimestre negare debitum ?

[1] Ibid. a. 2, ad 2.

Resp. probabilius affirmative ; quia licet nunc non intendat, potest tamen mutare animum, et utitur jure suo non sibi præcludendo aditum ad hunc statum.

Petes 3° an uxor vi oppressa a marito intra bimestre possit adhuc ingredi et profiteri religionem ?

Resp. probabilius affirmative : quia per violentiam sibi illatam non debet privari jure suo; in hoc tamen casu professio religiosa non solveret Matrimonium, quia est vere consummatum : unde pars manens in sæculo non potest transire ad alias nuptias, nisi post mortem compartis. Dixi intra bimestre, quia, eo elapso, non habet amplius jus negandi debitum, sicque conjux non facit ipsi injuriam, si etiam vi copulam extorqueat.

§ V.

Utrum Summus Pontifex possit dispensare in matrimonio rato ?

Suppono tanquam certum Papam non posse dispensare in matrimonio consummato, tum quia est indissolubile jure naturæ, in quo nihil potest Summus Pontifex, tum quia Christus dixit : *Quod Deus conjunxit homo non separet* ; quod ad minus intelligi debet de matrimonio consummato, tum denique quia nunquam id fuit attentatum ab ullo Summo Pontifice, licet sæpe fuerint rationes urgentissimæ dispensandi.

Dico : Probabilius est Papam non posse dispensare in matrimonio rato.

Prob.: Papa non potest dispensare in iis quæ sunt juris divini, nisi constet id ipsi a Deo esse concessum : atqui indissolubilitas matrimonii rati est juris divini, ut superius probatum est; nec constat sive ex S. Scriptura, sive ex Traditione, sive ex ratione, facultatem in ea dispensandi esse ipsi a Deo concessam : ergo. Prob. min. Non ex S. Scriptura ; nihil enim ex ea proferri potest quod non æque probet facultatem dispensandi in matrimonio consummato ; illud enim : *Quodcumque solveris*, etc., non magis probat facultatem dispensandi in matrimonio rato, quam in consummato; quod tamen fatentibus adversariis est indispensabile a Papa; imo S. Scriptura contrarium docet his Christi verbis : *Quod Deus conjuxit homo non separet* ; quod debet etiam intelligi de matrimonio rato, ut supra probatum est, cum Deus etiam matrimonium ratum conjungat. Non Traditione ; nam ante Martinum V, qui obiit

anno 1431, non legitur illum pontificem id attentasse. Non denique ratione ; quæ enim posset afferri ? necessitas ? At hæc quandoque magis urget pro dissolutione matrimonii consummati, qua tamen non obstante manet indispensabile a Papa.

Dices 1° : Plures pontifices dispensarunt in matrimonio rato : Martinus V, teste S. Antonio, 2 p., tit. 1, cap. 21 ; Paulus III et Pius IV, teste Navarro in *Summa*, cap. 22. Henriques, lib. 2, *de Matrimonio*, cap. 8, refert Gregorium XIII unico die dispensasse cum undecim. Item plures alii.

Resp. His pontificibus oppono Alexandrum III, in appendice concilii III Lateranensis, parte 6, cap. 8 ; Innocentium III, cap. *Ex parte*, de Convers. conjug., et Nicolaum I, cap. *Hi qui Matrimonium* causa 32, q. 7, qui hanc potestatem in se nec agnoverunt nec admiserunt. Priores itaque pontifices secuti sunt sententiam quam reputabant probabiliorem, et eatenus tutiorem quod hac probabili facultate uterentur ad graviora mala avertenda ; sed ex pontificum facto non necessario statuitur jus certum, seu, ut dicit Dominic. Soto in 4 d. 27, q. 1, a. 4, « factum pontificum non facit articulum fidei », præsertim cum ab aliis pontificibus non admittitur. Idque ulterius patet ex ipso Alexandro III, loco citato, c. 8, 17 et 18, ubi fatetur nonnullos ex suis prædecessoribus censuisse matrimonium ratum dirimi per subsequens consummatum, cujus ipse contrarium resolvit ibid., cap. 8. Neque inde detrahitur quidquam infallibilitati summorum pontificum ; non enim dicuntur infallibiles, nisi cum loquuntur ex cathedra, proponendo aliquod dogma toti Ecclesiæ credendum sub anathemate.

Dices 2° : Papa dispensat in votis : ergo.

Resp. neg. conseq. Disparitas est quod potestas papæ dispensandi in votis constet ex traditione, non potestas dispensandi in matrimonio rato. Insuper cum homines facile promittant et eos pœniteat promisisse, rarissime autem occurrat necessitas dispensandi in matrimonio rato ; longe magis expediebat ad pacificum Ecclesiæ regimen, ut pontificibus concederetur facultas dispensandi in votis, quam in matrimonio rato. Adde iterum Deum facilius remittere jus sibi quam proximo acquisitum.

Dices 3° : Alexander III, in Appendice concilii Lateranensis, p. 12, cap. 4, refertur partim cap. 2, de eo qui cognovit, jubet conjugium ratum, non consummatum, cum puella cujus matrem ipse maritus postea cognovit, rescindi, si crimen sit publicum, secus si sit occultum : en verba : « Quod si occultum esset hujus delictum, non posset rescindere matrimonium quod publice contractum esset, verum si publicum est, quod matri sponsæ carnaliter adhæsit, imponenda est pœnitentia paulo major quam de adulterio, et exinde peracta pœnitentia vel parte pœnitentiæ, poterit ex dispensatione cum alia matrimonium contrahere, et illa alii nubere. Cæterum si sponsam cognoverit antequam matrem vel post, nunquam poterit eam vel aliam in uxorem accipere. »

Quidam respondent ibi agi de sponsalibus, non de Matrimonio propter hæc ultima verba : «Nunquam poterit eam (quam intelliguntsponsam) vel aliam accipere. » Verum expressé loquitur Pontifex « de Matrimonio quod publice contractum est, » per quod intelligi non possunt sponsalia, maxime cum dicat : « Quod si delictum sit occultum, non debeat rescindi », quasi vero propter tale delictum etsi occultum non possent rescindi sponsalia. Unde, hac reponsione omissa,

Resp. neg. ant. Non hoc dicit Pontifex, sed dicit quod si crimen sit occultum et matrimonium publicum, non debeant separari neque quoad vinculum, neque quoad habitationem. Si vero crimen sit publicum, non dicit quod solvatur vinculum matrimonii, sed quod debeat imponi pœnitentia marito nocenti, qua vel ejus parte peracta, poterit dispensari cum eo, ut ducat aliam et uxor alteri nubat, scilicet ille post mortem uxoris et illa post mortem viri, in quo Pontifex relaxat rigorem antiquorum canonum, quibus conjugi reo prohibebantur ulteriores nuptiæ. Ac tandem dicit quod si cognovit sponsam ante vel post matrem, non possit eam, id est, matrem, neque aliam ducere etiam uxore defuncta. Et sane quis credat ipsum Pontificem qui negat se posse dispensare in matrimonio rato, ibidem dispensasse ?

Dices 4° : Extravag. *Antiquæ* de Voto, pontifex dicit votum solemnizatum in susceptione Ordinis sacri non dirimere matrimonium ratum, « quia neque jure divino, neque per sacros canones reperimus hoc statutum » : ergo supponit per sacros canones sic posse statui.

Resp. neg. conseq. Sic enim respondet Pontifex non quod crederet id Ecclesiam posse, sed ut rationem redderet in utraque sententia, sive quæ dicit id fieri posse auctoritate Ecclesiæ, sive quæ negat. Quidam intelligunt sacros

canones, non ut statuentes jus, sed ut explicantes jus divinum.

§ VI.

De divortio, per quæstiunculas.

Divortium est separatio conjugum: Dicitur enim a divertendo, eo quod conjux divertat a conjuge. Triplex distingui potest conjugum separatio : una quoad vinculum, de qua hucusque diximus, altera quoad thorum tantum, tertia quoad thorum et cohabitationem quæ proprie divortium dicitur, de quibus hic quærimus. Unde

Petes 1° utrum possit fieri divortium propter adulterium alterius conjugis ?

Resp. affirmative [1], exceptis quibusdam casibus : Quia Christus, Matth. 5 et 29, docens non esse dimittendam uxorem, excipit casum fornicationis seu adulterii ; et quamvis loquatur tantum de viro, id tamen etiam intelligitur de muliere, [2] quia paria sunt jura viri et mulieris quoad thorum. Ratio responsionis est quia ex jure naturali non est obligatio servandi fidem illi qui eam frangit.

Nomine autem fornicationis seu adulterii, intelliguntur alia peccata graviora in eodem genere, ut sunt bestialitas et sodomia saltem completæ, scilicet cum seminatione intra vas sive ordinarium sive extraordinarium, quia alias non censetur divisio carnis, licet alii existiment sufficere pollutionem ; idque videtur declaratum, cap. *Idololatria* 28, q. 1, et S. Thomas, hic ad 4, dicit : « Etiam propter vitium contra naturam potest procedi ad divortium.» Sed dubium est an per vitium contra naturam intelligat hic pollutionem : quia dicit quod « rarius accidat »; dici autem non potest quod pollutio rarius accidat quam adulterium. Cæterum praxis favet primæ opinioni.

Dixi [3]: Exceptis quibusdam casibus : Septem recenset Auctor in quibus vel uxor immunis est a culpa, vel uterque est culpabilis. Primus est si compars similiter adulterata fuerit, cap. *Ex litteris*, de Divortiis ; quia tunc est injuriæ compensatio. Nec refert quod unus tantum semel, alter vero pluries adulteratus fuerit, neque quod unus simplex adulterium, alter sodomiam aut bestialitatem commiserit, quia jura attendunt ad fidei fractionem et carnis divisionem, quæ utrobique reperitur. Intellige tamen nisi post mutuam condonationem et reconciliationem, alter in adulterio perseveret, tunc enim datur locus, divortio.

Secundus, si vir uxorem prostituerit, aut prostitutionis fuerit particeps, ei consentiendo, vel eam tolerando, cum posset commode impedire ; ipse enim sibi debet imputare ; non tamen si causam tantum adulterandi remotam dederit, ut habetur expresse, cap. *significasti*, de Divortiis, a fortiori, ut videtur, si tantum debitum negaverit.

Tertius, si uxor virum suum probabiliter mortuum credens propter longam ejus absentiam alteri nupserit, cap. *Cum per bellicam* causa 34, q. 1.

Quartus, si latenter cognita fuerit ab aliquo sub specie viri lectum subintrante.

Quintus, si fuerit vi oppressa.

Sextus, si reconciliavit eam sibi, sive verbis sinceris, sive factis, ut copula, osculis, amplexibus animo reconciliationis exhibitis cum notitia sui juris.

Septimus, si Matrimonio in infidelitate utriusque contracto, vir dederit uxori libellum repudii, et uxor alteri nupserit, tunc enim si uterque convertatur, tenetur vir eam recipere.

Petes 2° utrum non solum liceat, sed etiam debeat ex præcepto fieri divortium propter adulterium alterius conjugis ?

Resp. : Si adulter non pœniteat,[1] nec possit verbis aut verberibus corrigi, et prudenter credatur per dimissionem corrigendus, debet dimitti ; alioquin alter « patronus turpitudinis et lenocinii reus habetur » : cap. *apud misericordiam* causa 32, q. 1, et cap. *Si vir*, de Adulteriis, deestque debito charitatis erga compartem omittendo media ejus correctioni necessaria ; cum tamen rarum sit quod vir propter dimissionem se corrigat, rarum est etiam quod uxor virum, etsi non emendatum, dimittere teneatur.

Extra hunc casum non tenetur pars innocens dimittere compartem adulteram, quia cum dimissio adulterantis sit præcepta ad ejus correctionem, si pœniteat, aut alio modo possit corrigi, cessat obligatio dimittendi. Potest tamen attenta justitia dimittere, sed charitas non suadet, maxime si agatur de dimissione uxoris, cum per dimissionem detur ei occasio adulterandi.

Petes 3° utrum præter adulterium sint aliæ causæ divortii ?

Resp. esse alias, ut contra hæreticos expresse definit Trid., sess. 24, can. 8. Prima est sævitia conjugis, tanta ut alter sine periculo coha-

[1] Supp. q. 62, a. 1, o. [2] Ibid. a. 4 o. [3] Ib. a. 1.

[1] Ib. a. 2, o et ad 1.

bitare non possit : ita cap. *Litteras*, *De Restit. Spol.*, et cap. *Transmissa* ibid. Ad hanc causam reducuntur odium implacabile, verbera, continua jurgia, aut convitia, item morbus contagiosus, gravis infamia quæ redundaret in compartem cohabitantem ; item si unus dilapidet omnia bona, et similia.

Secunda est si pars compartem pertrahat aut sollicitet ad peccatum mortale; dicit enim Christus, Matth. 18 : *Si manus tua vel pes tuus* (id est quæcumque res tibi maxime necessaria) *scandalizat te, abscinde eum et projice abs te*, et si periculum sit in mora potest propria auctoritate dimittere aut discedere, donec detur locus conveniendi judicem.

Tertia est hæresis seu infidelitas compartis[1], juxta illud Apostoli ad Tit. 3 : *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita*. Ratio est quia infidelitas est fornicatio spiritualis contra bonum prolis, scilicet educandæ ad cultum Dei. Est tamen disparitas quod propter unum actum fornicationis carnalis potest procedi ad divortium, non autem propter unum actum infidelitatis, sed propter consuetudinem, quæ pertinaciam ostendit in qua infidelitas perficitur. Si sit periculum in mora, idem dicendum ac de priori casu.

Quidam existimant quod infidelitas non sit causa sufficiens divortii, si infidelis nec verbo nec exemplo compartem inducat in hæresim; quia in cap. *Quæsivit*, de Divortiis, dicitur : « Si conjugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit, a viro poterit separari » : ergo si non traxerit, non poterit separari. Verum negari potest consequentia, jus enim ibi exprimit quid liceat si traxerit, tacet autem quid liceat si non traxerit; quod exprimunt alia jura statuendo absolute et sine hac conditione, infidelitatem sufficere ad divortium cap. ult., *de Convers. Conjug.*, cap. *Illa, de Divortiis* et cap. *Non solum* causa 28, q. 1. Aliunde semper imminet periculum vel perversionis in prolibus ; serpit enim hæresis ut cancer.

Si quæras casu quo unus sit hæreticus et alter adulter, fiat compensatio, ita ut neuter alterum possit dimittere? resp. in jure non statui compensationem in hoc casu. Quod si uterque esset hæreticus, posset forte per sententiam judicis compensatio statui.

Petes 4° qua auctoritate possit et debeat fieri divortium?

1° Resp. divortium quoad thorum tantum[3] posse fieri auctoritate privata, ubi parti certo constat de alterius adulterio, ita ut non teneatur debitum reddere exigenti, etiamsi per censuram compellatur, quia judex ecclesiasticus fundatur in falsa præsumptione innocentiæ alterius; excipe nisi sit scandalum, forte quia alii suspicantur contemni censuras aut Ecclesiæ præceptum, quod rarum est, cum redditio debiti in secreto agatur; et hoc sensu intelligendus est Auctor hic, quando dicit : « Nisi per Ecclesiam compellatur, » ratione scilicet scandali. Ratio responsionis est quia per adulterium, adulter amisit jus ad debitum, et ista actio non est publica, quæ indigeat auctoritate publica.

Resp. 2° : Divortium publicum[1] quoad cohabitationem propter adulterium occultum fieri non potest nisi judicio Ecclesiæ. Ita cap. *Sæculares*, causa 33, q. 2, ex concilio Agath., cap. 25, ubi excommunicantur mariti qui privata auctoritate dimittunt uxores adulteras, « antequam dissidii causas dixerint et priusquam in judicio damnentur uxores. » Ratio est quia hujusmodi divortium est actio publica pertinens ad externam gubernationem, quæ ideo absque perturbatione et scandalo fieri non potest privata auctoritate. Adde quod etiam non liceat privata auctoritate aliquem publice diffamare.

Dixi 1° : Divortium publicum, quia multi volunt quod maritus certus de adulterio suæ conjugis, possit sine strepitu et occulte eam deserere sub prætextu peregrinatonis, militiæ, mercaturæ aut alio simili : in cujus confirmationem adducunt exemplum S. Joseph qui B. Virginem uxorem suam voluit occulte dimittere. Verum ex altioribus rationibus hoc factum excusat Auctor[2] his verbis : « Joseph voluit Virginem dimittere, non quasi suspectam de fornicatione, sed ob reverentiam sanctitatis ejus, timens cohabitare ei ; nec tamen est simile, quia tunc, ex adulterio, non solum procedebatur ad divortium sed ulterius ad lapidationem, non autem nunc quando agitatur judicio Ecclesiæ. »

Dixi 2° : Propter adulterium occultum, quia probabilis est plurium opinio quod ubi adulterium est ita publicum quod nulla tergiversatione celari possit, ut si mulier, post unum aut alterum annum absentiæ mariti, pariat aut sit gravida, liceat marito non expectata judicis sententia illam dimittere, quia tunc cessat periculum perturbationis, scandali et diffamationis ; idque videtur significari cap. *Significasti*, de Divortiis, ubi dicitur : « Si notorium est mulierem ipsam adulterium com-

[1] Ib. a. 1, ad 3. [2] Ibidem a. 3, o.

[1] Ibid. [2] Ibid. a. 2.

misisse, ad eam recipiendam vir», qui illam dimiserat, «cogi non debet», et cap. *Ex parte*, de Sponsal. : « Nemini licet uxorem nisi ex manifesta causa fornicationis dimittere» : ergo licet, si manifesta sit fornicatio; idque videtur innuere Auctor dum, postquam dixit virum non posse dimittere uxorem adulteram nisi judicio Ecclesiæ, addit : « Nisi posset incontinenti fornicationem probare.» His non obstantibus vix credo Ecclesiæ probari divortium publicum, factum ex quacumque causa, absque ejus auctoritate.

Petes 5° utrum conjux innocens teneatur nocentem emendatum, redire petentem, recipere ?

Resp. quod si divortium sit ex judicio Ecclesiæ factum absolute et non ad tempus, non teneri ex justitia, quia per sententiam judicis est ab onere conjugali absolute liberatus : unde potest assumere statum incompossibilem cum usu matrimonii, ut religionem vel ordinem sacrum. Si tamen reunio sit nocenti salutifera et innocenti non graviter incommoda, charitas exigit ut recipiatur.

Petes 6° utrum conjux nocens teneatur, divortio etiam juridice facto, ad conjugem innocentem eum revocantem redire absque nova judicis sententia ?

Resp. affirmative : « Quia, inquit Auctor [1], illud quod inducitur in favorem viri (idem dic de muliere) non aufert ei jus petendi debitum, vel revocandi uxorem : unde uxor tenetur ei reddere, et ad eum redire si fuerit revocata.»

DIGRESSIO HISTORICA

DE LIBELLO REPUDII APUD JUDÆOS,

Ad præced. dissert.

Libellus repudii apud Judæos scripto sub hac forma tradebatur : « Ego Rabbi N., filius Rabbi N., filii Rabbi N., die prima mensis secundi, anno a creatione mundi, etc., hic et in hac civitate ex animi mei consensu et sine ulla coactione, repudiavi Rachel, filiam Rabbi N., filii Rabbi N. et dedi illi libellum repudii in manu, schedam abscissionis et signaculum divisionis, ut sit a me abjecta, et abeat quocumque voluerit, ducique possit ab omni viro, nec eam quisquam prohibere præsumat juxta constitutionem Moysis et Israël. » Sic saltem circumfertur. Brevior apud Romanos erat forma libelli repudii, hæc nempe : Res tuas tibi habeto; vel : Res tuas tibi agito.

[1] Ib. ad. 2.

Ut censeretur legitimus libellus repudii apud Judæos, 1° debebat scripto dari et a scribis publicis scribi, tum ut ex mora scribendi tardior esset maritus ad repudiandum, et locus daretur iræ, tum ut scriba expenderet causas repudii, et si injustas deprehenderet, denegaret libellum repudii, et ad pacem redintegrandam conaretur : causas repudii S. Scriptura non exprimit, nisi sub vocabulo communi *fœditatis* scilicet spiritualis vel corporalis. 2° Debebat ipsi repudiatæ dari. 3° Non debebat dari nisi ex legitima causa, quam tamen exprimere in libello non erat necesse.

Quæstio est utrum repudium apud Judæos fuerit licitum et per illud dissolveretur vinculum Matrimonii, ita ut uxor repudiata posset licite et valide alteri nubere? An e contra esset tantum impune toleratum ut minus malum ad præcavenda majora mala, scilicet uxoricidia, in quæ valde erant propensi Judæi, ita ut per illud non solveretur vinculum Matrimonii, et repudiata non posset licite et valide alteri nubere? Utramque sententiam ut probabilem sustinet et utriusque argumenta solvit S. Th. hic q. 67, art. 3 et 4, dicitque secundam sententiam esse suo tempore communiorem, eamque tenet S. Hieron., lib. 1 *Comment. in Matth.*, cap. 5, videtur; tamen hodie prima sententia communior, pro qua

Dico : Probabilius videtur libellum repudii apud Judæos, Deo dispensante, fuisse licitum, eoque dissolvi vinculum Matrimonii, ita quod mulier repudiata posset licite et valide alteri nubere.

Prob 1° ex ipsa lege repudii, Deuteron. 24, ubi Moyses sic statuit : *Si acceperit homo uxorem et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua, cumque egressa alterum maritum duxerit et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii et dimiserit de domo sua, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem :* atqui hæc verba in sensu naturali et obvio non important solum permissionem seu tolerantiam minoris mali ad evitandum majus, sed veram permissionem juris, qua res fit licita, licet minus bona, et Matrimonium inde secutum fit validum ; nam 1° dicit : *Dimittet eam*, quod non posset dici, si id esset illicitum, sicut nunc dici non potest : Si vir odio habuerit uxorem, dimittet illam, quia hoc nunc est illicitum. 2° Virum secundum vocat maritum ;

non esset autem maritus, si primum Matrimonium subsisteret, et secundum esset nullum. 3° Dicit quod si is quoque oderit eam, dabit etiam illi libellum repudii ; solus autem maritus poterat dare libellum repudii. Subsumo : Atqui secundum regulam a S. Augustino traditam, l. 3, *de Doct. Christiana*, cap. 10, verba S. Scripturæ, quantum fieri potest, intelligenda sunt in proprio et obvio sensu, præsertim in legibus quæ clare debent exprimi, ne detur ansa continuis prævaricationibus, ut hic contigisset; nec Moyses alibi, cum exponeret res vere licitas et non solum toleratas, aliter loqueretur : ergo.

Confirm. : Per hanc legem prior vir prohibebatur recipere uxorem repudiatam : atqui si non esset dissolutum primum Matrimonium, non erat prohibendum, sed potius optandum ut uxor ad priorem et unicum maritum rediret, nec perseveraret in adulterio : ergo.

Prob. 2° : Lex vetus [1] quamvis gratiam non conferret, tamen ad hoc data erat ut peccatum ostenderet, ut communiter SS. Patres docent: unde si Judæi repudiando uxorem peccassent, hoc saltem eis per legem aut prophetas indicari debuisset juxta illud Isaiæ 58 : *Annuntia populo meo scelera eorum,* alias viderentur nimis esse neglecti, si ea quæ necessaria sunt ad salutem, quæ non cognoscebant, nunquam eis nuntiata fuissent, quod non potest dici, cum justitia legis tempore suo observata, vitam mereretur æternam. Hæc et bene S. Doctor. Subsumo : Atqui nunquam per legem aut prophetas, fuit nuntiatum Judæis eos peccare repudiando uxores, et repudiatas peccare nubendo alteri viro; quin e contra lege lata, id fuit eis permissum : ergo.

Confirm. : Quando in lege quædam permittuntur seu tolerantur ut minus mala, alibi redarguuntur, ut patet de usuris quæ Judæis permittebantur erga alienigenas, et quæ reprehenduntur, Ezech. 18. et Psal. 14; nullibi autem ut dictum est, reprehenduntur Judæi quod uxores repudiarent, et quod repudiatæ nova conjugia inirent : ergo.

Quantum ad S. Th., jam diximus ipsum utramque sententiam defendere ut probabilem et 3, *cont. Gent.*, videtur inclinare in sententiam nostræ oppositam; sed in cap. 19 Matth., dicit quod, « licet repudium inordinatum quid esset, noluit tamen Deus quod Judæis imputaretur ad culpam », quia scilicet in eo dispensaverat, et 1 2 q. 102, art. 5, ad 3, dicit quod Matrimonium in veteri lege non erat sacramentum conjunctionis Christi cum Ecclesia, « quia dabatur in ea libellus repudii, » quod est contra rationem sacramenti; si vero non dissolveret Matrimonium quoad vinculum, sed solum quoad cohabitationem, non esset contra rationem sacramenti, siquidem nunc divortium dissolvat matrimonium quoad thorum et cohabitationem, et tamen non est contra rationem sacramenti.

Neque obstat quod 1 2 q. 105, art. 4, ad 8, dicat repudium non fuisse *Simpliciter justum* et q. 108, art. 3, ad 2, non esse « per se justum » : sic enim loquitur, partim quia ortum habebat ex duritia cordis, partim quia attenta rei natura non erat justum et licitum, sed ex sola dispensatione divina id consequebatur. Immerito itaque quidam adversariorum præsumunt quod si S. Doctor *Summam* absolvisset, in eorum sententiam descendisset. E contra potiori jure præsumitur quod nostram sententiam amplexus fuisset, aut saltem quod hanc quæstionem problematice tractasset, sicut fecit in *Commentariis in lib. Sentent.*

Obj. 1° : Christus, Matth. 19, Pharisæis interrogantibus de libello repudii respondet Moysen ipsis eum permisisse propter duritiam cordis eorum : atqui duritia eorum non excusat eos a peccato : ergo videtur quod Moyses illis tantum permiserit libellum repudii, non ut licitum, sed ut minus malum quod posset fieri absque punitione ad præcavenda graviora mala, sicut permisit illis fœnerari extraneis, ne fœnerarentur fratribus.

Resp. quod quamvis duritia [1] non excusaret a peccato, tamen permissio ex duritia, seu ejus occasione facta excusat; quædam enim prohibentur sanis quæ non prohibentur infirmis corporaliter, nec tamen infirmi peccant permissione sibi facta utentes. Ad paritatem de usuris, disparitas est quod usuræ alibi in lege reprehendantur ut illicitæ, nullibi libellus repudii reprehenditur ut illicitus.

Si dicas his verbis Malach. 2 : *Cum odio habueris, dimitte,* juxta plures interpretes, Deum ironice carpere repudium, quod patet ex verbis immediate sequentibus : *Operiet autem iniquitas vestimentum ejus,* nempe repudiantis, resp. ibi agi, ut patet ex terminis, de repudio ex solo odio, sine causa legitima, quod licet secundum aliquos esset validum, erat tamen illicitum.

Inst. : Non est verisimile Deum dispensasse generaliter in lege naturæ nisi popter aliquem finem honestum ; sic dum dispensavit in lege

[1] Supp q. 67, a. 3, o.

[1] Ibid. ad 4.

monogamiæ, habebat pro fine multiplicationem generis humani : atqui hic non assignatur alius finis libelli repudii quam duritia cordis : ergo.

Resp. indulgentiam Dei qua volebat consulere fragilitati Judæorum, fuisse causam sufficientem ut permitteret illis libellum repudii.

Obj. 2° : Deuteron. 24, uxor repudiata quæ alteri nupsit, dicitur *polluta et abominabilis coram Deo :* ergo.

Resp. dici pollutam et abominabilem coram Deo, [1] non immunditia culpæ, sed cujusdam irregularitatis legalis, sicut immundus dicebatur qui mortuum vel leprosum tetigerat ; et ideo non licebat sacerdotibus viduam aut repudiatam ducere. Insuper juxta textum Hebræum et Græcum legitur : *Quoniam hoc* [redire scilicet ad priorem virum] *est abominatio coram Domino,* quia libellus repudii datus, sic ut repudiata posset redire ad priorem virum, sapuisset lenocinium, quasi mulier ad tempus esset alteri commodata, idque præbuisset occasionem Judæis facilius repudiandi uxores suas.

Inst : Jerem. 3, mulier repudiata et alteri nupta comparatur fornicariis : ergo.

Resp. Deum illic arguere a minori ad majus et significare tantum quod licet lex non permitteret recipere mulierem repudiatam, ipse tamen ex singulari misericordia, reciperet in gratiam populum Israel post multas fornicationes cum amatoribus suis, id est, post iteratam idololatriam, quamvis esset major ratio ipsum rejiciendi quam mulierem repudiatam.

Obj. 3°: S. Aug,. lib. *de Bono conjug.*,cap. 8, dicit in libello repudii magis apparuisse exprobrationem divortii quam approbationem, et cap. 18 : «Sicut duobus, inquit, pluribusve servire, sic a viro vivo in alterius transire connubium, nec tunc licuit, nec nunc licet, nec unquam licebit» : ergo.

Resp. ad primum : Etsi in libello repudii apparuerit exprobratio divortii, quia scilicet non permittebatur tanquam ex natura sua bonus, sed ut bonus et licitus ex dispensatione, nihilominus permittebatur ; sicut licet, Judæis petentibus regem, in ejus institutione apparuerit exprobratio novi regiminis ; dixit enim Deus Samueli : *Non te abjecerunt, sed me,* nihilominus rex fuit institutus et novum regimen, prioré extincto, fuit erectum.

Ad secundum : Palam est S. Augustinum loqui seclusa Dei dispensatione; non ignorabat enim ex divina dispensatione, etiam in nova lege, matrimonium infidelium etsi consummatum dissolvi per conversionem alterius ad fidem, et matrimonium ratum fidelium per professionem religiosam.

DISSERTATIO VI.

De impedimentis Matrimonii in communi.

D. Th. q. 50.

ARTICULUS I.

QUOT ET QUÆ SINT IMPEDIMENTA MATRIMONII IN COMMUNI?

Dico[2]: Impedimenta matrimonii sunt duplicis generis, scilicet prohibentia seu impedientia tantum, et dirimentia. Prohibentia seu impedientia tantum dicuntur quæ impediunt ne matrimonium contrahatur licite, licet valide. Impedimenta dirimentia sunt quæ impediunt ne valide contrahatur, ita ut contractum cum hujusmodi impedimento sit nullum, et ideo debet dirimi seu dissolvi.

[1] Ibid. a. 4, ad 3. [2] Supp. q. 50. a. unico.

Quamvis autem alia sacramenta[1] etiam impediri possint, si aliquid quod sit de eorum essentia vel solemnitate subtrahatur, specialiter tamen assignantur impedimenta pro matrimonio, tum quia non solum est sacramentum, sed etiam contractus; contractus autem a natura, lege, variisque aliis impediri potest, tum quia requirit pro materia duorum contrahentium actus.

Impedimenta impedientia tantum numerantur quinque, his versibus comprehensa:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum.

Plura olim fuerunt orta ex crimine, sed hæc, sicut catechismus, qui erat quædam cognatio spiritualis orta ex catechismo prævio ad Baptismum, desuetudine abrogata sunt, S. Thomas hic numerat tantum duo, scilicet Ecclesiæ vetitum et tempus feriatum, quia alia reducuntur ad impedimenta dirimentia, tanquam imperfectum ad perfectum sui generis, sponsalia ad ligamen, votum simplex ad votum solemne, catechismus ad cognationem perfectam, cætera ad crimen.

Impedimenta dirimentia olim numerabantur tantum duodecim, sed jure novo Tridentini addita sunt duo, scilicet clandestinitas et raptus: unde nunc sunt quatuordecim his versibus comprehensa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si clandestinus et impos,
Raptave sit mulier, parti nec reddita tutæ:
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Congruentiam numeri duodenarii adfert hic S. Doctor. Vide si lubet.

Cum circa impedimenta impedientia vix ullæ sint difficultates, ea hic breviter explicabimus.

Per *Ecclesiæ vetitum*, intelligitur prohibitio qua Papa vel episcopus, aut parochus, aut judex ecclesiasticus prohibet ex juxta causa matrimonii celebrationem; et hæc prohibitio potest esse vel generalis, ut cum Ecclesia prohibet celebrare matrimonium sine præviis denuntiationibus, aut earum dispensatione; vel particularis, ut cum aliquibus prohibetur matrimonium contrahere ex speciali causa, v. g., ut vitetur scandalum, ut dignoscatur impedimentum de quo dubitatur, etc., videturque talis Ecclesiæ prohibitio graviter obligare, tum quia res est gravis, tum quia contravenientes gravibus pœnis mulctat, cap. 2, de Matrim. contracto.

Per *tempus feriatum*, intelligitur certum anni tempus, quo Ecclesia prohibet celebrari nuptias, quod licet olim protensius foret, nunc tamen post Tridentinum, sess. 24, cap. 10, de Reformat. Matrimonii, est tantum ab adventu, usque in diem S. Epiphaniæ, et a die cinerum usque ad octavam paschæ inclusive.

Porro his temporibus non prohibetur ab Ecclesia celebrare Matrimonium simpliciter, sed tantum cum solemnitatibus, quales sunt nuptias solemniter benedicere, traducere palam sponsam, nuptialia convivia celebrare, ut patet, tum ex textu Tridentini, tum ex declaratione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, tum ex rituali Romano. Quia tamen homines carnales vix ab his solemnitatibus abstinere possunt, quovis tempore Matrimonium ineant; ideo in quibusdam diœcesibus in adventu et quadragesima Matrimonii celebratio simpliciter prohibetur sine licentia episcopi; et qui huic ecclesiæ ordinationi contradicit, solemniter Matrimonium celebrando præfatis temporibus, videtur peccare mortaliter, tum ratione inobedientiæ, tum ratione scandali.

Utrum vero interdictum generale, seu particulare, quod est censura ecclesiastica, sub hoc vel præcedenti impedimento contineatur?

Respondent negative plures graves auctores: Navarrus, Toletus, Sa, Vivaldus citatus a Sylvio; item Gonet, Henno, etc. Unde juxta illos, licitum est illo casu et tempore celebrare Matrimonium, modo tamen id fiat sine solemnitate: cum enim, inquiunt, Matrimonium sit res ardua, et ad quod homines habent a natura, et inclinationem, et plenum jus, non est præsumendum pontifices velle illud prohibere, quoad substantiam, per interdictum locale vel personale absolutum, nisi de eo expressam faciant mentionem: et hoc est probabile.

Per *sponsalia* intelligitur promissio futurarum nuptiarum facta uni, quæ, nisi prius ex justa causa dissolvatur, impedit ne cum altero, vel altera licite contrahatur Matrimonium. Dixi: Licite, valide enim contraheret, nisi sponsalia essent cum sorore illius quacum per verba de præsenti contrahit, propter impedimentum publicæ honestatis. Qui contrahit cum tali impedimento peccat mortaliter.

Per *votum*, intelligitur votum simplex vel ordinis sacri suscipiendi, vel religionis ingrediendæ, vel non nubendi. Unde tali voto obstrictus non potest sine peccato mortali con-

[1] Ibidem ad 1.

trahere Matrimonium, valide tamen contraheret, quia votum simplex est tantum promissio proprii corporis facta Deo ad continentiam servandam : res autem promissa manet adhuc sub dominio promittentis, et potest valide, licet illicite, ab eo alteri donari : de quo fusius infra.

In his quatuor impedimentis nunc vigentibus episcopus potest dispensare, excepto voto simplici castitatis et religionis ingrediendæ.

ARTICULUS II.

QUIS POSSIT STATUERE IMPEDIMENTA DIRIMENTIA MATRIMONIUM ?

Dico : Ecclesia potest statuere impedimenta dirimentia Matrimonium.

Prob. 1° ex Trid., sess. 24, can. 4, sic definiente contra lutheranos : « Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in eis constituendis errasse, anathema sit. » Idem can. 3.

Respondet Launoius per Ecclesiam intelligendos esse reges et principes sæculares.

Sed contra : 1° Quia omnes, vel ipsi pueri leviter instructi, per Ecclesiam intelligunt societatem fidelium sub regimine priorum pastorum spiritualium, non principes sæculares, nisi quatenus sunt et ipsi sicut alii fideles membra privata ejusdem societatis ; et dum leges dicuntur latæ ab Ecclesia, nemo est qui non statim intelligat primos pastores per quos Ecclesia loquitur, non principes sæculares : unde absurda prorsus est, et communi sensui repugnans hæc Launoii responsio. 2° Concilium *Ecclesiam* intelligit eo sensu quo intelligebat Lutherus, quem ibi damnat, alias nihil definiret contra ipsum : atqui quando Lutherus negabat Ecclesiam posse statuere impedimenta Matrimonii, non intelligebat per *Ecclesiam* principes sæculares, siquidem eos solos asserebat, posse hujusmodi impedimenta statuere, sed intelligebat superiores spirituales, et pastores Ecclesiæ : ergo.

Prob. ex perpetua traditione, et praxi Ecclesiæ : Concilium Eliberitanum, anno 315, secundum alios 305, can. 15, 16, 61 et 66, statuit non posse iniri conjugia cum infidelibus aut hæreticis, nec cum sorore uxoris ; concilium Ancyran., anno 314, can 11, irritat matrimonium viri cum puella a se rapta ; concilium Neocæsariense, eodem anno, can. 1, confirmat impedimentum Ordinis ; concilium Agathense, anno 506, can. 61, statuit diversos gradus consanguinitatis et affinitatis dirimentes Matrimonium ; concilium Lateranense IV, anno 1215, cap. 50, impedimenta consanguinitatis ad quartum gradum contraxit.

Quantum ad Patres : Tertullianus de *Corona militis*, c. 14, et toto libro *ad Uxorem* docet conjugia cum ethnicis esse prohibita. S. Aug , l. 15, *de Civit.*, cap. 16, sic scribit : « Quis dubitet honestius hoc tempore etiam consobrinarum prohibita esse conjugia ? » S. Gregorius Magnus, l. 12, epistol. 31, ad S. Augustinum Anglorum episcopum, dicit non esse attendendum ad legem Romanorum permittentem matrimonia in secundo gradu, sed tantum posse iniri in tertio et quarto gradu. Nicolaus I, sæculo 9, ad consulta Bulgarorum, cap. 39, consanguinitatis gradus statuit inter quos Matrimonium contrahi non possit : ergo.

Respondent Ecclesiam usurpasse hanc potestatem in præjudicium potestatis regiæ. At dicant velim, quis primus pontificum hanc potestatem usurpavit ? Quis principum sæcularium reclamavit ? Quin e contra hanc in Ecclesia auctoritatem ipsimet agnoverunt et venerati sunt. Enimvero, et hinc corroboratur probatio, Vigilius qui sedit anno 540, irritavit matrimonium Theodeberti, Francorum regis, cum vidua fratris sui ; Leo III, renuntiatus pontifex anno 795, diremit matrimonium Henrici I, Castellæ regis, cum filia regis Lusitaniæ propter impedimentum consanguinitatis ; S. Gregorius V, creatus pontifex anno 996, irritum pronuntiavit matrimonium inter Robertum, regem Galliæ, et Bertam ejus consanguineam ; Chilpericus in cap. editis anno 395, a. 2, et Carolomannus, in congressu Liptinensi, cap. 3, jubent ut incestuosa matrimonia judicio episcoporum emendentur. Idem Carolus Magnus, l. 5 *Capitular.*, n. 5 et 7, quod confirmavit exemplo, repudians post sententiam episcoporum Bertam, filiam regis Longobardorum, propter inhabilitatem ad generationem ; denique id liquido apparuit in concilio Trid., cum oratores Galliarum instanter nomine regis postularunt, ut per sacrum consessum matrimonia clandestina, et filiorumfamilias sine consensu parentum irritarentur, quorum primum concessit sacra synodus, secundum denegavit.

Prob. 3° ratione: Christus instituendo Ecclesiam illi contulit potestatem condendi leges optimo et sancto ejus regimini necessarias, sicut decet omnem rempublicam bene ordinatam : atqui nemo negat, quin bono com-

muni, et sancto Ecclesiæ regimini apprime necessarium sit impedire matrimonia, ex quibus oriuntur gravissima inconvenientia in animarum perniciem, atque in eversionem boni communis, et publicæ tranquillitatis: ergo.

Confirm. : Omnis respublica civilis habet potestatem statuendi impedimenta irritantia contractus, ubi id exigit bonum publicum, idque ipsi calvinistæ fecerunt circa contractus matrimoniales, ut constat ex statutis ecclesiæ Genevensis : quidni hanc potestatem a fortiori haberet Ecclesia?

Nomine Ecclesiæ intelligitur Papa et concilium generale, quia eos præcipue spectant, quæ ad Ecclesiæ tranquillum regimen sunt necessaria. Episcopus autem quamvis forte vi suæ jurisdictionis pro sua diœcesi, et concilium nationale pro natione possint statuere impedimenta, Matrimonium dirimentia, antiqua tamen et universali Ecclesiæ consuetudine hæc potestas videtur eis adempta.

Dices : Ecclesia non potest mutare materiam sacramenti : ergo.

Resp. hoc argumentum jam prius esse solutum, et iterum infra fore solvendum, dum de clandestinate. Interim breviter nunc dico per appositionem impedimenti irritantis contractum matrimonialem, non mutari materiam sacramenti formaliter, sed materialiter tantum, non enim efficitur, quod contractus legitimus non sit materia sacramenti, quod esset illam mutare formaliter : sed efficitur quod contractus, quia alioquin foret legitimus, jam non sit legitimus ; sicut qui mutaret vinum in acetum, non mutaret materiam consecrationis formaliter, semper enim vinum esset materia consecrationis, sed mutaret materialiter, in quantum efficeret, quod id quod erat vinum, jam non sit vinum.

Quæstio intricatior est an etiam principes sæculares possint statuere impedimenta Matrimonii, circa quam adeo variantur et implicantur sententiæ, ut nulla plene satisfaciat : ea nobis videtur planior et expeditior, quæ dicit principes sæculares per se loquendo et attenta præcise potestate regia, posse statuere impedimenta Matrimonii, attento tamen præsenti rerum statu non posse.

Ratio primæ partis est, quia contractus civiles subjacent juri civili et legibus principum, quibus possunt irritari : atqui Matrimonium est contractus civilis, et in contractu civili fundatur ratio sacramenti : ergo potest irritari principum legibus, et, eo irritato, irritatur sacramentum in eo fundatum.

Atque ita sentire videtur S. Th., hic q. 50, a. unico ad 4, ubi dicit : « Matrimonium in quantum est in officium naturæ statuitur lege naturæ, in quantum est sacramentum statuitur jure divino, in quantum est in officium communitatis statuitur lege civili ; et ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad Matrimonium contrahendum illegitima. » Idem docet 4, *cont. Gent.*, cap. 78.

Confirm. : Principes infideles, fatentibus omnibus, possunt opponere impedimenta Matrimonio : ergo et principes fideles, non enim per fidem imminuta est eorum potestas.

Neque obstat quod Christus Matrimonium fidelium elevavit ad dignitatem sacramenti, nihil enim ideo mutavit in natura contractus ; ita ut contractus validus sit sacramentum, invalidus non sit sacramentum, penes autem principem est statuere conditiones quibus positis sit validus aut invalidus contractus.

Ratio secundæ partis est quia Ecclesia, sive, secundum aliquos, annuentibus, aut saltem non contradicentibus principibus sæcularibus, sive, secundum alios, auctoritate sua suprema, sibi soli vindicavit causas matrimoniales, ut patet ex Tridentino sess. 24, can. 12, sic definiente : « Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare judices ecclesiasticos, anathema sit. » Idem jam diu antea statutum erat in jure cap. *Multorum* 35, q. 6, et cap. *Accidentibus* de Excessu Prælat. Atque istud jus agnoscunt et venerantur principes sæculares, ut vidimus in secunda probatione conclusionis ; videturque expressa sententia Auctoris hic q. 57, a. 2, ad 4, ubi dicit quod « prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impedimentum Matrimonii, nisi interveniret Ecclesiæ auctoritas quæ idem etiam interdicit », attento scilicet præsenti rerum statu. Unde nisi teneas eam quam proponimus sententiam pro utraque ejus parte, vix S. Doctorem poteris conciliare.

Ex quo inferes 1° quod si quæ sint modo, aut in posterum statuantur a principibus sæcularibus impedimenta matrimonium dirimentia, non valeant nisi ad effectus civiles, ut sunt exhæredatio, rescissio donationum, privatio omnium quæ vi consuetudinis aut contractus matrimonialis obvenire possunt, etc., ut declaravit custos sigillorum regiorum nomine regis Galliæ circa edicta Henrici III et Ludovici XIII, ad supplicationem cleri Gallicani, de quo supra dum de matrimonio filiorumfamilias ; et etiam patet ex jure canonico revocante plura impedimenta statuta a jure civili, I.

Filiusfamilias ff. de Ritu nuptiarum, et l. *Tutor* de Sponsalibus.

Inferes 2° infideles, sive in terris fidelium existant sive non, non teneri legibus Ecclesiæ circa Matrimonium, quia ejus potestati non subjiciuntur, teneri autem legibus suorum principum infidelium, si illis subjiciantur.

Inferes 3° fideles ubivis locorum existant teneri legibus Ecclesiæ circa Matrimonium, quia sive sint hæretici, sive apostatæ, non desinunt esse subjecti Ecclesiæ ratione characteris baptismalis indelebilis. Excipe legem de impedimento clandestinitatis propter specialem hac de re Tridentini dispositionem, de quo infra.

ARTICULUS III.

QUIS POSSIT DISPENSARE IN IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS MATRIMONIUM? UBI PLURA DE DISPENSATIONE.

Suppono nullum mortalium posse dispensare in impedimentis quæ sunt juris naturalis, ut sunt ligamen, votum solemne, impotentia, et quæ propter defectum consensus dirimunt, ut sunt error, vis et amentia. Impedimenta autem juris divini nulla sunt nunc, antiqua lege abrogata. Quæstio igitur est de impedimentis juris ecclesiastici, ut sunt servitus, Ordo, consanguinitas, affinitas, cognatio tam legalis quam spiritualis, publica honestas, crimen, clandestinitas et raptus.

Dico : Ecclesia potest dispensare in impedimentis dirimentibus Matrimonium.

Ita concilium Trid., sess. 24, can. 3, sic: « Si quis dixerit eos tantum consanguinitatis et affininitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere ut plures impediant et dirimant, anathema sit. » Ratio est quia ejus est dispensare in legibus, cujus est leges condere.

Hæc autem potestas residet in Summo Pontifice ad quem ut ad supremum Ecclesiæ caput visibile, quæcumque sunt juris ecclesiastici spectant; episcopi tamen, sive ex delegatione expressa vel tacita, sive ex usu approbato dispensant in aliquibus impedimentis etiam publicis et Matrimonium præcedentibus, idque varie in variis diœcesibus. In his partibus dispensat in tertio et quarto gradu consanguinitatis, qua in re servandus est usus receptus cuique diœcesi proprius.

Plura scripsi circa præsentem dispensationis materiam in tractatu de Legibus, dissert. 5, art. 3, per plures §§, quæ hic ex integro repetere longum foret : quapropter summatim repetendo,

Dixi 1° episcopos ex consensu tacito Summi Pontificis dispensare in iis quæ non patiuntur moram, ut si omnibus ad nuptias præparatis, innotescat impedimentum, et Matrimonium absque gravi scandalo differri non possit : item in impedimentis occultis quæ superveniunt Matrimonio contracto cum bona fide saltem unius partis. Item in impedimento petendi debitum ex copula incestuosa in primo vel secundo gradu affinitatis, § 1 [1].

Dixi 2° Summum Pontificem dispensare illicite sine justa causa in impedimentis Matrimonii, sicut in aliis legibus, valide tamen ; episcopos vero nec licite nec valide, § 2.

Si petas quæ sint causæ dispensandi in impedimentis dirimentibus Matrimonium ?

Resp.: Prima est inveteratæ discordiæ aut gravis litis compositio; secunda, singulare meritum oratoris in Ecclesiam, aut ingens pecuniæ summa in urgentes Ecclesiæ necessitates expendenda; tertia conservatio illustris familiæ intra eumdem sanguinem, aut etiam amplissimarum in ea divitiarum; quarta, si una pars sive vir, sive fœmina, non potest sine gravi incommodo invenire compartem suo statui convenientem, ut si debeat deserere suum oppidum ; quinta, periculum gravis infamiæ aut scandali ; sexta, si votum castitatis cujus petitur dispensatio, admodum difficile servari possit.

Præter has rationes sunt aliæ nunc, juxta stylum curiæ Romanæ, communiores et quarum aliqua apponi soli solet in formula dispensationis, licet non fuerit expressa in libello supplici.

Prima est, si copula intercesserit inter oratores petentes dispensationem super gradus consanguinitatis; quæ si habita fuerit ex intentione ut facilius obtineatur dispensatio, id debet exprimi, quia tunc difficilius conceditur dispensatio, et gravior imponitur pœnitentia : quod si omittatur, dispensatio est nulla. Secunda est, si sit vehemens suspicio copulæ ex nimia familiaritate inter oratores. Tertia est ætas puellæ excedentis vigesimum quartum annum et hac de causa manentis innuptæ. Quarta, angustia loci, ut in pagis et parvis oppidis, ubi incolæ sunt fere omnes

[1] Hodie S. Pontifex indulto speciali omnibus episcopis potestatem delegat expresse.

consanguinei aut affines. Quinta, periculum hæresis in vicinia hæreticorum.

Itaque aliqua ex his quinque causis juxta stylum curiæ Romanæ solet nunc exprimi in petitione dispensationis, si tamen, his prætermissis, exprimantur aliæ, et Papa in dispensatione, omissis quæ fuerant expressæ, exprimat unam ex quinque præfatis, non ideo censetur dispensatio invalida, sed præsumitur quod quamvis causa allegata ab oratore sit judicata sufficiens, non tamen est expressa in dispensatione, quia non est de stylo curiæ : unde quamvis expressa in dispensatione non subsisteret, si subsistat expressa in petitione, valida est dispensatio.

Dixi 3° dispensationem esse obreptitiam quando allegatur falsum pro ea obtinenda, esse subreptitiam quando reticetur verum, et quod si obreptio aut subreptio cadat supra causam principalem dispensationis, hæc sit nulla : item probabilius si cadat super causam impulsivam tantum, ex malitia allegantis, secus si ex ejus ignorantia vel simplicitate, ibid. § 4.

Dixi 4° quod subreptio seu reticentia veri per se et intrinsece ad rem pertinentis, seu error circa substantiam moralem rei, reddat dispensationem nullam. Similiter reticentia eorum quæ stylus curiæ Romanæ requirit, quando in ea petitur dispensatio, ibidem : quæ autem exprimi requirat stylus curiæ, ibidem dixi.

Dixi 5° dispensationem peti a Sacra Dataria in triplici forma : in forma *nobilium*, *honestorum et pauperum*: pauperes non censeri nisi sint tales, ut de suis laboribus et industria tantum vivant: hanc particulam *tantum* necessario debere apponi in petitione, alias nullam fore dispensationem. Debentque esse pauperes ex utraque parte : pauperem autem ex Pirrho Corrado censeri qui non habet in bonis quinquaginta aureos. Ibid., § 4. [1]

Hæc, inquam, omnia fusius explicata require locis citatis. Nunc ad majorem lectoris instructionem sequentia addo.

Primum : Clarissimus vir Daelman, doctor Lovaniensis, quæst. ultima, observat. ultima de Matrimonio, scribit illos debere censeri pauperes qui sive in mobilibus, sive in immobilibus habent duo vel tria millia florenorum, tum quia si peterent in forma *honestorum*, deberent majori parte hujus summæ spoliari pro dispensatione, pro qua petitur mille, vel duo millia florenorum, juxta graduum propinquitatem, et sic fierent pauperes, tum quia hæc pauca bona sunt eis quasi instrumentum quo labore et industria fructuose operari valeant, nullos inde percipientes fructus, aut ita modicos, ut pro nihilo reputentur. Addit laudatus theologus nuntium apostolicum sic judicare quando oratores a parochis ad ipsum mittuntur.

Secundum : Ex Tridentino, sess. 22, de Reformat., cap. 5, dispensationes Romæ conceduntur in duplici forma, nempe in forma commissoria, quæ non tam est dispensatio quam mandatum dispensandi factum illi ad quem diriguntur litteræ apostolicæ; et in forma gratiosa, quæ est proprie dispensatio.

Tertium : Duplex est Romæ tribunal ad quod recurritur pro dispensationibus obtinendis, scilicet Sacra Pœnitentiaria et Dataria. Hæc sunt inter utrumque discrimina : 1° dispensationes pro impedimentis occultis conceduntur in Sacra Pœnitentiaria ; pro manifestis aut facile manifestandis, in Dataria. 2° In Pœnitentiaria gratis conceditur dispensatio; in Dataria autem solvitur juxta propinquitatem graduum et conditionem personarum, vel nobilium, vel honestarum, vel pauperum, ut diximus : hæ autem pecuniæ impenduntur in propagationem fidei, vel in alios usus pios. 3° Dispensatio Sacræ Pœnitentiariæ valet tantum pro foro interno [1]; dispensatio Datariæ valet pro utroque foro. 4° Quando petitur dispensatio a Dataria, debent exprimi oratorum nomina, non in Sacra Pœnitentiaria, quia in ea agitur de crimine aut impedimento occulto,

[1] Hodie S. Pœnitentiaria concedit dispensationes in forma pauperum, etiam quando motiva dispensationis nullo modo sunt infamantia.

[1] Econtra hodie, ut notatum est superius.

DISSERTATIO VII.

De Impedimentis dirimentibus in particulari.

D. Th. Supp. a q. 51 ad 61.

De impedimento quod dicitur *vis*, dixi dum de consensu requisito; de impedimento ligaminis dum de Polygamia; et de impedimento raptus in tract. de Temperantia, dissert 6, a. 4, § 2, ubi, inter alia, singularem Honorati Tournely hac de re opinionem confutavimus. Vide locis citatis, ne eadem repetere cogamur. Nunc ergo de cæteris impedimentis.

ARTICULUS I.

De impedimento erroris et conditionis.

Quadruplex error circa matrimonium contingere potest, scilicet error *personæ*, quo quis credit esse talem personam, v. g., Mariam, et est Berta, non quidem quoad nomen tantum, sed quoad personam nominatam. Error *conditionis*, servilis scilicet quo quis creditur liber et est servus. Error *qualitatis* quo quis creditur habere qualitatem quam non habet, v. g., quod sit virgo, catholica, sobria, etc. Error *fortunæ*, quo quis existimatur dives et est pauper. Ita in jure causa 29, q. 1, cap. unico.

De hoc igitur quadruplici errore quæstio nunc est, præsuppositis tamen iis quæ scripsi, dissert. 1, de Contractibus, a. 3, quæ prælegi debent.

Dico [1] 1° : Error personæ jure naturæ dirimit Matrimonium.

Prob. [2] : Matrimonium non est sine consensu in objectum primarium et substantiale Matrimonii : atqui error personæ tollit hunc consensum : ergo. Prob. min. Objectum primarium et principale contractus matrimonialis est hæc determinata persona : atqui error personæ tollit consensum in hanc determinatam personam, dum quis credit contrahere cum Berta, et est Joanna : ergo.

Idque verum est etiamsi error sit vincibilis et supinus, quia hic non agitur de culpa committenda, sed de consensu necessario, qui deest, etiamsi error sit vincibilis. Item verum est etiamsi error non sit antecedens seu dans causam contractui, sed concomitans tantum et non dans causam contractui, quia licet tunc non sit involuntarium positive, est tamen negative, seu non voluntarium : unde si contrahas cum Joanna credens esse Bertam, ita dispositus quod si scires esse Joannam nihilominus contraheres, nullum est matrimonium ; non enim inde fit quod de facto habeas voluntatem contrahendi cum Joanna, sed tantum quod haberes, si scires ; consensus autem tuus actualis fertur in Bertam et non in Joannam. Confer locum citatum de Contractibus.

Dices 1° : Sicut consensus requiritur ad matrimonium, ita intentio requiritur ad Baptismum ; sed si quis baptizaret Joannem et credit baptizare Petrum, nihilominus Joannes vere est baptizatus : ergo error personæ non excludit matrimonium.

Resp. dist. maj. [1] τo *sicut* dicente omnimodam paritatem, neg. ; dicente aliqualem, conc. Disparitas est igitur inter matrimonium et alia sacramenta, quod matrimonium sit contractus, et quidem talis qui non solum est inter personas, sed etiam de ipsis certis et determinatis personis quæ seipsas hinc inde tradunt ut materiam contractus, ita ut intentio contrahentis feratur in talem personam cum

[1] Supp. q. 51, a. 2, o. [2] Ibid.

[1] Ib. a. 1. ad 3.

exclusione aliarum : unde sicut alii contractus, si supponatur res alia quam ea de qua conventum est, irriti sunt, ita et matrimonium : alia autem sacramenta neque sunt contractus, neque qui ea confert ordinarie habet intentionem ad personam Petri vel Pauli determinate cum exclusione aliarum, sed ad personam præsentem ; ac proinde si putans baptizare Petrum baptizet Joannem, Joannes est vere baptizatus. Si tamen haberet intentionem ad Petrum cum exclusione aliorum, nullum esset sacramentum Baptismi.

Dices 2° : Inter Liam et Jacob fuit verum matrimonium ; sed ibi fuit error personæ : ergo.

Resp. dist. maj. [1] Inter Jacob et Liam fuit verum matrimonium ex ipso concubitu, seu consensu qui per errorem contigit, neg. ; ex consensu qui postmodum accessit, conc.

Repones : Benedictio Isaac errantis in persona fuit valida ; ergo.

Resp. 1° cum S. Augustino, lib. 16, *de Civit.*, cap. 37 et aliis, dist. ant. Fuit valida ab initio, neg. ; per ratificationem sequentem quam Isaac, fraude detecta et voluntate Dei cognita, ex instinctu divino fecit, conc. Responderi potest 2° intentionem Isaac fuisse benedicendi filio præsenti, non satis discernens an is fuerit Jacob, an Esau.

Dices 3° : Sicut emptio est quidam contractus, ita et matrimonium : atqui in emptione et venditione, si detur aurum æquivalens pro alio auro non impeditur venditio : ergo nec matrimonium impeditur, si pro una muliere alia accipiatur.

Resp. neg. conseq. [2] Disparitas est quod pecunia in contractibus accipiatur quasi mensura aliarum rerum, ut patet 5 *Ethic.*, cap. 5, et non quasi propter se quæsita, et ideo si non detur illa pecunia quæ creditur, sed alia æquivalens, nihil obest contractui ; sed si in re quæsita propter se esset error, impediretur contractus, sicut si alicui venderetur asinus pro equo, et similiter in præsenti.

Dico [3] 2° : Error qualitatis aut fortunæ non dirimit Matrimonium nisi involvat errorem personæ, aut limitet consensum contrahentis.

Prob. : [4] Error qualitatis aut fortunæ est error circa accidentia Matrimonii : atqui error circa accidentia non irritat contractum : ergo. Prob. min. Non obstante errore circa accidentia abetur consensus in objectum principale et substantiam contractus : atqui is consensus sufficit ad contractum, ut diximus loco citato, de Contractibus : ergo.

Confirm. : Si error qualitatis aut fortunæ irritaret Matrimonium, vix ullum subsisteret cum ut plurimum errent conjuges circa qualitates et fortunas alterutrius : ergo.

Dixi [1] 1° : Nisi error qualitatis involvat errorem personæ ; tunc enim dirimeret, non ut error qualitatis, sed ut error personæ : censetur autem error qualitatis involvere errorem personæ, quando consensus contrahentis fertur primario et directe in illam qualitatem seu in personam sub hac qualitate, et tunc censetur intendere directe et primario hanc qualitatem, quando antequam personam cognoscat, concipit personam cum qua vult contrahere hic et nunc sub certa qualitate non communi, ut est bonitas, opulentia, virginitas, sed particulari et individua, ut quod sit filius regis, quod sit primogenitus talis familiæ : unde si contrahens intendat consentire in filium regis, aut primogenitum, quicumque ille sit, et alter ei offeratur, est error personæ dirimens Matrimonium. Si vero prius personam cognoscat, et cum ea vult contrahere, quamvis moveatur qualitate circa quam errat, non censetur intendere directe et primario illam qualitatem, nec ideo error hujus qualitatis involvit errorem personæ, nisi apponatur ut conditio ; et ideo

Dixi 2° : Nisi error qualitatis limitet consensum contrahentis : si enim non intendat contrahere nisi adsit talis qualitas, deest consensus in personam, ea qualitate non subsistente ; talis autem limitatio debet esse actualis aut saltem virtualis ex præcedente actuali, nec sufficit habitualis, aut interpretativa ; exinde enim sequitur tantum quod non consensisset si error abfuisset, sed non fit quod de facto non consenserit in substantialia matrimonii ; et alioquin quot forent matrimonia irrita ! cum sint pene innumeri, qui si novissent defectus compartis, noluissent contrahere. Vide loco citato, de Contractu conditionato, art. 7, § 1.

Dices 1° : Error ex natura sua tollit Matrimonium : ergo omnis error.

Resp. dist. ant. Error ex natura sua generica [2] tollit Matrimonium, neg. ; ex sua natura differentiali, conc. : non enim habet error ex parte generis quod tollat Matrimonium, sed ex parte suæ differentiæ, prout scilicet est error alicujus eorum quæ sunt de essentia Matrimonii.

[1] Ib. ad. 4. [2] Ibid. a. 4, ad 7. [3] Ibid. o. et in res. ad arg. [4] Ibid.

[1] Ibidem ad 5. [2] Ibidem ad 1.

Inst.: Error tollit Matrimonium, in quantum tollit voluntarium; sed omnis error tollit voluntarium: ergo.

Resp. dist. maj. [1] Error tollit Matrimonium in quantum tollit voluntarium circa substantialia Matrimonii, conc.; circa accidentalia, neg.; et similiter, dist. min. Omnis error tollit voluntarium circa ea circa quæ versatur, conc.; circa alia, neg.: unde si versetur tantum circa accidentia matrimonii, facit involuntarium circa illa, sed relinquit voluntarium circa substantialia.

Dices 2°: Error paupertatis in dante eleemosynam irritat illam, ita ut pauper fictus teneatur illam restituere: atqui est ibi tantum error qualitatis; quia scilicet putatur pauper cum sit dives: ergo similiter in matrimonio.

Resp. neg. conseq. et paritatem: Disparitas est quód paupertas sit objectum substantiale et finis per se et directus eleemosynæ; datur enim in sublevamen miseriæ realis alienæ: unde talis error versatur circa ejus substantiam; at vero in matrimonio, qualitates personæ non sunt objectum substantiale nec finis per se consensus, sed ipsa persona, nisi aliter exprimat.

Dices 3°: Consensus matrimonialis est indivisibilis: ergo qui consentit in Bertam virginem, non censetur in illam consentire, si non sit virgo.

Resp. dist. ant. Consensus matrimonialis in objectum substantiale matrimonii tantum, est indivisibilis, conc.; in objectum substantiale simul et in accidentia, neg.; unde potest subsistere circa objectum substantiale, licet non subsistat circa accidentia.

Dico 3°: Error conditionis, seu servitus ignorata ab altero contrahente libero, dirimit matrimonium jure positivo, non naturali.

Per conditionem igitur intelligitur hic servitus, non qua quis inservit alterius officiis ut sunt ancillæ et famuli in his partibus; sed qua quis ut verum mancipium est totaliter in potestate domini tanquam ejus possessio. Exulavit a christianismo, saltem in his partibus: unde quæ eam spectant paucis perstringemus.

Prima pars constat ex jure, cap. 2, 3 et ultimo de Conjug. servor. et cap. *Si quis ingenuus* causa 29, q. 2.

Prob. secunda pars: Si servitus ignorata ex natura sua dirimeret matrimonium, etiam scita dirimeret, sicut impotentia perpetua sive scita, sive ignorata dirimit: atqui servitus scita non dirimit matrimonium: ergo nec ignorata.

Si dicas quod servitus scita non dirimat matrimonium, quia tunc pars libera cedit juri suo.

Resp. 1° quod sive cedat, sive non cedat, non potest efficere quod id quod de se dirimit matrimonium non dirimat, ut patet in exemplo allato impotentiæ. 2° Injuria quam patitur ignorans non sufficit ad dirimendum matrimonium, quando adest consensus in substantialia matrimonii, ut patet in aliis contractibus quos injuria passi non irritat de facto, sed tantum facit irritabiles, si non sint aliunde indissolubiles, qualis est contractus matrimonialis.

Eaque videtur aperta mens Auctoris, hic q. 52, art. 1, ad 3, dicentis « jure positivo determinante est factum quod servitus ignorata matrimonium impediat, ne aliquis sine culpa puniatur. »

Unde quando S. Doctor hic et art. præcedent. probat ratione servitutem ignoratam dirimere matrimonium, non adducit rationem convincentem, sed convenientem tantum qua motum fuit jus positivum ut tale impedimentum statueret. Nec enim diffitemur jus humanum quo irritatur matrimonium contractum ex errore servitutis, habere maximum fundamentum in jure naturæ, eo quod sit magna inæqualitas in tam gravi contractu, cum pars libera tradat plenam sui corporis potestatem, serva autem restrictam et secundum quid impeditam, tum etiam quia officit aliquo modo bono prolis, quæ non ita commode posset educari in tali conjugio, eo quod non posset esse ita continua et libera habitatio conjugum simul: hæ tamen rationes non sufficerent ut de se dirimerent matrimonium, nisi accederet jus positivum; alias servitus scita, ut dictum est, etiam dirimeret, cum eadem incommoda importet.

Dices: Error servitutis versatur circa substantialia matrimonii: ergo. Prob. ant. Versatur circa potestatem mutuam in corpora, in ordine ad debitum conjugale: ergo.

Resp. neg. ant. Ad probat. dist. ant. Versatur circa potestatem mutuam quæ simpliciter impediatur, neg. Quæ impediatur secundum quid, conc. Servus enim licet non possit tam facile et tam libere reddere debitum, potest tamen absolute et quandoque, alias etiamsi sciretur servus non staret matrimonium; idem enim esset sicut de impotentia perpetua. Unde semper hic habetur objectum substantiale

[1] Ibidem ad 2.

consensus matrimonialis, scilicet vera potestas simpliciter tradita, licet quidem non ita expedita; et ideo diximus tale impedimentum fundari in jure naturæ.

Dixi 1°: Servitus ignorata, quia si alter contrahens sit conscius servitutis compartis, non dirimit, eo quod censeatur cedere juri suo.

Dixi 2°: Ab altero contrahente libero, quia si ipse etiam sit servus, non dirimit matrimonium; quia tunc nulla fit ipsi injuria, sed habetur compensatio. Quod si liber credat servam quæ est libera, valide etiam contrahit, quia tunc nihil est in præjudicium, sed potius in commodum alterius contrahentis.

Petes 1° utrum servus vel serva possit licite et valide contrahere matrimonium sine consensu domini?

Resp. affirmative [1], quia sicut servus non subditur domino, quin libere possit comedere et dormire, et alia hujusmodi facere quæ ad necessitatem corporis pertinent, ita non subditur ei quantum ad hoc quod non possit libere contrahere matrimonium, quod est necessarium ad conservationem speciei.

Dices: Servus est domini: ergo.

Resp. dist. ant. Servus est domini quantum ad civilia, quæ naturalibus superadduntur, conc. Quantum ad naturalia, neg. In his enim omnes sunt pares adeoque servus sui juris quantum ad hæc.

Petes 2° cujus conditionem proles sequi debeat, an patris, an matris?

Resp. Quod quantum ad libertatem, seu servitutem debeat sequi conditionem matris, ita ut proles sit serva, si patre libero, mater sit serva; e contra proles sit libera, si patre servo, mater sit libera.

Ita decernunt jura civilia, ut partus sequatur ventrem, et ita declaravit Pontifex, cap. unico, de natis ex libero ventre; idque rationi conformiter, 1° quia licet proles habeat a patre complementum formæ, a matre tamen habet substantiam corporis: atqui servitus est corporalis conditio, cum servus sit quasi instrumentum domini in operando: ergo; 2° quia, ut communiter dicitur, receptum est in recepiente per modum recipientis, et non per modum dantis: ergo rationabile est quod semen receptum in muliere, ad conditionem ipsius trahatur. Ubi autem est contraria consuetudo quod proles sequatur conditionem patris, tenenda est cap. *Licet* de Conjugio servor. Et similiter ubi est consuetudo quod semper sequatur deteriorem partem; licet talis consuetudo non sit multum rationabilis, inquit S. Doctor. Quantum autem ad ea quæ pertinent ad dignitatem, ut sunt honores, hæreditates, nobilitates, etc., proles sequitur conditionem patris, quia habet a patre quod est dignius, scilicet complementum formæ.

[1] Ibid. q. 2. a. 2.

ARTICULUS II.

DE IMPEDIMENTO VOTI.

Duplex est votum: aliud simplex, aliud solemne; de quibus dixi dissert. 4, de Relig., art. 5. De utroque procedit quæstio: unde sit

§ I.

Utrum votum simplex impediat et dirimat Matrimonium subsequens?

Dico: Votum simplex [1] sive castitatis, sive religionis ingrediendæ, sive ordines sacros suscipiendi, sive non nubendi, impedit matrimonium licite contrahendum, non dirimit contractum.

Ita in jure, cap. *Meminimus*, et cap. *consuluit*, Extra lib. 4, tit. Qui clerici vel voventes, et cap. *Hæc vero* causa 27, q. 1.

Prob. Homo per votum simplex [2] ut in conclusione, potest adhuc, illicite quidem, valide tamen tradere alteri suum corpus: atqui in tali traditione consistit matrimonium: ergo. Prob. maj. Et 1° quod illicite, patet, quia tenetur adimplere votum. Quod valide, probatur: Post votum simplex homo remanet adhuc dominus sui corporis: ergo potest valide illud alteri tradere. Prob. ant. In voto simplici, non est nisi promissio corporis ad continentiam Deo servandam: atqui ex eo quod aliquis promittat rem aliquam, non desinit res illa esse in ejus potestate et dominio; rerum enim dominia non transferuntur promissione, sed traditione: ergo.

Dices 1°: Fortius vinculum abrumpit debilius: atqui votum Deo factum est fortius matrimonio: ergo.

Resp. dist. min. [3] Est fortius quantum ad id cui et ad quod obligat, hoc est dignius, conc. min., quia per votum obligatur Deo ad continentiam; per matrimonium autem obligatur uxori ad redditionem debiti: est fortius quantum ad modum et vim ligandi, neg. min. Quia per matrimonium traditur actualiter vir in potestatem uxoris, non autem per

[1] Suppl. q. 53, a. 1, o. [2] Ibid. [3] Ibid. ad 1.

votum simplex, ut dictum est: potior est autem conditio possidentis: unde argumentum quidem valeret de sponsalibus, sed non valet de matrimonio.

Dices 2° et instabis: Donatio illicita est nulla, ut patet in donatione simoniaca : atqui ergo.

Resp. dist. maj. Donatio per se ex natura rei, hoc est ratione generis et substantiæ donationis illicita, est invalida, conc. maj. Et ita est donatio simoniaca, quia spiritualia non sunt mercatu venalia : illicita tantum ratione circumstantiæ, puta quia est excessiva, ut in prodigo, vel ratione subjecti, quia in eo alteri virtuti repugnat, neg. maj. Et ita est illicita traditio per matrimonium in eo qui voto obstrictus est : Matrimonium enim de se non est illicitum, sed ratione subjecti, quia repugnat promissioni castitatis quam fecit.

Repones : Contractus quo quis se obligat ad illicitum nullus est : atqui qui post votum simplex contrahit matrimonium se obligat ad illicitum, scilicet ad copulam : ergo.

Resp. dist. min. Se obligat ad copulam reddendam, conc., et hoc, tradito valide corpore, non est ipsi illicitum, eo modo quo dicemus infra. Ad exigendam, neg.

Petes quando et quomodo peccat qui post votum simplex, vel castitatis, vel religionis ingrediendæ, vel ordines sacros suscipiendi, contrahit matrimonium?

Resp. 1° : Qui post votum non nubendi contrahit matrimonium, certo peccat mortaliter quia violat votum. Qui post votum simplex castitatis, aut religionis ingrediendæ, aut suscipiendi ordines sacros contrahit matrimonium ordinarie peccat etiam mortaliter, quia ordinarium est quod contrahentes intendant consummare matrimonium. Quod si non animo consummandi, sed ingrediendi religionem contrahat, non peccabit contra votum; sed nisi adsit justa causa ingrediendi religionem, poterit peccare erga uxorem eam decipiendo, et ei nocendo, quatenus non poterit tam facile alteri nubere, et debebit expectare unum vel alterum annum probationis, ut possit nubere.

Resp. 2° : Qui post votum non nubendi contraxit matrimonium, potest licite petere et reddere debitum, quia illius votum se extendit tantum ad matrimonium, et non ultra.

Resp. 3° : Qui post votum religionis ingrediendæ contraxit matrimonium, peccat mortaliter prima vice consummans matrimonium, sive reddendo, sive petendo debitum. Consummato autem semel matrimonio, potest licite petere et reddere. Ratio primæ partis est, quia cum professio religiosa dissolvat matrimonium ratum, et non consummatum, ante consummationem adhuc ipsi possibilis est adimpletio voti, per consummationem autem reddit sibi impossibilem. Ratio secundæ partis, quia supposito, quod non liceat religionem ingredi, actus conjugalis etiam petendo, non est contra ejus votum, cum talis non voverit castitatem, sed tantum religionem, cujus obligationibus non obstringitur, nisi sit in ea collocatus.

Utrum vero qui post votum simplex castitatis, aut ordines sacros suscipiendi, contraxit matrimonium, teneatur similiter ingredi religionem pro servando voto, si tamen ad religionem sit idoneus? Videtur quod si aliter non possit servare votum attenta rei natura, teneatur, quia licet istud medium servandi votum sit arduum et difficile, est tamen inter homines usitatum, et satis ordinarium, ut ad illud homo teneatur, præsertim si in hanc necessitatem sponte se conjecerit, ut sine illo votum servare non possit; et ita tenet Auctor hic a. 1, ad 5, Scotus, Petrus Soto, Sylvester, Navarrus, et plures alii. Attamen attenta dispositione juris videtur multis contrarium colligi ex Extravaganti *Antiquæ concertationi* Joannis XXII, in qua pontifex decernit eum, qui post contractum matrimonium, invita uxore, fuerat ordinatus sacerdos, esse quidem inducendum ad religionem , sed nolentem compellendum ut, petente sponsa, consummet matrimonium. Cæterum dici potest quod pontifex illum non cogat absolute ad religionem, non quia non tenetur, sed propter periculum graviorum inconvenientium ; sicut judices ecclesiastici propter eamdem rationem ordinarie non cogunt ad Matrimonium illum qui inivit sponsalia, licet teneatur; nec etiam absolute compellitur ad reddendum debitum, sed conditionate tantum, si nolit religionem ingredi.

Cætera quæ hæc spectant require supra de obligatione reddendi debitum.

§ II.

Quo jure votum solemne religionis dirimat Matrimonium subsequens?

Suppono, tanquam fide certum, votum solemne religionis dirimere Matrimonium subsequens. Ita definivit concilium Trid., sess. 24, can. 9, id prius definiverant plures pontifices:

Alexander III, cap. *Meminimus;* Innocentius III, cap. finali, tit. *Qui clerici vel voventes;* Bonifacius VIII, cap. unico *De voto* in 6 et alibi. Sed difficultas est an etiam jure naturali dirimat?

Dico : Votum solemne religionis [1], non solum jure ecclesiastico, sed etiam jure naturali dirimit matrimonium subsequens : ita Auctor cum suis communiter et pluribus extraneis, contra Scotum, Cajetanum, Coninck et plures alios.

Prob. : Qui semel alicui rem suam donavit et tradidit[2], donatione ab illo acceptata, jure naturæ non potest eamdem rem alteri donare, præsertim in usum contrarium : atqui homo, per votum solemne religionis, donat et tradit Deo corpus suum ad perpetuam continentiam, quæ traditio et donatio ab eo per religionis prælatos acceptatur : ergo non potest valide ipsum tradere per matrimonium in potestatem conjugis ad usum copulæ. Maj. patet, quia per donationem et traditionem acceptatam, donans amittit dominium suæ rei, quod in donatarium transtulit. Prob. min. Hæc est differentia inter votum simplex et votum solemne, quod votum simplex sit nuda promissio, votum autem solemne promissioni superaddat traditionem et acceptationem ; non quidem quod sit unius ejusdem rei promissio et traditio; hæc enim duo de eadem re inter se pugnant, sed est promissio unius et traditio alterius; promittuntur enim actus castitatis, paupertatis et obedientiæ, et traditur persona voventis ad illa servanda : ergo. Hanc differentiam inter votum simplex et solemne, in qua sita est tota vis argumenti, variis argumentis probatam et contra impugnationes adversariorum propugnatam require dissert. 4, de Relig., art. 5.

Confirm. : Concilium Trid., sess. 24, can. 9, declarat matrimonium clericorum in sacris ordinibus, et religiosorum esse irrita propter legem ecclesiasticam vel votum, scilicet illa propter legem ecclesiasticam, ista propter votum ; hæc autem distinctio locum non haberet, si vota religiosorum ex sola lege ecclesiastica, et non ex natura sua, matrimonium dirimerent.

Solvuntur objectiones.

Plura argumenta quæ militant contra rationem fundamentalem conclusionis, nimirum differentiam statutam inter votum simplex et solemne hic omitto, quia abunde fuerunt proposita et soluta loco citato de Religione. Vide. His itaque nunc præsuppositis,

Obj. 1° : Traditio corporis etiamsi fiat in voto solemni non repugnat essentiæ matrimonii : ergo non dirimit ex natura sua matrimonium : patet conseq. Quia non alia ratione dirimeret, quam quod ista duo vincula inter se pugnant, ut dictum est. Prob. ant. Conjugati manente conjugii vinculo, valide religionem profitentur, et sunt tam perfecte religiosi quam quivis alii : ergo.

Resp. dist. ant. : Traditio corporis in voto solemni non repugnant essentiæ matrimonii præcedentis, conc. ant.; subsequentis, neg. Sicut, v. g., impotentia si subsequatur matrimonium illud non dirimit, licet dirimat, si præcedat. Ratio disparitatis in nostro casu est quia, cum ad matrimonium requiratur translatio corporis et juris ad copulam facta comparti, et ad professionem religiosam translatio personæ et juris ad castitatem servandam facta Deo, conjugati possunt cedere juri suo, aut illud per adulterium amittere, et sic, manente vinculo, quod ex consensu conjugali semel posito resultavit; jus illud quod recuperarunt Deo tradere possunt, sicque fieri religioni idonei. Deus autem non potest amittere jus quod per votum solemne acquisivit, ut ipsi servetur castitas, et licet possit ipsi cedere, nusquam tamen facit, nec facere, fecisse, aut facturum, ulla ratione suaderi potest. Quandiu autem tale jus manet apud Deum, non potest tradi homini jus contrarium scilicet ad copulam, adeoque nec valide iniri matrimonium.

Inst. : Matrimonium, ex dictis, potest subsistere in facto esse sine jure ad copulam : ergo et in fieri : ergo religiosus potest valide inire matrimonium ex natura rei.

Resp. dist. ant. Matrimonium potest subsistere in facto esse sine jure proximo et expedito ad copulam, conc.; radicali et impedito, neg. Itaque cum jus ad copulam sit aut de essentia matrimonii, aut ejus proprietas inseparabilis, dicendum quod cum in nostro casu matrimonium subsistat in conjugato religionem profitente, maneat etiam aliquale jus ad copulam, cum res in facto esse non possit magis esse sine sua essentia aut proprietate quam in fieri; jus tamen illud est impeditum per traditionem juris expediti ad castitatem, et radicaliter tantum remanet ratione consensus conjugalis semel irrevocabiliter dati et vinculi indissolubilis inde resultantis et per-

[1] Ibid. a. 1. o. [2] Ibid.

manentis, ratione cujus compars remanet semper sua, ita ut, accedendo ad illam, non committeret adulterium carnale, et e contra si accederet ad aliam, foret adulter. Ex quo patet negandam esse secundam consequentiam, scilicet religiosum posse valide inire matrimonium, quia non potest tradere comparti jus ullum etiam radicale, eo quod per professionem religiosam tradatur absolute Deo totum jus quod tradi potest ad castitatem servandam, adeoque et radicale dum potest.

Repones : Potest stare professio religiosa sine jure radicali, ut patet ex solutione præcedenti : ergo potuit religiosus tradere tantum jus proximum Deo, et reservare sibi radicale tradendum uxori.

Resp. dist. ant. Potest stare professio religiosa sine jure radicali, quando non est tradibile, conc.; quando est tradibile, neg., quia, ut dictum est, professio est absoluta traditio omnis juris possibilis ad castitatem servandam.

Inferes : Ergo conjugatus qui religionem profitetur de consensu compartis, non est tam perfecte religiosus, quam non conjugatus, quia iste tradit Deo jus radicale et proximum ad castitatem servandam ; alter autem tradit tantum jus proximum.

Resp. dist. illatum ; Non est tam perfecte religiosus extensive et materialiter, transeat ; intensive et in ratione meriti, neg., quia illud jus radicale quod retinet ad copulam est impeditum et inefficax ; unde jus proximum et expeditum quod Deo tradit ad castitatem servandam, tantum valet et præstat ad hunc finem, quantum valeret et præstaret si foret simul jus radicale.

Obj. 2° : Si votum solemne ex natura rei dirimeret matrimonium, esset vel quia est votum vel quia est solemne : neutrum dici potest : ergo.

Resp. : Non præcise quia votum, alias omne votum etiam simplex dirimeret, neque præcise quia solemne, quia si aliquis faceret aliud votum solemne quam castitatis, non ideo esset inhabilis ad matrimonium, sed quia est solemne religionis seu castitatis.

Hinc cum opponitur non esse majorem traditionem religiosi Deo quam servi domino, qua tamen non obstante servus potest inire matrimonium: disparitas est quod servus tradatur domino, non ad castitatem servandam, sed ad civilia obsequia, religiosus autem Deo ad castitatem servandam : unde non potest alteri se tradere ad copulam.

Inst. 1° : Votum solemne non dirimit matrimonium ex natura rei, quia est solemne religionis aut castitatis : ergo. Prob. ant. Non præcise, quia est castitatis, alias votum simplex dirimeret, non etiam quia est solemne castitatis, quia solemnitas voti est tantum ex constitutione Ecclesiæ, ut dicit Bonifac. VIII, cap. unico de Voto et Voti redemptione in 6, his verbis : « Cum voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ sit adinventa, matrimonii vero vinculum sit ab ipso Deo, illud votum debet dici solemne, quod per susceptionem sacri Ordinis aut per professionem in religione approbata solemnizatur. » Et D. Th.. 2 2 q. 88, a. 7, docet quod solemnitas voti attendatur secundum aliquam spiritualem benedictionem, quæ ex institutione Apostolorum adhibetur : ergo.

Resp. neg. ant. Ad probat. dist. ant. Solemnitas accidentalis voti est tantum ex institutione Ecclesiæ, conc. ant; solemnitas essentialis, neg. Duplex igitur in voto distinguenda est solemnitas, una essentialis seu substantialis, quæ consistit in traditione sui-ipsius facta superiori, ad servandum ea quæ promittuntur, et acceptatione quam is facit vice Dei ; altera accidentalis quæ consistit in quibusdam cæremoniis ab Ecclesia institutis tanquam conditionibus sine quibus invalidæ forent traditio et acceptatio. Et hæc solemnitas dicitur a Summo Pontifice ex sola constitutione Ecclesiæ adinventa : licet enim substantia voti solemnis seu solemnitas voti substantialis per Ecclesiam non statuatur, ita ut facere non possit, quin sit votum solemne dirimens matrimonium, ubi semel est valida traditio et acceptatio vice Dei, ex ea tamen pendet statuere certas conditiones sine quibus non fiat valide acceptatio vice Dei, ut de facto statuit eam aliter non posse fieri quam certa ætate, in religione approbata, a superiore legitimo, etc. Sicut licet substantia matrimonii non sit ab Ecclesia, ita ut non possit efficere quin contractus validus sit verum matrimonium, ab ejus tamen auctoritate pendet statuere certas conditiones, sine quibus invalidus est contractus matrimonialis, ut de facto statuit quoad matrimonium clandestinum.

Ad D. Thomam, dico illam benedictionem de qua loquitur, nihil aliud esse quam assumptionem personæ voventis ad statum sanctitatis per acceptationem illam, quam ritu ab Apostolis introducto facit superior. Neque alia benedictio aut solemnitas hic requiritur ; posita enim valide et traditione voventis et

acceptatione vice Dei, votum solemne sua essentialia habet, et vim obligandi ad ea quæ promissa sunt, adeoque ex natura sua dirimendi matrimonium. Confer loco citato de Religione, object. 1 et 2.

Inst. 2°: Pontifex ex solemnitate instituta ab Ecclesia definit, quodnam debeat dici votum solemne ad dirimendum Matrimonium : atqui hoc non potest definiri ex solemnitate accidentali, siquidem secundum nos sit essentiale voto solemni dirimere Matrimonium : ergo.

Resp. dist. min. Hoc non potest definiri ex solemnitate accidentali tanquam ex intrinsecis constituentibus, conc. ; tanquam ex signo extrinseco, neg. Unde sensus definitionis pontificiæ est, quod cum signa declarativa voti solemnis et conditionis ad illud requisitæ sint ex constitutione Ecclesiæ, et ex illa constitutione, ista signa et istæ conditiones reperiantur tantum in duobus votis, scilicet in eo quod annectitur Ordinis sacri susceptioni, et in eo quod emittitur in religionis professione, dicendum sit duo tantum esse vota solemnia, dirimentia Matrimonium subsecutum.

Inst. 3° : Summus Pontifex eo modo loquitur de voto religiosi et ordinati : atqui solemnitas essentialis voti Ordinis dirimens matrimonium est ex sola constitutione Ecclesiæ : ergo. Resp. : Eodem modo loquitur quoad vim dirimendi Matrimonium, conc. ; quoad jus quo illud dirimunt, neg.

Obj. 3°: Plures pontifices dispensarunt cum monachis et monialibus ut nuberent : atqui dispensare non possunt in jure naturæ : ergo.

Hoc argumentum cum suis probationibus radicitus solutum require, dissert. 4, de Religione, a. 9, obj. 4.

ARTICULUS III.

DE IMPEDIMENTO ORDINIS.

Dissertatione 3, de Ordine, art. 4 et 5, plura dixi de continentia clericorum, inter alia, eam esse annexam Ordini sacro non jure naturali aut divino, sed ecclesiastico. Unde hic tantum discutiendum restat, utrum Ordo sacer non solum impediat, sed etiam dirimat Matrimonium.

Suppono Ordinem sacrum, quamvis ab Ecclesiæ incunabulis impediverit Matrimonium, saltem in presbyteris et diaconis, ut dixi loco citato, non tamen semper diremisse : canones enim antiqui, quibus nuptiæ ordinatis prohibentur, nullam irritationis clausulam apposuerunt, nec usquam jusserunt, ut qui sic contraxissent ab uxoribus separarentur, sed tantum pœnam qua mulctarentur determinarunt. Imo canon primus concilii Neocæsariensis jubet gravius puniri cum presbyterum qui fuerit fornicatus quam illum qui uxorem duxerit ; verba sunt : « Presbyter si uxorem acceperit, ab Ordine deponatur ; si vero fornicatus fuerit vel adulterium perpetraverit, amplius pelli debet et ad pœnitentiam redigi » : ergo non censet invalidum esse matrimonium; alias minorem pœnam non statueret, cum æquale foret delictum, utpote utrobique fornicatio. Videtur sacrum Ordinem id obtinuisse ut dirimeret matrimonium circa sæculum undecimum; ut patebit ex conclusione sequenti.

Dico : Ordo sacer jure ecclesiastico dirimit matrimonium subsequens [1].

Prob. : Calixtus III, vel secundum correctionem Romanam, Urbanus II, circa annum 1090, cap. *Presbyteri*, dist. 27, sic statuit : « Presbyteris, diaconis, subdiaconis et monachis, concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus : contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi et personas ad pœnitentiam redigi debere, juxta sacrorum canonum definitiones judicamus. » Quod postea confirmatum fuit in concilio Lateran. II, sub Innocentio II, et alio Lateranensi, sub Alexandro III, refertur in jure, cap. 1 et 4, tit. de Clericis conjugatis : et tandem novissime in Trid., sess. 24, can. 9, ubi dicitur : « Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, anathema sit. »

Petes 1° utrum Ordo sacer possit supervenire matrimonio ?

Resp. Matrimonio junctus [2] si ad sacros ordines accedat, etiam reclamante uxore, nihilominus sacramentum Ordinis suscipit, stante matrimonio, sive sit consummatum, sive non, sed peccat mortaliter et executione Ordinis caret : si autem volente uxore, vel ipsa defuncta, vel causam divortii dante, ordinetur, recipit Ordinem et executionem, nec peccat.

Prob. prima pars [3] : Ideo ordo præcedens impedit matrimonium contrahendum ; quia ejus causa efficiens est actus humanus, scilicet consensus contrahentium, qui ex arbitrio Ecclesiæ pendens, ab illa irritari potest, sicut de facto irritatur in ordinatis ad validitatem con-

[1] Ibidem ad. 3. [2] Ibidem a. 4. [3] Ibidem a. 5.

tractus matrimonialis: atqui causa efficiens sacramenti Ordinis imprimentis characterem, non est consensus noster, is enim se tenet tantum dispositive ex parte subjecti, sed causa a Deo immutabiliter determinata, quæ posita materia et forma in volente suum effectum infallibiliter producit: ergo quantumvis reclamet uxor, si maritus voluntarie ad ordines accedit, valide sacramentum suscipit, permanente quidem matrimonio etiam inconsummato quod est insolubile, sicut consummatum, extra casum professionis religiosæ.

Prob. secunda pars: Quia talis est graviter et uxori et Ordini sacro injuriosus, quapropter Extravag. Joannis XXII *Antiquæ* de Voto, tit. 6, nisi religionem profiteatur non modo privatur executione Ordinis suscepti, sed etiam prohibetur promoveri ad superiores ordines (quod est esse irregularem) et aliquod beneficium aut officium ecclesiasticum obtinere.

Prob. tertia pars [1]: Religiosi non minus, imo magis tenentur ad continentiam quam illi qui sunt in sacris ordinibus: atqui post matrimonium consentiente uxore, vel causam divortii dante, vel defuncta, potest aliquis licite religionem intrare; ergo et Ordinem suscipere: ita etiam decernitur cap. *Constitutus* de Conversione conjugatorum.

Petes 2° ad quid teneatur uxor quæ in mariti ordinationem consentit?

Resp. quod ipsa teneatur vovere continentiam [2], et si periculum incontinentiæ subsit, tenetur insuper ingredi religionem. Ita cap. 4, 5, 8, 18, de Conversione conjugatorum.

ARTICULUS IV.

De impedimento consanguinitatis.

Consanguinitas est species cognationis: cognatio autem ut sic est personarum propinquitas seu vinculum. Triplex est, una spiritualis quæ inducitur ratione Baptismi et Confirmationis; secunda legalis, quæ inducitur per adoptionem legis; tertia carnalis quæ oritur ex carnali generatione, et dicitur consanguinitas, cui accedit affinitas, et huic justitia publicæ honestatis. Igitur de consanguinitate agemus in hoc articulo, de aliis cognationibus in sequentibus. Sed hic prævie nota quod, secundum leges civiles cognatio et agnatio distinguantur, in hoc quod agnati per patrem, cognati per matrem ab eodem descendant; at secundum canones ecclesiasticos, illa distinctio non admittitur; sive enim per patrem, sive per matrem descendant, dicuntur cognati.

[1] Ib. in a. s. c. [2] Ibidem ad 4.

§ I.

Quid sit consanguinitas?

Dico [1]: Consanguinitas recte definitur: Vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum.

Est communis, excepto quod quidam addant: Vel quarum una ab alia descendit; ut non excludatur consanguinitas genitorum cum genitis in linea recta. Sed præter Adam, pro quo non est adinventa ista definitio, eo quod singulariter fuit factus, verificantur in omnibus consanguineis etiam lineæ rectæ, istæ particulæ: Ab eodem stipite descendentium: etenim pater et filius ab eodem stipite scilicet avo descendunt, et sic de cæteris: verum est quidem quod ab eo non habeant pater et filius inter se consanguinitatem, sed nec hoc vult definitio: dicit enim solum quod consanguinitas sit vinculum personarum ab eodem stipite provenientium, istud autem vinculum non dicit contrahi per carnalem propagationem ab illo eodem stipite a quo descendunt, sed simpliciter carnali propagatione, quæ quidem aliquando est ab eodem stipite, aliquando non, sed unius ab altero, ut in linea recta filii a patre, sed ab hoc abstrahit definitio. Vel potest dici 2° cum Soto hic sensum definitionis esse sub disjunctione scilicet, vel ambos ab uno descendere, vel unum ab altero. Cæterum addantur istæ particulæ majoris explicationis ergo, non multum reluctamur: hac itaque levi difficultate evacuata,

Prob. conclusio: Illa definitio consanguinitatis est bona, in qua ponitur genus, subjectum, principium et differentia consanguinitatis: atqui ista omnia ponuntur in prædicta definitione: ergo. Prob. min. *Vinculum* est genus, subjectum, personæ descendentes ab eodem stipite, quarum est hujusmodi vinculum, principium, carnalis propagatio quæ est differentia; ergo.

Explicatur magis prædicta definitio: Dicitur *vinculum*, hoc est propinquitas, seu relatio quædam mutua in communicatione ejusdem sanguinis fundata, quæ sit amicitiæ radix.

Stipes generaliter vocatur ea persona a qua aliqui velut rami a trunco ducunt originem, sive sit pater, sive mater; nam vir et uxor,

[1] Suppl. q. 54, a. 1, o.

cum sint una caro, unum eumdemque stipitem constituunt.

Dices 1° : Omnes homines descendunt ab eodem stipite, scilicet Adamo, carnali propagatione : atqui non omnes sunt consanguinei : ergo.

Resp. dist. maj. [1] Omnes homines descendunt ab eodem stipite propinquo, seu cujus virtus perseveret in eisdem, neg ; ab eodem stipite remoto, seu cujus virtus non perseveret in eisdem, conc. Definitio autem intelligitur de eodem stipite propinquo, cujus virtus maneat in propagatis ab eo ; quia consanguinitas est, in quantum multi communicant in virtute generantis ab eo in multos per propagationem deducta.

Ad cujus elucidationem observandum est [2] quod virtus generantis nedum movet ad id quod est speciei, secundum quam omnes homines sunt similes, sed etiam ad id quod est individui, qua ratione filius patris, nepos avi, etc., nonnunquam imaginem refert, et morum effigiem, quæ utique convenientia individualis, seu communicatio virtutis, quatenus movet ad individualia accidentia primi generantis, dicitur consanguinitas, seu ejus fundamentum. Virtus autem illa paterna, licet, quatenus est speciei, recipiatur in genito secundum totam suam perfectionem, quam habet in agente, unde semper perseverat ; non tamen quatenus est individui, quia quatenus est speciei recipitur in genito permanenter, ut ipsi propria, et constituit causam principalem alterius generandi, quoad speciem ; quatenus autem est individui, et virtus propria patris recipitur in ipso genito transeunter, et ut virtus patris, non propria geniti : unde genitus agit per eam, ut instrumentum motum a patre, seu virtute patris, qui est principale agens. Jam vero virtus agentis non recipitur in instrumento secundum eam perfectionem, secundum quam est in principali agente, sed dum per multa media deducitur, paulatim attenuatur et debilitatur, ita ut tandem per longius intervallum tota deficiat : quemadmodum, inquit Soto, in arbore truncus radicibus proximus robustior est, mox rami quo trunco sunt propinquiores, eo sunt valentiores, deinde tamen ramusculi, ita propagantur exiles, ut tandem in cacumine evanescant : ita similiter virtus patris, quatenus ipsi propria, seu qua individualis, non est ita perfecte in filio, sicut erat in patre, et adhuc in nepote minus, et sic deinceps donec tota deficiat, ac per consequens ipsa consanguinitas in communicatione hujus virtutis, et sanguinis fundata : per quot autem gradus jure naturæ dilatetur infra videbimus.

[1] Ibidem ad 1. [2] Ibid.

Addi potest alia solutio argumenti ex Soto, quod cum consanguinitas sit amicitiæ genus, eatenus protenditur, quatenus secundum communem cursum ejusmodi amicitiæ affectionisque respectus et conditio perdurat.

Dices 2° : Carnalis propagatio est communis hominibus et animalibus, sed in animalibus non contrahitur ex carnali propagatione vinculum consanguinitatis : ergo nec in hominibus.

Resp. neg. conseq. Disparitas est, quod bruta animantia, cum cognitione finis et libertate careant, qua possunt suarum actionum habere dominium, licet præ se ferant societatis et amoris quamdam speciem, incapaces tamen sunt veræ amicitiæ : unde non conjunguntur ad mutuæ amicitiæ unitatem, propter propagationem multorum ex uno parente proximo sicut est de hominibus. Communicatio autem sanguinis nude sumpta consanguinitatis nomen non obtinet : sed quatenus est amicitiæ et humanitatis fundamentum.

§ II.

Utrum consanguinitas convenienter distinguatur per gradus et lineas ?

Dico : Consanguinitas convenienter distinguitur per gradus et lineas [1].

Prob. : Consanguinitas [2] est propinquitas fundata in naturali communicatione secundum actum generationis, qua natura propagatur : atqui hujusmodi communicatio varios habet progressus, et instar arboris per ramos, pluresque subinde ramusculos diffunditur et propagatur ; non enim motus generationis quiescit in uno extremo, sed ultra progreditur : ergo.

Pro cujus intelligentia exponendum est quid et quotuplex sit linea ? Quid et quotuplex sit gradus ? Igitur linea consanguinitatis est ordinata collectio personarum consanguinitate conjunctarum diversos continens gradus, metaphora desumpta a linea quæ ab uno puncto videtur derivari ; hic tamen non sumitur stricte pro lineæ quæ est una dimensio inter duo puncta et species quantitatis, sed pro rebus ipsis dimensis, et linealiter ordinatis, quæ quidem linea constat ex pluribus unitatibus seorsim divisis sicut numerus :

[1] Ibid. a. 2. o. [2] Ibid. [3] Ibid. et in resp. ad. arg.

unde differunt linea consanguinitatis, et ipsa consanguinitas, quod consanguinitas sit habitudo et respectus inter ipsas personas, linea autem, personarum illarum collectio, seu ipsæ personæ complexim sumptæ.

Triplex est linea : ascendentium, descendentium, et transversalis, seu collateralis. Ascendentium secundum habitudinem principiati ad principium, geniti ad genitorem. Descendentium secundum habitudinem principii ad principatum, genitoris ad genitum. Transversalis, seu collateralis secundum habitudinem eorum quæ sunt ab uno principio ad invicem, ut fratrum inter se.

Verum cum duo priores ratione tantum differant, re ipsa autem sint una et eadem, sicut eadem est scala per quam ascenditur et descenditur, ideo secundum distinctionem realem, duplex est tantum linea consanguinitatis, recta scilicet et transversa. Recta est collectio eorum consanguineorum quorum alii ex aliis descendunt. Transversa seu collateralis est eorum qui non descendunt alter ab altero, sed omnes ex eodem, idque vel æquali propinquitate seu distantia, ut duo fratres, fratrer et soror ; vel inæquali, ut patruus et ejus nepos ex avo ; et hinc patet in lineis deberi assignari gradus, cum motus propagationis non quiescat in uno extremo, sed ultra progrediatur, ut dictum est.

Est autem gradus formaliter mensura distantiæ consanguineorum seu habitudo distantium personarum, qua cognoscitur quantum ipsæ distant a se invicem : materialiter est una generationis alicujus progressio in linea recta.

Porro, ut recte advertit Auctor [1] cum gradus alicujus rei sit pars aliqua illius rei, gradus propinquitatis non potest esse ubi non est propinquitas, et ideo identitas et nimia distantia gradum consanguinitatis tollunt, quia nullus est sibi propinquus, sicut nec sibi similis, nec etiam nimis distanti, ut patet ex § præcedenti. Et propter hoc nulla persona per seipsam facit aliquem gradum, sed comparata alicui personæ gradum facit ad ipsam, sicut unus baculus in scala, non facit gradum, sed distantia inter unum et alterum, gradus enim significat ascensum vel descensum, descensus autem duo extrema seu terminos significat, a quo et ad quem. Itaque neque pater solus, neque mater sola, neque pater et mater simul, utpote quæ habentur per modum unius, ponuntur primus gradus, sed ut primum extremum primi gradus qui terminatur ad filium.

[1] Ibid. o.

Ad dignoscendum igitur quoto gradu duo consanguinei inter se distant,

Statuuntur tres regulæ, una pro linea recta, duæ pro linea collaterali.

Prima regula : [1] In linea recta, persona quæ primo in progressu propagationis occurrit sive ascendendo, sive descendendo, distat a stipite in primo gradu, ut pater et filius ; quæ secundo occurrit distat in secundo gradu, ut avus et nepos et sic deinceps. Hoc est personæ consanguineæ in linea recta tot gradibus inter se distant quot sunt progressiones generationis factæ a stipite ad ipsas, vel ut communiter dicitur [quod idem est] quot sunt personæ in ea linea ordine sanguinis seu progressu generationis collocatæ, una dempta. Dico : Una dempta, quia, ut diximus, una persona per se non constituit gradum, sed comparata ad alterum : unde si tantum computentur duæ personæ, ut pater et filius, est unus gradus, si tres ut avus, pater et filius, sunt duo gradus. Ratio regulæ est, quia gradus consanguinitatis in linea recta contrahitur ex hoc quod una persona propagatur ex alia eorum inter quos gradus consideratur : ergo quæ primo occurrit in progressu propagationis, est in primo gradu, sive tot sunt gradus quot sunt progressiones generationis; et hoc tam secundum computationem legalem quam canonicam.

Secunda regula : [2] Personæ consanguineæ in linea collaterali, si æqualiter distent a stipite, quoto gradu distant a stipite, distant inter se, ut duo fratres in primo gradu, ut eorum filii in secundo, quia consanguinitas eorum qui sunt in linea transversalii contrahitur, non ex hoc quod unus eorum ex alio propagatur, sed quia uterque propagatur ex uno, et ideo debet gradus consanguinitatis in hac linea computari per comparationem ad unum principium, stipitem scilicet, ex quo propagantur.

Tertia regula : [3] Personæ consanguineæ in linea collaterali, si inæqualiter distent a stipite, quoto gradu remotior distat a stipite, distant et ipsi inter se, ut patruus et filius ejus fratris seu nepos in secundo gradu, pronepos in tertio, etc. Ratio regulæ est quia, ut jam dicebamus, cum personæ consanguineæ in linea collaterali non habeant inter se consanguinitatem nisi ratione communis stipitis in

[1] Ibid. [2] Ibid. [3] Ibid.

quo uniuntur et a quo trahunt eumdem sanguinem et eamdem virtutem, tota ratio propinquitatis vel distantiæ illorum inter se debet desumi ex ordine ad illum communem stipitem : unde non possunt esse inter se conjunctiores quam sint cum illo stipite; nam propter quod unumquodque tale et illud magis : si autem computarentur gradus secundum rationem propinquioris, ille qui est in quarto gradu, v. g., abnepos, esset propinquior ei qui est in secundo gradu alterius lineæ, v. g., filio abavi, quam ipsi stipiti, scilicet abavo ; possunt tamen esse a se invicem remotiores quam sit una eorum a stipite propter scilicet majorem distantiam alterius a stipite : inspice infra subjectam arborem. Hæc utraque regula traditur in jure canonico, prima ab Alexandro II, cap. *Ad sedem* 35, q. 5, et a Zacharia, cap. *Parentelæ* ibid. Secunda a Gregorio IX, cap. *Vir qui* tit. de Consanguinitate, et ab Alexandro II, cap. *Ad Sedem* citato ; approbatur etiam concilio Lateranensi, ut conformis antiquis Ecclesiæ canonibus.

Verum hic sunt duo observanda : Primum : has duas regulas valere duntaxat juxta computationem canonicam, non legalem aut civilem; secundum hanc enim personæ consanguineæ in linea collaterali, tot gradibus inter se distant quot sunt utrinque personæ, dempto stipite, vel quot sunt utriusque personæ a stipite, ita ut semper duplicentur : unde duo fratres in jure civili distant duobus gradibus inter se, quia uterque distat uno gradu a patre : duo nepotes quatuor gradibus; quia uterque distat duobus gradibus ab avo.

Ratio hujus discriminis est, quia jus canonicum attendit ad consanguinitatem ratione Matrimonii contrahendi ; cumque consanguinei collaterales non jungantur vel distent inter se nisi ratione communis stipitis, non possunt magis inter se jungi aut distare, quam jungantur stipiti aut ab eo distent ut dictum est ; jus vero civile attendit ad consanguinitatem ratione hæreditatis transferendæ, quæ connaturaliter transferri debet ei qui propinquior est illi, a quo provenit hæreditas, vel æqualiter omnibus iis qui sunt æqualiter ei propinqui ; quod non obtineretur secundum computum canonicum ; v. g., agatur de hæreditate Sempronii : Sempronius distat quinque gradibus a communi stipite, Titius ab eodem communi stipite distat duobus gradibus ; Caius ab eodem quatuor gradibus. Juxta computum canonicum, Sempronius distat a Titio et Caico quinque gradibus et ideo inter utrumque dividenda foret æqualiter hæreditas ; at juxta computum civilem, Sempronius distat a Titio septem gradibus, a Caio novem gradibus, consequenter Titio deferenda est hæreditas.

Alterum quod venit observandum circa tertiam regulam est quod licet attendatur gradus remotior, in ordine ad impedimentum Matrimonii cognoscendum, ad impetrandam tamen dispensationem, debet collateralium inæqualium gradus et remotior et propinquior manifestari ; alias nulla foret dispensatio : ita fert stylus curiæ.

Dices 1° contra conclusionem et regulas : Gradus est habitudo distantium personarum, et consanguinitas est personarum propinquitas : atqui distantia propinquitati opponitur : ergo consanguinitas non constat ex gradibus, alias unum contrariorum componeretur ex altero.

Resp. dist. maj. [1] Distantia quælibet opponitur cuilibet propinquitati, neg. min.; distantia aliqua opponitur alicui propinquitati, conc. min. Non igitur omnis distantia opponitur omni propinquitati, imo sicut non potest esse similitudo, ubi non est aliqua diversitas, alias foret identitas, ita non potest esse propinquitas, ubi non est aliqua distantia ; alias foret unio seu unitas, non propinquitas : sed aliqua distantia opponitur alicui propinquitati, scilicet major distantia majori propinquitati, v. g.; distantia quinque gradibus opponitur propinquitati ad quatuor gradus ; et cum sistat consanguinitas in quarto gradu, distantia ad quinque gradus tollit consanguinitatem.

Ex hac solutione collige gradum et consanguinitatem reipsa esse quid idem, sed ratione distingui ; eadem enim intercapedo est simul a parte rei distantia et propinquitas, et per consequens gradus et consanguinitas, siquidem per idem spatium res duæ appropinquant per quod distant, sub diversa tamen ratione, quatenus enim pater et filius, v. g., considerantur in illa intercapedine ut propinqui, consanguinitas est, quatenus sub illa considerantur ut distantes, dicitur primus gradus.

Dices 2° : Si consanguinitas per gradus distinguitur, oportet quod illi qui sunt in eodem gradu, sint æqualiter consanguinei : atqui falsum consequens, quia duo fratres sunt in primo gradu inter se et respectu

[1] Ibidem ad 4.

patris, et tamen sunt magis propinqui et consanguinei patri quam inter se : ergo.

Resp. dist. maj. [1] Si consanguinitas, etc., oportet quod illi qui sunt in eodem gradu, sint æqualiter consanguinei dimensive, conc. maj.; intensive, neg. Et sic distincta min. neg. conseq. Sicut igitur una albedo dicitur major dupliciter, uno modo intensive propter majorem ejus perfectionem seu radicationem in subjecto ; alio modo dimensive seu extensive propter dilatationem ejus in majori quantitate superficiei : ita consanguinitas dicitur major vel minor dupliciter, uno modo intensive, ex natura ipsa consanguinitatis conjunctioris; alio modo quasi dimensive propter extentionem et dilatationem ejus ad plures personas; et hoc secundo modo gradus consanguinitatis distinguuntur : unde contingit quod filius, v. g., sit magis intensive consanguineus suo patri quam suo fratri, quia est arctius vinculum inter genitorem et genitum, causam et effectum, quam inter duos genitos ex eodem patre, duos effectus ejusdem causæ; dimensive tamen filius non est propinquior patri, quam suo fratri, quia non distat a fratre, nisi in quantum distat a patre, et sicut nulla est persona media inter patrem et filium, sic nec inter duos fratres.

Respones : Saltem ex antecedente posito sequitur quod qui distant inter se æquali gradu, debeant attingere tertium in eodem gradu et æquali propinquitate : falsum iterum consequens : nam ego et frater meus, v. g., sumus in primo gradu, et tamen filius fratris mei qui primo gradu distat a suo patre, distat a me secundo : ergo :

Resp. dist. maj. Sequitur quod qui distant inter se æquali gradu, debeant attingere tertium æquali consanguinitate, si iste tertius æqualiter distet a communi stipite, conc.; secus, neg., quia, ut sæpe dictum est, gradus consanguinitatis desumuntur in ordine ad eumdem communem stipitem : sic duo fratres attingunt in eodem gradu in quo sunt, alterum tertium fratrem; quia omnes ab eodem communi stipite æqualiter distant; at filius fratris mei non attingit æqualitër stipitem mihi et ipsi communem, scilicet patrem meum, ratione cujus sum ipsi consanguineus; ego enim attingo in primo gradu, ille in secundo.

Arborem hanc seu figuram consanguinitatis, ramorum et ramusculorum multitudine resecata, in duas tantum lineas ab eodem stipite, sub forma bicorni subjicimus, utpot. quæ minus sit intricata et sufficiat ad intelligentiam graduum, ut consideranti et prædicta conferenti patebit.

[1] Ibidem ad 5.

ARBOR CONSANGUINITATIS.



§ III.

Utrum consanguinitas impediat et dirimat Matrimonium? Quo gradu, et quo jure?

Dico 1° : A mundi exordio usque nunc [1], non una fuit disciplina in contrahendis matrimoniis inter consanguineos fideles, sed secundum diversa tempora, consanguinitas secundum diversos gradus Matrimonium impedivit et diremit. Nunc vero dirimit usque ad quartum gradum inclusive.

Prob. discurrendo per varias mundi ætates ab exord. ad hæc usque tempora [2].

In principio generis humani solus pater et mater a matrimonio repellebantur; quia tunc temporis erat paucitas hominum, et oportebat propagationi generis humani maximam curam impendere : unde non erant removendæ nisi illæ personæ quæ matrimonio incompetentes erant, quales sunt pater et mater respectu prolium, ut dicemus conclusione sequenti. Igitur propter hanc summam necessitatem fratres et sorores nati ex Adamo simul nubebant, postea evacuata priori hac necessitate, nati ex filiis et filiabus Adam nubebant consobrinis. Item patrui seu avunculi ducebant neptes, et nepotes amitas : primum patet in Abrahamo, qui duxit Saram neptem suam, filiam scilicet Aran fra-

[1] Ibid. a. 4, o. [2] Ibid.

tris sui ex Thare, Genes. 20; secundum in Amram, patre Moysis qui nupsit Jocabed, amitæ suæ, utpote filiæ Levi avi Amram, Numer. 26. Hæc in lege naturæ usque ad legem scriptam.

Postmodum vero multiplicato genere humano[1], per legem Moysis quæ concupiscentiam jam reprimere incipiebat, plures personæ exceptæ sunt a Matrimonio, ut patet Lev. 18; ibi enim prohibentur conjugia 1° in primo et secundo gradu lineæ rectæ, scilicet inter patrem et filiam, matrem et filium, qui est primus gradus, inter avum et neptem, aviam et nepotem qui est secundus; 2° in linea collaterali prohibentur in primo gradu, scilicet inter fratrem et sororem, et partim saltem in secundo utpote inter consobrinum seu nepotem et amitam seu materteram, non tamen ita certo inter neptem et patruum : unde Jud. 1, ℣ 13, Othoniel duxit Axam filiam fratris sui, forte quia est specialis repugnantia quod amita quæ jure naturæ est superior nepoti, ipsi per Matrimonium subjiciatur : inconveniens non currit dum patruus ducit neptem : ideo autem personæ nominatæ fuerunt per legem exceptæ a Matrimonio, quia cum in una familia habitare soleant, maximum incentivum libidini præstaretur, si inter eos liceret copula carnalis aut matrimonium, cujus nempe spes ad impudica excitat, e contra desperatio avertit. Alios autem gradus consanguinitatis lex vetus permisit, imo quodam modo præcepit, ut scilicet de cognatione sua unusquisque uxorem acciperet, ne successionum confusio esset, et quia tunc temporis cultus divinus per successionem generis propagabatur.

In lege nova quæ est lex spiritus et amoris[2], plures gradus consanguinitatis sunt prohibiti; quia jam per spiritualem gratiam, non per carnis originem, cultus Dei derivatur et multiplicatur : unde oportet ut homines etiam magis a carnalibus retrahantur, spiritualibus vacantes, et ut amor amplius diffundatur; et ideo antiquitus, usque ad remotiores gradus consanguinitatis Matrimonium impediebatur, ut ad plures per consanguinitatem et affinitatem naturalis amicitia promanaret.

Hæc porro fuit Ecclesiæ disciplina quatuor prioribus sæculis; rara admodum erant matrimonia in secundo gradu lineæ collateralis æqualis, scilicet inter consobrinum et consobrinam, non tamen videntur prohibita fuisse absolute ut patet ex S. Augustino, lib. 15, *de Civit.*, cap. 16, sed tunc prohibita erant in secundo gradu lineæ collateralis obliquæ scilicet inter patruum et neptem, amitam et nepotem; constat ex Suetonio in Vita Claudii imperatoris, cap. 16, et ex lege Theodosii Junioris : *De Incestis nuptiis*, lib. 3, tit. 12

Ineunte sæculo septimo, consuetudo obtinuit ut matrimonia non inirentur nisi infra septimum gradum, ut constat ex epistola S. Gregorii Magni qui florebat anno 604, ad Felicem episcopum Messanensem, et hoc rationabiliter, quia ultra septimum gradum non de facili remanebat communis radicis memoria, exceptis tamen Anglis quibus ex dispensatione ejusdem Gregorii licebat inire conjugia in quarta progenie, ut patet ex rescripto ejusdem Gregorii ad eumdem Felicem.

A sæculo septimo ad decimum tertium, servata fuit consuetudo de non ineundis nuptiis, nisi infra septimum gradum, ut patet ex epistola prima Gregorii II ad Bonifacium, anno 731, ubi dicit : « Progeniem vero suam unumquemque, usque ad septimam generationem observare decrevimus. » Id etiam probatur ex synodo Wormatiensi, anno 868.

Ab hac tamen lege excepti sunt Germani a Gregorio II, anno 714, ita ut possent contrahere infra quartum gradum, ut patet ex ejus Pontificis epistola 13, ad Bonifacium episcopum; sed hæc indulgentia revocata fuit a Gregorio III, qui suffectus est Gregorio II, anno 733, et a Zacharia papa in concilio Romano, anno 743, quod confirmavit Nicolaus I Bulgaris respondens, cap. 29, circa annum 868.

Ineunte sæculo decimo tertio, anno scilicet 1215, in concilio Lateranensi sub Innocentio III, reducti sunt gradus consanguinatis Matrimonium dirimentes ad quartum inclusive : ita habet canon 50 hujus concilii : « Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum consanguinitatis et affinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari... Cum ergo jam usque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ sit restricta : eam ita esse perpetuam volumus..... ut si qui contra prohibitionem hujusmodi præsumpserint copulari nulla longinquitate defendantur annorum. » Hinc habes consanguinitatem dirimere matrimonium usque ad quartum gradum inclusive, et ita servatur nunc in omnibus ecclesiis Latinis.

Hujus reductionis et taxationis convenientes rationes affert D. Th.[1] Inutile, inquit, et periculosum quippe erat gradus consanguinita-

[1] Ibid. [2] Ibid.

[1] Ibid.

tis ultra quartum his temporibus prohibere. Inutile quidem, quia ad remotiores consanguineos quasi nullum fœdus amicitiæ majoris quam ad extraneos habetur, charitate in multorum cordibus frigescente ; periculosum autem, quia, concupiscentia et negligentia prævalente, tam numerosam consanguineorum multitudinem, homines non satis observabant; et sic laqueus damnationis multis injiciebatur ex remotiorum graduum prohibitione. Satis etiam convenienter usque ad quartum gradum protenditur dicta prohibitio, tum quia usque ad quartam generationem homines vivere consueverunt, ut sic non possit consanguinitatis memoria aboleri : unde Deus in tertiam et quartam generationem peccata parentum se visitaturum in filiis comminatur; tum etiam quia, in qualibet generatione, nova mixtio sanguinis (cujus identitas consanguinitatem facit) fit cum sanguine alieno, et quantum miscetur alteri tantum receditur a primo, qui recessus visus est sufficiens in quarto gradu, ut non censeretur amplius consanguinitas.

Dico 2° : Primus gradus consanguinitatis, in linea recta impedit et dirimit Matrimonium jure naturæ.

Prob. : Ille gradus consanguinitatis[1] impedit et dirimit jure naturæ Matrimonium in quo contractum Matrimonium redderetur incompetens respectu finis ad quem primo et per se est a natura ordinatum : atqui si Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ contraheretur, redderetur incompetens respectu finis ad quem per se primo a natura est ordinatum : ergo. Prob. min. Finis Matrimonii primo et per se a natura intentus est bonum prolis : atqui Matrimonium in primo gradu lineæ rectæ contractum foret incompetens bono prolis, non quidem ut totaliter tollatur, quia filia ex semine patris potest prolem suscipere et simul cum patre nutrire et instruere, in quibus bonum prolis constituit, sed ut non convenienti modo fiat : ergo. Prob. min. Inordinatum est et inconveniens maximum atque rationi naturali repugnans, quod filius aut filia quos natura jubet patri seu matri per omnia subjici et honorificentiam exhibere, velut ex eis immediate procedentes, illis per Matrimonium associentur ut æquales, causa generendæ et educandæ prolis, ac per Matrimonii usum eorum turpitudinem revelent : id, inquam, ita inordinatum est ac naturæ contrarium omnes gentes aliquo modo institutæ, semper illud abominatæ sint, et si quædam permiserint, habitæ sunt omnino barbaræ ac belluinæ; quinimo bruta ipsa plurima ab eo abhorrent, ut testantur Aristot., lib. 9 *Histor. animalium*, c. 47 et Plinius, lib. 9 *Histor. naturalis*, cap. 42, ubi miranda hac de re exempla refert : ergo. Qua ratione probatur magis adhuc repugnare matrem nubere filio, quam patrem filiæ, quia reverentiæ quæ parentibus debetur, magis derogatur si mater filio nubat, eo quod uxor aliqualiter subjiciatur viro, non vir uxori.

Sed dices hac ratione D. Thomæ probari tantum matrimonium inter patrem et filiam esse jure naturæ illicitum, non tamen esse irritum : ex hoc enim quod aliquid sit jure naturæ illicitum, non semper statim sequitur esse irritum : sic, v. g., voto simplici castitatis obstrictus, aut sponsalibus cum alia contractis, facit contra jus naturæ si cum alia matrimonium ineat, et tamen non est irritum illud matrimonium : ergo similiter in præsenti casu, et eo maxime quod pater et filia sint supposita distincta, habentia proprii corporis dominium, quod proinde possunt sibi mutuo tradere.

Resp. hanc oppositionem ex ratione D. Thomæ satis infringi, si non formaliter et explicite, saltem implicite et illative. Cum enim non habeamus absolutum omnino dominium nostri corporis, sed tale solum quale Deus, auctor naturæ, nobis concedit, non possumus illud valide per matrimonium alteri tradere, alia ratione quam Deus hoc concesserit. Incredibile autem prorsus est auctorem naturæ dedisse nobis potestatem hanc transferendi corporis nostri dominium ad eum usum qui in nullo unquam casu foret honestus, sed semper summe inhonestus, quem recta ratio summe detestatur, imo quem ipsa bruta abhorrent, qualis est usus matrimonii inter prolem et parentem, ut diximus : hæc autem indecentia et repugnantia non reperitur in matrimonio eorum qui voto simplici castitatis seu sponsalibus cum altera, sunt obstricti, ut dicatur ab Auctore naturæ reprobari ut invalidum.

Repones inde sequi matrimonium in primo gradu lineæ transversæ et in omnibus gradibus lineæ rectæ etiam esse irritum, quia in eis magna etiam reperitur indecentia.

Resp. id multis quidem probari, nec infundate, de quo modo, non tamen ita certo et evidenter deducitur pro matrimoniis assignatis, quam pro matrimonio in primo gradu li-

[1] Ibid.

neæ rectæ, quia licet sit utrinque indecentia, longe tamen major est in isto quam in illis.

Hucusque quod certum est definivimus, sed gravior restat difficultas, an quidam gradus ultra primum lineæ rectæ jure naturæ dirimant Matrimonium? Multi quippe volunt omnibus gradibus lineæ rectæ usque in infinitum id competere; ita ut si Adam modo viveret aut resurgeret, nulli fœminæ posset nubere. Ita Scotus, Coninck, etc. Alii id extendunt tantum ad secundum gradum in linea recta, scilicet inter avum et neptem, aviam et nepotem; ita Dominic. Soto, qui etiam id tribuit primo gradui lineæ transversæ, quod ultimum tenent etiam Sylvius et Gonet. Alii tandem nulli alteri gradui id tribuunt quam primo lineæ rectæ, de quo in præcedenti conclusione: ita Cajetanus, Sylvester, Bonac., etc., quod videtur D. Thomæ conformius: unde

Dico 3°: Juxta mentem et doctrinam D. Thomæ probabilius videtur nullum alium gradum consanguinitatis præter primum lineæ rectæ jure naturæ dirimere Matrimonium.

Prob. ex D. Th.: 1° S. Doctor, hic a. 3, ex professo quærens an et qui gradus consanguinitatis jure naturæ dirimunt Matrimonium, solum primum in linea recta assignat, alios autem revocat ad jus divinum aut humanum: ergo evidens est, juxta D. Thomam, illum solum primum jure naturæ dirimere, alias fuisset diminutus.

2° Art. sequenti 4, o, dicit quod « in principio generis humani solus pater et mater a Matrimonio repellebantur, eo quod tunc temporis erat paucitas hominum et oportebat propagationi generis humani maximam curam impendere; unde non erant removendæ nisi illæ personæ quæ Matrimonio incompetentes erant, etiam quantum ad finem matrimonii principalem, qui est bonum prolis », ut dictum est articulo præcedenti: ergo aliæ personæ consanguineæ non sunt incompetentes Matrimonio, quantum ad finem matrimonii principalem, alias fuissent etiam removendæ. Subsumo: Atqui sola incompetentia ad finem principalem, hoc est, ut diximus, maxima generandæ prolis, seu usus conjugalis indecentia et turpitudo, irritat jure naturæ Matrimonium inter consanguineos; aliæ enim rationes quæ solent adduci ex D. Thoma, ut periculum incontinentiæ, nimius ardor libidinis, communicatio amicitiæ, sunt quidem congruentiæ quibus legislatores moti sunt ad prohibendum Matrimonium inter consanguineos, non autem rationes sufficientes, ut per seipsas ipso jure naturæ illud irritent, ut fusius mox dicemus: ergo.

3° Et apertius S. Doctor 2 2 q. 154, a. 9, resolvens incestum, hoc est consanguineorum vel affinium concubitum intra gradus prohibitos, esse determinatam speciem luxuriæ, tertio loco sibi proponit argumentum hoc: « Illud quod de se non importat aliquam deformitatem, non constituit aliquam determinatam speciem vitii, sed accedere ad consanguineos vel affines, non est secundum se difforme, alias nullo tempore licuisset. » Cui argumento respondet his verbis quæ et mentem ipsius et conclusionem nostram manifeste evincunt: « Ad tertium, dicendum quod in commixtione personarum conjunctarum, aliquid est quod est secundum se indecens et repugnans rationi naturali, sicut quod commixtio fiat inter parentes et filios quorum est per se immediata conjunctio; nam filii naturaliter debent honorem parentibus..... Aliæ vero personæ quæ non conjunguntur secundum seipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex seipsis indecentian; sed variatur circa hoc decentia vel indecentia secundum consuetudinem et legem humanam vel divinam, quia, ut dictum est, usus venereorum, quia ordinatur ad bonum commune, subjacet legi. Et ideo sicut S. Augustinus dicit 15, *de Civit.*, cap. 16, commixtio sororum et fratrum, quanto fuit antiquior, compellente necessitate, tanto postea facta est damnabiiior, religione prohibente. »

Unde quod dixit S. Doctor, o, et in quo fundantur Sylvius et Gonet, « naturaliter hominem debere quamdam honorificentiam parentibus et per consequens aliis consanguineis, qui ex eisdem parentibus de propinquo originem ducunt », non infirmat resolutionem nostram, nec contradicit testimoniis allatis: verum enim est quod homo naturaliter debeat honorificentiam aliis consanguineis qui ex parentibus de propinquo originem ducunt, sed longe minorem quam parentibus ipsis: unde licet commixtio inter eos haberet aliquam indecentiam, non talem tamen quæ ex natura rei ipsos a copula arceat, sed talem tantum quæ moveat homines ut per consuetudinem vel legem inter tales copulam interdicant, ut evidenter patet ex ultimo loco D. Thomæ.

Nec valet si dicas cum Soto S. Doctorem eo loci tantum posuisse exemplum in primo gradu, ut in evidentiori; manifestum est enim

quod eximat a jure naturæ, et ad consuetudinem vel legem positivam revocet omnes alias personas quæ non conjunguntur secundum seipsas, sed per ordinem ad parentes, quales sunt omnes extra primum gradum lineæ rectæ : item assignat rationem cur parentes jure naturæ a matrimonio cum filiis repellantur, quia, scilicet, « eorum est per se et immediata cognatio », quæ ratio in solo primo gradu lineæ rectæ et in nullo alio cujusvis lineæ reperitur.

Ratio itaque fundamentalis nostræ conclusionis ea est quam D. Th. testimonio jam laudato ad tertium affert, et quam jam sæpius repetivimus, scilicet cum inter consanguineos aliorum graduum extra primum lineæ rectæ, non sit per se et immediata cognatio, sed per accidens tantum mediate et per ordinem ad parentes, non videtur inter eos talis et tanta indecentia copulæ carnalis, quæ jure naturæ dirimat Matrimonium, licet tamen talis sit ut sufficienter moveat omnes legislatores, ut hujusmodi Matrimonium prohibeant, saltem inter propinquiores.

Specialiter : Quod non omnes gradus lineæ rectæ in infinitum, imo nec secundus dirimant Matrimonium jure naturæ, ut quidam volunt, ultra ea quæ diximus, res quoad primum plane videdur confici ex cap. *Non debet*, de Consanguinitate, ubi, nulla linearum facta distinctione, restringitur consanguinitas ad quartum consanguinitatis et affinitatis gradum. Et quoad secundum ex cap. *Gaudemus*, de Divortiis, ubi Pontifex similiter indistincte concedit infidelibus ad fidem conversis, qui ante conversionem Matrimonium contraxerant in secundo gradu, ut non separentur. Et tandem ex constitutione concilii Trid., sess. 24, cap. 5, quæ sic habet : « In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes, et ob publicam causam »; ergo in eo potest absolute per Ecclesiam dispensari ; ergo non est de jure naturæ.

Neque valet si dicas cum Coninck jura esse intelligenda de linea transversa tantum, non de recta, quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Item de primo gradu lineæ transversæ, videtur speciale argumentum in filiis Adæ. Non enim videtur credibile Auctorem naturæ, initio naturæ conditæ, ipsius naturæ limites transgredi voluisse, ipsumque Matrimonium ita instituisse, ut necesse fuerit statim in filiis Adæ ejus institutionem immutare, copulando fratres et sorores. Quare dicendum videtur quod si Matrimonium inter fratres et sorores, esset jure naturæ irritum, Deus alias personas potius creasset sine patre et matre sicut Adam, quam tunc et juribus naturæ contraire et institutionem Matrimonii a se factam invertere. In confirmationem accedunt 1° quod Sara, uxor Abrahæ, secundum probabilem sententiam, fuerit ejus propria soror ; 2° quod Thamar dixerit Amon fratri suo volenti eam opprimere. *Loquere ad regem ei non negabit me tibi ;* 3° quod Martinus V ex Sylvestro dispensavit in eo gradu.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° : Omnes rationes D. Thomæ quibus probari solet aliquos gradus consanguinitatis jure naturæ dirimere Matrimonium, non militant solum pro primo gradu lineæ rectæ, sed etiam pro gradibus aliis propinquioribus utriusque lineæ : ergo. Prob. min. Istæ rationes sunt : 1° Reverentia debita parentibus, etin decentia actus conjugalis inter eos; 2° maxima inter eos familiaritas unde maxime periclitaretur pudicita, si Matrimonium eis non interdiceretur; 3° communicatio amicitiæ ad plures propaganda : atqui omnes istæ rationes etiam militant pro propinquioribus gradibus ultra primum lineæ rectæ, maxime pro primo lineæ transversæ, et pro secundo lineæ rectæ : ergo.

Resp. dist. ant. Omnes rationes D. Th. etc., militant etiam pro aliis gradibus æquali, ac tanta vi, quanta pro primo lineæ rectæ, neg.; minori vi, conc. Cum enim vis harum rationum petatur ex ratione cognationis et propinquitatis, quo major est cognatio, eo magis urgent ; quo minor cognatio, eo minus ; porro nulla major cognatio quam inter patrem et filiam, matrem et filium : in aliis omnibus longe minor, et eo minor quo sunt remotiores. Et tandem nulla ibi deficit sanguinis identitas, ut patet ex articulis præcedentibus.

Insuper notandum quod sola prima ratio probet directe actum Matrimonii ex se habere aliquam indecentiam inter consanguineos : unde ea sola utitur D. Thomas, cum agit de Matrimonio inter parentes et liberos. Cæteræ autem rationes sunt congruentiæ duntaxat, quæ suadent expedire, ut talia matrimonia impediantur, non tamen probant ea per se ullam habere repugnantiam cum recta ratione, quæ dirimat Matrimonium.

Inst. : In omnibus ascendentibus et descendentibus lineæ rectæ reperitur ratio principii

et principiati, vereque dicuntur, et sunt parentes et liberi : ergo hi debent illis naturaliter reverentiam sicut parentibus proximis.

Resp. dist. ant. In omnibus, etc., reperitur ratio principii et principiati, etc., mediate et per accidens, conc.; immediate et per se, neg. ant. et conseq. Solutio patet ex dictis.

Repones : Eo major est reverentia ad avos, quo altiora sunt principia : ergo.

Resp. dist. ant. Eo major est reverentia ad avos, etc., ex consuetudine et ratione senectutis, conc. ant.; reverentia naturalis, et ratione principii, neg. Naturalis enim tam pudor, quam reverentia, major est ad parentes proximos, quam ad remotiores; quia ipsi soli sunt causa per se, et immediata filiorum, remotiores autem solum mediata, et per accidens.

Addo quod non ratio principii præcise dirimat Matrimonium jure naturæ inter parentes et liberos, cum secundum adversarios sit irritum in primo gradu lineæ transversæ, in qua non reperitur ratio principii; sed ratio consanguinitatis maxima, seu sanguinis unitas et identitas, in qua fundatur consanguinitas, et ex qua oritur naturalis ille pudor, et reverentia inter illos. Quis autem dicat sanguinem Adæ, et filiorum ejus in nobis, nunc eumdem permanere, et communi ordine naturali, ac hominum judicio esse radicem amicitiæ, et reverentiæ inter nos et illos? Profecto propinquius videntur se attingere Galli et Angli, quam attingerent Adam et ejus filios, si modo viverent.

Replicabis : L. 1 *Instit.*, tit. de Nuptiis, § *Ergo non omnes*, perpetuum in linea recta statuitur impedimentum, usque in infinitum : ergo.

Resp. juri civili præponendum esse jus canonicum supra citatum.

Obj 2° : In Levitico 28, prohibentur secundus gradus lineæ rectæ, et primus lineæ transversæ : ergo hi jure naturæ, aut divino saltem, dirimunt Matrimonium.

Resp. neg. conseq. pro utraque parte : non jure divino; lex enim Levitici nunc christianos non obligat, nisi quoad ea quæ juris naturæ continet; non jure naturæ, quia non omnes gradus quos illic prohibet, Matrimonium jure naturæ irritare constat, tum ex eo quod illic prohibeat secundum gradum lineæ transversæ ex parte amitæ cum nepote, et plures gradus affinitatis, quos certum est Matrimonium jure naturæ non dirimere, tum quia plures sancti in antiqua lege, in his gradibus, in Levitico prohibitis, nupserunt, ut patet de Jacob, qui duxit duas sorores, tum tandem quia concilium Trid., sess. 24, can. 3, definit Ecclesiam in aliquibus ex his posse dispensare.

Obj. 3° et simul inferes : Ergo seclusa lege ecclesiastica, vel consuetudine, liceret inter fratrem et sororem, avum et neptem commixtio carnalis et Matrimonium, quod videtur absurdum.

Resp. 1° posse negari illationem : Ex hoc enim quod dicamus Matrimonium inter tales non esse jure naturæ, aut divino irritum, non sequitur non esse illicitum, multa enim valide fiunt, et tamen illicite, ut patet in Matrimonio illius qui voto castitatis adstringitur ; item in prodigo, qui valide, licet illicite, sua bona dispergit : unde in Matrimonio inter fratrem et sororem, avum et neptem, potest esse talis, ac tanta indecentia, quæ ipsum jure naturæ illicitum reddat, sed non talis ac tanta quæ ipsum jure naturæ irritet.

Resp. 2° : Transeat illatio, quæ etiam nec videtur neganda in principiis D. Thomæ : S. Doctor enim, tertio loco citato, nullum agnoscit incestum ex lege naturæ, nisi in primo gradu lineæ rectæ ; quoad alios autem gradus dicit hoc pendere, et variari, per consuetudinem, legem ecclesiasticam, vel divinam : divina lex hac de re in novo Testamento non exstat : ergo, seclusa consuetudine, jure gentium, aut lege ecclesiastica, commixtio carnalis consanguineorum extra primum gradum lineæ rectæ, non foret incestuosa adeoque nec illicita subsistente aliqua causa.

Idque non parum innuit commixtio carnalis filiorum et filiarum Adæ : non est enim credibile, ut diximus, Deum, ipsam condendo naturam, statim ejus leges dispensatione contraria invertere voluisse, cum aliis viis necessitati, quæ tunc erat propagandi genus humanum, occurrere posset. Unde debet negari absurditas ; licet fatendum sit talem esse in ea commixtione indecentiam, ut merito omnes gentes morigeratæ unanimi sensu eam semper prohibuerint et respuerint, ex quo sufficienter multiplicatum fuerit genus humanum.

Inferes item ex hac secunda solutione : Ergo Summus Pontifex potest dispensare in primo gradu lineæ transversæ, et secundo lineæ rectæ ad Matrimonium contrahendum.

Resp.: Transeat iterum illatio per se loquendo : attento tamen præsenti rerum statu, et immemoriali hominum usu quo talia matrimonia respuunt, gravique ideo scandalo,

quod inseparabiliter sequeretur, si permitterentur, in eis dispensare nunquam expedit. Et forte hac de causa, aut propter probabilitatem alterius sententiæ, raro, aut nunquam legitur dispensatum fuisse.

Obj. 4° cum Soto : Innocentius III., cap. *Gaudemus* de Divortiis, dicit infideles noviter conversos esse separandos, si cum consanguineis in primo gradu contraxerint, non esse autem separandos, si in secundo aut tertio gradu nupserint : ergo saltem in primo gradu lineæ transversæ irritum est jure naturæ, aut saltem divino, Matrimonium.

Resp. cum Coninck et Sanchez, neg. ant. Non enim ibi dicit pontifex infideles conjugatos, in primo gradu esse separandos, sed conjugatos in secundo et tertio gradu non esse separandos, ex quo non sequitur definivisse separandos esse conjugatos in primo gradu ; quia pontifex ibi tantum definit, quod certum est, et ipsi propositum fuerat; de paganis autem in secundo et tertio gradu conjunctis proposita fuerat ipsi quæstio, an deberent separari, non de conjunctis in primo gradu : unde primum resolvit, secundum intactum relinquit, quia ipsi propositum non fuerat.

Resp. 2° etiam paganos in primo gradu lineæ transversæ conjunctos jure esse separandos, eo quod talia matrimonia irrita forent, non jure naturæ aut divino, sed humana omnium consuetudine, et maxime legibus civilibus Romanorum, quæ erant apud paganos receptæ, et eos obligabant. Patet ex cap. *Quædam lex* 35, q. 3.

Obj. 5° : Abraham putavit sufficienter celare matrimonium suum cum Sara, dicendo gentilibus eam esse suam sororem : ergo tale matrimonium erat jure naturæ irritum.

Resp. neg. conseq. Ad intentum enim Abrahæ sufficiebat tale matrimonium humana consuetudine respui et non esse in usu.

Obj. 6° : Frater et soror æque sunt consanguinei, ac pater et filia: ergo Prob. ant. Utrique sunt in primo gradu : ergo.

Resp. dist. ant. Æque sunt consanguinei dimensive, conc. ant.; intensive, neg. ant. Solutio patet ex arg. secundo articuli præced.

Ecclesiam autem posse taxare gradus prohibentes, et dirimentes probavimus dissert. præced.

ARTICULUS V.

DE IMPEDIMENTO AFFINITATIS.

§ 1.

Quid sit affinitas, et ex quo causetur?

Affinitas, secundum nominis etymologiam est idem quod confinitas, id est finium propinquitas : dicuntur enim agri affines, seu confines, quia finis unius est proximus fini alterius, et ipsum attingens : cum ergo per copulam carnalem vir et uxor fiant una caro, sanguis unius attingit alterius sanguinem, et vice versa, atque adeo consanguinei unius efficiuntur alteri affines. Itaque sicut stipes consanguinitatis est pater et mater, ita fundamentum affinitatis est copulatio mariti et uxoris : ex quibus eruitur hæc vulgata definitio.

Dico 1°[1] : Affinitas communiter definitur: Propinquitas personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela. Patet ex jam dictis, et magis explicatur.

Dicitur 1° : Ex carnali copula[2], intellige vel ex facultate tradita ad illam per matrimonium ratum, ut dicam modo. Intellige etiam copulam sive licitam, sive illicitam, ut mox etiam dicam. Intellige tandem copulam carnalem cum consanguineo, vel consanguinea illius ad quem vel ad quam contrahitur affinitas : unde bene etiam cum Navarro potest definiri affinitas : Propinquitas duarum personarum, quarum una cum consanguineo, vel consanguinea alterius habuit copulam carnalem : per quod excluditur affinitas improprie dicta causata ex alia affinitate; de quo infra.

Dicitur 2° : Omni carens parentela, quod intelligitur in sensu formali et per se, quatenus hæc propinquitas est talis ut nullam per se habeat parentelam seu consanguinitatem, licet per accidens et diversa ratione unus posset esse alteri affinis et consanguineus simul.

Dico 2° : Affinitas causatur complete ex matrimonio consummato, inchoative ex matrimonio rato non consummato.

Prob. prima pars[3] 1° Per Matrimonium consummatum vir et uxor fiunt una caro : atqui vir secundum carnem omnibus suis consanguineis attinet : ergo mulier eadem ratione attinet eisdem et vice versa.

[1] Supp. q. 55, a. 3, in a. s. c. [2] Ibid. a. 1, a. et 4, ad 2. [3] Ibid. a. 1, in a. s. c.

Notat tamen Auctor [1] quod istæ duæ necessitudines seu duo vincula differant, sicut ordo qui est in causis univocis et ille qui est in causis æquivocis; quia persona conjuncta alicui per carnis propagationem sicut filius patri, fit particeps ejusdem radicis et sanguinis: unde eamdem rem et nomen retinet, seu eodem genere vinculi colligatur consanguineis patris, quo pater conjungebatur, scilicet consanguinitate, quamvis secundum alium gradum propter majorem distantiam a radice, sed persona conjuncta per carnalem copulam, cum non fiat particeps ejusdem radicis et sanguinis, non enim uxor trahit sanguinem a marito et e contra, sed quasi extrinsecus adjuncta, non retinet idem nomen et eamdem rem cum viro, hoc est non fit consanguinea consanguineis viri, sed efficitur aliud genus vinculi, quod affinitas dicitur. Et hoc significatur isto versu:

Mutat nupta genus, sed generata gradum.

Id est, uxor nupta mutat genus attinentiæ nam consanguineos facit affines, proles autem genita non mutat genus, quia manet consanguinea, sed mutat gradum in eodem genere.

Prob. secunda pars contra scotistas, qui volunt ex matrimonio rato oriri tantum publicam honestatem. Vinculum quod oritur ex matrimonio rato, majus est et alterius rationis quam illud quod oritur ex sponsalibus: atqui non est consanguinitas, et illud quod oritur ex sponsalibus est publica honestas: ergo quod oritur ex matrimonio rato est affinitas. Patet conseq., quia inter consanguinitatem et publicam honestatem nihil mediat nisi affinitas. Prob. maj. Sponsalia non inducunt vinculum seu impedimentum nisi ratione Matrimonii: atqui matrimonium ratum verum est Matrimonium, et contractus fortior ac alterius rationis quam sponsalia: ergo.

Confirm.: Non minus vinculum nec minor propinquitas oritur ex matrimonio licito et perpetuo quam ex copula illicita, cum illud sit firmius fundamentum amicitiæ et reverentiæ quam ista: atqui ex ista oritur affinitas, ut dicemus modo: ergo ex illo.

Dices: Per matrimonium ratum et non consummatum vir et uxor non fiunt una caro: atqui, ut diximus supra, ideo ex matrimonio oritur affinitas, quia per illud vir et mulier fiunt una caro: ergo.

Resp. dist. maj. [2] Per, etc., non fiunt una caro perfecte, conc.; imperfecte, neg. Ratione enim societatis conjugalis, secundum quam matrimonium etiam naturale est, possunt dici aliquo modo una caro et principium affinitatis, saltem imperfectæ et inchoatæ, eo quod tunc tradatur mutua facultas ad carnalem copulam.

Itaque dicendum hoc vinculum quod oritur ex matrimonio rato etiam invalido, modo non ex defectu consensus, ut dicemus infra, art. 6, dirimere matrimonium contrahendum usque ad quartum gradum sicut perfectam affinitatem; nec restrictionem factam a concilio Trid., sess. 24, cap. 3, de Publica honestate, usque ad primum gradum, pertinere ad propinquitatem ortam ex matrimonio rato, ut declaravit Pius V, anno 1568, bulla *Ad Romanum spectat pontificem*. Ex quo confirmatur sententia nostra. Vide infra de impedimento publicæ honestatis.

Dico 3° [1]: Affinitas causatur ex quavis copula illicita, etiamsi involuntaria, ut in somnis aut vi habita, modo sit talis quæ ex se sufficiat ad prolis generationem.

Prob. 1° ex jure, cap. *Nec eam* 35, q. 3, cap. *Transmissæ*, cap. *Discretionem* et cap. *Tuæ*, tit. de Eo qui cognovit consanguineam uxoris, et maxime ex concilio Trid., sess. 24, cap. 4. Item ex definitione affinitatis.

Prob. 2°: Matrimonium affinitatem causat [2] non solum secundum quod est societas quædam ad communem vitam, quæ est ejus finis secundarius, sed principaliter secundum quod est quædam carnis commixtio ad generationem prolis, quæ est ejus finis primarius: atqui hoc secundum reperitur in fornicario concubitu, etsi primum desit: ergo.

Confirm. Adhærens meretrici [3] unum corpus et una caro efficitur cum illa, ut dicit Apostolus, 1 Cor. 6: atqui ex hac causa matrimonium affinitatem causat: ergo. Quæ rationes probant nedum jure positivo, sed ex natura rei affinitatem contrahi ex copula illicita contra quosdam.

Dices 1°: Conjunctio maritalis in tantum causat affinitatem, in quantum est fundamentum amicitiæ naturalis et reverentiæ, ut dictum est conclusione secunda: atqui fornicarius concubitus non fundat amicitiam naturalem, nec reverentiam, sed potius odium et indignationem inter consanguineos fornicariæ et fornicarium, et e contra: ergo.

Resp. dist. min. Fornicarius concubitus quatenus inordinatus non fundat [4], etc., conc.

[1] Ibid. o. [2] Ibid. a. 4, ad 2.

[1] Ib. ad 3, o. [2] Ibid. [3] Ib. in a. s. c. [4] Ibidem ad 1.

min ; quatenus naturalis, seu secundum se spectatus, neg. In fornicario enim concubitu est aliquid naturale quod est commune fornicationi et matrimonio ; et ex hac parte, in quantum in se est, fundat amicitiam naturalem, adeoque causat affinitatem : aliud est ibi inordinatum per quod a matrimonio dividitur, et ex hac parte non fundat amicitiam naturalem, nec ideo affinitatem causat.

Dices 2° : Leges civiles dicunt ex solis justis nuptiis oriri affinitatem : ergo. Resp. leges civiles intelligendas esse quoad delationem hæreditatis, non quoad prohibitionem matrimonii.

Dixi in conclusione : Modo copula sit talis quæ ex se sufficiat ad prolis generationem; quia alias vir et uxor non fierent unum principium generationis, seu una caro ad generationem, ex quo tamen oritur affinitas : censetur autem copula apta generationi, quando vir saltem seminavit in vase naturali. Dico : Vir saltem, quia cum D. Th., 3 p. q. 31, art. 5, censeat semen fœminæ non esse materiam de necessitate requisitam ad conceptum; plures existimant quod quando hic requirit commixtionem seminum, per semen ex parte mulieris intelligat vel semen, vel aliquid loco seminis, v. g. sanguinem : ita Sylvester verbo *Matrim.* 8, q. 15; Ledesma et Sylvius ad hunc articulum : juxta quam sententiam sufficit seminatio ex parte viri ad causandam affinitatem, de quo tamen non omnes conveniunt. Constat autem quod [1] neque ex copula sodomitica, neque ex copula naturali sine seminatione intra vas, neque ex omni alia pollutione, aut tactibus, oriatur affinitas, quia ex his non est nata per se sequi generatio; ex copula tamen completa inter steriles aut senes oriretur, quia talis, quantum est ex se, sufficit et ordinatur ad generationem.

Dico 4° : Affinitas non causat affinitatem, sed aliud genus attinentiæ. [2]

Ante [3] probationem nota secundum jus antiquum tria esse necessitudinum genera, quas pertinentias et quodam modo affinitatis genera vocabant: v. g., Maria, fratri meo matrimonio juncta, erat mihi et sorori meæ affinis in primo genere : si autem fratre meo defuncto eadem Maria nuberet Petro, ille fiebat mihi et sorori meæ affinis in secundo genere ; et si Maria defuncta Petrus duceret Annam, illa efficiebatur mihi affinis in tertio genere.

Dicebantur autem genera affinitatis, non gradus, quia non erant ejusdem speciei, solum quippe primum pertingit ad affinitatem proprie dictam, ut patebit ex probatione conclusionis. Secundum autem et tertium non tam affinitatem quam quamdam publicam honestatem inducunt, ratione cujus olim jure antiquo impediebant matrimonium, sed ex concilio Lateran., sub Innocentio III, istud jus antiquum cessavit, et solum primum genus quod est propriæ affinitatis, reservatum est ac restrictum ad quartum gradum ut consanguinitas, cap. *Non debet*, tit. de Consanguinitate et Affinit.

Prob. : [1] Secundum ordinem et processum in causis æquivocis effectus producitur specie diversus a causa, et quotiescumque ille processus iteratur, aliam speciem facit, ut ex puncto per motum procedit linea, non punctum; et ex linea, lineaiter mota non procedit linea, sed superficies, et ex superficie corpus : atqui affinitas causatur secundum ordinem et processum causæ æquivocæ : ergo affinitas non causat affinitatem, sed aliquod aliud genus attinentiæ, ut dicebamus modo. Prob. min. Persona propter maritalem copulationem consanguineo viri conjuncta non fit ipsi consanguinea, quia non participat eumdem cum ipso sanguinem; sed fit ipsi affinis, quia dum fit una caro cum marito, proxime attingit illius consanguinei sanguinem, adeoque si ille modus procedendi iteretur, non erit affinitas, sed aliud genus attinentiæ, de quo in notamine post conclusionem. Consule etiam notamen subjectum secundæ conclusioni.

Hinc colliges cum Sylvio quod consanguinei uxoris, nullam nisi cum ejus marito habeant affinitatem, et vice versa consanguinei viri nullam, nisi cum ejus uxore : inter ipsos autem mariti et uxoris consanguineos, nulla prorsus sit affinitas : ita ut nunc, jure antiquo sublato, quoad præfata duo posteriora genera affinitatis impropriæ, duo fratres possint nubere duabus sororibus, frater et soror, fratri et sorori, filius viri filiæ uxoris, pater et filius, matri et filiæ : item Titius, v. g., qui duxerat Caiam, sororem Sempronii, post mortem Sempronii ducere potest viduam ejus.

§ II.

Utrum affinitas habeat per se gradus? Quæ regula illos dignoscendi; et quousque extendatur?

Dico 1° :[2] Affinitas non habet per se gradus, sed ratione consanguinitatis.

[1] Ibid. a. 4, ad 2. [2] Ibidem a. 5, o. [3] Ibid.

[1] Ibid. [2] Ibid. a. 7, o.

Prob. :[1] Illa tantum propinquitas habet per se gradus cui carnis ejusdem propagatio per se, et immediate comparatur : atqui carnis propagatio per se tantum comparatur consanguinitati, affinitati autem ratione consanguinitatis : ergo. Patet min., quia ex carnis propagatione immediate consanguinitas contrahitur, et mediante consanguinitate affinitas. Prob. maj. Res non dividitur divisione per se, nisi ratione illius, quod competit sibi per se, seu secundum genus suum; sicut animal per se dividitur per rationale et irrationale, non autem per album et nigrum : atqui gradus attinentiæ, seu propinquitatis distinguuntur per propagationem carnis : ergo illa tantum propinquitas habet gradus per se, ad quam per se et immediate ejusdem carnis propagatio comparatur. Hinc statuitur

Regula generalis dignoscendi gradus affinitatis.

Quoto gradu consanguinitatis attinet mihi vir,[2] eo gradu affinitatis attinet mihi ejus uxor.

Igitur stipes affinitatis, ut jam diximus, sunt maritus et uxor, sicut consanguinitatis pater et mater : affines autem sunt in linea recta, qui in eadem linea sunt alteri conjugum consanguinei, ut ascendendo socer et socrus, id est pater et mater alterutrius conjugum, prosocer et prosocrus, etc., quibus respondent relative descendendo, gener et nurus, progener et pronurus, etc., item vitricus, id est maritus matris meæ post obitum patris mei, et noverca, id est uxor patris mei post obitum matris meæ, quibus respondent relative descendendo privignus et privigna. In linea collaterali sunt affines, qui uni conjugum in eadem linea sunt consanguinei, ut frater, aut soror uxoris sunt marito affines in primo gradu lineæ collateralis, et sic de cæteris proportionaliter.

Dico 2°[3] : Gradus affinitatis extenduntur, sicut gradus consanguinitatis, nunc scilicet usque ad quartum gradum.

Patet ex præcedenti conclusione : Hoc ipso enim quod gradus affinitatis sumuntur juxta gradus consanguinitatis, oportet quod tot sint gradus affinitatis, quot sunt gradus consanguinitatis ; ergo.

Notandum[4] quod quia affinitas est minus vinculum, quam consanguinitas, facilius et olim, et nunc dispensatio fiat in remotis gradibus affinitatis, quam in remotis gradibus consanguinitatis.

[1] Ibid. [2] Ibid. [3] Ibidem, a. 8, c. [4] Ibid.

§ III.

Utrum affinitas impediat et dirimat Matrimonium? Quo gradu et quo jure?

Dico 1°[1] : Affinitas præcedens impedit et dirimit matrimonium.

Est communis et certa, patebitque ex jure sequenti conclusione citando.

Rationes autem congruentes hujus impedimenti[2] sunt eædem, ac impedimenti consanguinitatis : sicut enim inest necessitas quædam habitationis, amicitiæ vinculum et reverentiæ debitum inter consanguineos, ita et inter affines : atqui his rationibus consanguinitas convenienter impedit et dirimit Matrimonium : ergo et affinitas.

Dixi : Affinitas præcedens, quia si superveniat Matrimonio, semel valide contracto, illud dirimere non potest, sed impedit eum, qui culpabiliter est causa hujus affinitatis a petendo debito, non tamen a reddendo; quod si uterque fuerit in culpa, utrumque a petendo impedit, nisi dispensationem obtineant, quæ ab episcopo concedi potest. Si vero talis affinitas causata sit citra culpam, puta per copulam, per vim, aut ignorantiam invincibilem habitam, nequidem a petendo debito impedit, quia nemo citra culpam debet privari jure quod ipsi lege naturæ competit: ita cap. *Discretionem*, de Eo qui cognovit uxoris consanguineam. De quo dictum est superius.

Dices : Qui fornicarie cognoscit mulierem, ad illam propinquius attinet quam ejus, scilicet fornicarii, consanguinei : atqui fornicarius ille non prohibetur hanc mulierem ducere : ergo nec affines.

Resp. neg. conseq. Quia ille fornicarius, neque consanguineus, neque affinis efficitur mulieri fornicariæ, sed una caro quæ non impedit vinculum, imo illud facit.

Dico 2° : Affinitas olim jure ecclesiastico impediebat, et dirimebat matrimonium contrahendum usque ad septimum gradum, cap. *Æqualiter* 35, q. 3; nunc autem a concilio Lateran. sub Innocentio III, si orta sit ex Matrimonio, sive consummato, sive non, impedit et dirimit, usque ad quartum gradum inclusive, cap. *Non debet*, 8, de Consanguinitate. Si vero proveniat ex copula illicita impedit et dirimit tantum usque ad secundum gradum

[1] Ibidem a. 6, o. [2] Ibid.

inclusive, jure novo Tridentini, sess. 24, cap. 4, ita ut in tertio et quarto gradu nedum valide, sed et licite, de quo aliqui dubitabant, Matrimonium contrahi possit, ut declaravit Pius V, anno 1588, bulla *A Romanum pontificem*.

Hæc certa sunt et communia; sed utrum aliquis gradus affinitatis jure naturæ dirimat Matrimonium? Major est opinionum diversitas. Difficultas est maxime circa primum gradum utriusque lineæ rectæ et collateralis quam duabus conclusionibus dirimemus.

Dico 3° : Matrimonium affinium in primo gradu lineæ collateralis, non est jure naturæ irritum; est nunc communis; non diffitemur tamen esse aliqualiter illicitum propter quamdam indecentiam quam videtur involvere, sed quæ accedente rationabili causa, facile potest abstergi, adeoque et Matrimonium reddi licitum. Hæc appendix probatur rationibus primæ conclusionis hujus §.

Prob. conclusio : 1° Major est propinquitas consanguinitatis in primo gradu lineæ collateralis, quam affinitatis ejusdem lineæ in eodem gradu : atqui consanguinitas in primo gradu lineæ collateralis, non dirimit jure naturæ matrimonium, ut probavimus supra : ergo nec affinitas in primo gradu utriusque lineæ.

2° Ex S. Scriptura : Genes. 29, Jacob sine urgenti causa accepit duas sorores Liam et Rachel. Deuter. 25, nedum permittitur, sed etiam præcipitur ut frater nubat uxori fratris sine prole defuncti, ut suscitet semen ejus.

3° Ex jure : Innocentius III, cap. finali, de Divortiis, permittit recenter ad fidem converso, permanere cum vidua fratris sui, quam adhuc infidelis sibi Matrimonio junxerat : ergo supponebat illud validum.

4° Ex variis summorum pontificum dispensationibus, qui cum nihil possint contra jus naturæ, recte inde concluditur talia matrimonia jure naturæ non esse invalida. Dispensavit autem Alexander VI, ut Emmanuel, rex Portugaliæ, duas sorores successive acciperet. Similem dispensationem concesserat Martinus V, ut refert S. Antoninus, 3 p. tit. 1, cap. 11; Julius II dispensavit, ut Henricus VIII, rex Angliæ, duceret Catharinam Arragoniam, fratris sui Arturi viduam, quam dispensationem Clemens VIII, consultis fere totius orbis doctoribus et academiis, legitimam esse et validam declaravit decreto quod refert Alphonsus a Castro, lib. 1, de Lege pœnali, cap. 12.

Dices 1° : Levit. 18 prohibetur matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ collateralis, tanquam aliquid turpe, his verbis : *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis* : ergo in jure naturæ contrarium. 2° Matth. 14, Joannes Baptista arguit Herodem quod haberet uxorem fratris sui, non viventis sed mortui, ut interpretatur S. Chrys., hom. 49, in Matth. 3° Innocentius III, cap. *Gaudemus*, tit. de Divortiis, significat matrimonium infidelium in primo gradu contractum esse irritum : hæc sunt præcipua quibus olim Angli contendebant Matrimonium Henrici VIII cum Catharina Arragonia esse illegitimum et dirimendum, ut ab eo solutus rex posset ducere Annam Bolenam cujus amore exardescebat. Sed facili negotio dissolvuntur. Unde

Resp. ad primum, jam diximus legem Levitici nunc christianos non obligare, nisi quoad ea quæ juris naturæ continet, pariterque diximus non omnes gradus illic prohibitos esse juris naturæ ; et quoad præsentem, prohibetur quidem ut quid turpe, id est, aliqualiter indecens sine causa, non tamen ut graviter illicitum; siquidem ut dictum est, e contra præcipiebatur, Deuteron. 25, casu quo frater sine liberis moreretur : imo ex ipso citato Levitico, dum prohibetur conjugium cum sorore uxoris, quod est in eodem gradu ac cum uxore fratris, dicitur : *Nec revelabis turpitudinem ejus, adhuc illa vivente* ; quibus verbis insinuatur prohiberi tantum vivente uxore, licere autem illa mortua.

Ad secundum, verisimilius est quod Herodis frater adhuc viveret, ut tradunt S. Hieronymus ; Beda, super Matth. ; Euseb., lib. 1; cap. 11 ; Egesippus, lib. 2, cap. 1; Josephus, lib. 18, *Antiquit.*, cap. 6, et ipsum officium divinum in festo decollationis S. Joannis Baptistæ, respons. ad 2 lect., ubi legitur : *Joannes arguebat Herodem propter Herodiadem quam tulerat fratri suo viventi uxorem.*

Insuper dato quod frater Herodis fuisset mortuus, nihilominus reprehensibilis erat Herodes, quia profitebatur legem Judaicam, qua, ut observatum est, prohibebatur ne frater duceret uxorem fratris, nisi in casu quo obiisset frater sine liberis, qui locum non habebat in Philippo, cujus erat filia ex Herodiade, scilicet puella saltatrix.

Ad tertium, Innocentius loquitur de consanguinitatis gradibus, non affinitatis.

Dico 4° : Matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ rectæ est graviter illicitum sine urgenti causa ; non videtur tamen ipso jure naturæ irritum, sive affinitas proveniat ex copula licita, sive illicita : de copula illicita omnes conveniunt ; etiam de licita, Cajetanus,

Abul., Petrus Ledesma, Henriques, Sa, Amicus, quos citat et sequitur Sanchez.

Prob. prima pars : Quia non modica videtur in tali Matrimonio indecentia, quæ nisi aliqua urgenti ratione abstergatur, ipsum reddit illicitum : ergo. Confer quæ dixi prima conclusione et art. præced. de consanguinitate.

Prob. secunda pars : 1° Non videtur major indecentia et repugnantia in matrimonio affinium primi gradus lineæ rectæ, quam in Matrimonio consanguineorum primi gradus lineæ collateralis : atqui hæc non est tanta ut ipso jure naturæ dirimat illud, ut diximus supra : ergo nec illa maj. videtur admittenda, quia licet prima indecentia excedat secundam propter superioritatem et inferioritatem, secunda tamen excedit ratione longe strictioris vinculi consanguinitatis : ergo. Sed et dato quod sit major indecentia in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, quam in primo consanguinitatis lineæ lateralis, nulla tamen ratione potest evinci esse tantam ac talem, quæ ex natura rei dirimat et irritet Matrimonium, ut patebit ex solutionibus argumentorum.

2° Concilium Agathense, can. 6 et Aurelianense 3, can. 10, prohibendo Matrimonium in primo gradu affinitatis in linea recta, simul statuunt non esse dissolvendum, si ante Baptismum contractum fuerit : ergo supponunt jure naturæ esse validum.

Dices 1° : Omnes gentes matrimonia in primo gradu affinitatis lineæ rectæ semper detestatæ sunt, ut naturæ contrariæ : unde Apost,, 1 Cor. 5, dicit : *Omnino auditur inter vos fornicatio et talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat :* ergo.

Resp. 1° : dato ant., ex eo non evinci absolute quod hujusmodi matrimonia sint jure naturæ irrita, sed bene quod sint illicita sine urgenti causa.

Resp. 2° neg. ant. Mos enim fuit apud Persas ut filius, mortuo patre, novercam duceret ; et teste Valerio Maximo, l. 5, cap. 7, rex Seleucus suam uxorem Stratonicam cessit proprio filio Antiocho, ex alia uxore genito, nec factum reprehendit Valerius. Unde ad Apostolum, dicendum quod loquatur de privigno, qui vivente adhuc patre uxorem ejus acceperat, ut docent S. Anselmus et S. Th. in hunc locum, colliguntque ex his sequentibus verbis Apostoli, 2 Cor. 7 : *Scripsi vobis, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui passus est*, etc. Vel si defunctus fuerit pater, loquitur de copula non maritali, sed fornicaria, alias, ut patet ex dictis, non potuisset Apostolus dicere : *Qualis nec inter gentes.* Alterutra solutione, venit solvendum quod opponitur ex Levit. 20 : *Qui dormierit cum noverca sua et revelaverit ignominiam patris sui, morte morientur ambo :* est enim intelligendum vel de patre adhuc vivente, vel de copula fornicaria, vel quia id est jure naturæ illicitum sine causa gravi.

Repones : D. Th., loco citato ad Cor., dicit : « Uxor patris repellitur a Matrimonio sicut persona patris vel matris » : atqui pater et mater repelluntur a Matrimonio jure naturæ : ergo.

Resp. D. Thomam paritatem facere quoad impedimentum, non quoad jus illud statuens. Verum est enim quod uxor patris repellatur a Matrimonio, sicut persona matris, sed hæc jure naturæ, ista jure ecclesiastico ; vel loquitur de Matrimonio quoad rationem illiciti tantum.

Similiter interpretaberis S. Augustinum dum dicit, l. 22, *contra Faust.*, cap. 61 : « Si vir et uxor, non duo sed una caro sunt, non aliter est nurus deputanda quam filia. »

Dices 2° : In jure cap. *Si vir* 35, q. 3, decernitur tantam deberi reverentiam uxori patris ac ipsi patri ; et cap. de Propinquis 35, q. 3, dicitur ita esse abstinendum ab affinibus sicut a consanguineis : ergo.

Resp. ista jura verificari secundum legem ecclesiasticam ; plusquam enim evidens est longe majorem reverentiam jure naturæ deberi vero parenti, quam ejus uxori, et longe strictius esse impedimentum ex consanguinitate quam ex affinitate : unde, ut dicebamus de S. Th. et S. Aug., paritas est in obligatione aut impedimento, non in jure obligante aut statuente.

Dices tandem : Summi pontifices nunquam in tali matrimonio dispensarunt : ergo.

Resp. neg. conseq. Ex argumento enim negativo nihil hic concludi potest, maxime cum non invaliditas ex natura rei, sed indecentia gravis quæ illic reperitur potuerit esse causa, cur nec pontifices dispensaverint, nec fideles dispensationem petierint : unde potest distingui ant. Nunquam dispensaverunt in tali Matrimonio quia invalido, neg. ; quia graviter indecenti, conc.

Si opponas cum P. Coninck concilium Limense et jura civilia de quibus aliunde, certo et clare non constat, ipsis opponimus concilia Agathense, Aurelianense supra citata, et etia Epaonense, can. 30.

Petes utrum manentibus personis, inter quas contracta est affinitas, ipsa desinat, si moriatur persona ratione cujus contracta est?

Resp. negative[1]. Quia causa affinitatis nunquam desinit : affinitas enim causatur non ex eo solum, quod aliqui conjungantur actu, alioquin, transacta actuali conjunctione, desinerent esse affines, sed ex hoc quod sint conjuncti, quod autem semel est conjunctum, nunquam desinit fuisse conjunctum ; ut enim communiter dicitur : quod factum est infactum fieri nequit : atqui subsistente causa affinitatis et manentibus personis inter quas contracta est non desinit affinitas : ergo. Prob min. Relatio qualis est affinitas non desinit nisi ex subtractione causæ vel subjecti : ergo.

ARTICULUS VI.

DE IMPEDIMENTO JUSTITIÆ PUBLICÆ HONESTATIS, PER QUÆSTIUNCULAS.

Petes 1° quid sit justitia publicæ honestatis[2].

Resp. quod sit propinquitas ex sponsalibus proveniens, robur trahens ex Ecclesiæ institutione propter ejus honestatem.

Dicitur : Propinquitas ex sponsalibus proveniens, quia sicut ex matrimonio ipso provenit quædam propinquitas cum consanguineis conjugis quæ dicitur affinitas, ita ex pactione ipsius matrimonii, seu sponsalibus, oritur quædam propinquitas, affinitate tamen inferior, quæ dicitur justitia publicæ honestatis.

Dicitur : Robur trahens ex Ecclesiæ institutione, ut significetur hanc propinquitatem ex natura rei non habere vim dirimendi matrimonium, sed ex solo jure ecclesiastico.

Dicitur : Propter ejus honestatem ; quibus verbis insinuatur causa cur Ecclesia statuit eam propinquitatem impedire Matrimonium: æquum est enim et honestati congruum, ut quia in sponsalibus Matrimonium inchoatur, non possit, qui cum aliqua sponsalia inivit, cum illius consanguineis Matrimonio copulari : unde cum dicitur justitia publicæ honestatis, idem valet quod justitia quæ est publica honestas.

Petes 2° ex quibus sponsalibus oriatur istud impedimentum ?

Resp.: Olim oriebatur ex omnibus sponsalibus *puris*, id est, non conditionatis in futurum, *certis*, id est cum certa et determinata persona, sive validis, sive invalidis, modo non essent invalida defectu consensu. Ita Bonifacius VIII, cap. unico de Sponsalibus in 6, ubi sic habetur : « Ex sponsalibus puris et certis, etiamsi consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis, aut alia quavis ratione sint nulla, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, oritur efficax ad impediendum et dirimendum sequentia sponsalia vel matrimonia, non ad præcedentia dissolvenda, impedimentum justitiæ publicæ honestatis. »

Nunc autem jure novo Tridentini, sess. 24, cap. 3, oritur ex omnibus et solis validis sponsalibus, non ex quomodocumque invalidis : « Justitiæ, inquit, publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta synodus prorsus tollit. »

Petes 3° quo gradu istud impedimentum dirimat Matrimonium ?

Resp.: Olim jure antiquo dirimebat usque ad quartum gradum : nunc autem, jure novo Tridentini loco citato, non excedit primum : « Ubi autem valida fuerint sponsalia », subjungit S. synodus post verba mox allata, « primum gradum non excedat. »

Hinc sequitur sponsum non posse validum Matrimonium inire cum matre aut sorore sponsæ, nec sponsam cum patre aut fratre sponsi, posse tamen cum ulterioribus consanguineis. Si ergo sponsus de facto contraheret Matrimonium cum sorore sponsæ, deberet redire ad priorem sponsam. Si autem carnaliter cognosceret secundam, neque hanc, neque priorem posset ducere ; non priorem, propter affinitatem ex copula cum secunda, neque secundam propter publicam honestatem ex sponsalibus cum prima.

Petes 4° utrum istud impedimentum duret post mortem alterutrius sponsæ aut sponsi?

Resp. affirmative : Ratio est eadem ac de affinitate, de qua art. præcedenti in resp. ad petitionem in calce articuli.

Petes 5° an etiam duret etsi sponsalia mutuo consensu, vel ex alia justa causa dissolvantur?

Resp. affirmative eadem semper ratione; sed et aperte traditur in declaratione Cardinalium sub Alexandro VII, apud Prosp. Fagnanum, in cap. *ad Audientiam* de Sponsal. et Matrim., et Tamb., cap. 9, a 7, ubi post narratum casum Alphonsi Rodriguez, qui post sponsalia contracta cum Isabella Ruiz et in hujus gravi morbo, mutuo sanoque consensu dissoluta, postea volebat contrahere cum Maria ejusdem Isabellæ sorore, sic habetur :

[1] Ibidem.2, . [2] Supp. q. 55. a. 4, o.

« Jubente Sanctissimo Domino nostro, propositum fuit in Sacra Congregatione Concilii an sponsalibus valide initio contractis, deinde mutuo consensu dissolutis, sit sublatum impedimentum justitiæ publicæ honestatis; et dubio pluries proposito et mature examinato, tandem sub die sexta Julii anno 1658, eminentissimi patres in antiqua ejusdem Congregationis sententia consentientes, censuerunt non esse sublatum. Cujus sententiæ una cum rationibus hinc inde deductis et recentibus ejusdem Congregationis in hac materia responsis facta relatione ad Sanctissimum, Sanctitas sua, die 10 ejusdem mensis prædictæ Congregationis probavit conclusionem, eamque jussit in dubium deinceps non revocari. »

Itaque corrigenda videtur opinio contraria Barbosæ, nostri Gonet et quorumdam aliorum, qui fundantur in quadam anteriori declaratione ejusdem Congregationis; de qua aliunde certo non constat.

Observanda circa constitutionem Bonifacii VIII.

Cum Bonifacius VIII in constitutione supra citata, decernat impedimentum publicæ honestatis oriri ex quibusvis sponsalibus puris et certis etsi invalidis, modo non sint invalida defectu consensus, inde colligunt communiter theologi et jurisconsulti, paucis exceptis, idem censendum esse a fortiori de impedimento vel affinitatis imperfectæ secundum nos, vel publicæ honestatis secundum alios, quod oritur ex matrimonio rato non consummato, illud scilicet causari quantumvis Matrimonium sit invalidum, modo sit purum et certum, nec sit invalidum ex defectu consensus. Et cum Pius V, bulla *Ad Romanum pontificem*, prima Julii, anno 1568, declaravit restrictionem factam a concilio Trid. circa impedimenta publicæ honestatis, procedere tantum de impedimento orto ex sponsalibus, non de illo quod oritur ex matrimonio rato, non consummato, concludunt præfati theologi, istud impedimentum ex matrimonio rato, etsi invalido, ut dictum est, adhuc nunc vigere, juxta jus antiquum Bonifacii VIII, et Matrimonium dirimere usque ad quartum gradum. Quapropter ex matrimonio contracto cum monacho, consanguineo, etc., et etiam clandestino, oritur hoc impedimentum, quia revera non est invalidum defectu consensus, sed defectu solemnitatis ab Ecclesia requisitæ. Non oritur autem ex Matrimonio ficte contracto, licet exterius præsumatur validum, et probari non possit fictio, quidquid contradicant aliqui, quia ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus : decernit autem jus sine aliqua restrictione tale impedimentum non oriri ex matrimonio invalido defectu consensus.

Cæterum adverte, neque tunc ex talibus sponsalibus, neque nunc ex tali matrimonio, ex natura rei, ullam oriri propinquitatem, sive affinitatis, sive publicæ honestatis, cum revera invalida sint, sed propinquitatem ipsam, sicut vim ejus impediendi Matrimonium, ex sola ordinatione Ecclesiæ ortum habere.

ARTICULUS VII.

DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS SPIRITUALIS, PER QUÆSTIUNCULAS.

Cognatio spiritualis est, ut jam alibi diximus, propinquitas quædam personarum jure ecclesiastico introducta ratione generationis spiritualis in Baptismo aut Confirmatione. Circa quam

Petes 1° utrum cognatio spiritualis oriatur tantum ex Baptismo et Confirmatione ?

Resp. affirmative [1]. Ita cap. finali de Cognatione spirituali in 6.

Ratio congrua [2] est quia cognatio spiritualis contrahitur per generationem spiritualem; est enim ad instar cognationis carnalis, quæ contrahitur per generationem carnalem : atqui in Baptismo est spiritualis generatio, in Confirmatione complementum ejus; non vero in aliis sacramentis : ergo. Prob. et explicatur min. ex analogia ad generationem carnalem. Duplex est carnalis generatio seu nativitas : prima in utero in quo id quod natum est primo accipit vitam et est adhuc adeo debile quod non possit extra poni sine periculo; et huic generationi seu nativitati assimilatur regeneratio per Baptismum, in quo aliquis primo regeneratur, sed quasi adhuc fovendus intra uterum Ecclesiæ; secunda est nativitas ex utero, quando id quod jam natum erat in utero, tantum roboratum est, quod potest sine periculo exponi exterioribus quæ nata sunt corrumpere, et huic assimilatur Confirmatio, per quam homo roboratus exponitur in publicum ad confessionem nominis Christi : ergo.

Petes 2° inter quos contrahatur cognatio spiritualis?

[1] Suppl. q. 56, a. 2. [2] Ibidem ad 1.

Resp. 1° [1] : Contrahitur 1° inter baptizantem et suscipientem ex una parte, et baptizatum ex altera, et dicitur *paternitas;* 2° inter baptizantem et suscipientem ex una parte, et parentes baptizati ex altera, et dicitur *compaternitas :* idem dic de Confirmatione.

Resp. 2° : Olim trahebatur ista cognatio a viro in mulierem carnaliter cognitam, et e contra, et a parentibus in filios carnales respectu filii spiritualis, et dicebatur *fraternitas;* sed nunc jure novo Tridentini, sess. 24, cap. 2, hæc sublata sunt et restricta ad terminos primæ responsionis.

Unde colliges inter patrinum et matrinam ; inter filiastrum et uxorem, aut filias patrini nullam contrahi cognationem spiritualem.

Petes 3° utrum cognatio spiritualis impediat et dirimat Matrimonium ?

Resp. : Cognatio spiritualis antecedens Matrimonium [2] illud impedit et dirimit ex statuto Ecclesiæ. Ita decernitur in jure, cap. *De eo* causa 30, q. 1, cap. *Veniens* et cap. ultimo de Cognatione spiritu, et in concilio Tridentino citato.

Ratio congrua est [3] quia sicut homo per carnis propagationem accipit esse naturæ, ita per sacramenta Baptismi et Confirmationis, ut explicatum est, accipit esse spirituale gratiæ : ergo sicut vinculum naturale quod contrahitur ex carnis propagatione impedit et dirimit Matrimonium, ita spirituale quod contrahitur ex sacramentorum susceptione, convenienter ex statuto Ecclesiæ impedit pariter et dirimit Matrimonium.

Dixi 1° in responsione : Ex statuto Ecclesiæ, quia constat, non jure naturæ, sed solo jure ecclesiastico, cognationem spiritualem esse impedimentum Matrimonii; paritas enim allata ex D. Thoma non est cogens, sed tantum conveniens ; cum rationes quibus carnalis cognatio in aliquo gradu jure naturæ dirimat Matrimonium, non militent saltem eadem vi pro cognatione spirituali : imo nec ipsa cognatio, qua talis, seu qua paternitas et compatertas, ullum habet in natura fundamentum, sicut habet cognatio carnalis, sed in solo Ecclesiæ statuto, per quod fit quod baptizans aut suscipiens patres spirituales dicuntur, eo quod per sacramentum, cui cooperantur ministerialiter, infundatur gratia quæ est vita animæ.

Nec refert quod S. Th. in o dicat hoc vinculum « esse aliquo modo naturale homini, in quantum fit membrum Ecclesiæ », tum quia non dicit absolute esse naturale, sed « aliquo modo », id est, analogice, tum quia non dicit esse naturale simpliciter, sed reduplicative, « in quantum fit membrum Ecclesiæ » : quod autem sit Ecclesiæ membrum, non est ei naturale, sed supernaturale; et ideo in definitione cognationis spiritualis, supra tradita, adjecimus « jure ecclesiastico introducta. »

Dixi 2° in responsione : Cognatio antecedens, [1] quia si subsequatur Matrimonium, vinculum ejus non dirimit, sed ejus actum ex parte impedit, nisi inducta fuerit per necessitatem aut ignorantiam inculpabilem. Itaque si unus conjugum, sciens et extra casum necessitatis, suam prolem baptizet, amittit jus petendi debitum, licet debeat reddere si petatur, quia ex culpa ejus non debet aliquod incommodum reportare compars innocens. Ita colligitur ex jure, cap. *Si vir*, de Cognatione spirituali, cap. *De eo* caus. 30, q. 1. Si autem per ignorantiam inculpabliem contingat parentem baptizare prolem suam, puta quia invincibiliter credit alienam, aut si sciens propter necessitatem tamen urgentem id faciat, licet cognationem spiritualem cum conjuge contrahat, potest tamen debitum et petere et reddere : ita in jure citato 30, q. 1, cap. *Ad limina*, et in rituali Romano Pauli V. Ratio est quia necessitas, ut caret lege, sic et a pœna legis excusatur, nec quisquam sine culpa, aut propter actum bonum, puniri debet ac privari jure acquisito.

Si quæras an idem dicendum de eo qui ante Matrimonium baptizaret in necessitate prolem alterius, ita scilicet quod posset inire Matrimonium cum matre? videtur quod sic quia, ut modo dicebamus, sine culpa et propter actum bonum, imo et necessarium, nemo debet gravamen ferre: esset autem tali homini gravamen, si Matrimonium cum tali ipsi interdiceretur.

Resp. tamen probabilius negative cum Soto et Sylvia, quia licet jura excipiant casum de usu Matrimonii, ubi jam contractum est, non tamen excipiunt casum Matrimonii contrahendi, ubi autem jura non distinguunt, nec nos distinguere debemus : unde dicendum quod talis revera contraheret cum matre cognationem spiritualem Matrimonii contrahendi impeditivam.

Ad rationem oppositam, resp. 1° quod in priori casu jus sit jam acquisitum ad debitum, non in posteriori : unde est quædam disparitas. 2° Cognatio in extrema necessitate contracta, quæ subsequens Matrimonium diri-

[1] Ibidem a. 3, 4 et 5. [2] Ibidem ad 1. [3] Ibid.

[1] Ibid.

mat, non tam ad pœnam aut gravamen, quam ad quoddam amicitiæ genus pertinet.

Petes 4° utrum et quæ conditiones requirantur, ut hæc cognatio et impedimentum ipsi annexum contrahantur?

Resp. : 1° Ex parte sacramenti requiritur et sufficit quod sit verum et validum : unde ex Baptismo, sive domi, sive in ecclesia, sive cum cæremoniis sive sine illis, sive in necessitate sive extra ministrato, contrahitur inter omnes enumeratos petitione 2 ; ex cæremoniis autem quæ fiunt in ecclesia post Baptismum domi ex necessitate valide collatum, nulla contrahitur cognatio.

2° Ex parte ministri et susceptorum requiritur quod sint baptizati, [1] quia qui est expers vitæ spiritualis, non est capax cognationis spiritualis; licet autem susceptores in Confirmatione, ex præcepto Ecclesiæ debeant etiam esse confirmati, probabile est tamen quod, hoc non obstante, contraherent etiam spiritualem cognationem, quia per Baptismum sunt capaces illius : ita Sylvius contra Coninck.

3° Debent susceptores esse designati a parentibus, vel saltem a parocho (cujus est in parentum defectum designare): unde si alii quam designati baptizatum tetigerint vel susceperint, non contrahunt cognationem spiritualem : ita concilium Trid., sess. 24, cap. 2 citato, ubi statuit « ut parochus antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis quos spectabit, sciscitetur quem vel quos elegerint ut baptizatum de sacro fonte suscipiant et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat..... Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant. » Possunt autem designari ad summum unus et una, ut declaravit ibidem concilium.

Ex quo colliges quod dum quis per procuratorem levat infantem, ipse procurator non contrahat cognationem, quia ipse non est designatus, nec proprio nomine patrini designati. Ipse autem patrinus designatus, verisimilius contrahit, quia ipse vere ut designatus officium susceptoris exercet et suscipit, quamvis per alium, actionem autem personalem ad id requiri, ut vult Soto, non satis evincitur; et ita declarasse Congregationem Cardinalium referunt Fagnanus ad cap. *Veniens*, de Cognat. spirit. et Gonet hic, num. 49, his verbis : « Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti. »

Petes 5° si plures quam unus et una designati et a parocho admissi, infantem tangant et suscipiant, quinam contrahant cognationem?

Resp. quod ii contrahant qui primus et prima tangunt et suscipiunt. Si autem omnes simul, Suares vult nullum contrahere, quia resistit Tridentinum; sed Navarrus, Molanus, Vivaldus, Cabrera, Sylvius, Henriques, etc., probabilius docent omnes contrahere, quia concilium videtur tantum prohibere talem concursum, non actum irritare; tavetque modus loquendi concilii : « Si parochi culpa, aut negligentia secus factum fuerit, arbitrio ordinarii puniatur ; » cum alioquin dicendum fuisset : Nulli contrahant. Non contraherent vero qui a parentibus designati, a parocho non admitterentur, neque qui a parocho admitterentur ultra designatos a parentibus : unde simul requiritur, et designatio parentum et acceptatio parochi : ita colligitur ex textu Tridentini; nisi in defectum parentum, parochus aliquos designaret, tunc enim illi contraherent.

Petes 6° tandem utrum requiratur quod susceptores tangant corporaliter baptizatum, tenendo, offerendo, levando, aut alio simili modo, dum actu baptizatur.

Resp. : Sylvius, 3 p. q. 67, a. 7, refert hac de re varios variarum diœcesium usus : ex quo infert sufficere quod susceptores verbo aut assistentia declarent se officium susceptoris suscipere.

Alii autem referunt declarationem Cardinalium ad sess. 24 Tridentini, impressionis Lugdunensis anno 1640, qua decernitur requiri ut compater et commater teneant eum qui baptizatur aut confirmatur, vel saltem de manibus baptizantis eum immediate suscipiant : ita ut non sufficeret, v. g., commatri, si de manibus compartis susciperet aut e contra : ita Gonet, num. 48, Sanchez, Perez, Pontius, Bonac., Gobat quos citat et sequitur Sporer, qui insuper faciunt vim in hoc quod concilium Trid. utatur semper verbis *tangendi*, *levandi*, *tenendi*, *etc.*

Unde videtur huic secundæ sententiæ adhærendum, et ad oppositam sententiam Sylvii dicendum quod usus et auctoritates quas citat, conveniant omnes quoad factum, scilicet esse tangendum, discrepare autem solum quoad tempus *tangendi*. Videsis.

Utrum autem debeant tangere dum actu baptizatur aut confirmatur? Resp. id ordinarie et convenienter observari debere, ut sic vere dicantur susceptores; non videtur tamen

[1] Ib. ad 3.

essentialiter requiri, sed sufficere quod paulo post tangant, ut declarat praxis : videtur etiam quod tactus non debeat esse necessario immediatus, sed sufficiat quod fiat mediantibus vestibus, linteo, disco, etc.

ARTICULUS VIII.

DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS LEGALIS, PER QUÆSTIUNCULAS.

Cognatio legalis est quædam propinquitas orta ex adoptione. Unde

Petes 1° quid et quotuplex sit adoptio?

Resp. 1° : [1] Adoptio recte definitur : « Extraneæ personæ in filium vel nepotem, vel deinceps legitima assumptio. »

Ad cujus intelligentiam observandum est [2] quod cum ars imitetur naturam et illius suppleat defectum in illis in quibus deficit, jus autem sit ars æqui et boni, juris conditores excogitaverunt, ut quemadmodum per generationem naturalem aliquis producitur, ita ubi natura deficeret et filios non procrearet, posset quispiam spontanea electione aliquem extraneum instar naturalis filii sibi assumere, quo filiorum deperditorum defectum suppleret et inde solatium caperet; propter quod præcipue adoptio est introducta. Unde sicut in generatione naturali est terminus ad quem, forma scilicet, quæ est finis generationis, et terminus a quo, scilicet forma contraria, seu formæ privatio, ita ut de non homine fiat homo : ita pariter in generatione legali est terminus a quo et ad quem; ita ut de non filio fiat filius, de non nepote, nepos. His notatis.,

Prob. responsio : [3] Hæc definitio constat genere et differentia, atque explicat terminum a quo et ad quem adoptionis : ergo est bona. Prob. ant. : « Assumptio » est genus, « legitima », id est juxta leges, est differentia, qua a naturali generatione discrepat. Dum dicitur « extraneæ personæ » designatur terminus a quo : et terminus ad quem cum dicitur « in filium vel nepotem » : ergo.

Porro per « extranea », non intelligitur quæ sit a genere adoptantis prorsus aliena; nam Jacob filios filii sui Joseph adoptavit Genes. 48; sed quæ sit extra potestatem adoptantis et aliena a jure ad quod assumitur.

Dicitur autem : [4] « In filium vel nepotem et deinceps », quia sicut contingit amitti filios ita et nepotes : et ideo cum adoptio sit inducta in solatium filiorum amissorum, sicut aliquis per adoptionem potest surrogari in locum filii, ita in locum nepotis et deinceps.

Resp. 2° : [1] Duplex est adoptionis species : una quæ perfecte imitatur naturalem filiationem per quam traducitur adoptatus in potestatem et familiam adoptantis ut naturalis ejus filius : proprio nomine vocatur *adrogatio*. Altera quæ imperfecte imitatur filiationem naturalem per quam adoptatus non transit in potestatem et familiam adoptantis, et communi nomine vocatur *adoptio simplex*.

Differunt autem istæ duæ adoptiones inter se, 1° quod adrogatus transeat in potestatem adrogantis, sicut filius ejus naturalis, ut dictum est, subindeque est hæres necessarius patris, quem nec pater potest privare sine culpa, legitima, scilicet quarta parte hæreditatis. Adoptatus autem simpliciter non transit omnino in potestatem adoptantis, subindeque licet sit hæres ab intestato, non tamen necessarius, nec tenetur adoptans ei aliquid de bonis suis in testamento dimittere nisi velit. Unde talis adoptio non est vera adoptio, sed magis dispositio ad perfectam adoptionem. 2° Adoptari potest qui non est sui juris, non autem adrogari. 3° Adrogatio fieri non potest nisi auctoritate principis; adoptio simplex auctoritate solius magistratus : ita in jure l. generalis ff. *de Adopt. et Instit.* § *Adoptio*.

Petes 2° quinam generaliter possint adoptari et adoptare?

Resp. : [2] Adoptari possunt tam viri quam fœminæ, sui juris tamen, si agatur de adoptione perfecta. Adoptare vero possunt : 1° soli viri regulariter, non mulieres, nisi ex speciali concessione principis; 2° ii soli qui sunt prorsus sui juris; 3° nati viginti quinque annos; [3] 4° soli naturaliter potentes ad consummationem Matrimonii; 5° octodecim annis majores adoptato. Ita in jure, de quo vide Sylvestrum verbo *Adoptio* q. 5.

Petes 3° utrum legalis cognatio impediat et dirimat Matrimonium?

Resp. : Cognatio legalis quæ provenit ex adoptione perfecta impedit et dirimit Matrimonium jure humano per Ecclesiam approbato : patet ex pluribus locis juris, cap. *Ita diligere*, cap. *Post susceptum*, cap. *Per adoptionem*, Caus. 30, q. 3, cap. unico *de Cognatione legali*, lib. 4. Decretal., ubi Nicolaus Papa dicit : « Si qua per adoptionem mihi soror esse cœperit, quandiu durat adoptio inter me et ipsam, nuptiæ consistere non possunt. »

[1] Q. 57, a. 1, o. [2] Ibid. [3] Ibid. [4] Ibidem ad 6.

[2] Ib. ad 1. [1] Ib. a. 3, ad 3. [3] Ad 4.

Rationes convenientes hujus legis, eædem sunt ac impedimenti cognationis carnalis, quæ etiam pro legali suo modo militant : inter[1] alias hanc deducit D. : Th. Lex divina illas præcipue personas a Matrimonio excludit quas necesse erat cohabitare, ne, ut rabbi Moyses dicit, si ad eas liceret uti carnali copula, facilis pateret concupiscentiæ locus ad quam reprimendam Matrimonium est ordinatum : atqui filius perfecte adoptatus conversatur in domo patris adoptantis sicut filius naturalis : ergo convenienter legibus humanis et ecclesiasticis prohibitum est inter tales Matrimonium contrahi.

Dixi : « Cognatio quæ provenit ex adoptione perfecta » : ea enim quæ provenit ex adoptione imperfecta non dirimit ; quia eædem rationes non currunt pro ea ac pro prima, nec est vera adoptio, sed potius via ad veram adoptionem, inquit S. Th. eamque esse illius mentem patet, tum ex o, tum ex resp. ad 1 et 4 a. sequentis : ita etiam censent Soto, Sylvester, Ledesma, etc., quos citat et sequitur Sylvius.

Petes 4° inter quos contrahatur cognatio legalis, seu quot sint ejus species?

Resp. : [2] Triplex est legalis cognatio. Prima quasi descendentium quæ contrahitur inter patrem adoptantem ex una parte, et ex altera filium adoptatum, filium filii adoptivi, nepotem et sic deinceps usque ad quartum gradum, verisimiliter ad instar cognationis carnalis.

Secunda quasi collateralium, quæ est inter filium adoptivum et filios seu filias naturales adoptantis.

Tertia per modum cujusdam affinitatis, quæ est inter patrem adoptantem ex una parte et uxorem filii adoptivi ex altera, et e contrario inter filium adoptatum et uxorem patris adoptantis.

Est autem inter eas cognationes differentia, quod prima et tertia perpetuo Matrimonium impediant, id est, etiam post dissolutionem adoptionis aut emancipationem adoptati. Secunda autem non, nisi quandiu persona adoptata manet in potestate patris adoptantis : unde patre mortuo vel filio aut filia emancipatis, potest contrahi Matrimonium inter filium adoptivum et filiam naturalem adoptantis et e contra : ita in juribus citatis.

[1] Ibid. [2] Ibid. a. 8, o.

ARTICULUS IX.

DE IMPEDIMENTO IMPOTENTIÆ.

Nota 1° nomine impotentiæ hic non intelligi impotentiam generandi, sed impotentiam coeundi carnaliter, usque ad consummationem copulæ : inter senes enim et steriles ad generationem ineptos validum est Matrimonium, modo sint apti ad copulam carnalem ; quia consummatio Matrimonii non consistit in actuali generatione, sed in hoc quod vir et uxor fiant una caro per commixtionem seminum.

Igitur impotentia de qua hic agitur, est defectus impediens copulam conjugalem, hoc est, seminationem in vase idoneo, et commixtionem seminum, seu eorum quæ sunt loco seminum ex parte mulieris : unde quantumvis vir vas mulieris penetret, si in eo seminare non possit, impotens censetur ; quia tunc non consummatur Matrimonium, nec fiunt una caro.

Nota 2° multiplicem distingui impotentiam : [1] alia est ex causa intrinseca et naturali, ut ex frigiditate, quæ, quia est causa frequentior, sub frigiditatis nomine comprehenditur omnis impotentia naturalis, etsi tamen possit etiam provenire ex variis aliis capitibus, puta ex nimia arctatione mulieris, ex privatione naturali membrorum, et etiam, licet rarius, ex nimio calore. Alia est ex causa extrinseca et accidentali, ut ex maleficio.

Item alia est perpetua, alia temporalis. [2] Perpetua dicitur quæ sine aut miraculo, aut peccato, aut gravi mortis periculo, tolli non potest, quamvis possit istis tolli. Temporalis e contra quæ per media artis, aut preces Ecclesiæ communes sine miraculo, peccato, aut mortis periculo tolli potest.

Tandem alia est absoluta, [3] quæ est in viro per ordinem ad omnes mulieres, vel in muliere ad omnes viros ; alia respectiva, quæ tantum constituit impotentem respectu unius determinatæ personæ, non aliarum.

Dico : [4] Omnis impotentia antecedens perpetua, sive naturalis, sive accidentalis, sive absoluta, sive respectiva inter eos inter quos subsistit, impedit et dirimit Matrimonium, jure naturali et ecclesiastico, secus si sit temporalis.

De jure ecclesiastico, quoad primam partem constat ex cap. *Quod sedem*, cap. *Fraternita-*

[1] Q. 58, a. 1, o. [2] Ibid. [3] Ib. a. 2, o. [4] Ib. tae. 12.

tis, cap. *Litteræ*, et aliis *de Frigidis et maleficiatis*.

De jure naturæ probatur : [1] Ille contractus est jure naturali nullus in quo quis se obligat ad id quod non potest dare vel facere : atqui laborans impotentia coeundi perpetua se obligat in contractu Matrimonii, ad id quod non potest dare vel facere : ergo. Maj. patet, quia nemo potest se obligare ad impossibile. Prob. min. Contractus Matrimonii consistit in hoc quod conjuges se obligent ad copulam carnalem, seu mutuo sibi debitum solvere : quia ad hoc dant sibi invicem corporis potestatem juxta illud 1 Cor. 7 : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir*. Unde materia contractus Matrimonii non est corpus tantum, sed corpus cum potentia coeundi : et ita declaravit Sixtus V, bulla *Cum frequenter* anno 1587 : ergo.

Prob. secunda pars : 1° ex cap. citato *Fraternitatis ;* 2° quia impotens ad tempus tantum potest ex nunc tradere corpus cum obligatione copulæ, ubi impotentia cessaverit ; sicut qui non potest hodie solvere, potest se obligare ad solvendum quando habebit pecunias. Notandum tamen quod si talis impotentia sit diu duratura, nec de illa compartem moneat, graviter peccet sic contrahens propter injuriam comparti irrogatam, subsistit tamen Matrimonium.

Dixi : Impotentia antecedens : quia si superveniat Matrimonio semel legitime contracto, etiamsi non consummato, illud non dirimit, tum propter ejus indissolubilitatem, ut decernitur cap. *Hi qui Matrimonium* 32, q. 7, tum etiam propter ipsius contractus naturam, qui non dissolvitur eo quod res vendita aut tradita deterioretur, modo tempore contractus, bona esset, et sufficiens.

Dices 1° : Copula carnalis non est de essentia Matrimonii : unde supra diximus pari voto continentes posse valide conjungi, ut in B. Virgine, et S. Joseph. : ergo.

Resp. [2] quod quamvis actus carnalis copulæ non sit de essentia Matrimonii, tamen potentia ad actum est de ejus essentia, quia per Matrimonium datur utrique conjugum potestas in corpus alterius respectu carnalis copulæ. Voto autem continentes, etsi sint moraliter impotentes, retinent tamen semper potentiam naturalem et physicam, quæ sufficit.

Dices 2° : Si mulier sciat virum esse frigidum, quando cum eo contrahit, verum est Matrimonium, ut admittit D. Th. hic ad 4, his verbis : « Si sciat ille cum quo contrahit hanc impotentiam, et nihilominus contrahit, ostenditur quod alium finem ex contractu quærit, et ideo contractus stat : si autem nescit, tunc contractus est nullus » : ergo frigiditas de se, et ex natura rei non tollit Matrimonium.

Resp. quod frigiditas perpetua, sive sciatur, sive non, tollat Matrimoninm ; « Quia in quolibet contractu hoc universaliter tenetur, quod ille qui est impotens (perpetuo scilicet,) ad solvendum aliquid, non reputatur idoneus ad contractum illum, quo se obligat ad ejus solutionem. » Verba sunt D. Thomæ in eadem resp. ad 4, et ita declaravit Sixtus V, bulla citata. Unde ad textum objectum, resp. cum Soto et Sylvio intelligendum esse de impotentia temporali, quæ si sciatur, quamvis non tollatur, non impedit quin sit verum conjugium : si autem ignoretur, accidere potest, quod tollat Matrimonium, quando scilicet tollit consensum, etsi regulariter id non accidat. Hanc autem esse mentem Auctoris patet ex hoc quod loquatur de impotentia comparative ad servitutem quæ tolli potest, et alias sibi in o et in eadem solutione contradiceret. Quidam respondent S. Thomam loqui de contractu amicabili societatis, non Matrimonii, sed prior explicatio magis consentanea videtur.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

Ex dictis colliges 1° eunuchos, spadones, utroque testiculo orbatos, absolute esse incapaces Matrimonii : quia sunt perpetuo impotentes : licet enim vas mulieris penetrare valeant, attamen vel non seminant, vel semen eorum non est ejusdem rationis cum prolifico. Similiter si uterque testiculus sit omnino attritus : secus vero si uno duntaxat testiculo careant.

Colliges 2° senes qui non possunt, vel membrum erigere, vel intra vas seminare, invalide contrahere. Equidem quoscumque jungit Ecclesia, sed quia supponit capaces, cum senectus ordinarie potentiam non auferat. E contra moribundos ordinarie posse valide contrahere, quia etsi vi morbi, potentia sit in eis impedita, ordinarie tamen non censetur ablata.

Colliges 3° mulieres quæ ita sunt arctæ, ut viris suis aptari non possint ad copulam, Matrimonium invalide contrahere : solam tamen impotentiam fœminæ ad seminandum multi censent non dirimere Matrimonium : quia

[1] Ib. a. 1, c. [2] Ib. ad 1.

juxta D. Thomam, semen ejus non est necessarium ad generationem : unde sufficienter fit una caro cum viro per hoc quod viri semen intra se recipit : ex quo ulterius inferunt nihil etiam officere validitati Matrimonii, si sit impotens ad retinendum virile semen, postquam semel illud intra se susceperit. Sed hoc secundum non ita videtur certum in principiis D. Thomæ, qui requirit ad consummationem Matrimonii, qua vir et mulier censentur una caro, quod fiat commixtio seminum, seu eorum quæ sunt loco seminis ex parte mulieris, ut explicuimus supra.

Petes an, si arctitudo illa mulieris possit dilatari, teneatur mulier illam dilatationem pati ?

Resp. quod si per levem incisionem possit mulier viro aptari, cum tunc impotentia non sit perpetua, adeoque stet Matrimonium, tenetur operationem pati, ut satisfaciat justitiæ debito, nisi tamen ex illa incisione sequatur Maximum incommodum, tale quale ipsam excusaret a reddendo debito : tunc enim etsi matrimonium valeret, non teneretur illam operationem admittere. At si ista mulier non possit viro suo aptari sine periculo vitæ, tunc cum non staret Matrimonium, quia censeretur perpetuo impotens, non teneretur pati incisionem : et si forte patiatur et curetur, velitque cum eodem viro commanere, debet iterari Matrimonium, utpote prius invalidum.

Colliges 4° Matrimonium impuberum (pubertas in masculis est anno decimo-quarto, in fœminis duodecimo), si ante hoc tempus sint capaces consensus Matrimonii, non esse jure naturæ irritum, etsi tunc temporis propter ætatis defectum essent copulæ incapaces ; quia talis impotentia non est perpetua. Jure ecclesiastico tamen, cap. *Tuæ nobis*, cap. *Continebatur*, cap. *De illis*, de Desponsat. impub. irritantur, nisi malitia suppleret ætatem, et quoad consensum, et quoad copulam, ut dicemus petitione 7.

Colliges 5° hermaphroditos non esse absolute impotentes : unde possunt valide contrahere Matrimonium juxta sexum qui prævalet; si autem uterque sit in ipsis æqualis, possunt et debent alterutrum eligere, et secundum illum contrahere, sed, semel facta electione, si compars moriatur, prohibentur secundum alium sexum nubere ; si tamen faciant, stat Matrimonium; quia per electionem non est sublata potentia.

Colliges 6° laborantes impotentia antecedente perpetua, ex quavis causa procedat, ubi de ea constat, statim esse separandos, utpote nullo modo conjuges ; si tamen velint cohabitare ut frater et soror, id ipsis conceditur cap. *Requisisti* 33, q. 1, modo id possint sine periculo incontinentiæ vel scandali : alioquin omnino separentur auctoritate judicis, relicta ei qui potens est libertate transvolandi ad alias nuptias, vel etiam utrique, si in ipsis sit impotentia respectiva tantum, quas si attentent ante sententiam judicis de eorum separatione, valebunt quidem, sed graviter peccabunt propter scandalum. Sed

Petes 1° quid facto opus si dubitetur an impotentia sit perpetua vel temporalis ?

Resp. [1] Ecclesiam tempus determinatum adhibuisse in quo hujus rei possit esse experimentum, scilicet triennium cap. *Laudabilem* de Frigidis ; ita quod si post triennium quo fideliter ex utraque parte dederunt operam carnali copulæ implendæ, adhibueruntque sufficienter alia media communia sive naturalia, si impotentia sit naturalis, sive supernaturalia ut preces, exorcismos, etc, si sit ex maleficio, inveniatur Matrimonium non esse consummatum, judicio Ecclesiæ dissolvitur et impotentia censetur perpetua.

Illud autem triennale spatium computatur « a tempore celebrati conjugii », cap. citato, supposito tamen quod ex tunc attentata sit copula : unde multi dicunt a die attentatæ copulæ, si enim ob infirmitatem, absentiam, aliudve impedimentum, sufficientem non adhibuissent experientiam, censent auctores posse etiam ultra triennium experiri : secus si sufficiens experimentum adhibitum sit; tunc enim non plus illis licet quam solutis.

Attamen in nonnullis Galliæ provinciis, videtur consuetudo triennalis non servari, in quibusdam quidem conceditur tantum experientia trimestris, in aliis experientia unius diei a judice præfixi, seu etiam trium vel quatuor horarum cum certis conditionibus pudibundis ; sed tam breve experimentum ipsimet doctores Galli merito improbant, ut Cabassutius, Merbesius, Natalis Alexander l. 2 de Matrim. cap. 4, a. 11 reg. 10, apud quem S. Cyprianus, Epist. 62, monet quod in exploranda puellarum virginitate « et manus obstetricum et oculus sæpe falluntur. »

Petes 2° quid si post judicium Ecclesiæ vel medicorum de perpetuitate impotentiæ et separationem factam contingat eam impotentiam tolli, quod dignosci potest maxime in impotentia naturali, si is qui erat absolute impotens perfecit copulam cum alia, aut si erat respe-

[1] Ib. a. l. o.

tive impotens, perfecit cum eadem, seu etiam cum alia similis conditionis ?

Resp. quod si sit sublata hæc impotentia per mariculum, vel per medium illicitum, vel cum vitæ periculo, recte judicatum fuit Matrimonium irritum, debentque manere separati conjuges et liberi, vel inter se de novo, vel cum aliis contrahere, quia revera erat ex se perpetua impotentia.

Si vero sublata sit per media ordinaria [1], tunc inquit S. Th., Ecclesia quæ se deceptam invenit, utpote quod judicaverit perpetuam impotentiam, quæ revera non erat perpetua, redintegrat præcedens Matrimonium, et secundum, si attentatum fuerit, dirimit, quamvis de ejus licentia factum, ita etiam cap. *Laudabilem* et cap. *Fraternitatis*, de Frigidis. Si tamen alter conjugum separatorum religionem professus fuerit, non potest redire ad compartem, et si nondum professus velit profiteri, non tenetur redire ; uxor autem potest alteri nubere ubi professus fuerit : quod si ante professionem nupserit, separanda est a secundo viro, eo quod, priore nondum professo, Matrimonium cum secundo sit nullum. Si vero vir susceperit sacrum ordinem et ab uxore repetatur, redire ad eam tenetur : si non repetatur, potest manere in ministerio, et uxor cum altero valide contrahere non potest, quia prius Matrimonium subsistit.

Petes 3° quibus signis poterit dignosci esse impotentiam ex maleficio, adeoque adhibendos esse exorcismos ?

Resp. dignosci posse si vir qui polluitur in somno, vel calidus est extra copulam, ad accessum fœminæ, etsi aliunde amabilis, totus frigescit : similiter si mulier, ad congressum viri aliunde dilecti, subito coarctetur : si conjuges qui antea se diligebant, subito reddantur sibi mutuo exosi : si omnia membra ex utraque parte sint rite disposita cum erectione et calore, et tamen coire nequeant : item variis aliis signis, quæ frigiditati naturali non competunt.

Petes 4° quibus remediis occurri possit impotentiæ ex maleficio ?

Resp. 1° adhiberi debere preces, pœnitentiam, exorcismos et similia ab Ecclesia instituta et probata, 2° posse adhiberi remedia naturalia quando maleficium habet causam naturalem; 3° non posse peti a malefico, etsi parato, ut per aliud maleficium tollat ; quia cum maleficium sit intrinsece malum, esset cooperari ejus peccato. 4° Possunt destrui signa maleficii in contemptum et detestationem dæmonis ejusque artis superstitiosæ : an autem spe et intentione cessaturi nocumenti id liceat ? Vide quæ ea de re dixi in tract. *de Religione*, dissert. 7, a. 5, § 2.

Petes 5° utrum detur impotentia naturalis perpetua respectiva.

Resp. S. Th. a. 2, o, et a. 1, ad 4, videtur sentire negative : « Dicendum, inquit loco ultimo quod non potest esse perpetuum impedimentum naturale viro respectu unius personæ et non respectu alterius. » Et cum sibi objecisset quod aliquando vir est sufficienter calidus ad cognoscendam corruptam, qui non est sufficiens ad cognoscendam virginem, ob resistentiam claustri virginalis, subjungit : « Sed si non possit implere carnale actum cum virgine et tamen possit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo instrumento possunt claustra pudoris frangi et ei conjungi : nec esset hoc contra naturam ; quia non fieret ad delectationem sed ad medicamentum. »

Attamen cum judices ecclesiastici et plures auctores sequantur sententiam oppositam, possitque accidere quod claustra pudoris frangi non possint sine periculo vitæ, aut nonnisi per miraculum quo casu tunc foret impotentia perpetua respectiva ; priora verba D. Thomæ videntur intelligenda de impotentia absolute et omnino naturali, ita ut sit absolute talis independenter ab impedimento, seu resistentia accidentali alterius ; idque non leviter innuit dum in fine ejusdem responsionis dicit quod qui foret frigidus seu impotens respectu turpis mulieris, de eo idem sit censendum ac de maleficiato, scilicet quod posset esse potens respectu alterius : unde posteriora verba de casu virginis intelligenda sunt secundum id quod ordinarie accidit, sicut dum dicit impotentiam ex maleficio esse respectivam a. 2, o, intelligit secundum quod ordinarie accidit : ordinarie enim claustrum virginale per instrumentum chirurgicum seu medicinas vasis laxativas absque vitæ periculo aut miraculo potest aperiri. Si tamen contrarium accidat, quod nihil repugnare videtur, deberet censeri perpetua impotentia respectiva : et ita tenet Soto dist. 34, q. 1, a. 2, §. *Sed ais*

Utrum autem talis virgo teneretur pati incisionem, si nullum inde sequatur grave incommodum ? Si enim sequeretur, certum est quod non teneretur, ut supra diximus de ea quæ foret nimis arcta. Resp. multos non improbabiliter opinari quod non teneretur saltem ex justitia, quia inaptitudo ad copulam non

[1] Ibid. o.

tam se tenet ex parte virginis, licet suo modo concurrat, quam ex parte viri debilioris : unde potius vir deberet ad id conari per medicamentum et cibos calidiores; ex charitate tamen teneretur si præsentiret virum in periculo incontinentiæ.

Petes 6° quid agendum in dubio utrinque æquali, an impotentia præcesserit vel subsecuta fuerit Matrimonium ?

Resp. præsumendum esse in favorem Matrimonii quod illud subsecuta fuerit, cap. finali de Sententia, et re judicata et cap. *Si quis accepit*, 33,q. 1, frequentius autem emergit dubium de impotentia ex maleficio : de naturali enim, quando copula nunquam potuit exerceri et nullis indiciis constat quando contracta sit, probabilius est quod præcesserit Matrimonium.

Petes 7° an Matrimonium ante annos pubertatis contractum sit nullum?

Resp. esse plerumque nullum, partim jure naturæ, partim jure positivo. De jure naturæ patet; quia, ante illud tempus, plerumque ratio non satis viget, ut de re tanta sufficienter deliberare possit.

De jure positivo extant cap. *Ubi*, cap. *Attestationis*, cap. *ex Litteris* de Despons. impub., et de Frigidis, cap. *Quod sedem*. Respexit autem jus tum ad rationem datam, tum quia ante illam ætatem natura non censetur ordinarie idonea ad debitum conjugale solvendum.

Dixi : Plerumque, quia si ante hanc ætatem vigor et naturæ et rationis defectum ætatis suppleat, ita ut ambo reperiantur idonei et ad consensum et ad copulam, valide contrahunt, cap. *De illis* et cap. *Tuæ* tit. de Despons. impub. Quod si forent tunc apti ad consensum, sed non ad copulam, licet attento solo jure naturæ, valide contraherent, quia adesset sufficiens consensus, et impotentia non censetur perpetua; invalide tamen ex dispositione juris positivi, quod requirit in supplementum ætatis, nedum prudentiam, sed et copulæ potentiam. Unde colliges inter infideles qui legibus Ecclesiæ non subsunt, fore in hoc casu validum Matrimonium.

Nota autem quod quando Matrimonium defectu ætatis est nullum, æquivaleat sponsalibus cap. unico de Sponsal. in 6, si tamen non sit clandestinum.

ARTICULUS X.

DE IMPEDIMENTO DISPARITATIS CULTUS.

Disparitates,[1] cultus de qua hic agitur, non est qua unus est fidelis, alter hæreticus, sed qua unus est baptizatus, alter non : cum enim Matrimonium sit sacramentum novæ legis, merito requirit paritatem quantum ad sacramentum fidei, quod est Baptismus.

Dico 1°[2] : Matrimonium fidelis cum infideli jure naturali, divino et ecclesiastico est regulariter illicitum.

Prob. Tale Matrimonium adversatur principaliori bono Matrimonii : ergo. Prob. ant. Principale bonum Matrimonii est proles ad cultum Dei educanda : atqui tale Matrimonium huic bono adversatur : ergo. Prob. min. Educatio fit communiter per patrem et matrem : atqui intentiones patris et matris in tali conjugio erunt contrariæ ad educandam prolem, cum uterque secundum fidem suam intendat prolem educare : ergo.

Confirm. Ex tali Matrimonio oritur periculum evidens subversionis partis fidelis propter mutuum amorem, familiaritatem arctissimam et continuam conversationem conjugum inter se. Item perturbatio pacis domesticæ et exercitii veræ religionis.

Hinc sicut in Veteri Testamento, Exod. 34, Deuteron. 7, Esdræ 1, cap. 9, et Esdræ 2, cap. 13, prohibentur talia conjugia, ita et in novo 2 Cor. 6, his verbis : *Nolite jugum ducere cum infidelibus;* et 1 Cor. 7 : *Cui vult nubat, tantum in Domino*, hoc est, christiano, ut interpretantur SS. Patres Hieron., Tertull., Cyprian., Aug. etc. His accesserunt decreta ecclesiastica concilii Eliberitani, can. 19, Chalced. can., 13, Aurelian. 2, can. 18, et alia apud Gratianum.

Dixi: Regulariter quia certis casibus ubi non est periculum ne fidelis aut liberi subvertantur, sed potius spes quod pars infidelis convertatur, vel aliud insigne bonum expectatur, erit licitum conjugium fidelis cum infideli, spectato jure naturæ aut divino; sic Moyses et David gentibus nupserunt, Esther Assuero, S. Cæcilia Valeriano, S. Monica Patricio ethnico, etc.

Dico 2°[4] : Disparitas cultus præcedens irritat Matrimonium, non jure naturali aut divino, sed Ecclesiastico consuetudinario.

Dixi : Præcedens ; quia si matrimonio superveniat, ut quando alter conjugum convertitur ad fidem, non per se dissolvit illud,

[1] Supp. q. 59, a. 1. ad 5. [2] Ibid. c. [3] Ibid. [4] Ibid.

sed propter aliud, ut dixi de indissolubilitate Matrimonii.

Prob. prima pars : Licet disparitas cultus aliquo modo adversetur fini Matrimonii, ut dixi in prima conclusione, non tamen absolute et omnino; possunt enim absolute ex tali Matrimonio proles nasci, et certis cautelis adhibitis, catholice educari, quamvis difficilius plerumque, quam si ambo conjuges forent fideles : ergo.

Prob. secunda pars : Nullum extat in lege tam veteri quam nova præceptum irritans tale Matrimonium : ergo.

Confir. utraque pars : multa Matrimonia tam in lege veteri quam nova, fuerunt valida inter dispares cultu, ut patet ex dictis; nec ulla legitur a Deo facta dispensatio.

Dices 1° : Deuteron. 7, 3, dicitur : *Neque sociabis cum eis* (gentilibus) *conjugia* : ergo.

Resp. illam legem et alias similes esse prohibitivas tantum non irritativas, vel, si irritativæ fuerint, cessasse in nova lege, utpote judiciales.

Inst. contra primam solutionem, quod 1 Esdræ 10, facta sit separatio uxorum alienigenarum, quæ non erant Cananeæ. Resp. illam separationem posse intelligi, non quoad vinculum, sed quoad habitationem tantum : unde vocantur *uxores*, et earum conjunctiones *matrimonia*. Secundum hanc primam solutionem intelligendus est Apostolus prima conclusione citatus.

Dices 2° : Tertulli. l. 2 *ad Uxorem*, cap. 15, ait : « Gentilium matrimonia subeuntes, stupri reos esse constat ». S. August. l. *de Adult. conjug.*, cap. 21 : « Hoc est ergo Domini præceptum, tam in veteri quam in novo testamento, ut non nisi unius religionis et fidei conjugia sibi maneant copulata ».

Resp. ad primum, intelligi debere de stupro non corporis, sed mentis, exponendo scilicet se periculo subversionis. Ad secundum, ex S. Augustino, pariter intelligit de copulatione per charitatem; ubi enim fides disjungit, charitas non conjungit : vel ita loquuntur, quia talia matrimonia sunt illicita, non quia invalida.

Prob. tertia pars conclusionis : Consensu communi totius Ecclesiæ irrita censentur matrimonia fidelium cum infidelibus : atqui non irritantur jure naturæ aut divino, ut probatum est : ergo jure ecclesiastico ; quod quidem non in aliquo generali canone legitur, sed universali consuetudine introductum et firmatum est.

Si petas quo tempore incepit hæc consuetudo ?

Resp.: Sæculo quinto post tempora S. Augustini viguit in imperio Romano ex legibus imperatorum, consentiente Ecclesia; lib. 3 Cod. Theodosiani tit. 14 de Nuptiis gentilium, l. 1, lib. 9 ejusdem Codicis, tit. 4., l. 5, quæ leges licet datæ fuerint sæculo quarto, non tamen observatæ fuerint in omnibus imperii provinciis nisi sæculo quinto, cum S. Augustinus lib. 1 *de Fide et Oper.* scribat suo tempore in Africa frequentissime celebrari hæc matrimonia et non credi peccata. Universaliter autem circa sæculum duodecinum vigebat hæc consuetudo in Ecclesia, cum ab hoc tempore omnes theologi et canonistæ communi consensu illam supponant et asserant.

Ex his colliges 1° Ecclesiam posse dispensare in hoc impedimento, ubi abest periculum subversionis.

2° Sponsalia fidelis cum infideli, si sint absoluta, esse invalida, secus si apponatur conditio de conversione futura infidelis.

3° Matrimonium contractum inter fidelem et infidelem, si infidelis postea convertatur, non convalescere, quia ab initio fuit nullum.

4° Matrimonium cathecumeni cum baptizato esse etiam nullum, saltem nunc; quia licet interius fidem habeat, non est tamen baptizatus; qua ratione venit intelligendus in præsenti sub nomine infidelis. Dixi Saltem nunc, quia videtur quod olim tale Matrimonium fuerit et licitum et validum, eo quod diu differretur Baptisma.

Petes 1° quid sit censendum de matrimoniis catholicorum cum hæreticis ?

Resp. esse prohibita jure naturæ propter periculum perversionis partis fidelis et liberorum, ut diximus de Matrimoniis cum infidelibus, jure divino ad Tit. 3, et Epist. 2 Joan., ubi jubetur devitari hæreticus, et jure ecclesiastico, can. 13 concilii Chalced., 31 Laodiceni apud Gratianum], causa 28, q. 1.

Sunt tamen valida, quia nullo jure irritantur : non jure naturæ aut divino, ut patet ex dictis de matrimoniis cum infidelibus : neque jure ecclesiastico; quia nullum potest assignari irritans, sed tantum prohibens. Vide infra, de Clandestinitate, decretum Benedicti XIV.

Petes 2° quare Ecclesia potius irritaverit Matrimonium inter fidelem et non baptizatum, quam inter fidelem et hæreticum ?

Resp. plures posse afferri rationes : prima est quia quando uterque est baptizatus, non

est proprie disparitas cultus, quantum ad professionem christianismi, et pars hæretica non est soluta ab obligatione religionem catholicam profitendi; secunda, quia Matrimonium inter fidelem et hæreticum potest deferri ad tribunal Ecclesiæ, a quo non eximitur hæreticus; secus autem inter fidelem et non baptizatum; tertia quia hæreticus computatur inter christianos, adeoque conveniens est ut permittatur esse susceptivus sacramentorum Christi.

De validitate Matrimonii inter ipsos infideles et de ejus dissolutione, casu quo una pars convertatur ad fidem, dixi superius, dum de indissolubilitate Matrimonii.

ARTICULUS XI.

DE IMPEDIMENTO CRIMINIS.

Docet S. Th. hic a. 1[1], non licere marito occidere uxorem in adulterio deprehensam, quia nulli licet occidere aliquem propria auctoritate. Quod autem leges civiles videantur id permittere, respondet his legibus Ecclesiam non astringi, et insuper has leges non simpliciter permittere talem occisionem, quasi præcipientes aut prohibentes, sed quasi pœnam homicidii non infligentes, hoc est, permittere, non ut fiat, sed ut impunitum maneat, si fiat, propter justissimum mariti dolorem dissimulantes.

Art. 2[2], docet uxoricidium impedire tantum Matrimonium contrahendum, quando vir propter adulterium, aut odium occidit mulierem; dirimere autem contractum, si occidat, ut ducat eam cum qua mœchatur : et hoc est quod dicitur impedimentum criminis, sed certis adhibitis conditionibus : unde

Dico : Crimen quod est, vel adulterium tantum, vel homicidium tantum, vel utrumque simul, positis certis conditionibus jam assignandis, dirimit Matrimonium jure positivo.

Prob. assignando conditiones et loca juris.

1° Adulterium tantum tunc dirimit Matrimonium inter adulteros, quando conjungitur moraliter cum promissione contrahendi inter se, defuncta propria comparte, aut cum contractu per verba de præsenti, quamvis irrito : ita cap. *Relatum* 3, q. 1. et cap. *Cum haberet*, cap. *Finali*, tit. *de Eo qui duxit*, adeo ut adulterium nudum sine promissione contrahendi, sive contractus sine adulterio, non dirimat Matrimonium : quia secundum jura ista duo debent conjungi, adulterium et fides. Nihil refert autem, an fides præcedat, vel subsequatur adulterium, modo si præcesserit non fuerit revocata : si autem subsecuta fuerit et revocetur, nihilominus dirimit, quia sufficit, ut simul et semel adulterium et fides conjungantur. Intelligitur autem promissio facta et acceptata; item facta, vivente conjuge, et cum scientia Matrimonii existentis.

2° Homicidium tantum tunc dirimit Matrimonium, quando vir aut mulier, ex mutuo tamen consensu, seu, ut dicitur, cum machinatione, occidit suum vel suam, aut alterius consentientis conjugem, cum intentione Matrimonii inter se post mortem conjugis contrahendi. Ita cap. *Laudabilem* de Convers. infidel., cap. *Si quis vivente* 31, q. 1, ubi quamvis fiat tantum mentio viri occidentis mulierem, perinde est tamen si mulier occidat virum, ut tradunt omnes theologi. Item perinde est sive physice, sive moraliter, sive per se, sive per alium occidat, modo effectus sequatur.

Dicitur 1° : Ex mutuo consensu, seu cum machinatione : ita colligunt theologi communiter ex cap. citato *Laudabilem*. Unde si unus occidat, altero nullatenus sive consilio, sive mandato, sive auxilio, aut alio quovis modo concurrente ad mortem, non contrahitur impedimentum : neque etiam si sit tantum occisionis ratihabitio.

Dicitur : Cum intentione contrahendi inter se Matrimonii : quia intentio et finis legis est per hanc pœnam et impedimentum, impedire ne quis, cupiditate alieni matrimonii, occidat propriam vel alterius conjugem. Ita communius theologi, Navarrus, Sanchez, Layman, Pontius, Peres quos citat et sequitur Sporer, Henno et alii contra Sylvium hic. Unde si ex odio, vindicta, aut alio fine quam Matrimonii inter se contrahendi, aliqui etiam cum machinatione occiderent alterius compartem, non incurrerent impedimentum; imo nec si occiderent cum intentione contrahendi Matrimonii, sed cum altera, quam cum complice, ut docent Coninck, Layman et alii.

Non requiritur tamen pactum, seu fides de contrahendo, cap. *Super hoc*, tit. *de Eo qui duxit*, sed sufficit quod uterque habeat animum contrahendi inter se, etiamsi, saltem secundum aliquos, non mutuo sibi innotescat. In foro autem Ecclesiæ semper præsumitur talis animus, ubi constat de machinatione.

3° Adulterium simul cum homicidio tunc impedit et dirimit Matrimonium, quando

[1] Suppl. q. 60, a. 1. [2] Ib. a. 2.

adulter, vel adultera occidit suam vel alterius conjugem, etiam sine mutuo consensu, aut machinatione, modo tamen occidens habeat animum contrahendi cum adultera, ut dictum est in præcedenti casu ex fine legis.

Hæc itaque tria crimina Matrimonium dirimentia, his paucis verbis comprehendo : 1° adulterium cum fide. 2° homicidium cum machinatione et animo contrahendi; 3° homicidium cum adulterio et intentione contrahendi sine machinatione.

Observandum vero hoc impedimentum dirimere Matrimonium contrahendum inter ipsos criminosos tantum, non cum aliis.

ARTICULUS XII.

DE IMPEDIMENTO CLANDESTINAITTIS

§ I.

Utrum matrimonia clandestina fuerint olim, et sint etiam nunc valida?

Jure antiquo Matrimonium illud consebatur clandestinum, quod non poterat probari testibus, cap.

Quod nobis, et cap. *Cum inhibitio*, tit. de Clandestina desponsatione : jure autem novo concilii Tridentini, illud Matrimonum proprie est clandestinum, quod contrahitur absque præsentia parochi, vel alterius sacerdotis de ejus licentia, et duorum testium. Quod autem fit absque bannis seu denuntiationibus, non censetur clandestinum proprie.

Suppono matrimonia clandestina semper fuisse ab Ecclesia prohibita, adeoque semper illicita inter christianos, ut patet ex Innocentio III, cap. 3, *de Clandest. desponsat.*, et concilio Trid., sess. 24. in Decreto Reformat. Matrim., cap. 1, ubi dicit: « Sancta Dei Ecclesia, ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit ».

Rationes autem hujus prohibitionis erant gravissima inconvenientia ex clandestinis matrimoniis obvenientia. Qui enim sic clandestine contraxerant, relicta priore uxore, cum alia palam contrahebant, vel priore invita, vel utroque sibi remittente fidem prius imprudenter et stulte datam. Et insuper si relicta secunda uxore ad primam redire vellent, compellebantur a judice ecclesiastico, qui non judicat de occultis, manere cum secunda, cum qua tamen non subsistebat Matrimonium. Insuper inibant Matrimonium, quasi esset nudus contractus civilis, sine reverentia et cæremoniis Ecclesiæ, qualiter decet suscipi sacramentum, etc.

Assignat tamen Sylvius quosdam casus, in quibus licitum erat contrahere clandestine, ut si gravis quædam necessitas ad id cogeret: unde concludit matrimonia clandestina non esse per se mala sicut fornicationem : licet tamen, ut dicit D. Th. ad 3, habeant ex se speciem turpidutinis. Quæstio est ergo utrum fuerint, et sint valida?

Dico [1] : Matrimonia clandestina ex natura rei sunt valida, nec unquam jure ecclesiastico invalida fuerunt ante Tridentinum: jure autem novo Tridentini absolute irritantur.

Prob. prima pars [2] : Quandocumque ponuntur essentialia alicujus contractus, aut sacramenti, utrumque est validum, etiamsi omittantur solemnitates accidentales : atqui in matrimonio clandestino ponuntur omnia essentialia ex natura rei ad contractum matrimonialem, et ad esse sacramenti : ergo. Prob. min : Essentialia contractui matrimoniali ex natura rei, et seclusa Ecclesiæ dispositione est consensus mutuus per verba de præsenti inter legitimas personas, sive in publico, sive in occulto fiat: essentialia Matrimonii, ut est sacramentum, sunt materia debita, scilicet legitimæ personæ ad contrahendum, et debita forma, scilicet verba de præsenti consensum exprimentia : atqui hæc omnia ponuntur in matrimonio clandestino : ergo.

Secunda pars patet ex hoc quod nulla decreta extent ante Tridentinum irritantia matrimonia clandestina : unde Trid. Ses., 24, *de Reformat. Matrim.*, cap. 1, ait « non esse dubitandum clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde jure damnandi sunt illi, ut eos sancta synodus, anathemate damnat, qui ea rata et vera esse negant. » Quibus verbis satis insinuat concilium, Ecclesiam nunquam irritasse matrimonia clandestina.

Insuper si fuisset talis lex ab Ecclesia, illius procul dubio meminisset concilium et declarasset se eam renovare, sicut paulo ante fecerat de decreto concilii Lateran. quoad proclamationes præmittendas. Idque eo verius est, quod essent in concilio plures patres et doctores qui dubitabant an Ecclesia posset irritare matrimonia clandestina.

Quod opponi potest ex decreto Evaristi, cap.

[1] Supp. q. 45. a. 5. o. et in resp. ad arg. [2] Ibid. o et in a. s. c.

Aliter 30, q. 5, et concil. Colon. dissolvimus supra, dum de Matrimonio sine consensu parentum inito.

Si insuper urgeas quod Clemens, vel, ut alii volunt, Cælestinus III, cap. *Videtur* 35, q. 6, dicat conjugium quod contra ordinem Ecclesiæ factum est, esse irritum.

Resp. pontificem loqui de casu particulari, quo post sponsalia et copulam subsecutam, contrahitur cum alia : et respondet secundum Matrimonium esse nullum ; quia juxta cap. *Is qui*, tit. de Sponsalibus, sponsalia cum priori præsumebantur tunc per copulam transire in Matrimonium.

Prob. tertia pars ex concilio Trid. sess. 24 citata, cap. 1, his verbis : « Qui aliter quam præsente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit et annullat. » Concilium autem id potuisse statuere patet ; tum quia Ecclesia errare non potest in definiendis rebus ad fidem vel mores salutares pertinentibus; tum etiam quia ex perpetuo usu et pluribus ejusdem concilii canonibus, constat eam posse statuere impedimenta Matrimonium dirimentia ut dixi supra et patebit ex solutionibus objectionum. Sic autem statuit concilium, quia advertebat præcedentes hac de re inhibitiones propter hominum inobedientiam, non prodesse ; nec aliter occurri posse malis ex clandestinitate provenientibus.

Dices 1° : Matrimonia clandestina valida sunt jure naturæ : atqui Ecclesia nihil potest contra jus naturæ : ergo.

Resp. 1° dist. maj. Matrimonia clandestina valida sunt jure naturæ permittente, conc. maj.; præcipiente, neg. maj. Hoc sensu igitur dicuntur valida matrimonia clandestina jure naturæ, non quod jus naturæ præcipiat sic contrahi et sic esse valida, sed quod ea sic contracta non faciat irrita, quin potius sinit esse valida. Quod autem jus naturæ non irritat, potest per legem aliquam positivam irritari ; sic contractus prodigorum et pupillorum et alii, licet stando in jure naturæ sint validi, per leges tamen civiles irritantur.

Resp. 2° clarius : Matrimonia clandestina jure naturæ sunt valida, si contrahantur inter personas legitimas et habiles, conc.; si inter illegitimas et inhabiles, neg. Illegitimæ autem et inhabiles sunt ex decreto Tridentini, qui attentant contrahere clandestine : nec minus id potuit statuere Ecclesia, quam possit legislator civilis reddere aliquem inhabilem ad vendendum vel emendum, qui tamen seclusa lege foret habilis : cum enim Ecclesia sit respublica bene ordinata, debuit in ea esse potestas ad regulandos contractus sacramentales suorum subditorum, atque adeo potuit statuere quasdam conditiones, sine quibus aut contrahentes forent inhabiles, aut ipsi contractus essent nulli.

Dices 2° : Ecclesia non potest mutare materiam et formam sacramentorum : atqui consensus clandestinus ante Tridentinum erat materia et forma sufficiens Matrimonii : ergo non potuit efficere, ut non esset amplius materia et forma sufficiens.

Resp. dist. min. Consensus clandestinus legitimus seu inter personas habiles et legitimas erat ante Tridentinum materia et forma sufficiens Matrimonii, conc. min.; consensus illegitimus seu inter personas illegitimas et inhabiles, neg. min. Unde eadem materia et forma substantialis Matrimonii quæ erat ante Tridentinum, immutata manet post illud, scilicet consensus legitimus et contractus validus : adeoque concilium nihil immutavit circa essentialia sacramenti, sed tantum fecit quod contractus qui antea erat legitimus, nunc non sit amplius legitimus ; et hoc dupliciter : 1° indirecte et mediate reddendo personas inhabiles ad contrahendum clandestine ; 2° directe et immediate cassando et irritando consensum et contractum clandestinum, in quo non mutavit materiam et formam sacramenti formaliter sumptas, (nam est semper sicut fuit, contractus validus seu consensus legitimus,) sed tantum materialiter, faciendo scilicet quod id quod erat consensus legitimus et contractus validus jam non sit legitimus et validus ; adeoque non elevabilis ad esse sacramenti : Christus enim non elevavit qualemcumque contractum matrimonialem ad esse sacramenti, sed tantum eum qui esset validus et legitimus, hoc est, inter personas baptizatas et legitimas initus, sive impedimentum dirimens non habentes. Sicut igitur qui ex aqua cerevisiam faceret, aut ex vino acetum, non ideo mutaret materiam Baptismi aut Eucharistiæ formaliter sumptam, quamvis faceret ut id quod prius erat materia illorum sacramentorum, jam non sit res quæ sit eorum materia. Ita similiter qui contractum prius legitimum efficit illegitimum, aut personam prius habilem reddit inhabilem, non mutat materiam sacramenti

Matrimonii formaliter sumptam, quia semper remanet quod sit consensus legitimus, sed tantum materialiter, in quantum facit quod res quæ erat materia, jam non sit res quæ sit materia, quia eam rem in aliam immutavit: mutaret autem formaliter, si faceret, ut quod prius erat materia, manens immutatum, desineret esse materia, v. g., aqua manens aqua, consensus legitimus manens legitimus non sint materia Baptismi vel Matrimonii, quod non fecit Ecclesia : ita argumentabatur Camillus Campegius, dominicanus, in concilio Trid., cui annuerunt cæteri patres.

§ II.

Variæ difficultates circa matrimonia clandestina et præfatum Tridentini decretum resolvuntur.

Petes 1° quis et qualis sit parochus in præsenti materia?

Resp. 1° : Nomine parochi hic intelligitur omnis qui habet jurisdictionem ordinariam in contrahentes, qualem habet papa in tota Ecclesia, episcopus et ejus vicarius generalis, in sua diœcesi, archiepiscopus in tota provincia dum actu visitat, curatus in parochia, etc.

Resp. 2° : Non est opus ad valorem Matrimonii quod parochus sit sacerdos ; ita declaravit S. Congreg. Concilii, anno 1595, approbante Clemente VIII, ut videre est apud Dianam, p. 11, tract. 3, resol. 32. Unde quando concilium dicit : Præsente parocho, vel alio sacerdote, facit hunc sensum, « vel alio, qui sit sacerdos, » nihil determinando, an parochus debeat esse sacerdos : ita saltem communior sententia, quamvis opposita sit in praxi tutior.

Resp. 3° : Nihil refert ad valorem sacramenti, an parochus sit excommunicatus, irregularis, suspensus, aut interdictus, sive ipse assistat, sive alteri sacerdoti committat ; quia non est ibi actus jurisdictionis, sed meræ præsentiæ. Ita declaravit S. Congregatio tempore cardinalis Matthæi, re diligenter examinata, apud Fagnanum in cap. *Litteræ quas* de Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ. Secus autem si parochus esset publicus hæreticus in loco ubi Tridentinum est promulgatum, quia hoc ipso privatur beneficio et desinit esse parochus : similiter si sit parochus intrusus sine titulo colorato.

Resp. 4° : Ad valorem Matrimonii sufficit præsentia unius parochi, etsi contrahentes sint diversæ parochiæ : quia Tridentinum requirit præsentiam parochi, non parochorum. Usus quidem invaluit ut adhibeatur ille in cujus parochia celebratur Matrimonium; sed et alium sufficere declaravit S. Congregatio Concilii apud Fagnanum in cap. *Quod nobis* de Clandest. desponsat.

Imo etiamsi Matrimonium contraheretur extra parochiam utriusque contrahentis, et quidem in alia diœcesi, valide tamen conjungeret alterutrius parochus : quia non est actus jurisdictionis saltem contentiosæ: illicite tamen ageret, si aut publice et cum strepitu, aut invito parocho loci procederet : quia prohibitum est exercere ea quæ solemnitatem requirunt in alieno territorio.

Resp. 5° : Proprius parochus in hac materia, non est tantum ille qui est proprius loci ubi contrahentes habent fixum domicilium, aut quasi domicilium, hoc est, habitationem per majorem anni partem, sed etiam ille qui est proprius loci in quo habent simplicem habitationem quamvis non intendant diu ibi habitare, modo tamen non sint ibi solius recreationis causa, vel ad ruralia exercenda, vel alia brevi causa, statim ad suum domicilium reversuri. Ita declarasse Congregationem Concilii refert Fagnanus in cap. *Significavit* de Parochis et alienis parochianis, n. 30, his verbis : « Cum vir et mulier Trajectensis timentes impedimentum a parentibus ad vicinam urbem Aquisgranensem se contulissent, et ibi aliquandiu morati, matrimonium contraxissent, S. Congregatio consulta super validitate censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgrani manserunt; quod si fuerit saltem unius mensis dandam esse decisionem pro validitate, alias de novo referendum in Congregationem » [1].

Hinc, studentes in aliqua universitate, tyrones opificiorum, famuli, mercatores in emporiis, milites præsidiarii, et ii qui causa belli, aut pestis habitationem mutant, valide contrahunt coram parocho illius loci in quo habitant, nec est necesse, ut majore parte anni habitaverint, sed statim ac habitare incipiunt, efficiuntur parochiani, non minus quoad Ma-

[1] Notandum est pro Gallia, ubi ex jure civili distinguitur *domicilium juris*, (nempe domicilium parentum, quandiu nubens est minor) et *domicilium facti*, ubi habitat nubens, domicilium illud, *juris* dictum, in jure canonico nunquam intendi. Unde parochus domicilii facti solus potest assistere Matrimonio etiam minorum. Excipiendus est casus, juxta Bened. XIV, in quo ageretur de famulis aut studentibus, qui possunt nubere coram parocho domicilii parentum.

trimonium, quam quoad alia sacramenta suscipienda. Ita Sylvius post Sylvestrum, Sanchez, Angelum, Sa. Item Henricus a S. Ignatio. Qui vero duplicem habent parochiam habitationis, possunt coram alterutro contrahere, quamvis tamen sit consultius et tutius assumere parochum illius loci in quo habitant tempore Matrimonii.

Resp. 6° : Vagabundorum, qui certas sedes non habent, proprius parochus est ille istius loci in quo se reperiunt, et ubi confessionis et Eucharistiæ sacramenta possunt recipere : quia nullus est alius eorum proprius parochus.

Verum concilium Trid., ut obviaret inconvenientibus, quæ ex talibus matrimoniis vagorum evenire solent, præcipit, sess. 24, cap. 7, ne matrimoniis illorum intersint parochi, nisi, post inquisitionem diligenter factam, obtinuerint licentiam ab ordinario. Si tamen de facto assisterent absque tali licentia, quamvis peccarent, Matrimonium valeret, quia lex concilii est prohibens, non irritans, et illi sacerdotes sunt tam parochi illorum vagorum, quam episcopus sit eorum ordinarius. Ita Sylvius cum Ledesma, Henriques et Sanchez.

Resp. 7° : Quando parochus dat alteri licentiam assistendi, talis licentia debet esse exterius et prius concessa, nec sufficit ratihabitio. Insuper delegatus debet esse sacerdos. Item debet eam acceptasse per se vel per alium.

Petes 2° quæ et qualis præsentia, tam parochi, quam testium requiratur.

Resp. 1° non sufficere naturalem, quomodo bestiæ possunt esse præsentes, sed necessaria est humana et moralis, qua scilicet non tantum adsint corpore, sed etiam sciant, et advertant quid agatur : quia ideo a concilio requiruntur, ut possint de contractu testificari. Et insuper parochus requiritur, ut repræsentans personam Ecclesiæ, ut sic possit dici Matrimonium contractum in facie Ecclesiæ : facies autem Ecclesiæ non aliud est quam ipsius Ecclesiæ per parochum repræsentatæ conspectus, contractum fieri intelligentis et advertentis, cap. *Quod nobis*, de Clandest. desponsat.

Hinc Matrimonium contractum coram parocho, aut testibus amentibus, ebriis, dormientibus, non esset validum. Idem videtur tutius dicendum, si quidem possent advertere et intelligere, per affectationem tamen revera non intelligerent, puta quia obstruerent aures, clauderent oculos; quia tunc non valerent testificari de validitate contractus. Equidem Fagnanus refert declarationem Cardinalium contrariam, sed non constat, ut dicunt alii, esse instructam conditionibus ab Urbano VIII requisitis, ut fidem faciat.

Resp. 2° : Sufficit præsentia testium et parochi, etiamsi vi, metu, dolo, astutia, v. g. sub alio prætextu vocatorum, quantumvis reniterentur, aut affectarent non videre aut intelligere, modo tamen intelligant, ut dicebamus modo; quia tunc est Matrimonium vere contractum coram parocho et testibus, qui possunt illud certificare. Idem dicendum si casu fortuito adessent, v. g., transeundo, convivando, celebrando, aut aliquid aliud agendo, modo tamen contrahentes utantur ea præsentia in hunc finem; alias enim si non attendentes ad parochum et testes præsentes contraxissent, licet illi casu, puta transeundo, contractum observassent, non valeret Matrimonium : quia debent formaliter adhiberi ad hunc finem, ut declaravit S. Congregatio Card. conc. Trid., anno 1591, 29 Aug.

Censetur autem adhiberi formaliter in hunc finem, quando coram ipsis, etsi fortuito præsentibus, aut alia de causa suppositiitia vocatis; contrahentes intendunt coram ipsis verba serio proferre, et contractum inire : et sic intelligi debet declaratio Congregationis apud Fagnanum, quæ posset huic resolutioni opponi eo quod dicat non sufficere, si per accidens tantum esset præsens parochus, puta causa convivandi, confabulandi, etc. Non enim censentur adhibiti, et præsentes per accidens, sed formaliter in finem debitum, quando contrahentes intendunt coram ipsis contrahere.

Petes 3° quales esse debeant testes?

Resp. non esse necessarium, ut illi testes sint omni exceptione majores, sive ut habeant qualitates jure in aliis negotiis requisitas, sed sufficere quoscumque qui possint intelligere et intelligant, quid contrahentes dicant et faciant : unde adhiberi possunt consanguinei, fœminæ, impuberes, amici, infideles, infames, excommunicati, boni et mali. Ratio est 1° quia licet concilium potuerit requirere testes omni exceptione majores, non tamen requisivit, ut patet ex textu, et testatur quotidiana praxis; 2° quia alias ob testium qualitates, matrimonia forent magis ambigua, quam ante Tridentinum, et infinitæ lites circa illa moverentur.

Petes 4° an aliquibus casibus valeant matrimonia clandestina, et quibus? Resp. 1° Matrimonia contracta in locis ubi non fuit promulgatum decretum concilii Trid. ab incolis

illarum religionum, sunt certo valida. Patet quia concilium, sess. 24, cap. 1, « decernit ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis in eadem parochia factæ, enumerandos. » Ergo ante illud tempus non habet robur, etc.

Resp. 2° : Incolæ locorum ubi viget, et publicatum fuit decretum concilii valide contrahunt clandestine in iis locis, ubi non fuit promulgatum, si revera in eis habitent, quamvis in fraudem : quia per habitationem eximuntur a legibus suæ patriæ, et subduntur legibus locorum, in quibus sunt : et ita declarasse Urbanum VIII, anno 1627, 14 Augusti, refert Manigart cum ejus bulla, in sua Praxi pastorali, p. 2. cap. 4.

Neque obstat quod fraus nemini patrocinetur. Non enim eis fraus patrocinatur, quoad validitatem Matrimonii, sed ipsa eorum conditio seu habitatio qua fit, ut potiantur juribus talis loci, in quo habitant ; fraudulenter quidem egerunt eo fine mutantes habitationem, sed non ideo postea irritum est, quod agunt, quando illic vere habitant, et talis ecclesiæ sunt parochiani.

Resp. 3° : Imo probabilius videtur mere peregrinos et transeuntes in præfatis locis valide contrahere clandestine, excepta tamen pro illis fraude et dolo.

Ratio est quia peregrini possunt se conformare legibus locorum per quæ transeunt, nec legibus suæ patriæ, v. g., festorum, jejuniorum tenentur, idque sive juris interpretatione, sive tacito consensu legislatorum. Et certe numquid tenentur legibus loci in quo sunt, v. g., jejuniorum, festorum, imo et solemnitatis Matrimonii, si illic vigeret ? congruum ergo videtur, ut eximantur a legibus loci, in quo non sunt ; juxta illud : Qui sentit incommodum, sentiat et commodum : ita noster Gonet post Pontium, Sanchez et alios ; item Henno. Nec argumenta quæ in contrarium affert Sylvius videntur convincere.

Dixi : Excepta fraude ; quia cum tales, non jure quodam per habitationem acquisito, sicut præcedentes, sed tacito consensu superiorum potiantur privilegiis locorum in quibus sunt, æquum non est, nec verisimile legislatorem sua benignitate et consensu dolosis et fallentibus annuere et patrocinari. Et quidem hac in re suam Ecclesia mentem aperuit, dum Cardinales Tridentini Interpretes a Ferdinando Leodiensi episcopo consulti responderunt Matrimonium in nostro casu, supposita fraude, nullum esse, quod confirmavit Urbanus VIII, præfata bulla citata apud Manigart et Henricum a S. Ignatio, n. 346.

Resp. 4° : Si duo contrahentes sint diversarum parochiarum, in quarum una fuit publicatum decretum concilii, et non in altera, valet Matrimonium clandestinum, si fuerit celebratum in parochia in qua decretum non fuerit promulgatum. Ita censet Gonet citans declarationem Cardinalium, n. 67, et Henricus a S. Ignatio. Ratio est quia contractus, quoad valorem, sequitur leges loci in quo celebratur: cap. finali, de Foro competenti.

Resp. 5° : Matrimonium clandestine contractum ab infidelibus non baptizatis, etiam in locis ubi viget decretum concilii, validum est, quia est lex ecclesiastica cui non subjiciuntur infideles.

Specialis difficultas de matrimoniis in Hollandia celebratis.

Utrum matrimonia in fœderatis Belgii provinciis, in quibus publicatum fuit Tridentini decretum per Margaritam Parmensem, de mandato Philippi II, contracta, non servata concilii Tridentini forma, sint valida ?

Difficultatem hanc diu inter theologos controversam ad instantiam illustrissimi ac multis mihi titulis colendissimi Guillielmi Delvaux, Episcopi Iprensis, diremit tandem sanctissimus ac sapientissimus Pontifex hodiernus Benedictus XIV, constitutione quæ incipit *Matrimonia*, data 4 Novembris 1741, in qua sic statuit ac definit :

« Primo scilicet quod attinet ad matrimonia ab hæreticis inter se in locis fœderatorum ordinum dominio subjectis, celebrata, non servata forma per Tridentinum præscripta, licet Sanctitas Sua non ignoret, alias in casibus quibusdam particularibus, et attentis tunc expositis circumstantiis, Sacram Congregationem Concilii pro eorum invaliditate respondisse, æque tamen compertum habens nihil adhuc generatim, et universe super ejusmodi matrimoniis fuisse ab Apostolica Sede definitum, et alioquin oportere omnino ad consulendum universis fidelibus in iis locis degentibus, et plura avertenda gravissima incommoda, quid generaliter de hisce matrimoniis sentiendum sit, declarare : negotio mature perpenso, omnibusque rationum momentis hinc inde sedulo libratis, declaravit (Sua Sanctitas) statuitque : matrimonia in dictis fœderatis Belgii provinciis inter hæreticos usque modo con-

tracta, quæque in posterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino præscripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda esse; adeoque si contingat utrumque conjugem ad catholicæ Ecclesiæ sinum se recipere, eodem, quo antea, conjugali vinculo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus coram parocho catholico ab eis non renovetur; sin autem unus tantum ex conjugibus sive masculus sive fœmina, convertatur, neutrum posse, quandiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire.

« Quod vero spectat ad ea conjugia quæ pariter in iisdem fœderatis Belgii provinciis absque forma a Tridentino statuta, contrahuntur a catholicis cum hæreticis, sive catholicus vir hæreticam fœminam in Matrimonium ducat, sive catholica fœmina hæretico viro nubat, dolens in primis quam maxime Sanctitas Sua, eos esse inter catholicos, qui, insano amore turpiter dementati, ab hisce detestabilibus connubiis, quæ s. mater Ecclesia perpetuo damnavit atque interdixit, ex animo non abhorrent, et prorsus sibi abstinendum non ducunt; laudansque magnopere zelum illorum antistitum, qui, severioribus propositis spiritualibus pœnis, catholicos coercere student, ne sacrilego hoc vinculo sese hæreticis conjungant : episcopos omnes, vicarios apostolicos, parochos, missionarios, et alios quoscumque Dei et Ecclesiæ fideles ministros in iis partibus degentes, serio graviterque hortatur, et monet, ut catholicos utriusque sexus, ab hujusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis, quantum possint, absterreant, easdemque nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satagant. At si forte aliquod hujus generis Matrimonium, Tridentini forma non servata, ibidem contractum jam sit, aut in posterum (quod Deus avertat) contrahi contingat, declarat Sanctitas Sua, Matrimonium hujusmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum esse, et neutrum ex conjugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse, sub obtentu dictæ formæ non servatæ, novum Matrimonium inire; id vero debere sibi potissime in animum inducere conjugem catholicum, sive virum sive fœminam, ut pro gravissimo scelere, quod admisit, pœnitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum conjugem a vera fide deerrantem ad gremium catholicæ ecclesiæ pertrahere, ejusque animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportunissimum foret, sciens de cætero, ut mox dictum est, se istius Matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

«Ad hæc declarat Sanctitas Sua, ut quidquid hactenus sancitum, dictumque est de matrimoniis, sive ab hæreticis inter se, sive inter catholicos et hæreticos initis, in locis fœderatorum ordinum dominio in Belgio subjectis, sancitum, dictumque intelligatur etiam de similibus matrimoniis extra fines dominii eorumdem fœderatorum ordinum contractis ab iis, qui addicti sunt legionibus seu militaribus copiis, quæ ab eisdem fœderatis ordinibus transmitti solent ad custodiendas, muniendasque arces conterminas, vulgo dictas *di bariera*, ita quidem ut matrimonia ibi præter Tridentini formam sive inter hæreticos utrinque, sive inter catholicos et hæreticos, inita valorem suum obtineant, dummodo uterque conjux ad easdem copias sive legiones pertineat; et hanc declarationem vult Sanctitas Sua complecti etiam civitatem Mosæ Trajectensis a republica fœderatorum ordinum, quamvis non jure dominii, sed tantum oppignorationis, ut aiunt, nomine possessam.

«Tandem circa conjugia, quæ contrahuntur, vel in regionibus principum catholicorum ab iis, qui in provinciis fœderatis domicilium habent, vel in fœderatis provinciis, ab habentibus domicilium in regionibus catholicorum principum, nihil Sanctitas Sua de novo decernendum, aut declarandum esse duxit, volens, ut de iis, juxta canonica juris communis principia, probatasque in similibus casibus alias editas a Sacra Congregatione Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur, et ita declaravit, statuitque, ac ab omnibus in posterum servari præcipit. Die 4 novembris 1741, A. Card. Gentili S. C. Concilii Præf. C. A. Archi. Philippen. Secret. »

Observanda circa præfatam constitationem.

Observandum 1° inter varias rationes quibus moveri potuit Pontifex ut sic statueret has videri præcipuas : 1° quia observantia decreti Trid. in his partibus est moraliter impossibilis ipsis hæreticis. 2° Quia foret religioni perniciosa, quatenus hæretici advertentes sua matrimonia a catholicis haberi illegitima, et proles suas spurias, non solum quemvis alium contrahendi modum, sed etiam omne aliud religionis exercitium interdicerent catholicis, sicque recrudesceret persecutio. 3° Quia noce-

ret saluti contrahentium, obstaretque eorum conversioni : pone enim unum ex duobus hæreticis conjunctis velle se convertere, debebit iterum contrahere coram parocho catholico, quod nunquam obtinebit a comparte hæretica ; aut tenebitur illam et proles deserere, quod patitur undequaque gravissimas difficultates, vix superabiles, sicque obex conversioni. 4° Celebrato Matrimonio coram magistratu hæretico, aut coram ministro et testibus, habetur finis quem intendit concilium, scilicet certitudo Matrimonii.

Observandum 2° hoc decretum spectare tantum fœderatum Belgium, ut patet ex ejus tenore. An vero in aliis provinciis vel regnis in quibus etiam promiscue vivunt hæretici cum catholicis, et in quibus decretum Tridentini fuit promulgatum, ut in Germania, sint pariter valida matrimonia, absque forma Tridentini ? Resp. vi præsentis decreti non esse valida, quia, ut dictum est, spectat tantum fœderatos Belgas : si tamen eædem rationes concurrant quæ in Belgio, præsumendum videtur Ecclesiam benignam matrem relaxare suam legem, respectu illorum, sicut respectu Belgarum, non in favorem hæreticorum rebellium, sed in favorem religionis et catholicorum : « Et hoc vel maxime ex eo colligitur, inquit noster Wigandt scriptor Germanus, quod si ambo conjuges hæretici fiant catholici, non denuo contrahant coram vero et proprio parocho catholico, quod tamen plane esset necessarium, quia sicut antea vixissent, sic et postea semper viverent in fornicatione et concubinatu. »

Observandum 3° hoc decreto dirimi tantum quæstionem de matrimoniis hæreticorum inter se, aut catholicorum cum hæreticis, non catholicorum inter se, ut patet ex textu ; unde de his ultimis remanet difficultas : ad quam resp. Matrimonium catholicorum inter se, in provinciis fœderatis, et aliis, absque forma Tridentini contracta, esse irrita, nisi ista loca careant omnino episcopis, aut parochis, aut aliis sacerdotibus ad id delegatis, aut certe ita absint, ut ad eos tutus accessus non pateat. Ita respondisse S. Congregationem Octavio, episcopo Tricariensi, per Belgium nuntio apostolico, testantur Sylvius, Chapeauville, Henricus a S. Ignatio ; eamque declarationem authenticam refert Zypeus juris pontif. novi Analyt. enarrat. lib. 4, tit. de Sponsalibus. Neque enim rationes prima observatione deductæ militant pro catholicis inter se contrahentibus, sicut pro hæreticis inter se, vel cum catholicis contrahentibus. Perinde est autem sive parochus absit, sive adsit, sed cui prohibitum est sub pœna mortis aut alia gravi, Matrimonii celebrationi assistere : ita respondit Estius D. Miræo, episcopo Antuerpiensi ; quia paria videntur, abesse parochum sic ut tutus ad eum accessus non pateat, et parochum adesse, sed sic ut ejus opera tuto uti non liceat, quia utrobique est periculum accedendo ad parochum.

Observandum 4° quantum ad matrimonia contracta in urbibus vulgo dictis *barrières*, ut sint valida, utrumque conjugem debere pertinere ad legiones seu copias qui transmitti solent ad eas arces custotiendas : unde si miles ex his copiis velit ducere puellam civem, debet servare in hoc, sicut in aliis leges locales, ideoque contrahere secundum formam Tridentini: ii autem omnes et soli censentur pertinere ad illas copias qui juri militari subsunt ; non annonarii aut similes qui copias sequi solent.

PROTESTATIO AUCTORIS.

Quæ hucusque scripsi ad majorem Dei gloriam et scholarum, præsertim nostræ, utilitatem, non solum Romani pontificis, cujus sum obediens filius, sed cujusvis melius sapientis correctioni sponte subjicio.

Item protestor me neminem ex animo læsisse, errores, non errantes impugnare, et veritatem, sicut novi, pro viribus defendere mens mihi una fuit : quod si aliquod verbum minus gratum præter intentionem exciderit, pro non dicto haberi cupio. De cætero, lector benevole, si quid in scriptis meis tibi displiceat, tenuitati meæ condona ; si quid placeat, Deo bonorum omnium largitori adscribe, cujus donis fruere et vale.

APPENDIX

De Matrimonio civili et impedimentis a potestate civili introductis.

Diserte probavit auctor noster Matrimonium christianorum a sola potestate ecclesiastica pendere.

Hodiernis vero temporibus, quia potestates civiles usurpare attentaverunt jus non tantummodo impedimenta dirimentia Matrimonium constituendi, sed etiam contractum matrimonialem, absque ulla interventione Ecclesiæ, verum et efficacem faciendi, ideo tale flagitium damnaverunt SS. Pontifices. Has sequentes propositiones 22 Aug. 1851 damnavit Pius IX, litt. Apost. *Ad Apostolicæ,* quæ quidem propositiones referuntur in syllabo, qui anno 1864 fuit editus.

LXV. Nulla ratione ferri potest Christum evexisse Matrimonium ad dignitatem sacramenti.

LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

LXVII. Jure naturæ Matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum, auctoritate civili sanciri potest.

LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta Matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

LXIX. Ecclesia, sequioribus sæculis, dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

LXX. Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiæ negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam præstituat, et velit hac nova forma interveniente Matrimonium valere.

LXXII. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

LXXIII. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis Matrimonium; falsumque est aut contractum Matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.

LXXIV. Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Hæ omnes propositiones damnantur tanquam *respective falsæ, temerariæ, scandalosæ, erroneæ, schismaticæ, hæreticæ..... necnon canonum concilii Tridentini eversivæ.*

Et ideo, addit S. Pontifex, *eas reprobamus, damnamus et pro reprobatis et damnatis ab omnibus haberi volumus et mandamus* (22 Aug. 1851).

Anno proxime sequenti (9 Sept. 1852) idem B. Papa ad Regem Montis Pedani scribens docet idem esse contractum et sacramentum Matrimonii, neque fas esse sacramentum a contractu separare, ita ut unio extra sacramentum nihil aliud esse possit, quam verus concubinatus. Unde lex civilis quæ talem unionem licitam declararet et validam, contra doctrinam Ecclesiæ ageret, et concubinatum cum ipso sacramento sacrilege coæquaret. [1]

[1] E domma di fede essere stato elevato il Matrimonio da N. S. G C. alla dignità di sacramento, ed è dottrina della Chiesa cattolica che il sacramento non è una qualità accidentale aggiunta al contratto, ma è di essenza al Matrimonio stesso. Cosicchè l'unione conjugale tra i cristiani non è legittima, se non nel sacramento di matrimonio, fuori del quale non vi è che un pretto concubinato. Una legge civile che, supponendo divisibile pei cattolici il sacramento dal contratto di matrimonio, pretenda di regolarne la validità, contraddice alla dottrina della Chiesa, invade i diritti inalienabili della medesima: e praticamente parifica il concubinato al sacramento del matrimonio, sanzionando legittimo l'uno come l'altro. (Lettera di papa Pio IX alla S. M. il re Vittorio Emmanuele, 9 settembre 1852).

Unde concludas facile contractum Matrimonii inseparabilem esse a sacramento, imo potius idem esse cum sacramento, quia a Christo elevatus est ad dignitatem sacramenti. Ideoque nullo modo potest existere inter christianos, quoties deest sacramentum; itemque auctoritas civilis nullum jus habet in talem contractum, siquidem utpote sacramentum, est res essentialiter spiritualis.

Equidem auctoritas civilis jus et manus habet determinandi effectus civiles Matrimonii, et in Tomo IV, ubi de jure et contractibus agitur, notavimus quid a jure nostro Gallico statutum fuit.

Sed insuper apud nos, ex dispositione legum, et apud quasdam exteras gentes, introductum fuit exitiosum Matrimonii civilis flagitium; item que statuta sunt impedimenta Matrimonium dirimentia. De tali legum dispositione ex dictis supra dijudicandum est.

Attamen, quia clericorum valde interest nosse quæ sunt hæ leges, utile judicavimus hic referre codicis civilis articulos sequentes:

CHAPITRE I.

DES QUALITÉS ET CONDITIONS REQUISES POUR POUVOIR CONTRACTER MARIAGE.

144. L'homme avant dix-huit ans révolus, la femme avant quinze ans révolus, ne peuvent contracter mariage.

145. Néanmoins il est loisible à l'Empereur d'accorder des dispenses d'âge pour des motifs graves.

146. Il n'y a pas de mariage lorsqu'il n'y a point de consentement.

147. On ne peut contracter un second mariage avant la dissolution du premier.

148. Le fils qui n'a pas atteint l'âge de vingt-cinq ans accomplis, la fille qui n'a pas atteint l'âge de vingt-un ans accomplis, ne peuvent contracter mariage sans le consentement de leurs père et mère : en cas de dissentiment, le consentement du père suffit.

149. Si l'un des deux est mort, ou s'il est dans l'impossibilité de manifester sa volonté, le consentement de l'autre suffit.

150. Si le père et la mère sont morts, ou s'ils sont dans l'impossibilité de manifester leur volonté, les aïeuls et les aïeules les remplacent : s'il y a dissentiment entre l'aïeul et l'aïeule de la même ligne, il suffit du consentement de l'aïeul. — S'il y a dissentiment entre les deux lignes, ce partage emportera consentement.

151. Les enfants de famille ayant atteint la majorité fixée par l'article 148, sont tenus, avant de contracter mariage, de demander, par un acte respectueux et formel, le conseil de leur père et de leur mère, ou celui de leurs aïeuls et aïeules, lorsque leur père et leur mère sont décédés, ou dans l'impossibilité de manifester leur volonté.

152. Depuis la majorité fixée par l'article 148 jusqu'à l'âge de trente ans accomplis pour les fils, et jusqu'à l'âge de vingt-cinq ans accomplis pour les filles, l'acte respectueux prescrit par l'article précédent, et sur lequel il n'y aurait pas de consentement au mariage, sera renouvelé deux autres fois, de mois en mois; et, un mois après le troisième acte, il pourra être passé outre à la célébration du mariage.

153. Après l'âge de trente ans, il pourra être, à défaut de consentement sur un acte respectueux, passé outre, un mois après, à la célébration du mariage.

154. L'acte respectueux sera notifié à celui ou ceux des ascendants désignés en l'article 151, par deux notaires, ou par un notaire et deux témoins : et, dans le procès-verbal qui doit en être dressé, il sera fait mention de la réponse.

155. En cas d'absence de l'ascendant auquel eût dû être fait l'acte respectueux, il sera passé outre à la célébration du mariage, en représentant le jugement qui aurait été rendu pour déclarer l'absence, ou, à défaut de ce jugement, celui qui aurait ordonné l'enquête, ou, s'il n'y a point encore eu de jugement, un acte de notoriété délivré par le juge de paix du lieu où l'ascendant a eu son dernier domicile connu. Cet acte contiendra la déclaration de quatre témoins appelés d'office par ce juge de paix.

156. Les officiers de l'état civil qui auraient procédé à la célébration des mariages contractés par des fils n'ayant pas atteint l'âge de vingt-cinq ans accomplis, ou par des filles n'ayant pas atteint l'âge de vingt-un ans accomplis, sans que le consentement des pères et mères, celui des aïeuls et aïeules, et celui de la famille, dans le cas où ils sont requis, soient énoncés dans l'acte de mariage, seront, à la diligence des parties intéressées et du procureur impérial près le tribunal de première instance du lieu ou le mariage aura été célébré, condamnés à l'amende portée par l'article 192, et, en outre, à un emprisonnement dont la durée ne pourra être moins de six mois.

157. Lorsqu'il n'y aura pas eu d'actes respectueux, dans le cas où ils sont prescrits, l'officier de l'état civil qui aurait célébré le mariage, sera condamné à la même amende, et à un emprisonnement qui ne pourra être moindre d'un mois.

158. Les dispositions contenues aux articles 148 et 149, et les dispositions des articles 151, 152, 153, 154 et 155, relatives à l'acte respectueux qui doit être fait aux père et mère dans le cas prévu par ces articles, sont applicables aux enfants naturels légalement reconnus.

159. L'enfant naturel qui n'a point été reconnu, et celui qui, après l'avoir été, a perdu ses père et mère, ou dont les père et mère ne peuvent manifester leur volonté, ne pourra, avant l'âge de vingt-un ans révolus, se marier qu'après avoir obtenu le consentement d'un tuteur *ad hoc* qui lui sera nommé.

160. S'il n'y a ni père ni mère, ni aïeuls ni aïeules, ou s'ils se trouvent tous dans l'impossibilité de manifester leur volonté, les fils ou filles mineurs de vingt-un ans ne peuvent contracter mariage sans le consentement du conseil de famille.

161. En ligne directe, le mariage est prohibé entre tous les ascendants et descendants légitimes ou naturels, et les alliés dans la même ligne.

162. En ligne collatérale, le mariage est prohibé entre le frère et la sœur légitimes ou naturels, et les alliés au même degré.

163. Le mariage est encore prohibé entre l'oncle et la nièce, la tante et le neveu.

164. Néanmoins il est loisible à l'Empereur de lever, pour des causes graves, les prohibitions portées par l'article 162 aux mariages entre beaux-frères et belles-sœurs, et par l'article 163 aux mariages entre l'oncle et la nièce, la tante et le neveu.

CHAPITRE II.

DES FORMALITÉS RELATIVES A LA CÉLÉBRATION DU MARIAGE.

165.[1] Le mariage sera célébré publiquement, devant l'officier civil du domicile de l'une des parties.[2]

166. Les deux publications ordonnées par l'article 63, au titre *des Actes de l'état civil*, seront faites à la municipalité du lieu où chacune des parties contractantes aura son domicile.

167. Néanmoins, si le domicile actuel n'est établi que par six mois de résidence, les publications seront faites en outre à la municipalité du dernier domicile.

168. Si les parties contractantes, où l'une d'elles, sont, relativement au mariage, sous la puissance d'autrui, les publications seront encore faites à la municipalité du domicile de ceux sous la puissance desquels elles se trouvent.

169. Il est loisible à l'Empereur ou aux officiers qu'il préposera à cet effet, de dispenser, pour des causes graves, de la seconde publication.

170. Le mariage contracté en pays étranger entre Français, et entre Français et étranger, sera valable, s'il a été célébré dans les formes usitées dans le pays, pourvu qu'il ait été précédé des publications prescrites par l'article 63, au titre *Actes de l'état civil*, et que le Français n'ait point contrevenu aux dispositions contenues au chapitre précédent (144 à 154).

171. Dans les trois mois après le retour du Français sur le territoire de l'Empire, l'acte de célébration du mariage contracté en pays étranger sera transcrit sur le registre public des mariages du lieu de son domicile.

CHAPITRE III.

DES OPPOSITIONS AU MARIAGE.

172. Le droit de former opposition à la célébration du mariage appartient à la personne engagée par mariage avec l'une des deux parties contractantes.

173. Le père, et à défaut du père, la mère, et à défaut du père et mère, les aïeuls et aïeules, peuvent former opposition au mariage de leurs enfants et descendants, encore que ceux-ci aient vingt-cinq ans accomplis.

174. A défaut d'aucun ascendant, le frère ou la sœur, l'oncle ou la tante, le cousin ou la cousine germains, majeurs, ne peuvent former aucune opposition que dans les deux cas suivants : 1° Lorsque le consentement du conseil de famille, requis par l'article 160, n'a pas été obtenu ; 2° Lorsque l'opposition est fondée sur l'état de démence du futur époux : cette opposition, dont le tribunal pourra prononcer main-levée pure et simple, ne sera jamais reçue qu'à la charge, par l'opposant, de provoquer l'interdiction, et d'y faire statuer dans le délai qui sera fixé par le jugement.

175. Dans les deux cas prévus par le précédent article, le tuteur ou curateur ne pourra, pendant la durée de la tutelle ou curatelle, for-

[1] L'art. 74 ajoute : « *Ce domicile* s'établira par six mois « d'habitation continue dans la même commune.

[2] L'art. 54, des articles organiques, défend aux ministres du culte de donner la bénédiction nuptiale à ceux qui ne justifieront pas en bonne forme avoir contracté mariage devant l'officier civil, sous peine d'amende ou même de prison en cas de récidive. C'est bien ici qu'on peut dire aux curés, *Videte fratres, quomodo caute ambuletis, quia dies mali sunt*: (Eph. cap. III).

mer opposition qu'autant qu'il y aura été autorisé par un conseil de famille, qu'il pourra convoquer.

176. Tout acte d'opposition énoncera la qualité qui donne à l'opposant le droit de la former ; il contiendra élection de domicile dans le lieu où le mariage devra être célébré ; il devra également, à moins qu'il ne soit fait à la requête d'un ascendant, contenir les motifs de l'opposition : le tout à peine de nullité, et de l'interdiction de l'officier ministériel qui aurait signé l'acte contenant opposition.

177. Le tribunal de première instance prononcera dans les dix jours sur la demande en mainlevée.

178. S'il y a appel, il y sera statué dans les dix jours de la citation.

179. Si l'opposition est rejetée, les opposants, autres néanmoins que les ascendants, pourront être condamnés à des dommages intérêts.

CHAPITRE IV.

DES DEMANDES EN NULLITÉ DE MARIAGE.

180. Le mariage qui a été contracté sans le consentement libre des deux époux, ou de l'un d'eux, ne peut être attaqué que par les époux, ou par celui des deux dont le consentement n'a pas été libre. — Lorsqu'il y a eu erreur dans la personne, le mariage ne peut être attaqué que par celui des deux époux qui a été induit en erreur.

181. Dans le cas de l'article précédent, la demande en nullité n'est plus recevable, toutes les fois qu'il y a eu cohabitation continuée pendant six mois depuis que l'époux a acquis sa pleine liberté ou que l'erreur a été par lui reconnue.

182. Le mariage contracté sans le consentement des père et mère, des ascendants, ou du conseil de famille, dans les cas où ce consentement était nécessaire, ne peut être attaqué que par ceux dont le consentement était requis, ou par celui des deux époux qui avait besoin de ce consentement.

183. L'action en nullité ne peut plus être intentée ni par les époux, ni par les parents dont le consentement était requis, toutes les fois que le mariage a été approuvé expressément ou tacitement par ceux dont le consentement était nécessaire, ou lorsqu'il s'est écoulé une année sans réclamation de leur part, depuis qu'ils ont eu connaissance du mariage. Elle ne peut être intentée non plus par l'époux, lorsqu'il s'est écoulé une année sans réclamation de sa part, depuis qu'il a atteint l'âge compétent pour consentir par lui-même au mariage.

184. Tout mariage contracté en contravention aux dispositions contenues aux articles 144, 147, 161, 162 et 163, peut être attaqué soit par les époux eux-mêmes, soit par tous ceux qui y ont intérêt, soit par le ministère public.

185. Néanmoins le mariage contracté par des époux qui n'avaient point encore l'âge requis, ou dont l'un des deux n'avait point atteint cet âge, ne peut plus être attaqué, 1° lorsqu'il s'est écoulé six mois depuis que cet époux ou les époux ont atteint l'âge compétent ; 2° lorsque la femme qui n'avait point cet âge, a conçu avant l'échéance de six mois.

186. Le père, la mère, les ascendants et la famille qui ont consenti au mariage contracté dans le cas de l'article précédent, ne sont point recevables à en demander la nullité.

187. Dans tous les cas où, conformément à l'article 184, l'action en nullité peut être intentée par tous ceux qui y ont un intérêt, elle ne peut l'être par les parents collatéraux, ou par les enfants nés d'un autre mariage, du vivant des deux époux, mais seulement lorsqu'ils y ont un intérêt né et actuel.

188. L'époux au préjudice duquel a été contracté un second mariage, peut en demander la nullité, du vivant même de l'époux qui était engagé avec lui.

189. Si les nouveaux époux opposent la nullité du premier mariage, la validité ou la nullité de ce mariage doit être jugée préalablement.

190. Le procureur impérial, dans tous les cas auxquels s'applique l'article 184, et sous les modifications portées en l'article 185, peut et doit demander la nullité du mariage, du vivant des deux époux, et les faire condamner à se séparer.

191. Tout mariage qui n'a point été contracté publiquement, et qui n'a point été célébré devant l'officier public compétent, peut être attaqué par les époux eux-mêmes, par les père et mère, par les ascendants, et par tous ceux qui y ont un intérêt né et actuel, ainsi que par le ministère public.

192. Si le mariage n'a point été précédé des deux publications requises, ou s'il n'a pas été obtenu des dispenses permises par la loi, ou si les intervalles prescrits dans les publications et célébrations n'ont point été observés, le procureur impérial fera prononcer contre l'officier public une amende qui ne pourra excéder trois cents francs ; et contre les parties contractantes, ou ceux sous la puissance desquels elles ont agi, une amende proportionnée à leur fortune.

193. Les peines prononcées par l'article précédent seront encourues par les personnes qui y sont désignées, pour toute contravention aux règles prescrites par l'article 165, lors même que ces contraventions ne seraient pas jugées suffisantes pour faire prononcer la nullité du mariage.

194. Nul ne peut réclamer le titre d'époux et les effets civils du mariage, s'il ne représente un acte de célébration inscrit sur le registre de l'état civil, sauf les cas prévus par l'article 46, au titre *des Actes de l'état civil.*

195. La possession d'état ne pourra dispenser les prétendus époux qui l'invoqueront respectivement, de représenter l'acte de célébration du mariage devant l'officier de l'état civil.

196. Lorsqu'il y a possession d'état, et que l'acte de célébration du mariage devant l'officier de l'état civil est représenté, les époux sont respectivement non recevables à demander la nullité de cet acte.

197. Si néanmoins, dans le cas des articles 194 et 195, il existe des enfants issus de deux individus qui ont vécu publiquement comme mari et femme, et qui soient tous deux décédés, la légitimité des enfants ne peut être contestée sous le seul prétexte du défaut de représentation de l'acte de célébration, toutes les fois que cette légitimité est prouvée par une possession d'état qui n'est point contredite par l'acte de naissance.

198. Lorsque la preuve d'une célébration légale du mariage se trouve acquise par le résultat d'une procédure criminelle, l'inscription du jugement sur les registres de l'état civil assure au mariage, à compter du jour de sa célébration, tous les effets civils, tant à l'égard des époux, qu'à l'égard des enfants issus de ce mariage.

199. Si les époux ou l'un d'eux sont décédés sans avoir découvert la fraude, l'action criminelle peut être intentée par tous ceux qui ont intérêt de faire déclarer le mariage valable, et par le procureur impérial.

200. Si l'officier public est décédé lors de la découverte de la fraude, l'action sera dirigée au civil contre ses héritiers, par le procureur impérial, en présence des parties intéressées et sur leur dénonciation.

201. Le mariage qui a été déclaré nul, produit néanmoins les effets civils, tant à l'égard des époux qu'à l'égard des enfants, lorsqu'il a été contracté de bonne foi.

202. Si la bonne foi n'existe que de la part de l'un des deux époux, le mariage ne produit les effets civils qu'en faveur de cet époux et des enfants issus du mariage.

CHAPITRE V.

DES OBLIGATIONS QUI NAISSENT DU MARIAGE.

203. Les époux contractent ensemble, par le fait seul du mariage, l'obligation de nourrir, entretenir et élever leurs enfants.

204. L'enfant n'a pas d'action contre ses père et mère pour un établissement par mariage ou autrement.

205. Les enfants doivent des aliments à leurs père et mère et autres ascendants qui sont dans le besoin.

206. Les gendres et belles-filles doivent également, et dans les mêmes circonstances, des aliments à leurs beau-père et belle-mère ; mais cette obligation cesse, 1° lorsque la belle-mère a convolé en secondes noces, 2e lorsque celui des époux qui produisait l'affinité, et les enfants issus de son union avec l'autre époux, sont décédés.

207. Les obligations résultant de ces dispositions sont réciproques.

208. Les aliments ne sont accordés que dans la proportion du besoin de celui qui les réclame, et de la fortune de celui qui les doit.

209. Lorsque celui qui fournit ou celui qui reçoit des aliments est replacé dans un état tel que l'un ne puisse plus en donner, ou que l'autre n'en ait plus besoin en tout ou en partie, la décharge ou réduction peut en être demandée.

210. Si la personne qui doit fournir les aliments justifie qu'elle ne peut payer la pension alimentaire, le tribunal pourra, en connaissance de cause, ordonner qu'elle recevra dans sa demeure, qu'elle nourrira et entretiendra celui auquel elle devra des aliments.

211. Le tribunal prononcera également si le père où la mère qui offrira de recevoir, nourrir et entretenir dans sa demeure, l'enfant à qui il devra des aliments, devra dans ce cas être dispensé de payer la pension alimentaire.

CHAPITRE VI.

DES DROITS ET DEVOIRS RESPECTIFS DES ÉPOUX.

212. Les époux se doivent mutuellement fidélité, secours, assistance.

213. Le mari doit protection à sa femme, la femme obéissance à son mari.

214. La femme est obligée d'habiter avec le mari, et de le suivre partout ou il juge à propos de résider ; le mari est obligé de la recevoir, et de lui fournir tout ce qui est nécessaire pour les

besoins de la vie, selon ses facultés et son état.

215. La femme ne peut ester en jugement sans l'autorisation de son mari, quand même elle serait marchande publique, ou non commune, ou séparée de biens.

216. L'autorisation du mari n'est pas nécessaire lorsque la femme est poursuivie en matière criminelle ou de police.

217. La femme, même non commune ou séparée de biens, ne peut donner, aliéner, hypothéquer, acquérir, à titre gratuit ou onéreux, sans le concours du mari dans l'acte, ou son consentement par écrit.

218. Si le mari refuse d'autoriser sa femme à ester en jugement, le juge peut donner l'autorisation.

219. Si le mari refuse d'autoriser sa femme à passer un acte, la femme peut faire citer son mari directement devant le tribunal de première instance de l'arrondissement du domicile commun, qui peut donner ou refuser son autorisation, après que le mari aura été entendu ou dûment appelé en la chambre du conseil.

220. La femme, si elle est marchande publique, peut, sans l'autorisation de son mari, s'obliger pour ce qui concerne son négoce ; et, audit cas, elle oblige aussi son mari, s'il y a communauté entre eux. — Elle n'est pas réputée marchande publique, si elle ne fait que détailler les marchandises du commerce de son mari, mais seulement quand elle fait un commerce séparé.

221. Lorsque le mari est frappé d'une condamnation emportant peine afflictive ou infamante, encore qu'elle n'ait été prononcée que par coutumace, la femme, même majeure, ne peut, pendant la durée de la peine, ester en jugement, ni contracter, qu'après s'être fait autoriser par le juge, qui peut, en ce cas, donner l'autorisation, sans que le mari ait été entendu ou appelé.

222. Si le mari est interdit ou absent, le juge peut, en connaissance de cause, autoriser la femme, soit pour ester en jugement, soit pour contracter.

223. Toute autorisation générale, même stipulée par contrat de mariage, n'est valable que quant à l'administratien des biens de la femme.

224. Si le mari est mineur, l'autorisation du juge est nécessaire à la femme, soit pour ester en jugement, soit pour contracter.

225. La nullité fondée sur le défaut d'autorisation ne peut être opposée que par la femme, par le mari, ou par leurs héritiers.

226. La femme peut tester sans l'autorisation de son mari.

INDEX

Dissertationum, Articulorum, Paragraphorum, Petitionum, Consectariorum, Digressionum, &c., quæ in hoc Tomo VII continentur.

TRACTATUS DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

Summa doctrinæ catholicæ de Pœnitentia. Ex conciliis Florentino et Tridentino. Pag. 7
Decretum concilii Florentini pro instructione Armenorum. *ibid.*
Canones concilii Tridentini de Pœnitentia. *ibid.*
Dissertatio I. De Pœnitentia secundum quod est sacramentum. 9
Art. I. Utrum Pœnitentia sit sacramentum? 9
§ I. Errores circa existentiam sacramenti Pœnitentiæ. *ibid.*
§ II. Dogmata catholica de existentia sacramenti Pœnitentiæ asseruntur. 11
§ III. Solvuntur objectiones montanistarum et novatianorum contra primam conclusionem. 13
§ IV. Solvuntur objectiones recentiorum hæreticorum contra secundam et tertiam conclusionem. 17
Art. II. De materia sacramenti Pœnitentiæ. 19
Solvuntur objectiones contra quintam conclusionem. 22
Art. III. De forma sacramenti Pœnitentiæ. 25
§ I. Quæ sit forma hujus sacramenti? 25
Consectaria. 26
§ II. Quis sit sensus horum verborum: Absolvo te? 27
§ III. Utrum absolutionis forma deprecatoria possit esse valida? 28
Solvuntur objectiones. 30
Art. IV. De institutione, necessitate, et iteratione sacramenti Pœnitentiæ. 32
§ I. Quandonam fuerit institutum hoc sacramentum? *ibid.*
§ II. Utrum hoc sacramentum sit necessarium ad salutem? 33
§ III. Utrum hoc sacramentum sit pluries iterabile? 34
Dissertatio II. De pœnitentia secundum quod est virtus. 35
Art. I. Utrum Pœnitentia sit virtus specialis et quæ? *ibid.*
Observanda circa peccatum mortale. 37
Art. II. De subjecto et principio Pœnitentiæ. 39
Digressio Historica. De pœnitentia Salomonis. Utrum Salomon egerit pœnitentiam? 40
Momenta ex S. Scriptura pro adstruenda pœnitentia Salomonis cum responsis negantium. *ibid.*
Momenta ex S. Scriptura contra pœnitentiam Salomonis, cum responsis eam adstruentium. 41
Quantum ad SS. Patres. 41
Dissertatio III. De effectibus Pœnitentiæ. 42
Art. I. De effectu principali Pœnitentiæ, scilicet de remissione peccatorum mortalium. *ibid.*
§ I. Utrum omnia peccata mortalia deleri possint per Pœnitentiam, et sine illa? Responsio affirmativa. *ibid.*
Petes de qua potentia id sit intelligendum? 43
§ II. Utrum unum peccatum mortale possit dimitti sine alio? *ibid.*
§ III. Utrum remissa culpa per Pœnitentiam remaneat reatus pœnæ? 44
Solvuntur objectiones 45
Art. II. De remissione peccatorum venialium. 47
§ I. Utrum peccatum veniale possit remitti sine ulla pœnitentia? *ibid.*
§ II. Utrum peccatum veniale possit remitti sine gratia? 49
§ III. Utrum et quomodo peccata venialia remittantur per sacramenta et sacramentalia? 50
Art. III. Utrum peccata per Pœnitentiam dimissa redeant per sequens peccatum? 52
Solvuntur objectiones. 54
Art. IV. Utrum per Pœnitentiam virtutes restituantur? 55
Art. V. De reviviscentia meritorum per Pœnitentiam. 56
§ I. Utrum merita per peccatum mortificata reviviscant per Pœnitentiam? *ibid.*

§ II. In quo gradu et quantitate merita per peccatum mortificata reviviscant per Pœnitentiam? 59
Solvuntur objectiones. 61
Dissertatio IV. De partibus sacramenti Pœnitentiæ in particulari; et primo de contritione. 63
Art. I. De quidditate et qualitate contritionis. ibid.
Explicatur definitio contritionis. 64
Art. II. De quantitate contritionis. 66
Observandum. ibid.
Art. III. De necessitate contritionis. 70
Solvuntur objectiones contra secundam conclusion. 72
Art. IV. De divisione contritionis. 75
Consectarium. ibid.
Art. V. Utrum attritio concepta ex solo metu gehennæ sit bona et utilis? 76
Observanda. ibid.
Solvuntur objectiones. 78
Petes utrum metus gehennæ sit non solum bonus, sed etiam supernaturalis? 79
Art. VI. Utrum metus gehennæ possit se solo excludere voluntatem peccandi? 80
Solvuntur objectiones. 81
Art. VII. Utrum ad justificationem cum sacramento sufficiat attritio pure formidolosa, an e contra requiratur aliquis Dei amor et qualis? 83
§ I. Prænotamina ex D. Thoma. ibid.
§ II. Rejicitur amor charitatis. 85
§ III. Asseritur necessitas amoris benevoli in attritione. 87
Consectaria. 90
§ IV. Solvuntur objectiones. 93
Art. VIII. Quædam quæstiunculæ circa præsentem materiam resolvuntur. 98
Petes 1° quid censendum de systemate Honorati Tournely, etc. ibid.
Petes 2° utrum liceat sequi in praxi sententiam de sufficientia attritionis formidolosæ, etc. 99
Petes 3° quandonam debeat elici actus attritionis, ut sufficiat cum sacramento? 100
Petes 4° utrum qui immediate post confessionem accusat peccatum oblitum teneatur ad novam contritionem? 101
Petes 5° Utrum sufficiat dolere se non dolere de peccatis? ibid.
Dissertatio V. De altera parte sacramenti Pœnitentiæ, scilicet de confessione, et primo de ejus necessitate. 102
Art. I. Utrum confessio sacramentalis sit necessaria ad salutem? ibid.
§ I. Prænotanda. ibid.
§ II. Necessitas confessionis sacramentalis asseritur. 103
§ III. Solvuntur objectiones. 109
Digressio Historica. Utrum confessio publica aliquando fuerit in præcepto? 113
Art. II. Quinam teneantur ad confessionem? 115
Petes utrum saltem Ecclesia possit præcipere confessionem venialium? 117
Consectaria. ibid.
Art. III. Quandonam peccator teneatur confiteri? 118
§ I. Quandonam peccator teneatur confiteri ex præcepto divino? ibid.
Consectaria. 119.
§ II. Quandonam peccator teneatur confiteri ex præcepto ecclesiastico? 120
§ III. Resolvuntur variæ quæstiunculæ circa præsentem materiam. 120
Petes 1° unde annus confessionis sit inchoandus? ibid.
Petes 2° utrum qui prævidet se ante finem anni fore ut non possit confiteri, teneatur confessionem anticipare? ibid.
Petes 3° An qui omisit confiteri intra annum, illo elapso, teneatur adhuc statim confiteri? 121
Petes 4° an ille de quo in præcedenti casu, teneatur iterum ad secundam confessionem pro obligatione præsentis anni? ibid.
Petes 5° per quam confessionem impleatur istud præceptum? ibid.
Petes 6° an qui non satisfacit huic præcepto incurrat de facto excommunicationem? ibid.
Petes 7° an peccatum celatum in confessione hujus anni debeat subjici clavibus ante annum sequentem? ibid.
Petes 8° utrum cum aliquo dispensari possit ne unquam confiteatur? 122
Dissertatio VI. De ministro confessionis. ibid.
Art. I. Utrum solus sacerdos sit minister confessionis? ibid.
Solvuntur objectiones. 124
Art. II. Utrum omnis sacerdos sit minister legitimus confessionis, sive utrum præter potestatem ordinis sit in ministro confessionis necessaria potestas jurisdictionis? 125
§ I. De jurisdictione. ibid.
Petes 1° quid sit jurisdictio? ibid.
Petes 2° an hæc potestas sit distincta ab illa quæ confertur in corpus Christi mysticum omni sacerdoti in sua ordinatione? ibid.
Petes 3° quotuplex sit jurisdictio? 126
Petes 4° quibus competat jurisdictio ordinaria et respectu quorum? ibid.
Petes 5° quot modis aliquis fit alterius subditus, quoad hoc sacramentum? ibid.
Specialiter de jurisdictione delegata. 127
Petes 1° quotuplex sit jurisdictio delegata? 128
Petes 2° quot et quibus modis acquiritur jurisdictio delegata tam directa quam indirecta? ibid.
Dubium: An prælati eligere debeant confessarium approbatum ab ordinario? ibid.
Petes 3° utrum ad delegationem ab homine sufficiat ratihabitio sperata? 129
§ II. Resolvitur quæstio proposita in titulo articuli. ibid.
Solvuntur objectiones. ibid.
Art. III. Utrum confessio annua facta alteri quam sacerdoti parochiali, de licentia superioris, sit valida et licita? 132
Solvuntur objectiones. 135
Art. IV. De jurisdictione putativa et probabili. 137
§ I. De jurisdictione putativa ex errore. ibid.
§ II. De jurisdictione probabili. 138
Art. V. De approbatione requisita ad jurisdictionem, per quæstiunculas. 139
Petes 1° quid sit approbatio? ibid.
Petes 2° utrum necessario requiratur approbatio episcopi ad confessiones audiendas? ibid.
Petes 3° cujus episcopi approbatio sit necessaria, an pœnitentis, an confessarii, an loci ubi confessio excipitur? 141
Petes 4° utrum approbatus ab uno episcopo censeatur approbatus pro omni loco? 142
Petes 5° utrum episcopus possit repellere ab examine eos qui se præsentant aut examinatos non approbare? ibid.

Petes 6° utrum episcopus possit revocare approbationes regularium? *ibid.*
Petes 7° utrum approbatio injuste denegata vel revocata debeat haberi pro concessa? *ibid.*
Petes 8° utrum hæc clausula: de consensu quorum interest, sit limitativa approbationum? *ibid.*
Petes 9° quam pœnam incurrat qui audit confessiones sine approbatione episcopi? 143
Art. VI. De casibus reservatis. *ibid.*
§ I. Quid sit casus reservatus. *ibid*
Petes 1° utrum, si quis casum reservatum dubium confessus sit communi confessario, et postea deprehendat esse certo reservatum, liberetur a reservatione? 145
Petes 2° utrum crimen complicis in materia venerea..... sit casus reservatus? *ibid*
§ II. An et a quibus possint reservari casus? *ibid.*
Casus papales. 146
Observanda circa casus papales. 147
Casus episcopales. 148
Casus episcopo Leodiensi reservati succincte exponuntur. *ibid.*
Casus regulares. 153
§ III. Quinam possint absolvere a casibus reservatis? *ibid.*
Petes 1° quando pœnitens habens casus reservatos impeditur adire superiorem vel ab eo delegatum ad reservata possit absolvi a quolibet confessario? 155
Petes 2° utrum qui legitime confitetur habenti potestatem absolvendi a reservatis, si obliviscatur alicujus reservati, tollatur reservatio? 156
Petes 3° an per confessionem factam habenti potestatem in reservata, si defectu dispositionis in pœnitente sit invalida tollatur reservatio? *ibid.*
Petes 4° utrum facultas absolvendi a casibus reservatis expiret morte vel amotione concedentis? *ibid.*
Petes 5° quomodo debeat se gerere confessarius non habens potestatem in reservata, dum audit in confessione aliquod reservatum? *ibid.*
Petes 6° quam pœnam incurrant absolventes a casibus reservatis sine licentia? 157
Petes 7° quomodo debeat se gerere superior quando ad ipsum accedunt pœnitentes cum casibus reservatis? *ibid.*
Art. VII. De jurisdictione delegata regularium mendicantium circa confessiones sæcularium, per quæstiunculas. *ibid.*
Petes 1° an et a quo religiosi mendicantes habeant jurisdictionem excipiendi confessiones sæcularium? *ibid.*
Petes 2° quos vi suæ jurisdictionis absolvere possint regulares? 158
Petes 3° an regulares possint omni tempore audire confessiones sæcularium? *ibid.*
Petes 4° utrum regulares possint ubique excipere confessiones sæcularium? *ibid.*
Petes 5° a quibus casibus absolvere possunt regulares privilegiati? *ibid.*
Petes 6° an non requirantur quædam conditiones ut regulares tam ampla jurisdictione valide et licite utantur? 159
Art. VIII. De jurisdictione in articulo mortis, sive utrum pœnitens possit absolvi in fine vitæ a quolibet sacerdote? *ibid.*
Solvuntur objectiones. 160
Petes 1° utrum sacerdos non approbatus valide absolvat in articulo mortis, si facile possit haberi approbatus? 161
Petes 2° utrum idem sit censendum de periculo ac de articulo mortis? 162
Petes 3° utrum qui fuit absolutus propter periculum mortis per simplicem sacerdotem, teneatur iterum accedere alium potestatem habentem, ut denuo absolvatur? *ibid.*
Art. IX. De aliis dotibus requisitis in ministro confessionis. *ibid.*
§ I. De bonitate requisita in confessario. *ibid.*
§ II. De scientia requisita in confessario. 163
Petes 1° in quo gradu scire debet confessarius? *ibid.*
Petes 2° an confessarius debeat ferre determinatum judicium de quolibet peccato confesso in individuo? An hoc sit mortale, an veniale? *ibid.*
Petes 3° an debeat habere distinctam singulorum notitiam quando vel satisfactionem injungit, vel absolutionem profert? 164
Petes 4° utrum defectu scientiæ in confessario sit aliquando invalida confessio, adeoque interanda? *ibid.*
Petes 5° quando et qualiter peccat confessarius defectu scientiæ? *ibid.*
Art. X. De obligatione et officio confessarii. *ibid.*
§ I. An et quando confessarius teneatur audire confessiones? 165
§ II. Quomodo et de quibus confessarius teneatur examinare et interrogare pœnitentem? *ibid.*
Petes quid agere debeat confessarius quando novit peccatum pœnitentis de quo non se accusat? 166
§ III. Qualiter et de quibus confessarius teneatur instruere et monere pœnitentem? *ibid.*
Consectaria. 167
§. IV. Qualiter confessarius teneatur absolvere dispositum et non alium? *ibid.*
§ V. Quomodo se gerere debeat confessarius cum iis qui versantur in occasione proxima? 168
§ VI. Quomodo se gerere debeat confessarius cum consuetudinariis et recidivis? 169
Solvuntur objectiones. 172
Petes 1° quid sit dicendum de frequenter recidivis in peccata venialia? 175
Petes 2° quæ remedia sint præscribenda consuetudinariis et frequenter recidivis? *ibid.*
Petes 3° utrum consuetudinarius teneatur confessario interroganti, fateri suam consuetudinem? *ibid.*
§ VII. Quomodo confessarius debeat se gerere cum moribundo inopinato oppresso et sensibus externis destituto? 176
Sectio I. Utrum moribundus inopinate oppressus et sensibus externis destitutus debeat absolvi? *ibid.*
Petes utrum moribundus in casu, tam adstantibus quam confessario ignotus, nec ullum habens apud se religionis indicium sit absolvendus? 178
Sectio II. Utrum iste moribundus de quo sectione præcedenti, sit absolvendus absolute vel conditionate? *ibid.*
§ VIII. Quid debeat agere confessarius, quando errorem in confessione admisit? 180
DIGRESSIO HISTORICA. De veteri Ecclesiæ disciplina circa absolutionem datam vel denegatam certis peccatoribus, tam sanis quam infirmis. 183
Sectio I. Utrum sanis graviorum peccatorum reis pœnitentibus absolutionem sacramentalem aliquando denegaverit Ecclesia? *ibid.*
Sectio II. Utrum peccatoribus quibusvis sero et in

exitu tantum pœnitentibus absolutionem sacramentalem aliquando denegaverit Ecclesia? 183
Dissertatio VII. De qualitate confessionis. 186
Art. I. Utrum possit esse confessio informis et valida? ibid.
Art. II. De integritate confessionis. 188
§ I. Utrum confessio debeat esse integra? ibid.
Causæ excusantes ab integritate materiali confessionis: omnes reducuntur ad impotentiam physicam vel moralem. 189
Impotentia physica. ibid.
Impotentia moralis. ibid.
Observanda circa prædictas causas. 190
§ II. Utrum complicis, aut alterius tertii, qui sit objectum peccati confitendi, infamia apud solum confessarium, excuset ab integritate materiali confessionis? ibid.
§ III. Utrum ad integritatem confessionis necessario debeant accusari circumstantiæ notabiliter aggravantes intra eamdem speciem? 192
Solvuntur objectiones contra secundam conclusionem. 194
§ IV. Utrum ad integritatem confessionis necessarium sit peccata dubia confiteri? 196
§ V. Variæ quæstiones circa integritatem et validitatem confessionis breviter resolvuntur. 198
Petes 1° qualis et qualiter numerus peccatorum sit exprimendus ad integritatem confessionis? ibid.
Petes 2° an et quale examen requiratur ad confessionem? 199
Petes 3° utrum mentiri in confessione semper sit peccatum mortale? ibid.
Petes 4° utrum qui culpabiliter reticet aliquod peccatum mortale in confessione, teneatur repetere omnes confessiones ab illa factas? 200
Petes 5° utrum qui instituit confessionem generalem teneatur explicare aliquod peccatum nunquam fuisse confessum, aut ab ultima confessione fuisse commissum, et quod? ibid.
Petes 6° quid agendum ei qui advertit confessarium dormire, aut dormivisse audiendo confessiones? ibid.
Petes 7° utrum qui timet ne peccata memoria excidant, teneatur ea scribere et de scripto vocaliter confiteri sacerdoti? ibid.
Petes 8° utrum quis possit valide absolvi a peccatis priusquam ab excommunicatione? 201
Petes 9° utrum confessio facta ex fine venialiter malo, v. g., ex vana gloria, sit invalida? ibid.
Petes 10° quomodo confessio invalida sit iteranda? ibid.
Art. III. Utrum quis possit per alium, seu per scriptum confiteri? ibid.
§ I. De confessione facta præsenti sacerdoti per scriptum seu interpretem. ibid.
§ II. De confessione facta sacerdoti absenti per litteras aut internuntium. 202
Art. IV. Utrum sexdecim conditiones requirantur ad confessionem? 205
Dissertatio VIII. De sigillo confessionis. 207
Art. I. Utrum in nullo casu liceat sacerdoti revelare peccata quæ audivit in confessione? ibid.
Consectaria. 208
Solvuntur objectiones. ibid.
Petes ex qua confessione oriatur obligatio sigilli? 209
Art. II. Ad quæ se extendat sigillum confessionis? 210
Explicantur breviter singula. ibid.
Petes 1° utrum confessarius possit imponere pœnitentiam publicam ex qua sequitur indirecta revelatio confessionis? 211
Petes 2° utrum confessarius possit injungere, sub comminatione negandi absolutionem, quod judicat necessarium, sive ad reparationem præteriti, sive ad cautelam futuri, ex quo sequetur indirecta revelatio confessionis? ibid.
Petes 3° utrum secretum creditum et acceptum extra confessionem sub sigillo confessionis reipsa cadat sub sigillo confessionis? ibid.
Art. III. Quinam teneantur sigillo confessionis? ibid.
Petes an ipse pœnitens teneatur sigillo? 212
Art. IV. Utrum de licentia confitentis possit sacerdos ejus peccatum alteri prodere? ibid.
Petes 1° utrum confessarius possit loqui cum ipso pœnitente de auditis in confessione absque ejus licentia? 213
Petes 2° utrum de auditis formaliter in confessione liceat confessario loqui cum licentia pœnitentis? ibid.
Art. V. Utrum liceat uti notitia ex sola confessione sacramentali hausta? 214
Petes an confessarius vocatus ad pœnitentem cujus conscientiam, ex prioribus confessionibus novit valde intricatam, possit sub alio prætextu recusare, aut se abscondere ne accedat? 215
Dissertatio IX. De satisfactione. 216
Art. I. Quid et quotuplex sit satisfactio? ibid.
Art. II. De possibilitate et necessitate satisfactionis. 217
Solvuntur objectiones contra ultimam conclusionem. 219
Consectaria de satisfactione necessario injungenda a sacerdote. ibid.
Art. III. Quando sit implenda et imponenda satisfactio? 220
Art. IV. Utrum pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam injunctam, et acceptatam adimplere, eave possit ab aliquo commutari? 221
Quid faciendum si pœnitens oblitus fuerit pœnitentiæ injunctæ? 222
Petes utrum facta commutatione pœnitentiæ, liberum sit pœnitenti redire ad primam? 223
Art. V. Utrum unus possit pro altero satisfacere? ibid.
Petes 1° utrum etiam pro defunctis in Purgatorio aliquis possit satisfacere? 225
Petes 2° utrum satisfactio unius pro alio sit de condigno? ibid.
Petes 3° utrum aliquis satisfaciendo pro alio, satisfaciat etiam pro se? ibid.
Art VI. Quanta sit satisfactio pœnitenti injungenda a confessario?
§ I. Prænotanda. ibid.
Canones pœnitentiales. 226
§ II. Resolvitur quæstio. 227
Consectaria. 228
Petes utrum confessarius possit imponere pœnitentiam publicam pro peccatis publicis? 229
Art. VII. Utrum opera in statu peccati mortalis facta, satisfaciant? ibid.
Solvuntur objectiones. 230
Petes utrum homo possit satisfacere pro uno peccato et non pro alio? 232
Art. VIII. De qualitate operum per quæ fit satisfactio? ibid.
§ I. Utrum satisfactio fieri debeat per opera pœnalia? ibid.

§ II. Utrum omnis actus virtutis sit pœnalis et consequenter satisfactorius? 233
Consectaria. *ibid.*
§ III. Utrum opera alias debita sint satisfactoria, possintque imponi a confessario in pœnitentiam? *ibid.*
§ IV. Utrum flagella præsentis vitæ sint satisfactoria? 234
§ V. Utrum convenienter enumerentur opera satisfactoria, scilicet eleemosyna, jejunium et oratio? 235
Art. IX. De conditionibus et effectibus satisfactionis. *ibid.*
Digressio Historica. De veteri Ecclesiæ disciplina circa pœnitentiam publicam seu solemnem. 237
Sectio I. De origine, variis gradibus, ritu et abrogatione pœnitentiæ solemnis. *ibid.*
Sectio II. Quæ peccata fuerint pœnitentiæ solemni subjecta? 238
Sectio III. Utrum clerici majores, scilicet sacerdotes et diaconi subjicerentur pœnitentiæ solemni? 240
Sectio IV. De unitate pœnitentiæ solemnis et de multiplici tum manus impositione, tum pœnitentium reconciliatione. *ibid.*
Sectio V. Utrum hæc ultima et solemnis reconciliatio post peractam pœnitentiam, esset reconciliatio cum Deo per absolutionem sacramentalem, an solum reconciliatio cum Ecclesia per admissionem ad Eucharistiæ et aliorum sacramentorum participationem? 241

TRACTATUS DE CENSURIS ET IRREGULARITATE.

Dissertatio I. De censuris in communi. 245
Art. I. Quid et quotuplex sit censura? *ibid.*
Art. II. An sit in Ecclesia potestas ferendi censuras, et qui possint eas ferre? 247
Petes utrum censura debeat ferri in scriptis, causa censuræ expressa. 249
Art. III. In quos possit ferri censura? *ibid.*
Petes utrum peregrinus subjiciatur censuris diœcesis per quam transit, etc. *ibid.*
Art. IV. Ob quam causam possit ferri censura? 250
Petes 1° utrum si censura non sit latæ, sed ferendæ sententiæ, judex possit statim procedere contra reum convictum: et in ipsum ferre censuram absque monitione? 251
Petes 2° utrum ignorantia excuset a censura? *ibid.*
Petes 3° utrum qui ex gravi metu facit actionem prohibitam sub censura eam incurrat? *ibid.*
Art. V. Utrum censura injuste lata habeat aliquem effectum? *ibid.*
Art. VI. Quis possit absolvere a censura? 252
Petes 1° utrum ad validam absolutionem a censuris requiratur determinata verborum forma? 253
Petes 2° utrum absens, vel invitus possit absolvi a censura? *ibid.*
Dissertatio II. De censuris in particulari, necnon de irregularitate. *ibid.*
Art. I. De excommunicatione. *ibid.*
§ I. Quid sit excommunicatio, et qui ejus effectus? *ibid.*
Explicantur effectus excommunicationis. 254
Petes utrum qui voluntarie remanet in excommunicatione dum potest ab ea absolvi, peccet contra præceptum audiendi missam, confitendi annuo, et communicandi in paschate? 255
Petes 1° utrum excommunicatus sit inhabilis ad pensionem recipiendam? *ibid.*
Petes 2° utrum clericus excommunicatus possit percipere fructus sui beneficii? *ibid.*
Causæ excusantes communicationem cum excommunicatis. 256
§ II. Variæ quæstiones circa excommunicationem breviter resolvuntur. 257
Petes 1° qui sint excommunicati non tolerati et vitandi? *ibid.*
Petes 2° quodnam sit peccatum et quæ pœna communicantis cum excommunicato? 258
Petes 3° quid sit excommunicatio minor? *ibid.*
Petes 4° utrum aliqua universitas seu communitas possit excommunicari? 259
Petes 5° utrum qui semel est excommunicatus, possit ulterius excommunicari? *ibid.*
Petes 6° utrum qui est pluribus excommunicationibus ligatus possit absolvi ab una et non ab omnibus? *ibid.*
§ III. De excommunicatione ob percussionem clerici. 260
Art. II. De suspensione. 261
Art. III. De interdicto. 262
Petes utrum violatio interdicti sit semper peccatum mortale? 264
Art. IV. De irregularitate. *ibid.*
§ I. Quid et quotuplex sit irregularitas? *ibid.*
§ II. Expenduntur irregularitates ex delicto. 265
§ III. Expenduntur irregularitates ex defectu. 267
§ IV. Quis possit dispensare in irregularitate? 268
Petes quid in dubio irregularitatis contractæ? 269

TRACTATUS DE INDULGENTIIS.

Dissertatio unica. 271
Art. I. Quid et quotuplex sit indulgentia? *ibid.*
Petes 1° utrum in indulgentia locali pluries in die visitans ecclesiam seu locum cui annexa est indulgentia, toties illam lucretur? 273
Petes 2° an, quando in concessione indulgentiæ partialis exprimitur de pœnitentiis injunctis, valeat tantum ad relaxationem pœnitentiæ injunctæ a confessario, seu pœnæ illi correspondentis? *ibid.*
Petes 3° an pœnitens qui vacat indulgentiæ lucrandæ possit omittere pœnitentiam a confessario injunctam? *ibid.*
Art. II. Utrum sit in Ecclesia potestas concedendi indulgentias? *ibid.*
Solvuntur objectiones. 275
Art. III. Quibus competat potestas conferendi indulgentias? 277
Petes 1° utrum ad concessionem indulgentiæ requiratur potestas Ordinis? 278
Petes 2° utrum indulgentia sit mera solutio pretii pro pœna restante, an etiam absolutio seu remissio judicialis et auctoritativa? *ibid.*
Petes 3° quomodo ergo Papa seu episcopus faciens indulgentias potest illarum particeps fieri? 279
Art. IV. An et quæ causa requiratur, ut indulgentia sit rata? *ibid.*
Solvuntur objectiones. 280
Art. V. De requisitis ex parte suscipientis indulgentiam. 282
Petes 1° utrum suscipiens indulgentiam debeat esse in statu gratiæ? *ibid.*
Petes 2° utrum alia opera injuncta præter ultimum, debeant etiam adimpleri in statu gratiæ? *ibid.*
Petes 3° utrum satis sit facere opus injunctum quoad substantiam, ita ut indulgentiæ conse-

quendæ non obstet, etiamsi ex fine vel circumstantiis fiat peccatum veniale? 283
Petes 4° utrum qui opera præscripta devote adimplet præcise toties quoties præcripta sunt, tantum participet de indulgentia quam qui pluries et devotius adimplet? *ibid.*
Petes 5° utrum ad consequendam Indulgentiam requiratur in suscipiente propositum et sollicitudo per se propriis laboribus satisfaciendi? 284
Petes 6° utrum ad indulgentiam consequendam adhibenda sit confessio sacramentalis?
Petes 7° utrum qui partem operis præscripti implevit, et propter morbum aliamve justam causam residuum implere non potest, lucretur Indulgentiam? *ibid.*
Petes 8° utrum qui facit opus præscriptum sine intentione lucrandi indulgentiam, puta quia nescit aut oblitus est et esse annexam indulgentiam, illam lucretur? *ibid.*
Petes 9° utrum translato festo transferatur indulgentia ei annexa? *ibid.*
Art. VI. De indulgentiis quæ applicantur defunctis. 286
Petes 1° utrum indulgentiæ possint applicari et prodesse defunctis? *ibid.*
Petes 2° quomodo applicantur et prosunt indulgentiæ defunctis? *ibid.*
Petes 3° utrum Deus teneatur ex justitia seu certa lege acceptare indulgentias applicatas defunctis? 287
Petes 4° an indulgentiæ applicatæ uni, vel aliquibus personis determinatis, prosint omnibus? 288
Petes 5° utrum qui lucrantur indulgentias pro defunctis debent esse in statu gratiæ. *ibid.*

TRACTATUS DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

Summa doctrinæ catholicæ de Extrema-Unctione. 289
Decretum concilii Florentini. *ibid.*
Canones concilii Tridentini de Extrema-Unctione. *ibid.*
Dissertatio unica. Complectens omnia quæ hoc sacramentum spectant. 290
Art. I. Utrum Extrema-Unctio sit sacramentum. *ibid.*
Solvuntur objectiones. 292
Art. II. De materia Extremæ-Unctionis. 295
§ I. De materia remota Extremæ-Unctionis. *ibid.*
Petes utrum ad validitatem sacramenti sufficiat benedictio quovis modo facta ab episcopo vel sacerdote? 297
§ II. De Materia proxima Extremæ-Unctionis. *ibid.*
Observanda circa unctiones. 299
Petes utrum sit validum sacramentum si quinque sensus ungantur sub una forma, illos omnes distincte exprimente? *ibid.*
Art. III. De forma Extremæ-Unctionis. 300
Petes 1° Quæ verba formæ supra descriptæ sint essentialia? 301
Petes 2° utrum hoc sacramentum non obstantibus pluribus materiis et formis sit unum? 302
Art. IV. De effectibus Extremæ-Unctionis. *ibid.*
Petes quandonam istud sacramentum producat suum effectum? 304
Art. V. De ministro Extremæ-Unctionis. 305
Petes 1° utrum quilibet sacerdos possit hoc sacramentum conferre? 306
Petes 2° quot requirantur sacerdotes in administratione hujus sacramenti? *ibid.*
Petes 3° utrum hoc sacramentum a pluribus collatum sit validum? 307
Art. VI. De subjecto Extremæ-Unctionis. *ibid.*
Petes an post vel ante Viaticum sit conferendum? 308
Consectaria. *ibid.*
Consectaria. 309
Art. VIII. De obligatione suscipiendi et administrandi Extremam-Unctionem; necnon de ejus iteratione ac de dispositione ad illam; per quæstiunculas. 310
Petes 1° utrum hoc sacramentum sit necessarium ad salutem? *ibid.*
Petes 2° utrum pastor teneatur hoc Sacramentum suis parochianis administrare cum evidenti periculo vitæ suæ? 311
Petes 3° utrum hoc sacramentum sit iterabile? *ibid.*
Petes 4° quæ dispositio requiratur ad hujus sacramenti susceptionem? 312

TRACTATUS DE SACRAMENTO ORDINIS.

Summa doctrinæ catholicæ de Ordine. 313
Decretum concilii Florentini. *ibid.*
Canones concilii Tridentini de Ordine. *ibid.*
Dissertatio I. De existentia sacramenti Ordinis, et de numero Ordinum. 314
Art. I. Utrum Ordo seu ordinatio sit sacramentum? *ibid.*
Solvuntur objectiones. 315
Art. II. Quot sint Ordines? 317
Solvuntur objectiones. 318
Art. III. Utrum omnes Ordines sint sacramenta? 319
§ I. Utrum diaconatus sit sacramentum? 320
§ II. Utrum subdiaconatus et quatuor minores Ordines sint sacramenta? 321
Art. IV. De tonsura clericali? 323
Petes 1° utrum tonsura sit Ordo? 324
Petes 2° quæ sit antiquitas tonsuræ clericalis? *ibid.*
Petes 3° quæ fuerit causa hujus ritus in Ecclesia? 325
Petes 4° utrum omnes clerici teneantur deferre tonsuram? *ibid.*
Petes 5° utrum omnes tonsurati gaudeant privilegiis clericalibus? *ibid.*
Petes 6°. quæ sint dispositiones requisitæ ad tonsuram? 326
Dissertatio II. De materia et forma singulorum Ordinum. *ibid.*
Art. I. Quæ sit materia et forma presbyteratus? *ibid.*
Solvuntur objectiones. 328
Petes 1° utrum in collatione presbyteratus conferatur duplex character? 331
Petes 2° qualis contactus materiæ sit necessarius necessitate sacramenti? *ibid.*
Petes 3° quæ sint officia sacerdotis? *ibid.*
Art. II. Quæ sit materia et forma diaconatus? *ibid.*
Petes 1° utrum in diaconatu conferatur duplex character? 332
Petes 2° quando conferatur character? *ibid.*
Petes 3° quæ sint officia diaconi? *ibid.*
Art. III. De materia, forma et officiis diaconatus et minorum ordinum. *ibid.*
Dissertatio III. De ministro, subjecto et effectu sacramenti ordinis. 334
Art. I. Quis sit minister sacramenti Ordinis? *ibid.*
Art. II. Utrum omnis episcopus sit legitimus minister ordinationis? 336
§ I. Utrum episcopus possit licite ordinare non subditum? 337

Petes a quo regulares exempti debent habere litteras dimissorias? 338
§ II. Utrum ordinationes factæ ab episcopis intrusis, hæreticis, schismaticis, excommunicatis, degradatis, simoniacis, sint validæ. ibid.
Solvuntur objectiones. 339
Appendix de ordinationibus Anglicis? 340
Art. III. De subjecto ordinationis. 341
§ I. Quinam sint capaces ordinationis? ibid.
§ II. Quæ dispositiones requirantur in subjecto ad legitime et licite suscipiendos ordines? 344
Vocatio. ibid.
Recta intentio. ibid.
Probitas morum. ibid
Scientia. ibid.
Ætas legitima. 345
Observantia interstitiorum et temporis a jure statuti. ibid.
Titulus. 364
Petes 1° utrum qui ordinatur cum vero titulo sed insufficienti, incurrat suspensionem? 347
Petes 2° utrum qui habet patrimonium cum pacto illud reddendi post ordinationem, incurrat suspensionem? ibid.
Petes 3° utrum exercens ordinem in hac suspensione incurrat irregularitatem? 348
Ordinatio per gradus et non per saltum. ibid.
Immunitas ab irregularitate. ibid.
Art. IV. De continentia annexa sacris ordinibus. ibid.
Solvuntur objectiones.
Art. V. Variæ quæstiunculæ circa præcedentem materiam resolvuntur. 352
Petes 1° utrum clerici majores in ecclesia Latina obligentur ad continentiam immediate ex præcepto Ecclesiæ, an mediante voto quod emittunt? ibid.
Petes 2° utrum qui susciperet sacrum ordinem ante usum rationis, aut post ex gravi metu injuste incusso, teneretur ad continentiam? ibid.
Petes 3° utrum qui ignoraret votum continentiæ esse annexum ordini sacro ad illam servandam teneretur? 353
Petes 4° quid si suscipiens ordinem expresse nollet vovere? ibid.
Petes 5° quo se recipere debent uxores clericorum post ordinationem continentium? ibid.
Petes 6° utrum clerici minorum ordinum aliquando fuerint obstricti lege continentiæ? ibid.
DIGRESSIO I HISTORICA. De episcopabus, presbyterabus, diaconissis et subdiaconissis. ibid.
Petes 1° quæ fuerint olim episcopæ, etc., de quibus apud veteres est frequens mentio? ibid.
Petes 2° quæ erant diaconissarum ministeria? ibid.
Petes 3° quæ mulieres assumebantur ad munus diaconissæ? 354
Petes 4° an aliquo ritu diaconissæ consecrarentur? ibid.
DIGRESSIO II HISTORICA. De fabula papissæ. ibid.
Solvuntur objectiones. 356
DISSERTATIO IV. De episcopatu. 359
Art. I. Utrum episcopus sit institutione divina superior presbyteris? ibid.
Solvuntur objectiones. 361
Art. II. Utrum episcopatus sit Ordo distinctus a sacerdotio? 363
Solvuntur objectiones. 365
Art. III. Quot episcopi requirantur ad ordinationem episcopalem? 366
Solvuntur objectiones. 368

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

Summa doctrinæ catholicæ de Matrimonio. 370
Decretum concilii Florentini. ibid.
Canones concilii Tridentini de Matrimonio. ibid.
DISSERTATIO I. De Matrimonio secundum se. 372
Art. I. De nominibus, definitionibus et essentia Matrimonii. ibid.
Nomina. ibid.
Definitiones. ibid.
Essentia. 373
Art. II. De Matrimonio ut est in officium naturæ. 374
§ I. Utrum Matrimonium sit hominibus naturale? ibid.
§ II. Utrum Matrimonium cadat sub præcepto? 375
§ III. Utrum actus Matrimonii sit licitus, possitque esse meritorius? ibid.
Art. III. De Matrimonio ut est sacramentum. Et primo: Utrum sit sacramentum novæ legis proprie dictum? 377
Petes 1° quandonam Christus instituit hoc sacramentum? 380
Petes 2° ad quid valeat gratia sacramentalis Matrimonii? ibid.
Art. IV. Utrum Matrimonium inter absentes contractum sit proprie dictum sacramentum? ibid.
Solvuntur objectiones. 381
Art. V. Variæ quæstiunculæ circa præsentem materiam breviter resolvuntur. 382
Petes 1° quæ sint conditiones a jure requisitæ ut Matrimonium inter absentes sit validum? ibid.
Petes 2° an mandatnm debeat dari coram parocho et testibus? ibid.
Petes 3° utrum si mandans dederit mandatum ficte valeat Matrimonium, si antequam celebretur ratum habuerit mandatum? ibid.
Petes 4° an si mandans incidat in amentiam antequam mandatarius contrabat validum sit Matrimonium? ibid.
Petes 5° utrum inter fideles baptizatos possit dari Matrimonium validum in ratione contractus et non in ratione sacramenti? ibid.
Petes 6° utrum Matrimonium inter infideles contractum fiat sacramentum, dum postea baptizantur, præsertim si renovent consensum? 333
Petes 7° utrum sacramentum Matrimonii possit claudicare? ibid.
Art. VI. Quis sit minister Matrimonii? ibid.
Solvuntur objectiones. 385
Art. VII. De materia et forma sacramenti Matrimonii. 389
DISSERTATIO II. De Sponsalibus. 390
Art. I. Quid sint sponsalia? ibid.
Petes 1° utrum sponsalia clandestina post Tridentinum sint valida? 391
Petes 2° utrum Matrimonium clandestinum, aut quodvis aliud jure nullum habeat saltem vim sponsalium? 392
Petes 3° utrum dum vir dicit puellæ: nullam aliam ducam nisi te, vel e contra, puella viro, sint sponsalia? ibid.
Petes 4° an necessario sint præmittenda sponsalia Matrimonio? ibid.
Petes 5° quibus de causis præmittuntur sponsalia Matrimonio? ibid.
Art. II. Quot modis contrahuntur sponsalia? ibid.

Petes 1° utrum si conditio sit honesta, sed tamen contraria bonis Matrimonii, valeant sponsalia? 393
Petes 2° an contractus sponsalitius initus sub conditione honesta de futuro, adimpleta conditione, statim valeat absque novo contractu aut consensu? *ibid.*
Petes 3° utrum sponsalia conditionata inter personas habiles ad Matrimonium per copulam subsequentem transeant in absoluta? *ibid.*
Petes 4° utrum possit apponi sponsalibus conditio pœnalis quæ resilientem obliget? 394
Petes 5° utrum si juste resiliens se obligaverit sub juramento solvere pœnam, illud juramentum firmet contractum? *ibid.*
Petes 6° utrum si juste resiliens solvat pœnam alteri, iste possit retinere? *ibid.*
Art. III. Qui possint contrahere sponsalia? *ibid.*
Petes 1° an si paulo ante septennium contrahentes habeant usum rationis sufficientem, valeant sponsalia? 395
Petes 2° quis rationis usus requiratur ad contrahenda sponsalia? *ibid.*
Petes 3° an parentes possint sponsalia contrahere pro filiis minoribus? *ibid.*
Petes 4° an qui contraxerunt sponsalia ante pubertatem, cum eam attigerint possint ab eis resilire, etiam invita una parte? 396
Art. IV. De effectibus sponsalium. *ibid.*
Petes 1° quo tempore sint adimplenda sponsalia? *ibid.*
Petes 2° an nolens aut differens adimplere sponsalia sit compellendus? *ibid.*
Petes 3° an obligatio quam habent desponsati tanta sit ut si alteruter peccatum fornicationis committat cum alia persona, sit peccatum speciale contra justitiam et in confessione accusandum? *ibid.*
Art. V. Assignantur causæ ex quibus dirimi possunt sponsalia. 397
Petes utrum qui habet defectus occultos teneatur illos detegere comparti ante sponsalia seu saltem ante Matrimonium? 399
Petes an sponsalia solvantur per posteriora jurata, aut subsecuta copula? 400
Casus dubius. Utrum votum simplex castitatis perpetuæ subsequens sponsalia, illa absolute dissolvat? 401
Petes an in omnibus casibus assignatis ipso jure solvantur sponsalia? 402
Art. VI. De bannis. *ibid.*
Exponitur decretum concilii Tridentini. 403
Petes 1° utrum non sint aliquando repetendæ denuntiationes? *ibid.*
Petes 2° quas pœnas incurrunt tam parochus assistens quam contrahentes Matrimonium sine præviis proclamationibus aut legitima dispensatione? *ibid.*
Petes 3° utrum qui post unam aut duas proclamationes contrahit Matrimonium has pœnas incurrat? 404
Petes 4° utrum qui novit impedimentum teneatur revelare? *ibid.*
Dissertatio III. De consensu ad Matrimonium requisito. 405
Art. I Utrum possit esse Matrimonium sine consensu conjugum? *ibid.*
Art. II. Qualis debeat esse consensus? 406
Petes 1° ad quid teneatur qui ficte consensit? *ibid.*
Petes 2° utrum pars decepta teneatur alteri simpliciter asserenti se non consensisse, credere et ab usu conjugii abstinere? 407
Art. III. Utrum Matrimonium ex metu initum sit irritum, et quo jure? 408
Petes 1° quæ mala debent timeri ut censeatur gravis metus? *ibid.*
Petes 2° an si minora mala timeantur, sed timens sit pusillanimis et timidus, censeatur etiam metus gravis irritans Matrimonium? *ibid.*
Petes 3° an metus reverentialis censeatur gravis? 409
Solvuntur objectiones. *ibid.*
Petes 1° utrum Matrimonium ex metu gravi initum et jure positivo nullum firmetur juramento? 410
Petes 2° utrum si coactus ad contrahendum Matrimonium similiter cogatur ad consummandum, possit licite? 411
Petes 3° quæ sint pœnæ cogentium ad Matrimonium? *ibid.*
Petes 4° utrum proles natæ ex Matrimonio defectu consensus, aut ratione aliçujus impedimenti nullo, sint legitimæ? *ibid.*
Art. IV. De Matrimonio conditionato. *ibid.*
Art. V. De objecto consensus matrimonialis. 412
Solvuntur objectiones. *ibid.*
Art. VI. Utrum ad Matrimonium requiratur necessario consensus parentum? 414
Solvuntur objectiones. 416
Art. VII. Quomodo Matrimonium invalide contractum ratum effici possit et debeat? 418
Petes utrum saltem ille novus consensus unius partis non debeat aliquo signo exteriori exprimi? 419
Petes an si in rescripto dispensationis ponantur hæc vel similia verba: Dispenso ut inter se publice et servata forma Tridentini contrahant; possint nihilominus renovare consensum inter se sine parocho et testibus, si jam prius contraxerant coram illis? 421
Digressio Historica. Utrum inter B. Virginem et S. Josephum fuerit verum Matrimonium? *ibid.*
Dissertatio IV. De bonis et actu Matrimonii. 423
Art. I. De bonis Matrimonii. *ibid.*
Art. II. De Actu Matrimonii. 424
§ I. Utrum actus conjugalis excusetur per bona Matrimonii? *ibid.*
§ II. Utrum actus conjugalis excusari possit sine bonis Matrimonii, atque adeo exerceri ob solam voluptatem, aut fornicationem in se vitandam? 425
Solvuntur objectiones. 426
Art. III. De aliis peccatis conjugum in usu Matrimonii. 429
Quoad modum et situm copulæ. *ibid.*
Consectaria. 430
Quantum ad circumstantias loci et temporis. *ibid.*
Quantum ad accessoria copulæ, oscula, tactus amplexus, aspectus, delectationes morosas, etc. 431
Art. IV. De obligatione reddendi debitum. *ibid.*
§ I. Utrum conjux teneatur petenti reddere debitum. *ibid.*
§ II. Utrum sit reddendum debitum illicite petenti. 433
Petes 1° quid sit censendum, si uterque conjux habeat impedimentum affinitatis aut voti? *ibid.*
Petes 2° utrum si muliter violenter opprimatur a consanguineo viri sui impediatur petere debitum? *ibid.*
Petes 3° utrum conjux consentiens concubitui incestuoso suæ compartis contrahat inde impedimentum petendi debitum? *ibid.*

Petes 4° utrum contrahant hoc impedimentum qui ignorant legem? *ibid.*
Petes 5° quid in dubio de valore Matrimonii, quantum ad petitionem et redditionem debiti? *ibid.*
Petes 6° utrum adulter privetur jure petendi debitum? *ibid.*
DISSERTATIO V. De unitate et indissolubilitate Matrimonii. 435
Art. 1. De unitate Matrimonii. *ibid.*
§ I. Utrum polygamia sit jure naturæ prohibita? *ibid.*
§ II. Utrum polygamia fuerit aliquando licita? 438
Petes 1° quandonam facta sit hæc dispensatio? 437
Petes 2° quomodo facta sit hæc dispensatio? *ibid.*
Petes 3° quibus de causis fuerit dispensatum in lege monogamiæ? 439
Petes 4° utrum hæc dispensatio etiam pertineret ad gentiles? *ibid.*
§ III. Utrum bigamia sit licita? 450
Petes 1° utrum sufficiat probabilitas de morte prioris conjugis ad contrahendum secundum Matrimonium? 441
Petes 2° utrum conjux dubitans de morte conjugis, vel etiam putans eum esse vivum valide contrahat, si revera obierit prior conjux? *ibid.*
Art. II. De indissolubilitate Matrimonii. 442
§ I. An et quo jure Matrimonium sit indissolubile? *ibid.*
§ II. An et quo jure Matrimonium infidelium consummatum dirimi possit? 443
Petes 1° quandonam matrimonium in casu censeatur solutum? 444
Petes 2° utrum conjuge fideli transeunte ad alias nuptias, infidelis possit pariter inire aliud Matrimonium? *ibid.*
Petes 3° utrum fidelis conversus possit aut debeat cohabitare cum infideli nolente converti, volente tamen pacifice et legitime cohabitare? 445
Petes 4° utrum Matrimonium fidelium solvatur per unius hæresim? *ibid.*
§ III. Utrum Matrimonium dissolvi possit propter adulterium unius conjugis? *ibid.*
§ IV. Utrum et quo jure Matrimonium ratum per professionem religiosam dissolvatur? 447
Petes 1° an elapso bimestri, sed non consummato Matrimonio, possit adhuc conjux ingredi religionem? 448
Petes 2° utrum conjux qui non intendit ingredi religionem possit intra bimestre negare debitum? *ibid.*
Petes 3° an uxor vi oppressa a marito intra bimestre possit adhuc ingredi et profiteri religionem? *ibid.*
§ V. Utrum summus pontifex possit dispensare in Matrimonio rato? 448
§ VI. De divortio. 450
Petes 1° utrum possit fieri divortium propter adulterium alterius conjugis? *ibid.*
Petes 2° utrum non solum liceat, sed etiam debeat ex præcepto fieri divortium propter adulterium alterius conjugis? *ibid.*
Petes 3° utrum præter adulterium sint aliæ causæ divortii? *ibid.*
Petes 4° qua auctoritate possit et debeat fieri divortium? 451
Petes 5° utrum conjux innocens teneatur nocentem emendatum, redire petentem, recipere? 452
Petes 6° utrum conjux nocens teneatur, divortio etiam juridice facto, ad conjugem innocentem eum revocantem redire absque nova judicis sententia? *ibid.*
DIGRESSIO HISTORICA, de libello repudii apud Judæos. *ibid.*
DISSERTATIO VI. De impedimentis Matrimonii in communi. 454
Art. I. Quot et quæ sint impedimenta Matrimonii in communi? *ibid.*
Art. II. Quis possit statuere impedimenta dirimentia Matrimonium? 456
Art. III. Quis possit dispensare in impedimentis dirimentibus Matrimonium? 458
DISSERTATIO VII. De impedimentis dirimentibus in particulari. 460
Art. I. De impedimento erroris et conditionis. 464
Petes 1° utrum servus vel serva possit licite et valide contrahere Matrimonium sine consensu Domini? 463
Petes 2° cujus conditionem proles sequi debeat, an Patris, an Matris? *ibid.*
Art. II. De impedimento voti. *ibid.*
§ I. Utrum votum simplex impediat et dirimat Matrimonium subsequens? *ibid.*
§ II. Quo jure votum solemne religionis dirimat Matrimonium subsequens? 464
Solvuntur objectiones. 465
Art. III. De impedimento Ordinis. 467
Art. IV. De impedimento consanguinitatis. 468
§ I. Quid sit consanguinitas? *ibid.*
§ II. Utrum consanguinitas convenienter distinguatur per gradus et lineas. 469
Regulæ ad dignoscendos gradus consanguinitatis. 470
Arbor consanguinitatis. 472
§ III. Utrum consanguinitas impediat et dirimat Matrimonium? Quo gradu, et quo jure? *ibid.*
Solvuntur objectiones. 476
Art. V. de Impedimento affinitatis. 478
§ I. Quid sit affinitas, et ex quo causetur? *ibid.*
§ II. Utrum affinitas habeat per se gradus? 480
Regula generalis dignoscendi gradus affinitatis. 481
§ III. Utrum affinitas impediat et dirimat Matrimonium? Quo gradu, et quo jure? *ibid.*
Petes utrum manentibus personis, inter quas contracta est affinitas, ipsa desinat, si moriatur persona ratione cujus contracta est? 484
Art. VI. De impedimento justitiæ publicæ honestatis. *ibid.*
Petes 1° Quid sit justitia publicæ honestatis? *ibid.*
Petes 2° ex quibus sponsalibus oriatur istud impedimentum? *ibid.*
Petes 3° quo gradu istud impedimentum dirimat Matrimonium? *ibid.*
Petes 4° utrum istud impedimentum duret post mortem alterutrius sponsæ aut sponsi? *ibid.*
Petes 5° an etiam duret etsi sponsalia mutuo consensu, vel ex alia justa causa dissolvantur. *ibid.*
Observanda circa constitutionem Bonifacii VIII. 485
Art. VII. De impedimento cognationis spiritualis. *ibid.*
Petes 1° utrum cognatio spiritualis oriatur tantum ex Baptismo et Confirmatione? *ibid.*
Petes 2° inter quos contrahatur cognatio spiritual. *ibid.*
Petes 3° utrum cognatio spiritualis impediat et dirimat Matrimonium? 486
Petes 4° utrum et quæ conditiones requirantur ut hæc cognatio et impedimentum contrahantur? 487
Petes 5, si plures quam unus et una designati et

a parocho admissi infantem tangant et suscipiant, quinam contrahant cognationem ? *ibid.*
Petes 6° utrum requiratur quod susceptores tangant corporaliter baptizatum ? *ibid.*
Art. VIII. De impedimento cognationis legalis, per quæstiunculas. 488
Petes 1° quid et quotuplex sit adoptio ? *ibid.*
Petes 2° quinam generaliter possint adoptari et adoptare ? *ibid.*
Petes 3° utrum legalis cognatio impediat et dirimat Matrimonium ? *ibid.*
Petes 4° inter quos contrahatur cognatio legalis ? 489
Art. IX. De impedimento impotentiæ. *ibid.*
Consectaria præcedentis doctrinæ. 490
Petes 1° quid facto opus si dubitetur an impotentia sit perpetua vel temporalis ? 491
Petes 2° quid si post judicium Ecclesiæ et separationem factam, contingat impotentiam tolli ? 491
Petes 3° quibus signis poterit dignosci esse impotentiam ex maleficio ? 492
Petes 4° quibus remediis occurri possit impotentiæ ex maleficio ? *ibid.*
Petes 5° utrum detur impotentia naturalis perpetua respectiva ? *ibid.*
Petes 6° quid agendum in dubio utrinque æquali, an impotentia præcesserit vel subsecuta fuerit Matrimonium ? 493
Petes 7° an Matrimonium ante annos pubertatis contractum sit nullum ? *ibid.*
Art. X. De impedimento disparitatis cultus. *ibid.*
Petes 1° quid sit censendum de matrimoniis catholicorum cum hæreticis ? 494
Petes 2° quare potius Ecclesia irritaverit Matrimonium inter fidelem et non baptizatum quam inter fidelem et hæreticum. 494
Art. XI. De impedimento criminis. 495
Art. XII. De impedimento clandestinatis. 496
§ I. Utrum matrimonia clandestina fuerint olim, et sint etiam nunc valida ? *ibid.*
§ II. Variæ difficultates circa matrimonia clandestina et præfatum Tridentini decretum resolvuntur, per quæstiunculas. 498
Specialis difficultas de matrimoniis in Hollandia celebratis. 500
Observanda circa præfatam constitutionem. 501
Protestatio auctoris. 502
Appendix de matrimonio civili et impedimentis a potestate civili introductis. 503

Billuar

OCT 29 19

PONTIFICAL INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO—5, CANADA
1357.